



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
S
14 — M
H7
ROMA

DISPVTATIONES
THEOLOGICÆ
R. P. PHILIPPI
A S^{ma} TRINITATE
CARMELITÆ DISCALCEATI,
In Tertiam Partem
DIVI THOMÆ.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

R. P. PHILIPPI A S^ma TRINITATE

CARMELITÆ DISCALCEATI,
PROVINCIÆ SANCTÆ THERESIÆ;

IN TERTIAM PARTEM
DIVI THOMÆ,

Complectentes tres Tractatus,

Scilicet de Sacrosancto Dominicæ Incarnationis Mysterio, de Sacramentis in genere, & de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento;

Ex mira eiusdem Doctoris Angelici doctrina collecta,

Iuxta legitimam Scholæ ipsius intelligentiam.






LVGDVNI,
Sumptibus ANTONII IVLLIERON Typogr.
& Bibliopolæ, in vico Racemi sub signo duarum Viperarum.

M. DC. L.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



Nobilissimo Clarissimóque Domino

DOMINO IOANNI
DE FORBIN
DOMINO DE LA GOY,
SANCTÆ ARELATENSIS
ECCLESIÆ PRÆPOSITO, &c.

DVPLICI ductus motiuo NOBILISSIME & CLARISSIME DOMINE: grati scilicet & supplicis animi, ad Tuum accedo conspectum, Theologicum hoc opus Tuo Nomini consecraturus, Tuáque protectione decoraturus.

Vt autem, à primo incipiens, expressiùs loquar: nunquid iniusto silentio, & ingrati animi vitio iure

ã 3 merito

merito damnarer; si diutiùs Paternum Tuum in nostram Religionem Carmelitanam affectum,& innumera à Te nobis collata beneficia, quasi oblitus reticerem? Verum quidem est, quòd Carmelitæ Discalceati semper & vbique manifestant, quot quantísque titulis obstricti Tibi maneant: domestica prouinciæ nostræ monumenta Te Defensorē & eximium Benefactorem proclamant: Te noster Arelatensis Conuentus singularē Amicum, almum Protectorem; & vt totum dicam, charissimum agnoscit Parentem. Omnibus huius inclytę ac Regię Ciuitatis habitatoribus notum est, quo zelo nostram in ea procurasti receptionem: qua industria eorum animos, qui prodesse poterant, conciliasti: non authoritate tantùm propria, Consanguineorū, Affinium, & Amicorum in hac Ciuitate maxima & venerabili, pium nostræ fundationis opus promouisti; sed etiam expensis plurimis, ac fidei iussione penitus firmasti: non aliorum tantummodò relatione, sed propria etiam edoctus experientia loquor. Hæc, inquam, pluribus nota sunt: sed vt magis & latiùs appareant, propria motus inclinatione, & totius nostræ Prouinciæ ductus applausu, publicis nunc saltem indicare scriptis compellor.

Supplex etiam accedo, vt nascentis huius mei partus protectionem admittere digneris. Operæ pretium duxi, tam eximij Protectoris nobilitate decorare, quē Authoris ignobilitas sine dubio deprimeret: Tuo Nomine clarus, Tuo Stēmate insignitus, Tua Protectione securus palam prodibit, nulliúsque Censoris aspectū formidabit. Enim verò; Quem magis idoneum posset habere Protectorem, quàm Te propriis meri-

tis

tis Insignem, & Auitæ Nobilitatis gloria venerandum? Multa possem de vtrisque disserere: sed Tua me compellit modestia, nobilissimas etiam silere laudes; vnde insitā animi Nobilitatem, modestam Grauitatem, raram Mansuetudinem, Prudentiam mirabilem, cæterásque sublimis animi Tui dotes & virtutes, quibus apud omnes, qui Te norunt, venerabilis & dilectissimus existis, sciens ac volens prætermitto.

Hæ præclaræ dotes, etsi Tibi propriæ; hæreditario tamen quodam iure, à Tuis deriuatæ Maioribus ad Te deuenerunt: quis nesciat Inclytæ Domus de Forbin antiquissimam Nobilitatem, amplissimam fœcūditatem, ac præclara Heroüm ipsius gesta & merita? Clara eius Nobilitas à multis iam sæculis elucet: sunt, qui ex Britannia maiori procedere affirment; cùm Clarissimæ & Nobilissimæ eiusdē Nominis ac Stemmatis in illo Regno reperiātur Familiæ. Tāta est eius fœcunditas, vt mirum sit, quot gloriosi ex vna stirpe rami prodiêre: inter Ipsos, vt à Viris Deo consecratis exordiar, est magnus Prior Sancti Ægidij ex Domo de Bonaual, ob præclara gesta in obsequium suę Religionis, & in decus Regni Galliæ gloriosissimus: cuius memoria apud Carmelitas Discalceatos, propter maxima & continua beneficia, est in benedictionibus. Inter Ipsos computantur Illustrissimæ Domus, Paterna tua de la Barben, de Soliers, de Genson, d'Oppede, de la Phare, de Gardane, de la Marthe, de la Roque, de Turris, aliæque plurimæ; variis honorum titulis, Marchionis, Baronis, aliísque decoratæ. Tu quoque Dominatione de la Goy Illustris, magnísq; locuples redditibus, non inferiorem aliis Domum fundare po-

teras: nisi Christum Sæculo præferens, Ipsi seruire regnare esse iudicasses.

Heroüm Tuæ Stirpis gesta & merita Prouinciales illustrant Annales: Hos inter Primus nobis notus occurrit Ioannes ille de Forbin, ad quem directæ reperiuntur Clarissimorum Venetum Epistolæ, indiciis grati eorum animi propter recepta beneficia, & plurimis honorum titulis refertæ. Huic succedunt duo Filij, meritis Patri non inferiores, Ioannes videlicet Dominus de la Barben, & Magnus ille Palamedes de Forbin, qui iam honorificis Clarus officiis, à Ludouico XI. Galliarum Monarcha electus, eiúsque patentibus Regiis munitus, defuncto Carolo vltimo ex secunda Andegauensi progenie oriundo, exclusísque Lotharingis Principibus, pacificam Comitatus Prouinciæ possessionem, mirabili prudentia & eloquentia cunctis persuasis obtinens, eum potentissimo Galliarum vniuit Imperio: propter quod Regia liberalitate multas Dominationes, cognomentum Magni, & quasi Regios accepit honores; vnde meritò dicere poterat, REGEM EGO COMITEM, ME COMES REGEM. Tanta fuit eius authoritas, vt oppressi certissimum in ipso reperirent azilum: in tantum eius gloria creuit, vt Neptis Renati Regis cum Francisco de Forbin Domino de Soliers eius Nepoti Matrimonio iungi honori duxerit. Plurima alia Paternæ Tuæ Nobilitatis monumēta, & Maternæ Stirpis gloriam prætermittens, hæc paucis perstrinxi; vt hic Liber meus delineatum saltem gerens in fronte suum Protectorem, tot Heroüm gloriæ non degenerem, de tam Illustri Protectione glorietur.

Hoc

Hoc quidem munuſculum, Tuis meritis & beneficiis impar, Tibi titulo gratiarum actionis offero: ſed maioris debiti rationem contraho, dum Tuam de nouo Protectionem expoſco: in eo tamen primum noſtri in Te grati animi monumentum conſidera; & certò ſcias nos, qui Tuis Beneficiis & Protectione fruimur, continuò diuinam Benedictionem ſuper Te, Tuóſque implorare; quam ipſis propiciam & perpetuam fore ſupplicibus votis deprecor Ego inter alios primus.

TVÆ DOMINATIONIS

Humillimus & Addictiſſimus ſeruus
Fr. PHILIPPVS à SANCTISSIMA
TRINITATE Carmelita Diſcalceatus.

PROLOGVS AD LECTOREM.

LECTOR beneuole, vt tibi promiseram in fine Summæ Philosophicæ, Theologicas Disputationes in lucem edo; ad hoc motus multorum instantiis, quibus mea Philosophia plurimùm accepta fuit. Ne mireris, quòd ordine præpostero incœperim: præsentes quippe Tractatus in tertiam Partem iam elaboratos breuius typis parandos iudicaui. Non omnes Theologiæ materias pertractabo: sed præcipuos & celebriores, in singulis Summæ D. Thomæ partibus, seligam tractatus; quos disputationibus & dubiis, quàm breuissimè potero, explanabo: adducam quidem omnia, quæ nunc agitari solent; sed prolixitatem verborum, & repetitionem euitabo. Non deerunt fortè, qui meum in hac parte sequantur ingenium: fateor me in pluribus libris, etiam profundissimæ & exquisitæ doctrinæ plurimùm laborasse, & multum tædij ac nauseæ percepisse, ex nimia prolixitate & repetitione: vnde, ne aliis eandem causem nauseam, breuitatem affecto: propterea etiam commentaria, quæ in textum D. Thomæ iam incœperam, rescidi: si quid tamen difficultatis occurrerit, in ipsis disputationibus elucidabo.


Eundem ferè modum procedendi in Theologicis sequor, quem in Philosophicis sequutus sum: aliquantulum tamen inuerti, propter textum D. Thomæ, quem appono, ne ex eius defectu plura desint materiis, quas agito; aut ne meis Disputationibus plura cogar inserere, quæ facilè in apposito textu reperiuntur: conueniens autē fuit, vt textus D. Thomæ à meis scriptis, ex diuerso modo procedendi dignoscatur.

Si in Philosophicis nouitates fugi, Principum Philosophorum inhærens vestigiis: maiori nunc cautela easdem nouitates in Theologicis fugiam, vbi maioribus periculis sunt obnoxiæ: vbique timendæ sunt; sed hic præcipuè, vbi sæpe nouitates in errores contra Fidem & in hæreses inducunt; & saltem suos Authores temeritatis nota inurunt. Certè dolendum est, quòd propter nouitates, non solùm Philosophica, sed etiam Theologica principia, olim firma, & apud omnes indubitata, iam facili negotio in Fidei detrimentum negantur: si enim cuilibet audendi detur in Theologicis potestas, nihil firmum & stabile, at omnia dubia & confusa erunt, ipsaque Fides periclitabitur: damno nostro experimur, quot confusiones in Ecclesia similes nouitates pepererunt. Tutius sanè esset, antiquos & probatos Authores sequi, quorum doctrina in scholis est venerabilis: sed maximè Angelici Doctoris D. Thomæ, cuius scientia, quasi è cœlis delapsa, à cœlorū incolis, à Regina & Rege cœlorum miraculosè comprobatur: propterea illam vbique sequor, præferens aliis.


Modestè contrarias impugnabo sententias, illæsis earum Authoribus: licèt enim aliqui nimis audacter & liberè suis scriptis alios impetant, credentes fortè proprias opiniones non satis extolli, nisi contrariæ deprimantur, & earum Authores despiciantur: nolo tamen vitium vitio corrigere; vnde relicto simili modo procedendi, potiùs ratione, quàm Rhetorico vtar artificio.

Tres in hac tertia Parte discutiam Tractatus. Primum de sacrosancto Dominicæ Incarnationis Mysterio, à prima Quæstione D. Thomæ vsque ad vigesimam quartam inclusiuè. Secundum, de Sacramentis in genere, in quo plura adducentur, quæ singulorum Sacramentorum in particulari (de quibus hîc nón agitur) aliqualem notitiam præbebunt. Tertium, de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: reliqua faciliora prætermitto, vt ad alios celebriores tractatus cæterarum partium Theologiæ edendos me præparem. Vtinam ex his aliquam vtilitatem & recreationem consequaris. Vale & fruere meo labore.

FACVLTAS



Approbatio Doctorum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.



NOs Frater Martialis à Sancto Paulino, & Frater Henricus à Sancta Maria Magdalena, in hoc nostro Conuentu Lugdunensi Carmelitarum Discalceatorum Sacræ Theologiæ Prælectores, ex commissione Reuerendi admodum Patris nostri Præpositi Generalis accuratè perlegimus, *Disputationes Theologicas R. P. Philippi à Sanctissima Trinitate, in tertiam Partem D. Thomæ conscriptas*, nihilque in his contra fidem & bonos mores reperimus, imò nihil quod Christianæ Reipublicæ non sit profuturum, nihil quod plurimùm in Theologiæ Candidatorum vtilitatem non cedat, nihil quod Angelicæ Scholæ veritatem non sapiat, ita vt si methodi claritatem, doctrinæ profunditatem, sententiarum aciem, & quod mirum ac rarum est, lucidam breuitatem perpendas, alterum Thomam rursus prodiisse diceres, quare vt typis mandentur dignissimas iudicauimus. Datum Lugduni die 14. Septembris 1649.

Fr. Martialis à S. Paulino Carm. Discal.

Fr. Henricus à S. Maria Magdalena Carm. Discal.

FACVLTAS ORDINIS.



NOs Frater Laurentius à Sancto Elia Præpositus Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli; vt Liber, cui titulus est, *Disputationes R. P. F. Philippi à Sanctissima Trinitate, in tertiam partem D. Thomæ*, à grauibus doctisque viris nostri Ordinis maturè recognitus & approbatus, in lucem prodeat; tenore præsentium, facultatem concedimus. Datum in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Scala, Romæ die vigesimo [illegible] anni Domini 1649.

Fr. Laurentius à S. Elia Præpositus Generalis.

Facultas R. P. Prouincialis Prouinciæ Sanctæ Theresiæ in Gallia.

EGo Frater Clemens ab Assumptione Prouincialis Prouinciæ Sanctæ Theresiæ in Gallia, visa Licentia Reuerendi admodum Patris nostri Præpositi Generalis; hunc *Disputationum Theologicarum Tomum in tertiam partem D. Thomæ, à R. P. Philippo à Sanctissima Trinitate*, Conuentus nostri Tholosanis Priore elaboratum, & à Theologis nostri Ordinis approbatum, dignum censeo vt lucem videat typisque mandetur tenore præsentium. Datum Lugduni in Conuentu nostro Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, die 8. Augusti anni Domini 1650.

Fr. Clemens ab Assumptione Prouincialis.

Approbatio

Approbatio Doctorum Facultatis Parisiensis.

NOs infra signati Doctores Theologi Facultatis Parisiensis, vidimus *Disputationes Theologicas R. P. Philippi à Sanctissima Trinitate, Carmelitæ Discalceati Prouinciæ S. Theresiæ, complectentes Tractatus tres, vnum de Incarnatione, alterum de Sacramentis in genere, tertium de Eucharistiæ Sacramento*, nihilque sanæ doctrinæ aut morum integritati dissonum offendimus; quin potius multiplicem eruditionem, maximamque in Diui Thomæ doctrina explicanda & elucidanda facilitatem, omnibus Theologis nostro iudicio pernecessariam. Propterea non dubitauimus eam approbare. Actum Lugduni die 29. Iunij 1650.

Fr. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.

Fr. FRANCISCVS LORNET, Prædicator.

Approbatio Prouicarij Generalis.

CVM præfati eximij Doctores nihil contra fidem aut bonos mores in hoc *de Sacrosancto Dominicæ Incarnationis Mysterio, de Sacramentis in Genere, & de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento opere R. P. Philippi à sanctissima Trinitate Carmelitæ Discalceati*, inuenerint; Nos quoque in lucem mitti ad aut publicam vtilitatem, facultatem facimus. Lugduni die 8. Augusti 1650.

DEVILLE Pro-vicarius Generalis.

TRACTATVS

INDEX DISPVTATIONVM ET DVBIORVM,

Quæ continentur in Tractatu de Incarnatione, ſupra 3. partem D. Thomæ à Quæſtione prima vſque ad 24.

c 3 Vtrùm

DISPVTATIO V.

In Quæstiones 7. & 8.

DISPVTATIO VI.

In Quæstiones 9. 10. 11. & 12.

DISPVTATIO VII.

In Quæstiones 13. 14. & 15.

6 Vtrùm

INDEX
DISPVTATIONVM ET DVBIORVM,

Quæ continentur in Tractatu de Sacramentis in genere, supra 3. partem D. Thomæ à Quæstione 60. vsque ad 65.

DISPVTATIO II.

In eandem Quæstionem.

DISPVTATIO III.

In Quæstionem 61.

DISPVTATIO IV.

In Quæstionem 62.

DISPVTATIO V.

In eandem Quæstionem.

DISPVTATIO VI.

In Quæstionem 63.

DISPV

DISPVTATIO VII.

In Quæstionem 64.

DISPVTATIO VIII.

In eandem Quæstionem.

DISPVTATIO IX.

Supra eandem Quæstionem.

DISPVTATIO X.

In Quæstionem 65.

INDEX DISPVTATIONVM ET DVBIORVM,

Quæ continentur in Tractatu de SS. Eucharistiæ Sacramento, supra 3. partem D. Thomæ, à Quæstione 73. vsque ad 83.

DISPVTATIO I.

In Quæstionem 73.

DISPVTATIO II.

In Quæstionem 74.

De materia Sacramenti Eucharistiæ. pag. 341

DISPVTATIO III.

In Quæstionem 75.

De conuersione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi Domini. pag. 359

DISPVTATIO IV.

In Quæstionem 76.


De modo quo Christus est in Eucharistia. p.383

Index Disputationum & Dubiorum.

6 *Vtrùm*



TRACTATVS



TRACTATVS PRIMVS DE SACROSANCTO DOMINICÆ INCARNATIONIS MYSTERIO.

PROLOGVS.

SVB nomine Incarnationis Dominicæ, intelligitur mysterium ineffabile, in quo filius Dei, secunda sanctissimæ Trinitatis Persona, naturam assumpsit humanam, vt sic factus homo, pro hominibus moriens, diuinæ iustitiæ ab iisdem offensæ plenè satisfaceret. Hoc autem nomen Incarnationis (iam à fidelibus communiter receptum, licèt prius suspectum, propter hæresim Apollinaris, qui solam admittebat vnionem Verbi Diuini cum carne humana, & non cum anima rationali) deriuatur à carne; quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: quamuis autem non sola caro, sed etiam anima rationalis, & tota humanitas sint Verbo hypostaticè vnita, propter quod hoc mysterium humanatio dici potest: tamen communiùs dicitur Incarnatio; tum ob prædictam authoritatem Euangelistæ, totiúsque Ecclesiæ quæ in suis symbolis Filium Dei canit Incarnatum; tum ad extollendam diuinam misericordiam, quæ etiam vilissimam humanitatis partem, videlicet carnem passibilem & mortalem, in ea passurus & moriturus, assumpsit: non autem dicitur animatio; hæc enim significat, non assumptionem animæ, sicut Incarnatio significat assumptionem carnis: sed importat informationem & actuationem communicatam ab anima ipsi corpori: quia ergo Verbum diuinum secundùm fidem, non informat supplendo animam; integram enim assumpsit humanitatem: ideo hoc mysterium non potest dici animatio: sed Incarnatio, quæ importat humanæ carnis assumptionem.

QVÆSTIO I.

De conuenientia Incarnationis, in sex articulos diuisa.

CIRCA primum tria consideranda occurrunt. Primo quidem de conuenientia incarnationis Christi. Secundò, de modo vnionis Verbi incarnati. Tertiò, de his, quæ consequuntur ad hanc vnionem.

¶ Circa primum quæruntur sex.

¶ Primò, vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari.

¶ Secundo, vtrùm fuerit necessarium ad reparationem generis humani.

¶ Tertiò, vtrùm, si non fuisset peccatum, Deus incarnatus fuisset.

¶ Quartò, vtrùm principaliùs sit incarnatus ad tollendum originale peccatum, quam actuale.

¶ Quintò, vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari [in] principio mundi.

¶ Sextò, vtrùm eius incarnatio differri debuerit vsque in finem mundi.

ARTICVLVS I.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit 1.
conueniens, Deum incarnari. Cum enim Deus ab æterno 3. dist. 1 q.
sit ipsa essentia bonitatis, sic optimum est ipsum esse sicut ab 1. art. 2. &
æterno fuit: Sed Deus ab æterno fuit absque omni carne. 3. concl. 1.
Ergo conuenientissimum est, ipsum non esse carni vnitum. 40. 49.
Non ergo fuit conueniens, Deum incarnari. 53. 54. &

¶ 2 Præterea, Quæ sunt in infinitum distantia, inconuenien- 55. & sq.
ter iunguntur: sicut inconueniens mixtura esset, si quis pin- 3a. 5. & 6.
geret imaginem, in qua humano capiti ceruix iungeretur & q. 3. 4.
equina: Sed Deus & caro in infinitum distant, cum Deus sit 107. &
simplicissimus, caro autem maximè composita, & præcipuè 191.
humana. Ergo inconueniens fuit, quòd Deus carni vniretur humanæ.

¶ 3 Præterea, sic distat corpus à summo Spiritu, sicut malitia à summa bonitate. Sed omnino inconueniens esset, quòd Deus, qui est summa bonitas, malitiā assumeret. Ergo non fuit conueniēs, quòd summus Spiritus increatus corpus assumeret.

¶ 4 Præterea, Inconueniens est, vt qui excedit magna,

continearur in minimo: & cui imminet cura magnorum, ad parua se transferat. Sed Deum, qui totius mundi curam gerit, tota rerum vniuersitas capere non sufficit. Ergo videtur inconueniens, quod intra corpusculum vagientis infantiæ lateat, cui parum putatur vniuersitas: & tandiu à sedibus suis absit ille Regnator, atque ad vnum corpusculum totius mundi cura transferatur, vt Volusianus scribit ad Augustinum. †

Ep. 3 post med. illius tom. 2. inter opera Aug. *Lib. 3. orth. fid. ca. 1. in medio illius.* Sed contra, illud videtur esse conuenientissimum, vt per visibilia monstrentur inuisibilia Dei: ad hoc enim totus mundus est factus, vt patet per illud Apost. Roman. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sed sicut Damasc. dicit in principio tertij lib. * per Incarnationis mysterium monstratur simul bonitas, & sapientia, & iustitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem. Iustitia vero, quoniam homine victo, non alio quàm homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem. Sapientia vero, quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem. Potentia vero siue virtus infinita, quia nihil est maius, quàm Deum fieri hominem. Ergo conueniens fuit Deum incarnari.

CONCLVSIO.

Cùm ipsa Dei natura sit essentia bonitatis, atque ad rationem boni pertineat, vt se aliis communicet: perspicuum est decuisse Deum summo modo se creaturis communicare, quod in opere incarnationis impletum est.

*3. dist. 1. q. 1. ar. 3. ad 3. & q. 2. ar. 1. 1. & dist. 4. q. 1. art. 1. q. 1. ca. & ad 1. c. 1. à medio illius. * c. 4 circa princ. † 13. c. 17. non procul à princ. 10. 3. sent. q. 2. ar. 1 & 3. dist. 1. q. 1 art. 3.* Respondeo dicendum, quod vnicuique est conueniens illud quod competit sibi secundum rationem propriæ naturæ: sicut homini conueniens est ratiocinari, quia hoc conuenit sibi, inquantum est rationalis secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis, vt patet per Dionysium 1. cap. de diui. nom. † Vnde quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo, pertinet autem ad rationem boni, vt se aliis communicet: vt patet per Dionysium, 4. cap. de diuin. nom. * Vnde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se creaturæ communicet: quod quidem maxime fit per hoc quod naturam creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus Verbo, anima, & carne: sicut dicit August. 13. de Trinit. † Vnde manifestum est quod conueniens fuit Deum incarnari.

Ad primum ergo dicendum, quod Incarnationis mysterium non est impletum per hoc, quod Deus sit aliquo modo à suo statu immutatus, in quo ab æterno fuit, sed per hoc, quod nouo modo se creaturæ vniuit, vel potius eam sibi. Est autem conueniens vt creatura, quæ secundum rationem sui mutabilis est, non semper eodem modo se habeat. Et ideo sicut creatura incepit esse, cum prius non esset, ita conuenienter, cum prius non esset, vnita Deo in persona, postmodũ ei fuit vnita.

Ad secundum dicendum, quod vniri Deo in vnitate personæ, non fuit conueniens carni humanæ secundum conditionem suæ naturæ, quia hoc erat supra dignitatem ipsius; conueniens tamen fuit Deo secundum infinitam excellentiam bonitatis eius, vt sibi eam vniret pro salute humana.

Ad tertium dicendum, quòd quælibet alia conditio, secundum quam creatura quæcumque differt à creatore, à Dei sapientia est instituta, & ad Dei bonitatem ordinata: Deus enim propter suam bonitatem, cum sit increatus, immobilis, & incorporeus, produxit creaturas mobiles, & corporeas. Et similiter malum pœnæ à Dei iustitia est introductum propter gloriam Dei: malum verò culpæ committitur per recessum ab arte diuinæ sapientiæ, & ab ordine diuinæ bonitatis: & ideo Deo conueniens esse potuit assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream, & pœnalitati subiectam: non autem fuit ei conueniens assumere malum culpæ.

Est epist. aliquantulùm à princ. tom. 2. In eod. ep. ante medium. Ad quartum dicendum, quod sicut August. respondet in epistola ad Volusianum, * non habet hoc Christiana doctrina, quòd ita sit Deus infusus carni humanæ, vt curam gubernandæ vniuersitatis, vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum, quasi contractam transtulerit: hominum enim est iste sensus, nihil nisi corporea valentium cogitare. * Deus autem non mole, sed virtute magnus est: vnde magnitudo virtutis eius, nullas in angusto sentit angustias. Non est incredibile, si verbum hominis transiens, simul auditur à multis, & à singulis totum, quod Verbum Dei permanens, simul vbique sit totum. Vnde nullum inconueniens sequitur Deo incarnato.

ARTICVLVS II.

Vtrùm necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.

2. Ad secvndvm, sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit necessarium ad reparationem humani generis Verbum Dei incarnari. Verbo enim Dei, cum sit Deus perfectus (vt in primo habitum est *) nihil virtutis per carnem assumptam accreuit. Si ergo Verbum Dei incarnatum humanam naturam reparauit, etiã absque carnis assumptione eam potuit reparare.

3. dist. 4. q. 3. ar. 1 ad 1 & 4. dist. 10. ar. 1 ad 3. & di. 41 ar. 2. q. 2 ad u. & 4 cont. c. 55. 2. & Psal. 45. co. 6 & P p. 4. ar. c & 8. ¶ 2 Præterea, Ad reparationem humanæ naturæ, quæ per peccatum collapsa erat, nihil aliud requiri videbatur, quàm quòd homo satisfaceret pro peccato: Sed homo, vt videtur, satisfacere potuit pro peccato: non enim Deus ab homine plus requirere debet, quàm possit: & cum pronior sit ad miserendum, quàm ad puniendum, sicut homini imputat ad pœnam actum peccati, ita imputare debet ad meritum actum contrarium. Non ergo fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ, Verbum Dei incarnari.

¶ 3 Præterea, Ad salutem hominis præcipuè pertinet, vt Deum reuereatur: vnde dicitur Malachiæ 1. Si ego pater, vbi honor meus? si dominus, vbi timor meus? Sed ea hoc ipso ho[mines], Deum magis reuerentur, quòd eum considerant su[per] omnia eleuatum, & ab hominum sensibus remotum: vnde Psalm 112. dicitur: Excelsus super omnes gentes dominus, & super cœlos gloria eius: & postea subditur: Quis sicut Dominus Deus noster? Quod ad reuerentiam pertinet. Ergo videtur non conuenire humanæ saluti, quòd Deus nobis similis fieret per carnis assumptionem.

Sed contra, illud, per quod humanum genus liberatur à perditione, est necessarium ad humanam salutem: Sed mysterium diuinæ Incarnationis est huiusmodi secundũ illud Ioa. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ergo necessarium fuit ad humanam salutem, Deum incarnari.

CONCLVSIO.

Potuit Deus ex infinitate suæ diuinæ potentiæ, alio quàm incarnationis opere, humanum genus reparare: sed vt homo facilius, & melius suam consequeretur salutem, hoc necessarium fuit, vt Verbum eius caro fieret.

Respondeo dicendum, quod ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium † dupliciter. Vno modo, sine quo aliquid esse non potest: sicut cibus est necessarius ad conseruationem humanæ vitæ. Alio modo, per quod melius & conuenientius peruenitur ad finem: sicut equus necessarius est ad iter. Primo modo, Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ. Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Vnde August. * dicit 13. de Trinit. cap. 10. Verum etiam ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse (cuius potestati omnia æqualiter subiacent) sed sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem alium modum non fuisse. *Arist. 5. Met. text. 6 to 3. Lib. 13. c. 10 non longè à princ. 10. 3.*

Et hoc quidem considerari potest, quantum ad promotionẽ hominis in bonum. Primo quidem, quantum ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quod ipsi Deo loquenti credit. Vnde August. dicit 11. de Ciuit. Dei, * Vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto constituit, atque fundauit fidem. Secundo, quantum ad spem: quæ per hoc maximè erigitur. Vnde Aug. dicit 13 de Trinit. † Nihil tam necessarium fuit ad erigendã spem nostram, quam vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus: quid vero huius rei isto indicio manifestius, quàm quod Dei filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium? Tertio, quantum ad charitatem: quæ maxime per hoc excitatur. Vnde Aug. dicit in lib. de Catechizandis rudibus. * Quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? Et postea subdit: † Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Quartò, quantum ad rectam operationem, in qua nobis exemplum se præbuit. Vnde August. dicit in quodam sermone de Natiuit. Domini. Homo sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. *Lib. 11. c. 2 a med. tom. 5. Lib. 13. c. 10 non procul à p. 10. 3. c. 4 in prin. tom. 4. In lib. & ca. 4 non procul à prin. tom. 4.*

Quinto, quantum ad plenam participationem diuinitatis: quæ vera est hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ: & hoc collatum est nobis per Christi humanitatem. Dicit enim Aug. in quodam sermone de Natiuit. Domini. * Factus est Deus homo, vt homo fieret Deus. Similiter & hoc vtile fuit ad remotionem mali. *In ser. 9. non procul à princ. illius: & est serm. 13. in ordine, tom. 10.*

Primo enim per hoc homo instruitur, ne sibi diabolum præferat, & eum veneretur, qui est auctor peccati. Vnde Aug. * dicit 13. de Trinit. Quandoquidem sic potuit Deo coniungi humana natura, vt fieret vna persona, superbi illi maligni spiritus, non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem. Secundo per hoc instruimur, quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando. Vnde August. dicit in lib. de Vera relig. † Demonstrauit nobis Deus, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit. Et Leo Papa dicit in sermone de Natiuit. * Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam: & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Tertiò, quia ad præsumptionem hominis tollendam, gratia Dei in nobis nullis meritis præcedentibus in homine Christo commendatur, vt dicitur in 13. de Trinit. † Quartò, quia superbia hominis, quæ maxime impedimento est, ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatẽ redargui potest, atq; sanari, vt dicit Aug. ibid. * ** l. 13. c. 17 circa princ. tom. 3. c. 16 in p... à prin. to. 1. In serm. 1. post medium illius, incipit Salvator noster. lib. 13. c. 7. ante medium tom. 3. * 11 lib. & c. habetur post medium illius.*

Quinto, ad liberandum hominem à seruitute peccati: quod quidem vt Aug. dicit 13. de Trinit. † fieri debuit sic, vt diabolus iustitia hominis Iesu Christi superaretur: quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto humano genere: Deus autem satisfacere non debebat: vnde oportebat Deum, & hominem esse Iesum Christum. Vnde & Leo Papa dicit in sermone de Natiuit. *Suscipitur à virtute infirmitas, à maiestate humilitas, vt quod nostris remediis congruebat, vnus atque idem Dei, & hominũ mediator, & mori ex vno, & resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum. Sunt autem & aliæ plurimæ vtilitates, quæ consequutæ sunt, supra apprehensionem sensus humani. *† lib. 13 de Trinit. c. 13 to. 3. In ser. 6. post medium illius.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit secundum primum modum necessarij, sine quo ad finem perueniri non potest.

Ad secundum dicendum, quòd aliqua satisfactio potest dici dupliciter sufficiens. Vno modo perfectè, quia est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ, & sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit pro peccato. Tum quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personæ, vel etiam plurium poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompensare. Tum etiam, quia peccatũ contra Deum commissum, [q]uandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis: [t]antò enim offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem [d]elinquitur. Vnde oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, vt pote Dei & hominis existens. Alio modo potest dici satisfactio hominis esse sufficiens imperfectè, scilicet secundum acceptationem

eius, qui eſt ea contentus, quamuis non ſit condigna. Et hoc modo ſatisfactio puri hominis eſt ſufficiens. Et quia omne imperfectum præſupponit aliquid perfectum, à quo ſuſtentetur: inde eſt quod omnis puri hominis ſatisfactio efficaciam habet à ſatisfactione Chriſti.

Ad tertium dicendum, quòd Deus aſſumendo carnē, ſuam maieſtatem non minuit; & per conſequens non minuitur ratio reuerentiæ ad ipſum, quæ augetur per augmentum cognitionis ipſius. Ex hoc autem, quòd nobis appropinquare voluit per carnis aſſumptionem, magis nos ad ſe cognoſcendum attraxit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

3\. AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quod ſi homo non peccaſſet, nihilominus Deus incarnatus fuiſſet. Manente enim cauſa, manet effectus: Sed, ſicut Aug. dicit 13. de Trinit. * alia multa ſunt cogitanda in Chriſti Incarnatione præter abſolutionem à peccato, de quibus dictum eſt. † Ergo etiam ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

¶ 2 Præterea, Ad omnipotentiam diuinæ virtutis pertinet, vt opera ſua perficiat, & ſe manifeſtet per aliquem infinitum effectum: Sed nulla pura creatura poteſt dici infinitus effectus, cum ſit finita per ſuam eſſentiam. In ſolo autem opere Incarnationis videtur præcipuè manifeſtari infinitus effectus diuinæ potentiæ (per quam in infinitum diſtantia coniunguntur, in quantum factum eſt, quòd homo eſſet Deus) in quo etiam opere maximè videtur perfici vniuerſum, per hoc quod vltima creatura, ſcilicet homo primo principio coniungitur ſcilicet Deo. Ergo etiam ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

¶ 3 Præterea, Humana natura per peccatum non eſt facta capacior gratiæ: Sed poſt peccatum capax eſt gratiæ vnionis, quæ eſt maxima gratia. Ergo ſi homo non peccaſſet, humana natura huius gratiæ capax fuiſſet, nec Deus ſubtraxiſſet humanæ naturæ bonum, cuius capax erat. Ergo ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

¶ 4 Præterea, Prædeſtinatio Dei eſt æterna: Sed dicitur Rom. 1. de Chriſto, Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. Ergo etiam ante peccatum, neceſſarium erat filium Dei incarnari, ad hoc quòd Dei prædeſtinatio impleretur.

¶ 5 Præterea, Incarnationis myſterium eſt primo homini reuelatum: vt patet per hoc, quod dixit, Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. quod Apoſtolus dicit eſſe magnum ſacramentum in Chriſto & in Eccleſia: vt patet Epheſ. 5. Sed homo non potuit eſſe præſcius ſui caſus, eadem ratione qua nec Angelus: vt Aug. probat ſuper Geneſ. ad literam † Ergo etiam ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

SED contra eſt, quod Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini *, exponens illud quod habetur Luc. 19. Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. Ergo ſi homo non peccaſſet, Filius hominis non veniſſet. Et 1. ad Timoth. primo, ſuper illud verbum, Chriſtus venit in hunc mundum, vt peccatores ſaluos faceret, dicit gl. * Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.

CONCLVSIO.

Quanquam Deus peccato non exiſtente potuerit incarnari: conuenientius tamen dicitur, quòd ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus non fuiſſet, cum in ſacra ſcriptura vbique incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſſignetur.

RESPONDEO dicendum quòd aliqui circa hoc diuerſimode opinantur. Quidam enim dicunt, quòd etiam ſi homo non peccaſſet, Dei filius incarnatus fuiſſet.

Alij verò contrarium aſſerunt. Quorum aſſertioni magis aſſentiendum videtur. Ea enim quæ ex ſola Dei volūtate proueniunt ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenus in ſacra Scriptura traduntur, per quam diuina voluntas nobis innoteſcit. Vnde cum in ſacra Scriptura vbique incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſſignetur, conuenientius dicitur Incarnationis opus ordinatum eſſe à Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non exiſtente Incarnatio non fuiſſet: quamuis potentia Dei ad hoc non limitetur: potuiſſet enim etiam peccato non exiſtente Deus incarnari.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnes aliæ cauſæ, quæ ſunt aſſignatæ *, pertinent ad remedium peccati. Si enim homo non peccaſſet, perfuſus fuiſſet lumine diuinæ ſapientiæ, & iuſtitiæ rectitudine perfectus à Deo ad omnia neceſſaria cognoſcenda & agenda: Sed quia homo deſerto Deo collapſus erat ad corporalia, conueniens fuit, vt Deus carne aſſumpta etiam per corporalia ei ſalutis remedium exhiberet. Vnde dicit Aug. ſuper illud Ioan. 1. * c. Verbum caro factum eſt. Caro te obcæcauerat, caro te ſanat: quoniam ſic venit Chriſtus, vt de carne, carnis vitia extingueret.

Ad ſecundum dicendum, quòd in ipſo modo productionis rerum ex nihilo, diuina virtus infinita oſtenditur. Ad perfectionem etiam vniuerſi ſufficit, quòd naturali modo creatura ordinetur in Deum ſicut in finem; hoc autem excedit limites perfectionis naturæ, vt creatura vniatur Deo in perſona.

Ad tertium dicendum, quod duplex capacitas attendi poteſt in humana natura. Vna quidem ſecundum ordinem potentiæ naturalis, quæ à Deo ſemper impletur, qui dat vnicuique rei ſecundum ſuam capacitatem naturalem. Alia verò ſecundum ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum; & ad hoc pertinet iſta capacitas. Non autem Deus omnem talem capacitatem naturæ implet: alioquin Deus non poſſet facere in creatura niſi quod facit: quod falſum eſt, vt in primo * habitum eſt. Nihil autem prohibet ad aliquid maius humanam naturam productam eſſe poſt peccatum. Deus enim permittit mala fieri, vt inde aliquid melius eliciat. Vnde dici-

tur Rom. 5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Vnde & in benedictione cerei Paſchalis dicitur, O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.

Ad quartum dicendum, quod prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum. Et ideo ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædeſtinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati.

Ad quintum dicendum, quòd nihil prohibet alicui reuelari effectum, cui non reuelatur cauſa, potuit igitur primo homini reuelari Incarnationis myſterium, ſine hoc quod eſſet præſcius ſui caſus. Non enim quicunque cognoſcit effectum, cognoſcit & cauſam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum principaliùs Chriſti incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd Deus principaliùs incarnatus fuerit in remedium actualium peccatorum, quàm in remedium originalis peccati. Quanto enim peccatum eſt grauius, tanto magis humanæ ſaluti aduerſatur, propter quam Deus eſt incarnatus: Sed peccatum actuale eſt grauius, quam originale peccatum: minima enim pœna debetur originali peccato: vt Aug. dicit contra Iulianum † Ergo principaliùs Incarnatio Chriſti ordinatur ad deletionē actualium peccatorum, quam ad deletionem originalis peccati. 4.

¶ 2 Præterea, Peccato originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni: vt in ſecundo habitum eſt *. Sed Chriſtus venit pro ſatisfactione peccatorum, pœnam ſenſus pati in cruce, non autem pœnam damni: quia nullum defectum habuit diuinæ viſionis, aut fruitionis. Ergo principaliùs venit ad deletionem peccati actualis quàm originalis.

¶ 3 Præterea, Sicut Chryſ. dicit in 2. de compunctione cordis. † Hic eſt affectus ſerui fidelis, vt beneficia Domini ſui, quæ communiter omnibus data ſunt, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet: quaſi enim de ſe ſolo loquens Paulus ita ſcribit ad Gal. 2. Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me: Sed propria peccata noſtra ſunt actualia: originale enim eſt commune peccatum. Ergo hunc affectum debemus habere, vt exiſtimemus eum principaliter propter actualia peccata veniſſe.

SED contra eſt; quod Ioan. 1. dicitur, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: quod exponens Beda dicit †, Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi.

CONCLVSIO.

Quamuis Chriſtus ad omnia peccata delenda in hunc mundum venerit, principaliùs tamen venit ad tollendum originale quam actuale peccatum: illud enim per quod totum genus humanum inficitur, maius eſt eo quod eſt proprium ſingularis perſonæ.

RESPONDEO dicendum, quòd certum eſt Chriſtum veniſſe in hunc mundum non ſolum ad delendum illud peccatum, quod traductum eſt originaliter in poſteros: ſed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ poſtmodum ſuperaddita ſunt. Non quod omnia deleantur (quod eſt propter defectum hominum, qui Chriſto non inhærent, ſecundum illud Ioan. 3. Venit lux in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem:) ſed quia exhibuit quod ſufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem. Vnde dicitur Rom. 5. Non ſicut delictum, ita & donum: nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Tanto autem principaliùs ad alicuius peccati deletionem Chriſtus venit, quanto illud peccatum maius eſt. Dicitur autem aliquid maius dupliciter. Vnomodo intenſiuè: ſicut eſt maior albedo, quæ eſt intenſior: Et per hunc modum maius eſt peccatum actuale, quàm originale: quia plus habet de ratione voluntarij, vt in ſecundo habitum eſt *. Alio modo dicitur aliquid maius extenſiuè: ſicut dicitur maior albedo, quæ eſt in maiori ſuperficie. Et hoc modo peccatum originale (per quod totum genus humanum inficitur) eſt maius quolibet peccato actuali, quod eſt proprium ſingularis perſonæ. Et quantum ad hoc Chriſtus principaliùs venit ad tollendum originale peccatum, in quantum bonum gentis diuinius, & eminentius eſt, quam bonum vnius, vt dicitur primo Ethicor *

Ad primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de intenſiua magnitudine peccati.

Ad ſecundum dicendum, quòd peccato originali in futura retributione non debetur pœna ſenſus: pœnalitates tamen, quas ſenſibiliter in hac vita patimur, ſicut famem, ſitim, mortem, & alia huiuſmodi, ex peccato originali procedunt. Et ideo Chriſtus vt plene pro peccato originali ſatisfaceret, ſenſibilem dolorem pati voluit, vt mortem, & alia huiuſmodi in ſeipſo conſummaret.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut Chryſ. ibidem * dicit: Verba illa dicebat Apoſtolus, non quaſi diminuere volens ampliſſima & per Orbem terrarum diffuſa Chriſti munera: ſed vt pro omnibus ſe ſolum indicaret obnoxium. Quid enim intereſt ſi & aliis præſtitit, cum quæ tibi ſunt præſtita, ita integra ſunt, & ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum? Ex hoc ergo, quòd aliquis debeat deputare ſibi beneficia Chriſti præſtita eſſe, non debet exiſtimare, quòd non ſint aliis præſtita: Et ideo non excluditur quin principaliùs venerit abolere peccatum totius naturæ, quàm peccatum vnius perſonæ: ſed illud peccatum naturæ ita perfectè curatum eſt in vnoquoque, ac ſi in vno ſolo eſſet curatum. Et ideo propter vnionem charitatis, totum, quod omnibus eſt impenſum, vnuſquiſque debet ſibi aſcribere.

ARTICVLVS V.

Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.

5.
1.2. q.98. 3. & ar. 6. & 4. d. 1. q. 1. ar. 3. & 4. con. ca. 55. 9. & Iſa. 2. col. 1. & Gal. 4. col. 8. ſ.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd conueniens fuiſſet Deum incarnari à principio humani generis. Incarnationis enim opus ex immenſitate diuinæ charitatis proceſſit, ſecundum illud Eph. 2. Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto: Sed charitas non tardat ſubuenire amico neceſſitatem patienti: ſecundum illud Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere: cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare. Ergo Deus Incarnationis opus differre non debuit, ſed ſtatim à principio per ſuam incarnationem humano generi ſubuenire.

¶ 2. Præterea, 1. Tim. 1. dicitur Chriſtus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere: Sed plures ſaluati fuiſſent, ſi à principio humani generis Deus incarnatus fuiſſet, plurimi enim ignorantes Deum in ſuo peccato perierunt in diuerſis ſæculis. Ergo conuenientius fuiſſet, quòd à principio humani generis Deus incarnatus fuiſſet.

li. 3. proſa. 10. parum a prin.

¶ 3. Præterea, Opus gratiæ non eſt minus ordinatum, quàm opus naturæ: Sed natura initium ſumit à perfectis, vt dicit Boet. in li. * de conſolat. Ergo opus gratiæ à principio debuit eſſe perfectum. Sed in opere Incarnationis conſideratur perfectio gratiæ, ſecundum illud, Verbum caro factum eſt; & poſtea ſubdit: Plenum gratiæ & veritatis. Ergo Chriſtus à principio humani generis debuit incarnari.

Eſt gloſa Amb. in hūc locum, tom. 3.

SED contra eſt, quod dicitur Gal. 4. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Vbi dicit gloſ. † quod plenitudo temporis eſt, quod præfinitum fuit à Deo patre, quando mitteret filium ſuum: Sed Deus ſua ſapientia omnia diffiniuit. Ergo conuenientiſſimo tempore Deus eſt incarnatus. Et ſic conueniens non fuit, quod à principio humani generis Deus incarnaretur.

CONCLVSIO.

Nec decuit à principio humani generis ante peccatum Deum incarnari, cum non detur medicina, niſi infirmis: nec ſtatim poſt peccatum, vt homo per peccatum humiliatus recognoſceret ſe liberatore indigere: ſed in plenitudine temporis, quod ab æterno diſpoſuit.

Infr. qu. 4. art. 1. & 2. q. 43. a. 3. & q. 44. ar. 3. & ver. q. 29. ar. 4. ad 5.

RESPONDEO dicendum, quod cum opus incarnationis principaliter ordinetur ad reparationem humanæ naturæ per peccati abolitionem, manifeſtum eſt, quod non fuit conueniens à principio humani generis ante peccatum Deum incarnatum fuiſſe: non enim datur medicina, niſi iam infirmis. Vnde ipſe Dominus Matth. 9. dicit, Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

Gloſ. Ordi. ibidem.

Sed nec etiam ſtatim poſt peccatum conueniens fuit Deum incarnari. Primo quidem, propter conditionem humani peccati, quod ex ſuperbia prouenerat. Vnde eo modo erat homo liberandus, vt humiliatus recognoſceret ſe liberatore indigere. Vnde ſuper illud Gal. 3. Ordinata per Angelos in manu Mediatoris, dicit gloſ. * Magno Dei conſilio factum eſt, vt poſt hominis caſum non illico Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt ſic vires naturæ ſuæ cognoſceret: vbi cum deficeret, legem accepit, qua data inualuit morbus, non legis, ſed naturæ vitio; vt ita cognita ſua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium. Secundo, propter ordinem promotionis in bonum: ſecundum quem ab imperfecto ad perfectum proceditur. Vnde Apoſt dicit 1 Cor. 15. Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Tertiò propter dignitatem Verbi incarnati: quia ſuper illud Galat 4. At vbi venit plenitudo temporis, dicit gloſ. * Quanto maior iudex veniebat, tanto præconum ſeries longior præcedere debebat. Quartò, ne feruor fidei temporis prolixitate tepeſceret: quia circa finem mundi frigeſcet charitas multorum. Vnde Luc. 18. dicitur, Cum filius hominis veniet, putas inueniet fidem in terra?

Aug. tra. 32. in Io. ante medium to. 9.

AD primum ergo dicendum, quod charitas non differt amico ſubuenire, ſaluo tamen negotiorum opportunitate, & perſonarum conditione. Si enim medicus ſtatim à principio ægritudinis medicinam daret infirmo, minus proficeret, vel magis læderet, quàm iuuaret. Et ideo etiam dominus, non ſtatim à principio incarnationis remedium humano generi exhibuit, ne illud contemneret ex ſuperbia, ſi prius ſuam infirmitatem non cognoſceret.

In epi. 49. q. 2. à me dio to. 2.

AD ſecundum dicendum, quòd Auguſt. ad hoc reſpondet in lib. de ſex quæſtionibus paganorum *, dicens q. 2. quod tunc voluit Chriſtus hominibus apparere, & apud eos prædicari ſuam doctrinam, quando & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri: his enim temporibus, & his in locis, tales homines in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui nec in eum ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Sed hanc reſponſionem reprobans idem Auguſt. in lib. de perſeuerantia * dicit, Numquid poſſumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent: cum ipſe Deus atteſtetur eis, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum? proinde, vt ipſe ſoluens ſubdit, ſicut Apoſtolus ait: Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui his, quos præuidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis crediturus, quibus voluit ſubuenire, aliis autem non ſubuenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem, ſed aliud iuſte indicauit: ita miſericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, ſine dubitatione credamus.

cap. 9. non procul à ſine, to. 7.

AD tertium dicendum, quòd perfectum quidem eſt prius imperfecto, in diuerſis quidem tempore & natura: (oportet enim quod perfectum ſit quod alia ad perfectionem adducit) ſed in vno, & eodem imperfectum eſt prius tempore, etſi ſit poſterius natura. Sic ergo imperfectionem naturæ humanæ, duratione præcedit æterna Dei perfectio: ſed ſequitur ipſam conſummata perfectio eius in vnione ad Deum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm incarnatio differri debuerit, vſque ad finem mundi.

6.
Locus ſup. ar. 5. citatus.

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd incarnationis opus differri debuerit, vſque in finem mundi. Dicitur enim in Pſal. Senectus mea in miſericordia vberi, id eſt, in nouiſſimo, vt glo. * dicit. Sed tempus incarnationis eſt maxime tempus miſericordiæ ſecundum illud Pſal. Quoniam venit tempus miſerendi eius. Ergo incarnatio differri debuit, vſque in finem mundi.

Gloſ. ord. ſuper illud: Ab infer. gentibus in me.

ar. præced. ad 1. arg.

¶ 2 Præterea, Sicut dictum eſt *, perfectum in eodem tempore, eſt poſterius imperfecto: ergo illud quod eſt maxime perfectum, debet eſſe omnino vltimum in tẽpore. Sed ſumma perfectio humanæ naturæ eſt in vnione ad Verbum: quia in Chriſto complacuit, omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, vt Apoſt. dicit Col. 1. Ergo incarnatio differri debuit, vſque in finem mundi.

¶ 3 Præterea, Non eſt conueniens fieri per duo, quod per vnum fieri poteſt: Sed vnus Chriſti aduentus ſufficere poterat ad ſalutem humanæ naturæ: qui erit in fine mundi. Ergo non oportuit, quod antea veniret per incarnationem. Et ita incarnatio differri debuit vſque in finem mundi.

SED contra eſt, quod dicitur Abachuc 3. In medio annorum notum facies. Non ergo debuit incarnationis myſterium, per quod mundo innotuit, vſque in finem mundi differri.

CONCLVSIO.

Ne Dei cognitio prorſus in homine extingueretur, ſed magis diuinæ virtutis magnitudo, in eo quod non ſolum per fidem futuri, ſed etiam per fidem præſentis & præteriti, homines ſaluaret, oſtenderetur, Chriſti incarnationem vſque ad finem mundi differri, minime decuit.

ar. præced. ad 3.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut non fuit cõueniens Deum incarnari à principio mundi, ita non fuit conueniens, quod incarnatio differretur vſque in finem mundi. Quod quidem apparet, primo ex vnione diuinæ & humanæ naturæ. Sicut enim dictum eſt, * perfectum vno modo tempore præcedit imperfectum: alio modo è cõuerſo, imperfectum tempore præcedit perfectum: In eo enim, quod de imperfecto fit perfectum, imperfectum tempore præcedit perfectum. In eo verò quod eſt cauſa perfectionis efficiens, perfectum tempore præcedit imperfectum. In opere autem incarnationis vtrumque concurrit, quia natura humana in ipſa incarnatione eſt perducta ad ſummam perfectionem. Et ideo non decuit quod à principio humani generis Incarnatio facta fuiſſet. Sed ipſum Verbum incarnatum eſt perfectionis humanæ naturæ cauſa efficiens, ſecundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ideo non debuit incarnationis opus vſque in finem mundi differri: ſed perfectio gloriæ, ad quam perducenda eſt vltimo natura humana per verbum incarnatum, erit in fine mundi. Secundo ex effectu humanæ ſalutis. Vt enim dicitur in lib. de qu. vet. & noui teſtam. * in poteſtate dantis eſt, quando vel quantum velit miſereri. Venit ergo quando & ſubueniri debere ſciuit, & gratum futurum beneficium: Cum enim languore quodam humani generis, aboleſcere cepiſſet cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignatus eſt Abraham, in quo forma eſſet renouatæ notitiæ Dei & morum: & cum adhuc reuerentia ſegnior eſſet, poſtea per Moyſen legem literis dedit. Et quia eam gentes ſpreuerunt, non ſe ſubiicientes ei, neque hi qui acceperunt, eam ſeruauerunt; motus miſericordia dominus, miſit filium ſuum, qui data omnibus remiſſione peccatorum, Deo patri illos iuſtificatos offerret. Si autem hoc remedium differretur vſque in finem mundi, totaliter Dei notitia & reuerentia, & morum honeſtas abolita fuiſſet in terris. Tertio apparet hoc fuiſſe conueniens ad manifeſtationem diuinæ virtutis: quæ pluribus modis homines ſaluauit, non ſolum per fidem futuri, ſed etiam per fidem præſentis & præteriti.

Aug. li. 2. qu. ex nouo teſt. q. 9. circa prin. tomo 4.

li. 1. c. 26. nõ multum ante med. to. 1.

AD primum ergo dicendum, quod glo. illa exponit de miſericordia perducente ad gloriam. Si tamen referatur ad miſericordiam exhibitam humano generi per incarnationem Chriſti, ſciendum eſt, quod ſicut Aug. dicit in li. * retract. tempus incarnationis poteſt comparari iuuentuti humani generis, propter vigorem feruorémque fidei, quæ per dilectionem operatur: ſenectuti autem quæ eſt ſexta ætas, propter numerum temporum, quia Chriſtus venit in ſexta ætate. Et quamuis in corpore non poſſit ſimul eſſe iuuentus & ſenectus, poteſt tamen ſimul eſſe in anima, illa, propter alacritatem, iſta, propter grauitatem. Et ideo in li. 83. qu. alicubi dicit Auguſt * quod non oportuit diuinitus venire Magiſtrum, cuius imitatione humanum genus in mores optimos formaretur, niſi tempore iuuentutis. Alibi autem dicit † Chriſtum in ſexta ætate humani generis tamquam in ſenectute veniſſe.

li. 83. qu. quæſtio 44. in med. to. 4.

† li. 1. de gen. con. Manic. ca. 23. to. 1. in cor. 2.

AD ſecundum dicendum, quod opus incarnationis non ſolum eſt conſiderandum vt terminus motus de imperfecto ad perfectum, ſed etiam vt principium perfectionis in humana natura, vt dictum eſt *.

† Hom. 27 in Io. inter. med. & fi. to. 3.

AD tertium dicendum, quòd ſicut Chryſ. dicit ſuper illud Io. † Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum. duo ſunt Chriſti aduentus. Primus quidem vt remittat peccata: Secundus vt iudicet mundum: ſi enim hoc non feciſſet, vniuerſi ſimul perditi eſſent; omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Vnde patet, quod non debuit aduentum miſericordiæ differre vſque in finem mundi.

DISPVT.

DISPVTATIO I.

De possibilitate, conuenientia, necessitate & exercitio Dominicæ Incarnationis.



QVIA primum quæsitum de qualibet re est, An sit; ideo statim à principio huius tractatus Dominicæ Incarnationis, inquirimus de eius exercitio siue existentia, & de præ requisitis scilicet necessitate, conuenientia, & possibilitate: nihil enim fit à Deo, nisi sit conueniens, & possibile.

DVBIVM I.

Vtrùm Incarnatio diuina sit possibilis.

PRIMA opinio, sed Hæretica, fuit plurium Iudæorum existimantium esse impossibile quòd eadem persona sit Deus & homo: vnde dixerunt Christo Domino Ioannis 10. Quare homo cùm sis, facis teipsum Deum: ad hos reducuntur Nestoriani, & alij qui crediderunt Christum Dominum esse purum hominem. Probatur, vt sit Incarnatio diuina, debet fieri vnio inter diuinam personam, & naturam humanam: sed hæc vnio est impossibilis; cùm enim extrema vnibilia infinitè distent, tanquam finitum ab infinito, sunt improportionata, finiti enim ad infinitum nulla est proportio, etiam in ratione termini & terminabilis, quia terminus est aliqualis perfectio rei terminatæ; constat autem quòd natura creata est incapax perfectionis infinitæ: ergo Incarnatio diuina est impossibilis.

Secundò, ad Incarnationem diuinam requiritur, quòd subsistentia diuinæ personæ vniatur vt forma & actus, humanæ naturæ vt potentiæ, ita vt ex ipsis verè fiat vnum totum per se; vnde D. Th. personam Christi vocat compositam: maximè quia subsistentia diuina supplet subsistentiam creatam, quæ verè actuat & informat naturam; deinde quia debet perficere naturam quam terminat: sed est impossibile subsistentiam diuinam esse formam naturæ humanæ, quia ex D.Th. 1. p. q. 2. art. 8. & communi consensu Doctorum, causalitas formæ, & materiæ, cum essentialiter includant rationem partis, dicunt imperfectionem Deo incompossibilem: ergo Incarnatio diuina est impossibilis.

Tertiò, si Incarnatio diuina esset possibilis, sequeretur quòd humana natura assumptibilis esset in perpetuo statu violento, quia habet naturalem inclinationem ad propriam subsistentiam, vt ad propriam perfectionem, qua tamen perpetuò priuaretur: nec suppleretur illa perfectio per subsistentiam personalem Verbi; cùm enim sit relatio dicens, Ad, per se subsistens, nullam importat perfectionem: sed ex Philosopho 5. Metaph. nullum violentum est perpetuum: ergo Incarnatio diuina est impossibilis.

Quartò, est impossibile quòd intellectus creatus intelligat per intellectionem diuinam: ergo & quòd natura humana subsistat per subsistentiam diuinam, vt patet ex paritate rationis: maximè quia subsistentia diuina exhauritur totaliter in terminatione infinita diuinæ naturæ; vnde alienam terminare non potest; ac proinde Incarnatio diuina est impossibilis.

Quintò, ex exercitio diuinæ Incarnationis sequuntur duo impossibilia. Primum, quòd Deus mutetur, quod est contra illud Malach. 3. Ego Deus & non mutor: item Iacobi 1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Secundum, quòd duo contradictoria sint simul vera de eodem: scilicet quòd eadem persona Dei incarnati sit simul mortalis & immortalis, passibilis & [illegible] passibilis, &c. ergo diuina Incarnatio est impossibilis: patet consequentia quia ex possibili non sequitur impossibile: probatur antecedens quoad primam partem, mutari est aliter se habere nunc quàm antea; constat autem quòd posita Incarnatione Deus aliter se haberet quàm antea, nunc enim esset Deus & homo: ante verò est solùm Deus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd de fide est, possibile esse misterium diuinæ Incarnationis. Ita tenent omnes Catholici. Probatur dupliciter, primò, hac breui sed euidenti demonstratione apud fideles: Ab actu ad potentiam valet consequentia, vt est commune axioma Philosophicum: sed Incarnatio diuina est facta, vt fides docet, & demonstrabitur ex Scripturis postea: ergo est possibilis.

Secundò, si Incarnatio diuina esset impossibilis; vel hæc impossibilitas se teneret ex parte diuinæ personæ, quæ deberet assumere naturam humanam; vel ex parte eiusdem naturæ humanæ assumendæ: sed ex neutro capite est impossibilitas, vt patebit ex responsione argumentorum in contrarium. Maximè quia subsistentia diuina, vtpote purissimus actus perfectionis infinitæ, continet eminenter omnem perfectionem cuiuscumque creatæ subsistentiæ: ex alia verò parte natura humana distincta realiter à propria subsistentia, ipsáque prior prioritate naturæ potest illa priuari, siue prius assumi à diuina persona, quàm emanet, propriam subsistentiam: ergo Incarnatio diuina non est impossibilis.

AD primum ergo dicendum, quòd excessus ille infinitus diuinæ personæ supra humanam naturam, est in ratione entis, non in ratione termini & terminabilis; sic enim sunt proportionata, quia eam non terminat infinito, & illimitato modo, sicut terminat naturam diuinam; sed finito, & limitato modo: eo proportionali modo, quo diuina essentia per modum speciei intelligibilis terminat intellectum creatum in beatitudine: & licet terminet intrinsecè, non tamen informando & inhærendo; sed adhærendo:

natura enim creata non eſt capax infinitæ perfectionis per modum formæ informantis aut inhærentis;benè tamen adhærentis,hæc enim non eſt propriè perfectio intrinſeca, ſicut illa, ſed eam cauſat: & cũ finito ac limitato modo vniatur, non niſi finitam, & limitatam cauſat perfectionem.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſubſiſtentia diuina vnitur, vt actus perficiens naturam humanam vt potentiam perfectibilem:non tamen eſt actus eius verè informans aut inhærens, ſed tantùm terminans, eo modo quo eſſentia diuina reſpectu intellectus beati: & quia ſupplet eminentiori modo ſubſiſtentiam creatam, ideo non ſupplet modum eius qui eſt informare:vnde ſubſiſtere quod dat naturæ humanæ;non eſt effectus cauſæ formalis propriæ,ſed ad illam reducitur: ſicut & omnis effectus termini puri.

Ad tertium dicendum, quòd ſubſiſtentia perſonalis Verbi Diuini ſecundùm eſſe,Ad, relatiuum præcisè ſumptum quod importat; non dicit perfectionem; dicit tamen infinitam, ratione aliorum omnium quæ includit per modum tranſcendentis, & cum quibus identificatur. Vnde ſupplet, & excellentiori modo ſubſiſtentiam creatam, & perfectiſſimè complet ac ſatiat appetitum naturalem ſubſiſtendi, qui eſt in natura aſſumpta: vnde hæc non eſt in ſtatu violento: qui appetitus primariò reſpicit ſubſiſtere,ſecundariò autem ſubſiſtere per propriam & connaturalem ſubſiſtentiam. Deinde quando dicitur, quòd nullum violentum eſt perpetuum, debet intelligi attentis principiis intrinſecis: nam ab extrinſeco poteſt eſſe violentum perpetuum, vt patet in damnatis, qui per totam æternitatem erunt in ſtatu violento; quilibet enim naturaliter appetit beatitudinem, & refugit miſeriam.

Ad quartum dicendum, quòd cum intelligere ſit viuere in actu ſecundo, importat actionem vitalem, nam ex Philoſopho vita in actu ſecundo eſt operatio ſiue actio vitalis: actio autem vitalis ab intrinſeco petit procedere à principio vitali, ſcilicet ab eo quod per eam denominatur: vnde implicat quòd intellectus creatus intelligat per intellectionem diuinam: ſubſiſtere autem non eſt agere, quia non importat vitam in actu ſecundo, ſed eſt complementum actus primi, & ita habetur per actum vel informantem, vel purè terminantem: diuina autem perſonalitas exhauritur quidem, ſiue adæquatur in ſua terminatione quam habet ad intra, à natura diuina, ſicut intellectus Patris per productionem Filij ad intra; ſed remanet ipſi terminatio ad extra, ſicut & intellectui diuino productio creaturarum ad extra.

Ad quintum dicendum, quòd ad mutationem intrinſecam alicuius,requiritur vel deperditio, vel acquiſitio alicuius intrinſeci: in Incarnatione autem, perſona diuina nihil deperdidit, vt patet, nec acquiſiuit intrinſecè, quia cum ſit actus puriſſimus, nihil poteſt recipere intrinſecè per modum potentię paſſiuæ receptiuæ, ſiue per modum informantis & inhærentis;vnde tota mutatio eſt in humanitate aſſumpta, & licèt Chriſtus ſiue perſona diuina ſubſiſtens ex, & in duabus naturis, diuina & humana, dicatur terminus totalis adæquatus productus per Incarnationem: non tamen ſequitur, quòd ex vi illius ſit ibi aliquid productum; ſed ſufficit quòd ſit facta vnio inter extrema, perſonam Verbi ſcilicet,& naturam humanam; ſicut per generationem dicitur produci totus homo, licet ex vi illius nulla partium producatur,ſed tantum inuicem vniantur vnde Deus dicitur de nouo homo poſt Incarnationem, non ob ſui mutationem, ſed ob aſſumptionem humanitatis. Ad aliud dicendum, quòd contradictio eſt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, & ſecundùm idem: hic autem non reperitur, quia cum Chriſtus ſubſiſtat in duabus naturis, ſecundùm diuinam dicitur immortalis & impaſſibilis, ſecundùm humanam verò paſſibilis & mortalis:hæc enim prædicata conueniunt perſonæ ratione naturæ.

DVBIVM II.

Vtrùm naturali ratione poſſit demonſtrari poſſibilitas Incarnationis.

Prima opinio aſſerit poſſe demonſtrari,ſiue euidẽter cognoſci poſſibilitatem Dominicæ Incarnationis: ita tenent aliqui Theologi: aliqui tamen limitant intelligendum eſſe poſt executionem ipſius. Probatur, quilibet Angelus euidenter cognoſcit miſterium Incarnationis Dominicæ non eſſe impoſſibile: nec ex parte diuinæ perſonæ, cùm enim ſit infinitæ virtutis, poteſt terminare, non ſolùm diuinam naturam,ſed etiam quamlibet creatam: nec ex parte naturæ humanæ aſſumendæ,cùm enim comprehendat omnia naturalia, videt ipſam poſſe priuari propria ſubſiſtentia,& terminari diuina: poteſtque ſoluere omnia argumenta facta contra hoc myſterium, cum ſint falſa: ergo naturali ratione poteſt demonſtrari, ſiue euidenter cognoſci poſſibilitas Dominicæ Incarnationis.

Secundò ex D. Th.2.2.q.1.art.4. omnia myſteria fidei ſunt euidenter credibilia, ac proinde myſterium Incarnationis: ergo etiam ſunt euidenter poſſibilia: ſicut enim quod eſt euidenter impoſſibile,eſt euidenter incredibile: ſic ex oppoſito, quod eſt euidenter credibile,eſt euidenter poſſibile: vnde poteſt euidenter cognoſci vt poſſibile.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd ſicut non poteſt cognoſci certò, aut demonſtrari impoſſibilitas Dominicæ Incarnationis 2. ſic nec eius poſſibilitas naturali ratione concludi aut euidenter

ter cognosci. 3. etiam post eius executionem: 4. sed solùm probabiliter & coniecturaliter.

Probatur prima pars conclusionis. Duæ contradictoriæ non possunt esse simul veræ, nec falsæ; quia vna pars contradictionis destruit aliã: sed si posset demonstrari impossibilitas Dominicæ Incarnationis, duæ contradictoriæ essent simul veræ; cum enim conclusio demonstrationis debeat esse necessaria & vera, iam haberetur quòd sit impossibilis Incarnatio: ex alia verò parte habetur secundùm fidem, ac ita certissimè & infallibiliter, quòd sit possibilis: vnde simul esset verum dicere, est possibilis & impossibilis Dominica Incarnatio: ergo non potest cognosci certò, aut demonstrari impossibilitas Dominicę Incarnationis: vnde omnia argumenta, quæ adducuntur ad hanc impossibilitatem probandam, sunt fallacia.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. 1. ad Cor. 2. agens Apostolus de hoc mysterio ait: Neque oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum: Constat autem quòd ly, Nec in cor hominis ascendit, excludit omnem cognitionem certam de possibilitate huius mysterij: vnde ibidem vocat hoc mysterium, Sapientiam in mysterio absconditam: & ad Coloss. 1. dicit esse à sæculis absconditum in Deo. Deinde, si possibilitas Dominicæ Incarnationis potest demonstrari, aut euidenter cognosci ratione naturali: vel hoc erit à priori, vel à posteriori. Non à priori, quia est mysterium omninò supernaturale: maximè si sit sermo non de Incarnatione Dei, sed de Incarnatione Filij Dei, quia supponit cognitionem mysterij sanctissimæ Trinitatis, quæ omnem creatam cognitionem excedit. Deinde, quia argumenta quibus probatur talis possibilitas, seclusa fide huius mysterij sunt valde debilia, vt ex eorum responsione patebit. Nec à posteriori scilicet per effectus eius: nam ante eius executionem nulli sunt, aut naturaliter cognoscuntur esse; post executionem verò, licet omnia bona tam naturalis ordinis, quàm supernaturalis fiant intuitu eius tanquam finis; hoc tamen seclusa reuelatione huius mysterij non cognoscitur: ergo nec ante, nec post executionem mysterij Incarnationis, eius possibilitas potest naturali ratione concludi, aut euidenter cognosci. Et per hoc probatur tertia pars conclusionis.

Probatur quarta pars conclusionis. Tum quia Dæmones coniecturaliter credebant, & dicebãt Christum Dominum esse Filium Dei, vt patet in Euangelio, propter maxima eius miracula: idem contigit Centurioni tempore Passionis: & S. Dionisius adhuc gentilis videns Solem obscuratum præter ordinarium cursum naturæ, iudicauit vel mundum citò periturum, vel Deum pati; non quidem in propria natura: sed in aliqua assumpta: vnde si vidisset totum cursum Passionis Domini, & Solem propter ipsum obscuratum, haud dubium quin credidisset Christum esse Deum Incarnatum: hanc partem concludunt argumenta primæ opinionis.

Ad primum ergo dicendum, quòd cùm natura creata naturaliter subsistat, per subsistentiam informantem, non videt Angelus, quòd aliter possit subsistere: vnde cùm diuina subsistentia non possit informare naturam creatam; non potest naturaliter cognoscere, quòd possit subsistere per diuinam subsistentiam. Ad soluenda autem argumenta in contrarium, sufficit respondere ex probabilibus: quæ tamen non euidenter concludunt oppositum, sed ad summum reddunt probabile.

Ad secundum dicendum, quòd mysteria fidei sunt euidenter credibilia, propter miracula quæ fiunt ad illa comprobanda: cum enim miracula non possint fieri, nisi virtute diuina, cum sint quid supra naturam, & Deus prima veritas non possit absolutè facere miraculum ad comprobandum mendacium, necessariò verum est id, ad quod confirmandum fit miraculum: sed seclusa fide diuina, aut pia affectione ad fidem, quæ sine gratia haberi non potest, non admittuntur talia miracula, licèt sint vera vt patet, nam multi videntes vera miracula non crediderunt, sed ea respuerunt tanquam facta arte Diaboli: Deinde miracula facta à Christo Domino probabant ipsum esse summum Prophetam: nec conuincebant ipsum Deum, cum ab aliis sanctis plura iam facta fuissent miracula. Nec obstat quòd Dæmones videntes illa, & simul humanitatem subsistentem sine propria subsistentia (omnia quippe purè naturalia eis nota sunt) crediderunt esse Deum: Nam inordinatè iudicabant, debebant enim suspendere iudicium, quia poterat fieri, quòd Deus ex sua omnipotentia abscondisset illis, propter aliquod mysterium, subsistentiam creatam humanitatis: vel quòd humanitas esset in rerum natura sine vlla subsistentia. Deinde Dæmones ex Scripturis sacris potuerunt colligere Incarnationem futuram, & suo tempore exercitam: difficultas autem procedit secundùm rationem naturalem, & seclusa diuina reuelatione.

DVBIVM III.

Vtrùm Incarnatio diuina fuerit conueniens.

Prima opinio negatiua fuit Gentilium, & Iudæorum, de quibus ait Sanctus Paulus: Prædicamus vobis Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Probatur, est maximum inconueniens quòd Deus ita deprimatur, vt fit infra Angelos, & quòd subiaceat miseriis humanis; & maximè tot iniuriis, laboribus, & morti crucis: sed facta Incarnatione hoc sequitur: Ergo Incarnatio

Incarnatio diuina non fuit conueniens.

Secundò, est incõueniens, quòd natura humana priuetur propria subsistentia, ad quam dicit appetitum naturalem; ac ita maneat in perpetuo statu violento: sed facta Incarnatione hoc sequitur, vt patet: ergo Incarnatio diuina non fuit conueniens.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Incarnatio diuina fuit conueniens, conuenientia etiam interna ex parte Dei, non tamen vtilis ipsi. 2. Conuenientissima, & vtilissima naturæ humanæ. 3. Totique Vniuerso.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate, tum duplici ratione D.Th. hîc art. 1. Quem communiter sequuntur Theologi. Illud est conueniens Deo, conuenientia non solùm externa, quæ procedit à voluntate Dei dante conuenientiam rebus quas facit, sed etiam interna, scilicet exigita à natura, & perfectionibus diuinis, quod conducit ad manifestationem earundem perfectionum: propter hanc enim manifestationem totus mundus est factus, ex illo ad Rom. 1. Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sed sicut dicit Damascenus. lib. 3. Ortodoxæ fidei cap. 1. Per Incarnationis mysterium monstratur simul bonitas, & sapientia, iustitia, & potentia Dei vel virtus: bonitas quidem, quoniam non despexit, proprij plasmatis infirmitatem: iustitia verò, quoniam homine victo, non alio quàm homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem: sapientia verò, quoniam inuenit difficillimi prerij decentissimam solutionem: potentia verò siue virtus infinita, quia nihil est maius, quàm Deum fieri hominem: ergo Incarnatio diuina fuit conueniens, conuenientia etiam interna ex parte Dei. Hæc ratio habet efficaciam non absolutè, sed supposito quòd Deus decreuerit manifestare creaturis suas perfectiones: quia verò Deus est sibi sufficientissimus, & absque tali manifestatione fuisset æquè beatus, ac nunc est; ideo hæc ratio absolutè non est efficax.

Secundò, vnicuique rei conueniens est illud, quod competit sibi secundùm rationem propriç naturæ: ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis, vt patet per Dionysium. 1. cap. De diuinis nominibus, vnde quicquid pertinet ad rationem boni conueniens est Deo: sed pertinet ad rationem boni, vt se aliis communicet, vt patet per Dionysium 4. cap. De diuinis nominibus: ergo ad rationē summi boni pertinet quòd summo modo se creaturæ communicet: quod quidem maximè fit per hoc quòd naturā creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus, Verbo, anima, & carne. Hæc ratio D.Th. non est demonstratio, nisi applicetur ad communicationem Dei summi boni ad intra, per generationem Filij, & processionem Spiritus Sancti, quæ est summa & infinita, ac omninò necessaria: applicata verò ad communicationem ad extra, est tantùm congruentia, cum talis communicatio sit merè libera, facta eo modo, & tempore quo Deus voluit: vnde non est efficax absolutè, sed tantùm supposito mysterio: posito enim quòd Deus Incarnatus fuerit, manifestè colligitur hanc communicationem esse opus diuinæ bonitatis, quia boni est seipsum diffundere & communicare, non tantùm in genere causæ finalis (nisi sumatur sub ratione appetibilis vt docet D.Th.) sed etiam in omni alio genere causæ, vt per modum formæ, per modum efficientis, per modum puri termini, &c. Quòd autem Incarnatio non fuerit Deo vtilis patet, quia nullam inde percipit perfectionem, omnes enim perfectiones creaturarum præhabentur in Deo eminenter: vnde Psalmo 15. dicitur: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: & maximè quia omnia creata coniuncta Deo non faciunt maius bonum intensiuè, quàm solus Deus, at tantùm extensiuè: sola inde prouenit manifestatio diuinarum perfectionum, quæ non Deo, sed nobis prodest.

Probatur secunda pars conclusionis. Per mysterium Incarnationis reparatur genus humanum. Deinde per assumptionem humanitatis huius indiuiduæ nobilitatur, non solùm ipsa in indiuiduo, per hóc quòd trahatur ad subsistentiam, & existentiam diuinam, & mille donis supernaturalibus repleatur; sed etiam tota species humana valde extollitur; vnde dixit Apostolus: Non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit: ergo Incarnatio fuit conuenientissima, & vtilissima naturæ humanæ: fuit autem summa communicatio, quæ fieri potest ad extra, tum ex parte Dei assumentis, tum ex parte naturæ assumptæ: ex parte quidem Dei, quia persona Filij continet totam diuinam perfectionem, & continet tantam quantam tres simul Diuinę Personæ; ipsáque subsistentia relatiua Filij, ratione eorum quæ includit per modum transcendentis, vel quibus identificatur, importat infinitam perfectionem, éstque summum bonum: vnde tantam perfectionem affert naturæ assumptæ, quantam afferrent tres simul diuinæ Personæ, si eam assumerent: ex parte etiam naturæ assumptæ, quia hæc assumptio fit per vnionem substantialem & naturalem, siue in esse entitatiuo: omnes autem aliæ vniones Dei cum creatura, etiam in visione beatifica, sunt accidentales, & sæpe tantùm in esse intentionali.

Probatur tertia pars conclusionis. Per mysterium Incarnationis prouenit huic Vniuerso, ordo hypostaticus, infinitè superans alios duos ordines, scilicet naturæ, & gratiæ; tam viæ, quàm patriæ; qui ordines sunt effectus ordinis hypostatici, vt infra dicetur: constat autem quòd nihil conuenientius, & vtilius potuit huic Vniuerso contingere, quàm habere ordinem hypostaticum

aticum: si enim quælibet species vnius ordinis est perfectio vniuersi, quanto magis nouus ordo: & adhuc ordo omnium imaginabilium perfectissimus, qui completur, in vnico indiuiduo, scilicet Christo Domino, Deo simul & homine, ad quem alij ordines referuntur vt ad finem; & qui ab illo præcisi, ab illo maximè distant, vnde maius est hoc indiuiduum toto vniuerso præcisè ab illo sumpto: vnde etiam ratione vnionis hypostaticæ, plus amat Deus humanitatem Christi, quàm omnia alia simul. Nec obstat Philosophus. 1. Ethicor. cap. 2. dum ait; Bonum multitudinis esse diuinius & maius, quàm bonum particulare: quia loquitur Philosophus, quando illud bonum particulare includitur in bono multitudinis, & non aliter: vnde communiter Authores censent; bonum Communitatis esse præferendum proprio priuato tunc tantùm, quando bonum proprium includitur in communi; secus autem quando non includitur: ergo Incarnatio fuit conuenientissima, & vtilissima toti Vniuerso.

Ad primum ergo dicendum, quòd facta Incarnatione, quàuis Christus vt homo deprimatur, vt dicitur; tamen vt Deus in suo manet ordine, absque vlla mutatione: imò hæc humiliatio Christi vt hominis, est ad maiorem eius exaltationem supra omnes creaturas, etiam Angelos; si non in natura; tamen in donis gratiæ, in quibus omnes simul sumptas excedit.

Ad secundum dicendum, quòd ille appetitus humanitatis Christi ad propriam subsistentiam & existentiam, superabundanter satiatur per subsistentiam & existentiam diuinam, infinitè perfectam, & præhabentem eminenter omnem perfectionem in talis subsistentiæ, & existentiæ propriæ humanitatis.

DVBIVM IV.

Vtrum Incarnatio diuina fuerit necessaria, ad reparationem generis humani.

SVpponendum est, quòd necessarium diuiditur in necessarium simpliciter, & in necessarium secundùm quid. Necessarium simpliciter est illud, sine quo res esse, aut fieri simpliciter non potest: & hoc modo oculus est necessarius ad videndum, pedes ad ambulandum. Necessarium secundùm quid est illud, sine quo licèt res esse, aut fieri possit; non tamen æquè benè: & hoc modo specilia sunt necessaria ad videndum, homini habenti visum debilem, equus est necessarius ad iter agendum.

Prima opinio, sed erronea docet Incarnationem diuinam nullo modo esse necessariam, ad reparationem generis humani. Probatur, Deus potuit reparare genus humanum remittendo omninò gratis, tam culpam, quàm pœnam debitam peccato: sed hic modus est me-

lior & conuenientior, quia per illam hom
gis incitatur ad amandum Deum, quia
Christus Lucæ 7. Cui plus remittitur, plu
ligit: facta autem Incarnatione hoc non est
Christus verus homo sua passione, & morte
delissima nomine omnium satisfecit: ergo
uina Incarnatio nullo modo fuit necessaria
reparationem generis humani.

Secundò, facta Incarnatione sequitur ho
conueniens, quòd maximum bonum sit o
natum ad minus bonum; Verbum scilicet
carnatum ad salutem generis humani: quod
contra naturalem ordinem, qui petit vt finis
pote independens, sit potior his quæ ordinan
ad finem à quo dependent: ergo Incarnatio
uina nullo modo fuit necessaria, imò disc
ueniens.

Tertiò, ex Incarnatione diuina sequitur al
inconueniens, scilicet quòd Christus omni
hominum sanctissimus, & ab omni culpa imm
nis, multa contra iustitiam patiatur, & crude
simè occidatur; quod est contra præceptum
Exodi. 23. Insontem & iustum non occides
de Iudæi occidentes commiserunt maxim
sacrilegium, quod committi potest, & c
luent vsque in finem mundi: ergo Incar
nullo modo fuit necessaria; imò nociua,
fuit occasio multorum errorum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt Inc
rio diuina non fuerit simpliciter necessari
reparationem generis humani. 2. Fuit t
necessaria ad melius esse, quia fuit conue
tissimum medium præ cæteris, ad repara
genus humanum. Ita D.Th. hîc art. 2. & D
gustinus lib. 13. De Trinitate cap. 10. vbi
Verùm etiam ostendamus, non alium m
possibilem Deo defuisse (cuius potestati o
æqualiter subiacent) sed sanandæ miseriæ
stræ cōuenientiorem alium modum non fu

Probatur specialiter prima pars conclus
communi consensu Scholasticorum in præ
ac Sanctorum Patrum: maximè Aug. lib
Agone Christiano cap. 11. vbi ait; Sunt
qui dicunt, non poterat aliter sapientia De
hominem liberare, nisi susciperet hominem
nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus illa
nia pateretur. Deinde, fuerunt alij modi r
randi genus humanum. Primus: si Deus o
fus omninò gratis remitteret peccatum orig
le, & omnia actualia, tam quoad culpam, q
quoad pœnam: qui modus est omninò fa
mus: nec impossibilis ex vlla parte: Deus e
vt pote supremus Dominus & Princeps, p
gratis remittere iniuriam in se commissam
que præiudicio diuinæ Iustitiæ, quia ex o
bus Philosophis; Volenti nulla fit iniuria
tunc non est satisfaciendum iustitiæ: quod
competit Iudicibus inferioribus, qui non
supra leges. Nec vlla iniuria fieret Dæmoni, mali

malitiosè captiuauerat, & captiuum tenebat hominem, vnde ex tali captiuitate poterat gratis liberari: supposita tamen retractatione voluntaria, pro peccatis actualibus propria voluntate commissis, sine qua remitti non possunt. Secundus modus fuit, si Deus exegisset ab homine pro peccato aliquam moderatam satisfactionem, ex se quidem insufficiẽtem & inæqualẽ iniuriæ, ex gratuita tamen Dei acceptatione sufficientem, vt in humanis contingit, nam Rex potest remittere factam sibi iniuriam subdito, ob moderatam satisfactionem. Tertius, si Deus constituisset aliquem purum hominem caput totius generis humani, sicut constituit Adamum, & acceptaret qualemcũque eius satisfactionem pro toto genere humano: nec desunt alij modi Deo reparandi genus humanum: ergo Incarnatio diuina non fuit simpliciter necessaria, ad reparationem generis humani. Nec contrariantur aliqui Sancti Patres, maximè Anselmus, dum dicunt hominem non potuisse aliter liberari, quàm per mysterium Incarnationis: nam non loquuntur, supposita nuda voluntate Dei saluandi hominem, sed ex suppositione decreti de Incarnatione ad reparandum genus humanum: vel supponendo quòd Deus sibi voluerit satisfieri ex toto rigore iustitiæ, vt infra dicetur.

Probatur secũda pars conclusionis authoritate S. August. libro de Agone Christiano cap. 10. vbi loquens de Incarnatione sic ait; Hæc medicina (ordinata scilicet ad reparandum hominem) tãta est, quanta non potest cogitari. Et libro 13. de Trinitate cap. 18. ait; Sed melius iudicauit Deus, vt de ipso quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum. Idem communiter docent alij Sancti Patres: plures huius conuenientias affert ex parte boni, & probat D. Th. art. 2. Prima est quantùm ad fidem, quæ magis certificatur, ex hoc quòd ipsi Deo loquenti credit. Secunda quantùm ad spem, quæ maximè in homine erigitur, dum videt Deum propter se hominem factum. Tertia quantùm ad charitatem, quæ ex hoc etiam magis excitatur. Quarta quantùm ad rectam hominis operationem; in qua Deus Incarnatus se nobis exemplum præbuit. Quinta quantùm ad plenam participationem diuinitatis, per multa dona nobis collata per Christum. Alias affert ex remotione mali. Prima est; per Incarnationem homo instruitur, ne sibi præferat Diabolum, & eum veneretur, qui est author peccati, cum humana natura sit assumpta à Deo. Secunda, quia instruitur quanta sit dignitas naturæ humanæ, ne eam inquinet peccando. Tertia; tollitur præsumptio ab homine, cùm gratia Incarnationis, & aliæ inde procedentes nullis præcedentibus meritis sint ipsi collatæ. Quarta, redarguitur eius superbia, ex tanta Dei Incarnati humilitate. Quinta, per Incarnationem perfectissimè liberatur homo à peccato: quæ omnia non tam benè haberi poterant, si Deus alio modo, quàm per Incarnationem reparasset genus humanum: vt discurrenti per omnes patet: ergo Incarnatio diuina est necessaria ad melius esse.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deus magis demonstrauit suum amorem erga hominem, reparando ipsum per Incarnationem, quàm si omninò gratis peccatum remisisset; vnde Euangelista dixit; Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: hoc enim modo Deus concessit homini, vt sibi plenè satisfaceret: constat autem quòd ille plus tribuit, qui dat debitori, vnde possit de rigore iustitiæ satisfacere, quàm qui simpliciter remittit debitum: insuper ex Incarnatione multa alia bona cõsequuntur, quæ aliunde homini non euenissent.

Ad secundum dicendum, quòd maius bonum potest ordinari ad minus; non quidem *vt* ad finem vltimum, sicut conuincit ratio; *sed vt* ad finem proximum, cui dat suam perfectionem, eo modo quo omnis causa ordinatur ad suum effectum: & hoc modo Incarnatio diuina ordinatur ad salutem humani generis: priori autem modo non ordinatur; quin potius omnia creata ordinantur ad Deum Incarnatum.

Ad tertium dicendum, quòd nulla fuit iniustitia ex parte Dei volentis mortem Christi Domini: tum quia Deus est Dominus vitæ & mortis; vnde occidendo, & quomodocumque, nulli facit iniuriam: tum quia Christus Dominus acceptauerat hanc mortem, pro salute generis humani; volenti autem nulla fit iniuria, aut iniustitia: tum quia ex D. Th. 2. 2. q. 64. art. 4. Accedente publica siue legitima authoritate, licet innocentem morti tradere, quando bonum totius Communitatis non potest aliter conseruari, & in hoc bono communi includitur bonum talis innocentis: Deus autem posuerat in Christo, vt ait Propheta, omnium nostrũm iniquitates, & sine eius morte non poterat saltem perfectè reparari genus humanum: ex qua etiam morte multum vtilitatis euenit Christo, vt patet ex Apostolo dicẽte; Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod Deus exaltauit illum, &c. Maximè autem peccarunt Iudæi, quia non iusto titulo, sed ex inuidia Christum occiderunt: vnde pessimi fuerunt ministri, sacrilegè exequentes rectissimum Dei iudicium de morte Christi Domini.

DVBIVM V.

Vtrùm fuerit facta Incarnatio diuina.

Svpponendum est, Messiam promissum olim Iudæis, quem nunc venisse demonstrabimus, esse personam singularem, simul Deum & hominem: quod probari potest contra Arrianos, Nestorianos, aliósque hæreticos admittentes nouum

Nouum Testamentum, infinitis propè locis illius: vt cum Christus expressè vocatur Deus à D. Paulo, quando Christus dicit de seipso; Ego & Pater vnum sumus, &c. Probatur etiam contra Iudæos aliquibus testimoniis veteris Testamenti. Ex illo Psalmi 109. Dixit Dominus Domino meo, qui locus communi consensu Iudæorum intelligitur de Messia, & ex quo Christus ipse Dominus demonstrauit contra Iudæos Messiam non esse tantùm filium Dauid; cum Dauid vocet ipsum Dominum: quod nomen soli Deo conuenire fatentur Iudæi. Item Isaiæ 9. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis; qui locus manifestè ex ipsimet Iudæis intelligitur de Messia: & cap. 52. inducit Propheta Deum sic loquentem: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

Prima opinio, sed perfida & blasphema Iudæorum, negat factam esse diuinam Incarnationem, siue aduenisse Messiam. Probatur; Messias promissus debet vocari Emmanuel, vt ait Isaias. Et debet aduenire cum magna gloria, vt patet ex Scripturis: sed nullus hactenus venit hoc homine; qui credatur esse Messias, & qui habuerit tantam gloriam: ergo non aduenit Messias in lege promissus.

Secundò, in Sacra Scriptura habentur multa supra aduentus eius, quę nondum apparuerunt, qualia sunt illa quæ Isaiæ 11. referuntur his verbis: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos; vitulus, & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas: ergo cum talia signa in Sacris litteris constituta debeant esse infallibilia, nondũ aduenit Messias.

Tertiò, Messias ad hoc debet venire, vt liberet populum suum scilicet Iudæum, & repleat eum bonis ac benedictionibus in æternum duraturis; vnde triumphabit de tyrannis, & dilatabit æternum regnum suum vsque ad terminos orbis terrarum: sed hi effectus consequuturi aduentum Messiæ non sunt completi, imò nec inchoati: ergo non venit Messias.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd de fide est, factam esse Dominicam Incarnationem, siue aduenisse Messiam in lege veteri promissum: & hunc esse Iesum Christum Nazarenum, Filium Mariæ semper Virginis: quod probari potest demonstratiuè, non solùm Christianis. 2. Sed etiam Iudæis. 3. Et valdè probabiliter Gentilibus.

Probatur breuiter prima pars conclusionis. Fundamentum fidei, & legis Christianæ est, admittere Nouum Testamentum, in quo passim

habetur, quòd Iesus Filius Mariæ fuit Chr
& verus Messias, de quo nullus Christianu
bitat: & si dubitaret, iam Christianus non e

Probatur secunda pars conclusionis m
authoritatibus, & rationibus desumptis ex
teri Testamento, recepto apud Iudæos. Pr
authoritas sit Genesis cap. 49. vbi Iacob ben
cens filios, prædixit eis quæ ventura essent:
nedicens igitur Iudam, inter alia ait: Non au
retur Sceptrum de Iuda, & dux de femore e
donec veniat qui mittendus est, & ipse erit
pectatio Gentium: qui locus euidenter est
Messia, vt ipsimet fatentur Iudæi: hoc regn
siue principatus in domo Iuda accipi debet,
quo incepit à Dauide, & cõstat ex libris Reg
verum regnum perseuerasse vsque ad Iec
niam, & postea declinasse ad Principatum in
dem Tribu: nec desiisse, nisi tempore Hero
senioris Ascalonitæ, quo tempore natus
Christus Dominus: & licèt paulo ante rexer
rempublicam Machabæi ex alia Tribu, hoc
men fuit non ex iure, sed ex commissione
cõsensu legitimorum hæredum ex Tribu Iu
ergo cum iam illud sceptrum, & Princip
omninò euanuerit, non solùm ex domo I
sed ex omnibus Iudæis, qui vbique habent
captiui, certissimum est venisse Messiam, &
Iesum Nazarenum. Ad hoc, ridicula respon
Iudæi, de quodam suo regno imaginario:
potius deridenda, quàm impugnanda est e
responsio.

Secunda authoritas habetur expressissim
nielis 9. vbi sic ait referens dicta sibi à Ga
Archangelo: Septuaginta hebdomades a
uiatæ sunt super populum tuum, & sup
bem sanctam tuam, vt consummetur præ
catio, & finem accipiat peccatum, & de
iniquitas, & adducatur iustitia sempitern
impleatur visio & Prophetia, & vngatur
ctus Sanctorum: scito ergo, & animaduer
exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusa
vsque ad Christũ, ducem, hebdomades sep
& hebdomades sexaginta duæ erunt, &
sum ædificabitur platea, & muri in ang
temporum, & post hebdomades sexaginta
occidetur Christus, & non erit eius popul
eum negaturus est: & Ciuitatẽ & Sanctua
dissipabit populus cũ duce venturo; & fini
vastitas, & post finem belli statuta desolatio
firmabit autem pactum multis hebdomada
& in dimidio hebdomadis deficiet hostia
crificium, & erit in templo abominatio d
tionis, & vsque ad consummationem &
perseuerabit desolatio. Sed illæ hebdoma
hac Prophetia recensitæ, iam fluxerunt à
tis sæculis; nam inceperũt numerari ab im
Darij regis, quo concessit Iudæis reædific
nem Templi, & ciuitatis Ierusalem: hæ a
hebdomades non sunt dierum, quia paulò
quàm annum efficerent; sed annorum, vnd

ficiunt quadringentos octuaginta tres annos: nulla enim alia inuenitur hebdomada in Scripturis Sacris, quàm ſeptem dierum, & ſeptem annorum: de hebdomada dierum frequens eſt mentio; de hebdomada annorum fit mentio Leuitici 25.& alias ponere, eſt fingere: inſuper omnia prædicta in hac Prophetia ſunt completa in Ieſu Nazareno, Filio Mariæ, Sancto ſanctorum: nam occiſus eſt & crucifixus, ad inſtantiam Iudaici populi, negantis ipſum eſſe Regem ſuum coram Pilato: vnde à Veſpaſiano duce diſſipatum eſt Sanctuarium, quod miraculosè vt conſtat ex hiſtoriis prohibitũ eſt reædificari, & eius deſolatio perſeuerat adhuc: poſt prædicationem autem Chriſti confirmatum eſt pactum multis, tam Gentilibus, quàm Iudæis hebdomada vna, ſiue ſeptem annis qui requirebantur ad debitam promulgationem Euãgelij: ſed in dimidio hebdomadæ, id eſt poſt tres annos cum dimidio defecit hoſtia & ſacrificium, quia tunc lex, id eſt in morte Chriſti, mortua remanſit: impletã autem hebdomada fuit mortifera: vnde Chriſtus in Cruce exclamauit; Conſummatum eſt: ergo venit Meſſias promiſſus in lege, & hic eſt Ieſus Nazarenus.

Tertia authoritas habetur Aggæi 2. vbi ſic habetur, Hæc dicit Dominus exercituum, adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum: magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, plus quàm primæ, &c. Hæc dicebat Propheta illuſtratus à Domino Senioribus Iudæorum, qui in ædificatione noui Templi flebant, cùm recogitabant gloriam antiqui ædificati à Salomone: conſolatus eos in nomine Domini, promittẽnſque futuram eſſe maiorem gloriam Templi nouiſſimi, quàm primi; prouenientem ſcilicet ex præſentia Meſſiæ illud ſæpe ingreſſuri; quòd in ipſo textu indicatur: nam in omnibus aliis fuit nouiſſimum multò inferius primo, tam in ſtructura & ornamentis, quàm in priuatione arcæ fœderis, & aliorum vaſorum: ergo cum hæc domus combuſta & deſtructa fuerit penitus à Tito, ſignum eſt euidentiſſimum, Meſſiam in lege promiſſum adueniſſe.

Quartò, probatur hac ratione euidentiſſima: Deus iudex iuſtus promiſit Iudæis multa prætemporalia, putà abundantiam, pacem, victorias, quandiu in mandatis eius benè viuerent, & de facto conceſſit vt patet ex Sacra Scriptura: & è contra minatus eſt multa mala, ſi ipſum offenderent; & mandata derelinquerent; & ea mala accidiſſe ipſis ſæpiſſimè teſtantur ſacræ paginæ, vnde toties plexi ſunt; quoties deliquerunt: maximè in idololatria, propter quam fuerunt in captiuitate Babylonica ſeptuaginta annis: ergo cum nunc à morte circiter Chriſti, tot ſæcula ſint in tantis miſeriis, vt vbique apud omnes gentes, tanquam viliſſima mancipia habeantur; licet exactè legem antiquam obſeruent, ſignum eſt euidentiſſimum, eos commiſiſſe maximum ſcelus enormius idololatriâ, quod non poteſt eſſe aliud, quàm ſummum ſacrilegium in morte Ieſu Nazareni, qui fuit verus Chriſtus & Meſſias: propter quod ita plectũtur, & plectentur vſque in finem; iuxta prædictam Prophetiam Danielis. Ridicula eſt & blaſphema quorundam Iudæorum reſponſio, quòd ita plectuntur, quia inter eos fuit vnus (ſubintelligẽtes Chriſtum) tam iniquus vt ſe Deum faceret, vnde tota gens eius ſcelus luit: ſed ineptè, nam licet ſuppoſitio eſſet vera, potius digni erant præmio quàm pœna, quia illum morte crudeliſſima puniuerunt, & tanto zelo vt credunt, ſed in rei veritate tanta rabie, vt nullus vnquam tot tantáque ſubierit ſupplicia.

Quintò, & vltimò demonſtratiuè probatur: omnes circumſtantiæ debitè intellectæ, quæ ſecundùm Prophetas in ſacris litteris conueniunt Meſſiæ, repertæ ſunt in Ieſu Nazareno, vt conferentibus Euangelia cum Prophetis, maximè Iſaia, patet; qui ideo dicitur Propheta Euangelicus, quia tam clarè Ieſum deſcribit, vt Euangelium potius videatur quàm Prophetia: natus eſt in Bethleem, vt debebat naſci Meſſias ex eorummet reſponſione facta Magis: debebat mori Meſſias Filius Dei morte turpiſſima, ſicut mortuus eſt Ieſus, vt patet ex Pſalmo 21. vbi circunſtantię penè omnes Paſſionis enarrantur, & etiam in libro Sapientiæ: in morte eius tot mirabilia acciderunt, ſicut tenebræ in vniuerſo mundo, contra omnem curſum naturæ, vt expendentibus patet; & alia miracula toti mundo notiſſima: & tandem eius Reſurrectio multis manifeſtata, vt etiam plures è Iudæis conuerſi fuerint, & alij vt Centurio, Ioſephus, & Pilatus vt patet ex eorum ſcriptis, Deum eſſe, & verum Meſſiam crediderint: ergo Ieſus Nazarenus fuit verus Meſſias.

Probatur tertia pars concluſionis. Tum teſtimoniis Sibillarum, quæ magnæ fuerunt authoritatis apud Gentiles: in earum ſcriptis, apud varios authores antiquiſſimos per partes collectis, ante ortũ Chriſti, & Chriſtianorum, prædicitur Natiuitas, Vita, Mors ignominioſa, Reſurrectio, & miracula Ieſu Nazareni tanquam veri Meſſiæ, & tanta claritate, vt nulli alteri omnia attribui poſſint. Deinde religio Chriſtiana, quam inſtituit, habet vera ſigna veræ religionis à Deo fundatæ, quia habet ſanctitatem, miracula, excellentem & eminentiſſimam doctrinam de Deo: inſuper authenticis ſcripturis, ſiue gentilium, ſiue Chriſtianorum enarratur tam excellens vita Ieſu, & miracula vt omnes ſanæ mentis conuinci debeant illum fuiſſe à Deo miſſum, & eſſe pluſquam hominem, vt concludit Pilatus in ſua epiſtola ad Tiberium Imperatorem directa.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quòd Iesus siue Saluator, cùm debuerit esse Saluator mundi, perfectè satisfaciens pro peccatis, æquiualet Emmanuel, quia talis saluator debuit esse Deus & homo, vt postea dicetur; & Emmanuel idem est, ac, nobiscum Deus: & licet Scriptura, dum dicit Messiam venturum cum magna gloria, intelligat de secundo eius aduentu scilicet ad iudicium, adhuc verè potest dici quòd in primo eius aduentu, quanquam pauperrimo, resplenduerit maxima gloria, tum propter cantus Angelorum eius natiuitatem pastoribus annunciantium, tum propter ortum nouæ illius ac fulgentissimæ stellæ, quæ Magos ab Oriente ad eum adorandum adduxit.

Ad secundum dicendum, quòd Scriptura illa afferens signa aduentus Messiæ, non est intelligenda litteraliter, sed spiritualiter; sicut multoties accidit: vnde cum dicuntur illa animalia ferocia habitatura cum domesticis, prædicitur conuersio Gentium etiam barbararum ad fidem Christi, & conuenientiam earum cum Iudæis conuersis, domesticis quasi Dei, ob veram religionem.

Ad tertium dicendum, quòd illa liberatio & benedictiones non sunt temporales, sed spirituales scilicet liberatio à peccato, & potestate Diaboli, & benedictiones gratiarum: vnde ex triplici capite errant Iudæi. Primò, quia confundunt primum Christi aduentum cum secundo. Deinde, quia omnem scripturam intelligunt litteraliter, cùm tamen sit aliquando moraliter exponenda. Denique, quia vt carnales intelligunt beneficia Messiæ fore tẽporalia, cùm tamen spiritualia sint principaliora: & regnum Christi spirituale, & non temporale, debeat per totum orbem dilatari, vt de facto euenit.

DVBIVM VI.

Vtrùm si homo non peccasset, facta fuisset diuina Incarnatio.

Svpponendum est, præsentem difficultatem non procedere de possibili, sed de facto; quia nulla est difficultas, quin Deus potuerit habere decretum Incarnationis Dominicæ omninò absolutum, & sine vllo respectu ad peccatum hominis, inquantum potuit velle Incarnationem ipsam propter seipsum, tanquam vltimum finem: propter decorem verò vniuersi, resultantem ex tam perfecto gradu entis, tanquam finem proximum: sed difficultas est; vtrum manente decreto Incarnationis, quod ex Scripturis colligitur fuisse in Deo, facta fuisset Incarnatio homine non peccante: vnde tota difficultas est; Vtrùm decretum Incarnationis fuerit absolutum, an conditionatum ex parte obiecti.

Prima Opinio fuit Alensis 3. p. q. 2. mem-

tur omnia, quæ ad ipsum ordinantur: & perfe-
ctius non dependeat ab imperfectiori, sed è
conrra; ideo quod est perfectius, ex natura sua
& ab intrinsecu exigit esse finis imperfectioris,
& non è contra (quamuis possit aliquod perfe-
ctius ordinari ab extrinseco ad perficiendum a-
liud minus perfectum: sed istud non habet pro-
priè rationem finis respectu illius:) & ita ordo
Hypostaticus est primus volitus, siue commu-
nicatio per vnionem Hypostaticam fuit prior in
intentione diuina, quàm communicatio per
gratiam: & hæc prior quàm communicatio per
naturam: vnde ordo naturæ fuit ordinatus ad
ordinem gratiæ, & vterque ad ordinem Hypo-
staticum, siue communicatio per naturam fuit
ordinata ad communicationem per gratiam, &
vtraque ad communicationem per vnionem
Hypostaticam.

Tertiò, Quia finis in intentione primus, est
vltimus in executione; ideo Deus attendens ad
ordinem naturæ (qui vltimus in inrentione,
debet esse primus in executione, maximè quia
in ipso creatura recipit esse, quod est primum
in re præcedens omnia alia extrinseca) inter
creaturas possibiles elegit plures quas produ-
cturus esset, præcipuè inrellectuales videlicet
Angelicam & Humanam, aptas ordinari im-
mediatè, tam ad ordinem gratiæ, quàm ad or-
dinem Hypostaticum; ac decreuit omnia in-
diuidua producenda vtriusque naturæ.

Quartò, Elegit Deus naturam humanam;
fortè quia mediam inter omnes, vt se illi com-
municaret Hypostaticè: & inter eius indiuidua
elegit sacratissimam Christi humanitatem, in
qua fieret hæc communicatiu, & tunc voluit
omnia alia ordinari determinatè ad Christum,
tanquam ad finem, non solùm omnium, quæ
postea intelliguntur esse decreta & facta; sed
etiam quæ prius decreta fuisse dicta sunt: quæ
pro illo priori solùm in communi ad ordinem
Hypostaticum ordinabantur. Quia verò finis
non attingitur aut habetur, nisi per media;
ideo intentio finis non est omnimodè absoluta,
sed connotar media; siue decretum de fine,
ante electionem mediorum, non est omninò
absolutum & efficax; sed connotat ipsa media
eligenda. Vnde eius efficacia in hoc sistit,
quòd ex vi eius sequātur alia decreta de mediis,
ante quorum determinationem finis non est
completè & adæquarè futurus; sed tantùm in-
choatiuè & incomplerè: vnde nec pro illo tunc
potest intelligi absolutè & completè futurus.
Communicatio per naturam, non supponit
medium in re, cui sit talis communicario; cum
per illam ipsa res ponatur, & accipiat esse, quod
est fundamentum omnium aliorum. Commu-
nicatio per gratiam consummatam, siue per
gloriam; quia datur per modum præmij & Co-
ronæ, præsupponit merita, & hæc præsuppo-
nunt gratiam sanctificanrem principium meri-

ti: gratia verò præsupponit naturam in qua re-
cipiatur; & ita in executione natura præcedit
gratiam, gratia præcedit merita, & merita præ-
cedunt gloriam, in qua est gratia consumma-
ta: quamuis in intenrione opposito prorsus mo-
do se habeant; nam ideo Deus dat naturam &
grariam, quia vulr dare gloriam. Communica-
tio autem per vnionem Hypostaticam (cum sit
opus summæ bonitatis diuinæ, ac proinde
executioni mandandum ad manifestandam
eandem bonitarem) exigebat pro medio: non
quidem disponente ad ipsam (cum enim sit su-
perioris ordinis ad omnia creara, nempe diuini
substantialiter, nullum est possibile medium
creatum ad illam disponens, quia tale medium
est eiusdem ordinis cum fine) sed solùm occa-
sionante talem communicationem, quod ap-
tius nullum esse potuit, quàm reparatio gene-
ris humani, post eius lapsum ex statu innocen-
tiæ, & iustitiæ originalis; cum sit necessitas na-
turæ assumendæ, in qua maximè manifestatur
bonitas diuina; cum per Incarnationem sub-
leuet summam miseriam. Vnde præuisio talis
lapsus præcedir præuisionē Incarnationis quan-
tum ad executionem, sed ipsamnet subsequi-
tur quantum ad intentionem: eo modo quo
præuisio merirorum præcedit præuisionem glo-
riæ quantum ad executionem, subsequitur au-
tem quantum ad inrentionem; quia vt dictum
est, quæ sunt priora in intentione, sunt poste-
riora in executione & è contra. Cum igitur In-
carnatio sit primum opus Dei, quantum ad
intentionem, ad ipsam tanquam ad finem
possunt omnia alia ordinari; ac proinde intuitu
ipsius, & dependenter ab ipsa debent fieri ad
maiorem Verbi Incarnari excellentiam, iuxta
illud 1. ad Cor. 3. Omnia vestra sunt, vos autem
Christi, Christus autem Dei. Nec mirum,
quòd vnio Hypostatica debeat præsupponere
in executione aliquod medium, saltem per mo-
dum conditiunis & occasionis: si enim alij fi-
nes ex sua nobilitate & præstantia præsuppo-
nunt ordine executionis media quibus acqui-
rantur: mulrò magis debet præsupponere hic
finis inter alios nobilissimus; vnde præuiso pec-
cato originali, voluit Deus quòd esset medium,
siue occasio ad quam sequeretur executio or-
dinis Hypostatici, siue Incarnationis, ad illud
tollendum: voluit autem permittere peccatum
originale & alia, ad manifestationem suorum
attriburorum siue perfectionum.

Tandem, elegit Deus aliquos ad gloriam
(dependenrer ex meritis Christi, qui est primus
prædestinatorum) tam in natura Angelica, quàm
humana. Tunc etiam alios exclusit ab eadem
gloria, ranquam à beneficio indebito naturæ.
Ex vi talis electionis, quia respicit gloriam vt
terminum ad quem, sequitur præparatio me-
diorum, quibus gloria acquiratur. Ad exclusio-
nem verò præcisè, quia hæc rantùm respicir

terminum

terminum à quo, nulla media sequi intelliguntur, nec intelligitur damnatio futura. Medium autem ad gloriã est gratia inferens bona opera.

Probatur prima pars conclusionis ratione *D. Thom.* quam sic proponit art. 3. Ea quæ ex *sola Dei voluntate* proueniunt, supra omne debitum *creaturæ*, nobis innotescere non possunt *nisi quatenus* in Sacra Scriptura (subintellige etiam *traditiones* diuinas) traduntur, per quam diuina *voluntas* nobis innotescit: vnde cum in Sacra *Scriptura* vbique Incarnationis (vt executioni *mandandæ*) ratio (siue motiuum aut medium) ex *peccato* primi hominis assignetur (quamuis hoc si omnibus *aliis* motiuis possibilibus præuisis hoc solum *sit electum*:) cõuenientius dicitur Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium *contra* peccatum: ita quòd peccato non existente Incarnatio non fuisset; quamuis potentia Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim etiam peccato non existente, Deus Incarnari: loca autem Sacræ Scripturæ sunt Matthæi & Lucæ 19. *Filius hominis venit* saluum facere quod perierat. 1. ad Timoth. 1. Christus venit in mundum peccatores saluos facere, &c. vnde in Symbolis fidei dicitur; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & Incarnatus est. & Sancti Patres communiter, non aliud assignant motiuum Incarnationis (intellige quantùm ad executionem) quàm salus & reparatio generis humani: vnde vt paucos ex multis seligamus, Augustinus sermon. 9. De verbis Apostoli in principio ait; Nulla fuit causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ. *Et sermone.* 8. dixerat; Si homo non periisset, *Filius hominis* non venisset. Ambrosius *lib. De* Incarnatiõnis dominicæ Sacramento cap. 6. ait; Quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro, quæ peccauerat, redimeretur. Gregor. Nazian. Oratione 4. Theologica q. 36. ait; Quæ autem humanitatis à Verbo propter nos susceptæ causa extitit, profectò vt nobis salus pararetur; quid enim aliud causæ afferri potest. Athanasius serm. 3. Contra Arrianos agens de Christo ait: Cùm homo efficitur, tum causa substituitur, cur oporteat carnem gestare, necessitas quippe indigentiáque hominum anterior est, quàm eius Natiuitas, qua sublata carnem non induisset. Idem asserit S. Bernardus sermone de vigilia Natiuitatis Domini, & alij. Quæ ratio & authoritates sunt tantæ efficaciæ, vt duplex solutio quæ solet adhiberi facilè corruat. Prima Scoti, quòd scriptura & Sancti Patres debeant intelligi de aduentu Christi, non absolutè, sed tantùm in carne passibili; nam & Scriptura, & Sancti Patres absolutè dicunt Christum venisse propter salutem humanam.: imò aliqui dicunt non fuisse venturum, nisi homo peccasset, vt patet ex authoritatibus adductis: quod

conuincit authoritas Symboli; nam c
aduentum, & aduentum in ordine ad p
sitiue in carne passibili, & vtrumque pro
factum asserit: vnde ait; Qui propter n
nes & propter nostram salutem, desc
cœlis, & Incarnatus est de Spiritu Sanc
ex Maria Virgine: & subiungit connect
cifixus etiam pro nobis. Deinde, cùm d
de aduentu Christi sit actus prouident
ctissimæ, conuenientius est asserere, q
solùm fuit de Incarnatione in confuso &
tracto, sed in particulari scilicet in car
bili. Denique, hæc responsio videtur d
re obligationem hominum ad Christu
catur quòd non venit absolutè propter
parandos: sed tantùm cum addito; ita
stante hac ratione & motiuo reparationi
næ, adhuc venisset. Secunda solutio est
scilicet Scripturam, & Sanctos Patres
quidem Christum venisse propter hu
salutem; non autem asserere, quòd sit
hanc solùm rationem: sed hæc soluti
Sanctos Patres ruit ex ipsis eorum verb
vtrumque asserunt, vt videre licet: qu
pturam verò aliqua loca primum asser
secundum: sicut cum Christus dixit;
vocare iustos sed peccatores. Deinde q
ptura vbique assignet causam Incarnat
salutem generis humani, est non loqui
damento, sed velle diuinare, aliam ass
indicat D.Th. in sua ratione.

Probatur secunda pars conclusio
primo & secundo argumento primæ
quæ hanc partem conuincunt: tum,
la sequitur Christum fuisse primum
natum in omni genere causæ, & prop
omnes etiam Angelos beatos fuisse p
tos, Christúmque non minus esse ca
lorum quoad gratiam & gloriam e
quàm hominum vt infrà dicetur: om
excellentia Christo possibilis, est etiam
tum deinde, quia posita hac priorit
dine intentionis cum posterioritate
executionis, conformamur communi
Philosophorum & Theologorum, &
tium contrariam prioritatem, & po
tem horum ordinum: tum denique
seruatur alia doctrina communis, ne
Incarnatio, omnium operum Dei o
ctissimum, ac proinde finis omnium
& medium magis propinquum man
gloriæ, & bonitatis Dei, aliorúmqu
torum, sit primò intenta & præuisa.
tem hæc sit mens D.Thom. relictis al
tur eius authoritate hîc art. 3. ad 4. vb
destinatio præsupponit præscientiam
rum; & ideo sicut Deus prædestina
alicuius hominis, per orationes aliorum
dam; ita etiam prædestinauit opus In
nis in remedium humani peccati: vn

D. Thom. & communi consensu Thomistarum; imò pene omnium Theologorum, prædestinatio quantùm ad executionem est posterior meritis, aliisque mediis ad illam conducentibus, ita vt nunquam executioni mandaretur, nisi illa præsupponerentur; & tamen est prior eisdem mediis quantùm ad intentionem: sic proportione seruata dicendum est de Incarnatione, quòd ordine intentionis præcedat permissionem peccati, eiúsque præuisionem; & subsequatur ordine executionis. Nec tamen sequitur quòd Christus debeat suum Esse peccato, cùm sine illo non esset. Nam potius peccatum ex se demerebatur gratiam Incarnationis; vnde soli bonitati diuinæ, tanquam causæ ex malo elicienti bonum, Christus obligatur.

Ad primum ergo, & ad secundum patet ex dictis quòd probant secundam partem conclusionis, & nihil conuincunt contra primam.

Ad tertium dicendum sicut supra, quòd salus humani generis, non tam habet rationem finis, quàm effectus Incarnationis.

Solet inquiri, vtrùm si non fuisset peccatū originale, sed tamen fuissent multa actualia, Christus fuisset Incarnatus. Probabilius videtur quòd non fuisset Incarnatus ex vi præsentis decreti: quod colligitur ex Scripturis: quia vbique fit mentio, vel de peccato Adami, vel primi hominis, vel de peccato originali, aut generis humani (quod idem est) tanquam de motiuo Incarnationis: vnde illo non existente non fuisset Incarnatio: sed alio modo fuisset prouisum in remedium actualium, quæ fuerunt tantùm motiua secundaria Incarnationis: vndè quando aliqui Sancti Patres dicunt, tantam esse bonitatem Dei, quòd Incarnatus fuisset pro salute vnius duntaxat hominis, debent intelligi, si talis salus sine Incarnatione haberi non potuisset. Nec obstat parabola adducta Matthæi 18. & Lucæ 15. de Pastore, qui reliquit nonaginta nouem oues in deserto, & vadit ad eam quæ perierat: nam per vnam ouem non intelligitur vnus singularis homo, sed totum genus humanum; per nonaginta nouem autē, multitudo Angelorum. Videtur tamen verisimile, quòd si totum genus humanum fuisset infectum peccatis mortalibus actualibus, fuisset facta diuina Incarnatio, quia hæc infectio & miseria generalis æquiualet ei, quæ prouenit à peccato originali.

DISPVTATIO II.

De Satisfactione Christi pro peccato generis humani eiúsque Redemptione.



VIA Christus Dominus venit in hunc mundum quærere, & saluos facere qui perierant: postquam determinatum est de conuenientia, exercitio, ac de motiuo Incarnationis; statim determinandum occurrit de satisfactione Christi pro peccato generis humani, de eius Redemptione, aliisque ad hoc pertinentibus.

DVBIVM I.

Vtrùm Christus Dominus redemerit genus humanum.

SVpponendum est, genus humanum per peccatum primi parentis verè fuisse captiuum, sub iugo & potestate Diaboli, vt habetur definitum in Concilio Arausicano 1. canone 1. & in Tridentino sess. 5. de peccato originali canone 1. & sess. 6. cap. 1. & 3. Quod probatur multiplici authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Coloss. 1. Qui eripuit nos à potestate tenebrarum Diaboli. Ad Rom. 6. Quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis cui obeditis. Ioannis 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati: vnde ante Redemptionē Christi, Diabolus exercebat imperium, quamuis tyrannicum in genus humanum, non tantùm per modum carcerarij, sed etiam per modum principis: vnde Christus vocat Dæmonem principem huius mundi; ait enim; Princeps huius mundi ejicietur foras: vocat etiam Dæmones, Rectores tenebrarum harum: & comparat forti armato custodienti atrium suum, id est, mundum: vnde D. Bernardus Epistola 190. id egregiè probat ponderans hæc verba Apostoli 2. ad Timothæum 2. Vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad eius voluntatem; ait enim; Hoc ergo Diaboli in homines quoddam ius, etsi non iure acquisitum, sed nequiter vsurpatum, iustè tamen permissum. Hoc autem ius & dominium Diaboli in homines, non propriè consistit in potestate quam habet, deducendi peccatorum animas in infernum, ibíque eas detinendi, ac cruciandi; sed in libera facultate quam, Deo permittente, habet insidiandi homini, eique prauas cogitationes immittendi, quibus fortiter ad peccandum incitatur, facilèque vincitur, nisi per diuinam gratiam liberetur. Ratio est, quia primum facit ex Dei imperio & ordinatione, quam transgredi non potest; vnde ibi se habet vt merè exequens: secundum autem, quia habet tantùm ex Dei permissione, agit vt Dominus intra limites sibi præscriptos. Vnde seruitus hominis consistit in facilitate operandi ad Dæmonis suggestionem, siue in difficultate & debilitate contracta per peccatum, ad resistendum tentationibus Diaboli, amissis gratuitis Dei donis, quibus facilè ei resisti poterat.

Prima opinio, sed hæretica, fuit Basii, paulò post Apostolorum tempora. Et Pelagianorum qui negantes peccatum originale, consequenter negarunt Christi Redemptionem. Hos secutus fuit Petrus Abaillardus, vt refert S. Bernardus

nardus loco citato, qui licet admitteret peccatum originale, negabat tamen ratione illius hominem esse captiuum Diaboli, ac proinde aiebat Christum non venisse vt Redemptorem, sed tantùm vt Doctorem. Probatur; homo etiam post peccatum, mansit sub potestate Dei, cuius est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo: ergo nunquam deuenit in potestatem Diaboli; maximè quia non potest vti hominibus ad libitum (quòd si potest eos tentare, etiam poterat, & de facto tentauit, & vicit in statu innocentiæ:) Vnde Christus rediniens hominem non soluit Diabolo pretium redemptionis.

Secundò, etiam post mortem Christi Domini Diabolus habet liberam potestatem tentandi homines, eósque seducendi: ergo cum captiuitas hominum consistat in hac subiectione, per Christum non fuerunt redempti: maximèque quia multi post Christum damnantur propter originale peccatum.

Tertiò, Christus non fuit caput generis humani: nam Adam non fuit, nec absolutè potuit esse caput in esse morali, nisi eorum, quorum erat futurum caput in esse naturali; vnde cum Christus nullius sit caput in esse naturali, nullus enim fuit propagatus à Christo per naturalem generationem, sic nullius est caput in esse morali: ergo nullum potuit redimere; quia sicut peccatum primi Parentis non potuit traduci, nisi in eos qui continebantur in ipso tanquam in capite; sic Christus non potest prodesse redimendo, nisi iis qui continentur in ipso tanquam in capite.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum secundùm fidem, quòd Christus Dominus redemit genus humanum, 1. Quæ Redemptio inchoata fuit in principio mundi, post præuisionem Christi vt Redemptoris. 3. Completa autem post factam eius Incarnationem, & superatam mortem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, vbi manifestè habetur ad Coloss. 1. Qui eripuit nos à potestate tenebrarum Diaboli. 1. ad Timoth. 2. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 2. ad Corinth. 2. Empti enim estis pretio magno: id est, Sanguine Christi. 1. Petri 2. Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati; præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus: vnde habetur definitum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 2. vbi loquens de Incarnatione Filij Dei ait; Cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit: vt & Iudæos, qui sub lege erant, re-

dimeret; & gentes, quæ non sectaban-
sticiam, iustitiam apprehenderent: atq-
nes adoptionem filiorum reciperent.
Probatur ratione: Christus Dominus
nobis sua morte & laboribus, gratia
mundaremur à peccato, & auxilia
ralia, quibus facilè resisteremus tentat
Diaboli, ac sic peccata vitaremus, vt
infra D.Th. tota qu. 48. & 49. & nos infi
mus: ergo Christus nos redemit de cap
& potestate Diaboli, quæ in subiectione
tentationes, & in nostra debilitate ad e
stendum consistebat, vt dictum est. De
Adam non solùm nocuit nobis suo exemp
definitur in Concilio Trident. sess. 5. in de
De peccato originali: sed quia per eius p
tum priuati sumus donis gratuitis, & an
Dei: ergo Christus qui est Adam cœles
resarciens damna prioris, non solùm debu
bis prodesse exemplo & doctrina: sed te
tione gratiæ amissæ, soluendo pro nobi
tium sui sanguinis, quod est ab ipso redi

Probatur secunda pars conclusionis.
qui Sancti Patres, quotquot decesserun
aduentum Christi Domini, fuerunt lib
potestate Diaboli, & de ipso triumphan
intuitu meritorum Christi; in quantum
fidem, & spem ipsorum in Redempto
turum, collata denuò sunt auxilia gratia
mo Parente deperdita, quibus facilè
tentationibus resisterent, & perseuera
gratia decederent: ea enim fuit bonitas &
ricordia Dei in homines, vt cùm præui
æterno ruinam & captiuitatem generis
sub potestate Diaboli futuram, antequ
illam incurrisset, præparauit Christum
ptorem esse futurum, ex cuius præuision
torum, iam tunc homines liberarentur
captiuitas non duratione, sed tantùm ca
te præcessit Redemptionem Christi D
Vnde tunc fuit inchoata.

Probatur tertia pars conclusionis. R
ptio generis humani debuit fieri, per p
Sanguinis Christi, vt patet ex authori
Scripturæ supra adductis: ergo compl
Redemptio generis humani post factam
nationem, & superatam mortem à Chris

Ad primum ergo dicendum, quòd lic
iectione naturali & necessaria, orta titul
tionis, homo etiam post peccatum sit sul
state Dei, vt probat argumentum; non
subiectione quæ fundatur in vnione cha
& protectione paterna Dei, iuxta illud ac
8. Si quis Spiritum Christi non habet, h
est eius: vnde licet homo post peccatum
fuerit absolutè sub potestate Diaboli quo
nia, benè tamen quoad effectum instigan
mines ad malum pro sua voluntate ex iu
permissione. In statu verò innocentiæ n
bebat tale Dominium, & solùm poterat e

C

apparendo & proponendo tentare, sicut fecit
Christo; non autem internis instigationibus.
Deinde, gratiá iustitiæ originalis confortabatur
homo ad facilè resistendum. Ad aliud dicen-
dum, quòd cum Redemptio generis humani sit
facta per modum satisfactionis, ei, cui fuerat ir-
rogata iniuria, debuit satisfieri, ac proinde Deo,
& non dæmoni tyrannicè dominanti.

Ad secundum dicendum, quòd Christus
nos eripuit ex potestate Diaboli; non tam im-
pediendo ne tentet: (quamuis in hoc etiam ad-
hibuerit aliquod moderamen, ne tantum tentet)
quàm iterum conferendo auxilia diuinæ gratiæ,
quibus facilè dæmonibus resistimus, ac de illis
triumphamus. Ad aliud dicendum, quòd so-
lùm probat satisfactionem Christi factam pro
genere humano, non fuisse applicatam omni-
bus quoad efficaciam.

Ad tertium dicendum, quòd Christus Do-
minus verè fuit pater spiritualis omnium fide-
lium, per regenerationem baptismi, ac proinde
caput morale omnium: vnde in ipso omnium
voluntates in ordine ad satisfaciendum conti-
nebantur: Adam verò non potuit esse caput
morale omnium, adhoc vt sua culpa aliis noce-
ret, nisi prius esset caput in esse naturali: quia
aliter non poterant omnes in eo preexistere vt
aliquid ipsius: est autem iniustum quòd culpa
vnius alteri omnino independenti, & distincto
attribuatur, & quòd ei noceat: quòd autem vnus
alteri omninò independenti, & distincto prosit
pro eo satisfaciendo, nulli fit iniuria: nec debi-
tori, imò maximam reportat inde vtilitatem:
nec creditori si velit illam acceptare; sicut sup-
ponitur in præsenti Deus acceptare satisfactio-
nem generis humani factam per Christum, qui
suscepit in se causam totius generis humani: vn-
de dicitur Deus in eo posuisse omnium nostrûm
iniquitates, & peccata.

DVBIVM II.

Vtrùm peccatum Originale, & Actuale mortale, pro quibus Christus satisfecit, sint malum simpliciter infinitum.

Svpponendum est, quòd peccatum constat
ex materiali & formali: materiale est ipsa
entitas actus Physici, qui cum sit contra regulas
rationis & legis diuinæ, est inordinatus ab vlti-
mo fine: & hæc inordinatio siue priuatio ordi-
nationis pertinens ad genus moris, cùm sit ex
electione voluntatis, est formale ipsius: vnde ra-
tione eius peccatum mortale dicit auersionem
à bono incommutabili, & ratione actus dicit
conuersionem ad bonum commutabile: quæ
conuersio est mala, quia inordinata: peccatum
autem habet multiplicem malitiam: tum quia
deordinat operantem à recta regula rationis, ra-
tione sui actus ab illa deordinati: tum quia si-
militer deordinat à regula legis diuinæ, tam
actum, quàm operantem: tum quia ratione auer-
sionis quam importat à Deo bono incommuta-
bili, meretur peccatori priuationem æternam
eiusdem Dei, quæ priuatio dicitur pœna damni:
tum denique, quia est offensa & iniuria Deo; si
non illata, quia Deus, sicut nihil boni à creaturis
potest recipere, sic nec mali pati, est enim om-
ninò immutabilis: saltem est intentata quan-
tùm attinet ad affectum peccatoris; quia cum
faciat actum inordinatum ab vltimo fine, tollit,
quantùm est in se, à Deo rationem vltimi finis,
& eam constituit in creatura cui adhæret pec-
cando: de ratione enim vltimi finis est, quòd ad
ipsum omnia ordinentur: constat autem quòd
hoc est Deo iniuriosum. Perfectè exponit hanc
iniuriam D. Bernardus Sermone 3. Resurrect.
Dom. vbi sic ait, loquens de mala voluntate: Sed
vtinam vel rebus istis esset contenta, nec in ip-
sum (horribile dictu) desæuisset authorem: nunc
autem & ipsum, quantùm in ipsa est, Deum pe-
rimit voluntas propria, omninò enim vellet
Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut
nolle, aut ea nescire: vult ergo eum non esse
Deum, quæ, quantùm in ipsa est, vult eum aut
impotentem, aut iniustum, aut insipientem: cru-
delis plane & omninò execranda malitia, quæ
Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire de-
siderat: vnde male Vasquez negat peccatum
esse propriè iniuriam, & iniustitiam contra
Deum: quia si hoc esset, non teneremur ex iu-
stitia, sed tantùm ex charitate Deo pro peccato
satisfacere, per contritionem & pœnitentiam,
quod tamen falsum est: omnes enim fatentur
pœnitentiam esse actum imperatum à iustitia:
satisfit autem ipsi Deo sufficienter, quando hoc
fit tempore ab ipso per Ecclesiam determinato:
quamuis autem Deus permittat peccata pro-
pter fines, quos ipse nouit, & hoc iustè; maximè
quia vt prouisor vniuersi non tenetur omnia
mala impedire, quia concurrunt ad eiusdem
vniuersi pulchritudinem: non tamen inferen-
dum est, quòd consentiat peccatis, & ita nulla
ei fiat iniuria: nam verè vt Legislator illa prohi-
bet. Nec tamen sequitur in quolibet peccato
esse duplicem speciem malitiæ, scilicet propriã
v. g. intemperanniæ; & iniustitiæ: nam malitia
iniustitiæ est conditio potius generalis omnis
peccati, quando est tantum virtualiter intenta:
si autem à peccante esset in seipsa directè & ex-
presse intenta, tunc esset noua species. Ex quo
tandem sequitur, quòd peccata non solùm sunt
contra Deum vt Legislatorem, sicut plerumque
sunt cõtra Regem vt Legislatorem, inobseruan-
tiæ legum: sed etiam sunt contra Deum vt Do-
minum, habentem supremum Dominium no-
strarum actionum. Peccatum originale habet
hoc speciale præ actualibus, quòd habet quan-
dam infinitatem extensiuam, in quantùm se ex-
tenderet ad infinitos homines, si per impossibile

ab

ab Adam seminali propagatione nascerentur.

Prima opinio Suaris, Vasquis, Scoti, & aliorum plurium extra scholam D.Thom.quam sequuntur Soto & Cabrera, docet nullum peccatum esse malum simpliciter infinitum, sed tantùm secundùm quid; neque illi esse intrinsecam malitiam, sed tantùm extrinsecam. Probatur authoritate D.Thom.hîc art.2.ad 2. vbi ait; Peccatum contra Deum commissum quandam habet infinitatem, ex infinitate diuinæ Maiestatis: tantò enim offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem delinquitur: ecce D.Thom. ait peccatum habere tantùm quandam infinitatem, siue infinitatem secundum quid.

Secundò, ex opposito sequuntur multa inconuenientia. Primum, quòd omnia peccata mortalia sint æqualis malitiæ, si sint infinitæ; vnum enim infinitum non est maius alio: quod tamen est contra illud Christi Domini: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Secundum, quòd opus fuerit infinita Christi satisfactione pro vnico peccato, adhoc vt satisfactio adæquet offensam: & ita non satisfecisset pro aliis, & multò minus remansisset aliquid de meritis Christi in thesauro Ecclesiæ. Tertium, quòd omnibus peccatis mortalibus debeatur æqualis pœna, & hæc infinita.

Tertiò, Deus offensus, est obiectum peccati: sicut, vt dilectus, est obiectum charitatis: sed Deus dilectus, quamuis in se infinitus, non influit bonitatem infinitam in actum charitatis, vt patet: ergo nec vt offensus influit infinitam grauitatem & malitiam in peccatum: maximè quia actus peccaminosus potest crescere in malitia, tam ex parte auersionis, quàm conuersionis, quæ possunt intendi ex malitia peccatoris: ergo peccatum non est malum simpliciter infinitum; alioquin daretur summum malum, sicut datur summum bonum: quod tamen negat D. Thomas 1.p. q.49. ar.3.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd peccatum tam originale, quàm actuale mortale, vt sunt iniuria Deo intentata, sunt malum in genere moris simpliciter infinitum. 2. Sicut & inquantùm priuant Deo. 3. Non autem vt priuant bono rationis. 4. Peccatum veniale habet tantùm malitiam limitatam, maiorem aut minorem: ita tenent plures Thomistæ.

Probatur prima pars conclusionis, authoritate & ratione D. Th. 1.2. q. 37. ar. 9. & alibi, quæ benè expensa & intellecta demonstrat. Iniuria tantò est grauior, quantò persona, cui fit, vel intentatur, est dignior: maximè si faciens & intentans sit vilissimæ conditionis, vt patet in humanis; nam si rusticus offendat similem, facit ei iniuriam; si offendat nobilem, maior & grauior est iniuria; & tantò maior, quantò est nobilior, vt patet ex supplicio quo punitur; si offendat Regem, adhuc grauior est iniuria, quia

vt dictum est, gradus grauitatis iniur
cunt secundùm gradus & mensuram d
personæ offensæ; & hoc ideo, quia per
fensa non tam est obiectum iniuriæ, qu
subiectum, quasi illam recipiens & sub
vnde iuxta suam dignitatem influit illi
tem moralem: ergo cùm peccatum sit
facta Deo, qui est infinitæ dignitatis,
finitè grauis, ac proinde malum in gene
ris simpliciter infinitum: maximè quia c
rit vilitas offendentis, quæ infinita est p
nem ad dignitatem diuinam: & insuper
intentata, quantùm est in se, importat
finitum nocumentum, quia tollit ab ipso
nem vltimi finis, sine qua Deus esse non
tùm est in se, per affectum, destruit Deum,
tiuum (quamuis hic augeat malitiam ex
conuersionis) sed priuatiuum quatenu
auersionem à Deo vltimo fine, quæ est
ac proinde infinita in malitia morali.

Secundò, docent Sacræ Litteræ, san
tres, & communiter Theologi, quòd m
ria fuit diuina Incarnatio simpliciter, si
quòd Deus voluerit sibi satisfieri de co
siue de toto rigore iustitiæ: non ex ali
nisi quia satisfactio debuit esse infinit
qui reperiri non potuit, nisi in actionib
cedentibus à persona infinitè digna, n
sona operans iuxta sui dignitatem infl
rem moralem in operibus, sicut dictum
persona offensa influit grauitatem in i
hæc enim est natura vtriusque, sed c
quòd opera principaliter dignificentur
rante, & quando affectus reputatur p
hic affectus debeat esse positiuus, sicut
vnde licet quis velit Deum infinitè am
tamen volitio est limitata in intensione
efficax, cùm sit de impossibili, ac proi
lus talis actus erit infiniti valoris, nisi pr
Persona infinitè digna scilicet diuina
autem aggrauatur à dignitate personæ
ad quam sufficit affectus priuatiuus: er
catum originale fuit malum infinitum i
re moris, in ratione iniuriæ; (quod idem
dum de actualibus mortalibus,) alioqu
fuisset necessaria pro ipso satisfactio infi
Proinde potuisset esse, & fieri ab aliqua c
nam ad condignam satisfactionem suffic
adæquet iniuriam; vnde sufficeret quòd
nita: sicut autem valor operum proce
operante est intrinsecus operibus; sic g
iniuriæ proueniens ipsi à persona offensa
intrinseca.

Probatur secunda pars conclusionis
non solùm in seipso est bonum infinitum
etiam est bonum infinitum creaturæ, in
tum potest magis & magis in infinitum
participari, vel media charitate, vel me
mine gloriæ; vnde charitas & lumen sec

secundùm suam speciem possunt in infinitum intendi: quamuis autem Deus nunquam actu infinitè participetur; est tamen in infinitum participabilis: ergo peccatum, quod priuat Deo vt in infinitum participabili, sub hac ratione est malum infinitum: nam ex vno capite priuatio boni est malum: ex alio verò capite priuatio mensuratur ex forma quam priuat; vnde cum sit tota simul, & adæquet actu formam in infinitum participabilem; non minus est infinita actu priuatio, ac esset infinita actu forma, si esset actu secundùm totam suam participabilitatem: sicut illa mensura esset simpliciter infinita, quæ existens tota simul posset adæquare longitudinem secundùm partes determinatas in infinitum maiorem, & maiorem. Similiter quia diuina virtus tota actu potest in infinitum producere perfectiora, & perfectiora; colligitur esse simpliciter infinita.

Probatur tertia pars conclusionis. Bonum rationis, quod est in virtute opposita peccato, est aliquid finitum & limitatum vt patet; nullum enim bonum extra Deum est infinitum; propterea D. Thom. 1.2.q.73.art.4. ait quòd grauitas peccatorum differt secundùm dignitatem virtutum quibus opponuntur: ergo cùm priuatio mensuretur per formam quam priuat, peccata vt priuant bono rationis, non sunt malum in genere moris infinitum: maximè quia non priuant toto bono rationis, sed tantùm in determinata specie virtutis oppositæ.

Probatur quarta pars conclusionis. Peccatum veniale non est contra Deum, sed præter Deum, quia non auertit ab ipso vt vltimo fine; vnde non dissoluit amicitias cum illo; sed saluo semper ordine ad vltimum finem, deordinat tantùm creaturam rationalem circa media, vt docet D.Thom. 1.2. q.88. art.1. & 2.2.q.24. art. 10. ait quòd per peccatum veniale non minuitur aut corrumpitur charitas, quia vt subiungit ad 2. Illud quod amatur in peccato veniali, amatur propter Deum; non quidem actu, sed habitu: ergo non est offensa grauis, sed leuissima.

Ad primum ergo dicendum, quòd ideo D.Thom. ait peccatum habere quandam infinitatem, quia in genere Physico illam non habet: sed in genere tantùm morali, & adhuc non secundùm omnem rationem, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd nullum tale sequitur inconueniens ex nostra conclusione. Non primum; quia licèt omnia peccata mortalia ex parte auersionis à Deo, sint æqualia & infinita, (non enim repugnat dari plura positiua; priuatiua, sicut repugnat dari multa infinita etiamsi infinitum sit possibile, quia quodlibet importare debet totam perfectionem illius generis, ac ita est immultiplicabile: non autem repugnat eandem perfectionem multipliciter priuari:) ex parte tamen conuersionis in obiectum sunt inæqualia & finita: quia verò ex tali conuersione specificantur, quia obiecta sunt distincta; non autem ex auersione quæ est in omnibus eiusdem rationis, & ab eodem fine vltimo: ideo simpliciter & sine addito dicuntur inæqualia. Sunt autem aliqua peccata, quæ etiam Deum habent vt obiectum, vt odium Dei, blasphemia, &c. sunt autem grauissima, licèt ex hac parte non sint infinita. Nec secundum; quia Satisfactio Christi Domini fuit infinita, tam in esse moris, scilicet ex parte personæ offerentis, quàm in esse Physico scilicet ex parte rei oblatæ: vnde ratione huius plus placuit Deo Satisfactio Christi, quàm displicere possunt omnia peccata imaginabilia; quia talis complacentia est verè formaliter, & actu in Deo: displicentia autem est tantùm virtualiter, quia Deus summè beatus non est capax displicentiæ actualis: vnde Satisfactio Christi fuit superabundans, & potuit applicari pro infinitis peccatis, & adhuc remanere valor eius in thesauro Ecclesiæ. Tertium autem non est inconueniens: fatemur enim quòd debetur, & datur omnibus peccatis mortalibus, sub ratione auersionis, sub qua dicunt infinitatem, pœna damni infinita in omnibus æqualis, vt ait D.Thom. 1.2.q.87. art. 4. quæ consistit in simul totali & indiuisibili carentia diuinæ visionis maioris & maioris in infinitum: vnde S. Anthoninus, de Pœnis damnatorum cap. 3. ait: Ex parte igitur auersionis respondet peccato pœna damni, quæ est infinita; est enim amissio infiniti boni: & hæc pœna est infinita tam intensiuè, quàm extensiuè siue durationis; iustum est enim vt qui se auertit à Deo, priuetur in pœnam eodem Deo: quia verò peccata quantùm ad conuersionem sunt finita, ideo dolor de priuatione Dei, & aliæ pœnæ sensus tali conuersioni correspondentes, sunt in intensione finitæ, sola duratione infinitæ ex æterno damnatorum statu.

Ad tertium dicendum, quòd Deus non tam habet rationem obiecti, quàm subiecti ipsius peccati; quia peccatum, vt dicit infinitatem maliciæ, est auersio à Deo vt vltimo fine, & non conuersio ad Deum vt obiectum: hoc enim est peculiare in aliquibus peccatis, vt blasphemiæ, odij Dei, &c. quæ sub hac ratione non important infinitam malitiam: vnde est disparitas inter actum peccaminosum, & actum charitatis; hic enim habet infinitatem tantùm extrinsecam ex parte obiecti, & finitam in se, quia per conuersionem positiuam finitam finitè attingit: ille verò habet intrinsecam, vt dictum est, & infinitam malitiam, quia per priuationem totalem auertit à Deo. Auersio autem illa positiua, quæ adiungitur ex malitia peccatoris, potius est conuersio per modum odij ad Deum, quæ cùm sit finita, auget malitiam peccati, non autem reddit infinitam, sicut auersio priuatiua. Non tamen sequitur, quòd peccatum sit summum malum simpliciter, hoc enim debet excludere

omne

omne bonum : peccatum verò includit pro materiali entitatem bonam, vnde est tantùm infinitum & summum malum secundùm rationes determinatas.

DVBIVM III.

Vtrùm Christus Satisfecerit de toto rigore iustitiæ, pro peccatis generis humani.

SVpponendum est, Satisfactionem in genere
definiri, quòd sit redditio voluntaria æqui-
ualentis, alteri facta, ex propriis, & aliàs indebi-
tis vt ipsi satisfiat. Hæc definitio communiter
acceptatur ; & conuenit Satisfactioni perfectæ:
quòd si aliqua conditio ex assignatis desit, erit
imperfecta. Debet esse hæc redditio voluntaria,
cùm sit actus iustitiæ: si enim esset inuoluntaria
debitori, potius esset respectu eius satispassio,
quàm satisfactio. Debet esse ad alterum, non au-
tem ad alium, quia sufficit vt interueniat duplex
Dominium : idem enim homo rector Ciuitatis
potest sibi satisfacere ex bonis publicis, tãquam
creditori particulari. Constat autem quòd vt sit
perfecta satisfactio, debet reddi æquiualens.
Debet esse ex bonis propriis ipsius satisfacientis,
quia ipsorum tantùm est Dominus, & de ipsis
tantùm potest disponere licitè & validè. Debet
esse ex aliàs indebitis; quia quæ sunt debita, non
sunt propria. Debet autem esse hæc redditio
ex intentione implicita saltem, vt fiat satisfactio,
quia si fieret titulo donationis, aut alio; verè non
esset satisfactio. Ex hac definitione Satisfactio-
nis in genere colligitur definitio Satisfactionis
specialis pro iniuria, de qua in præsenti agimus:
scilicet redditio voluntaria honoris & reueren-
tiæ æquiualentis, ex propriis, & aliàs indebitis,
alteri facta, ad compensandam iniuriam ei per
peccatum illatam: hæc habetur apud D. Th. in
supplemento. q. 12. art. 2.

Prima opinio negat Satisfactionem Christi Domini fuisse de toto rigore iustitiæ. *Ita tenent* Scotus in 3. d. 19. q. vnica. *Durandus ibidem*, Vasquez in præsenti, & alij. *Probatur sigillatim* ex defectu penè omnium circunstantiarum requisitarum ad condignam satisfactionem. Primò non fuit voluntaria : quia maximè facta fuit per mortem Christi Domini, quam non voluntariè simpliciter, sed quasi coactus subiit : vnde in horto dixit Patri ; Transeat à me calix iste. Secundò, non fuit æquiualentis: quia actiones meritoriæ Christi ratione humanitatis, quæ fuit principium formale, quo, elicitiuum ipsarum, fuerunt finitæ; principium enim proximum formale limitat & determinat influxum principij, quod, remoti : satisfactio autem pro iniuria infinita, vt sit æquiualens, debet esse infinita. Tertiò, non fuit alteri facta : quia cum Deus fuerit offensus, ipsi Deo vt sic, ac proinde toti Sanctissimæ Trinitati, debuit fieri satisfactio; & ita

Christus debuit sibi satisfacere, tanquan
dæ Personæ eiúsdem Sanctissimæ Trinit
non est alter à seipso ; imò nec potuit sa
re Patri, filius enim cum sit aliquid Patr
est omninò alter à Patre, vnde Philosoph
cor. cap. 6. & S. Th. 2. 2. q. 57. art. 4. docer
Patrem & Filium non esse iustum siue iu
simpliciter. Quartò, non fuit ex proprii
sti satisfacientis : quia valor qui fuit in ei
ribus, procedebat ex infinita dignitate
personæ vt sic, quæ dignitas est commu
ti Trinitati; maximè quia tota Trinitas e
rit ad hanc satisfactionem, cùm sit opus
tra. Quintò, non est ex aliàs indebitis
Christus titulo creationis, & conseruation
humanitatis, & titulo etiam gratiæ vnioni
habet quandam infinitatem, debebat De
nia quæ faciebat ex infinita obligatione
Christus non satisfecit de toto rigore i
pro peccatis generis humani.

Secundò, Satisfactio de toto rigore i
non potest respui ab eo, cui fit vt patet ;
iustitia tenetur illam acceptare : sed De
tuit non acceptare Satisfactionem Chri
mini pro peccatis generis humani ; no
ac Rex potest non acceptare satisfactio
filij, volentis satisfacere pro aliquo qui
offendisset : maximè si sit lex posita, vt
reus puniatur, sicut erat in præsenti,
In quacumque die comederis ex eo, m
rieris : ergo Christus non satisfecit d
gore iustitiæ pro peccatis generis hum

Tertiò, Satisfactio de toto rigore iu
bet esse elicita, vel saltem imperata à v
stitiæ commutatiuæ: quia ex D. Thom.
art. 1. restitutio est actus iustitiæ comm
satisfactio autem pro iniuria est quæda
ris restitutio : sed Satisfactio Christi pr
tis generis humani, non fuit elicita, a
rata à iustitia commutatiua ; quia nec i
Ordine ad Patrem, nec in seruo in o
Dominum, nec in homine in ordine a
Potest esse iustitia commutatiua : consta
Quòd Christus est filius Dei cui debet
tisfactio, est etiam homo, & inquantu
est seruus : maximè quia non fuit talis
Christo, vel debet esse in aliis hominib
Christus non satisfecit de toto rigore
Pro peccatis generis humani.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sa
Christi Domini pro peccatis generis
fuit de condigno, siue de toto rigore iu
Vnde fuit vel elicita, vel imperata & re
virtute iustitiæ commutatiuæ. Ita com
Thomistæ, ac plures alij.

Probatur prima pars conclusionis a
te Sacræ Scripturæ. 1. ad Cor. 1. Factus
Iustitia, Sanctificatio, & Redemptio. Ad
Quem proposuit Deus propitiationẽ p

n Sanguine eius, ad ostensionē iustitię suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi. Item Isaiæ 10. Consummatio abbreuiata inundauit (id est inundare faciet) consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ: constat autem quòd ibi Propheta loquitur de satisfactione Christi pro peccatis generis humani: sed verba Scripturæ iuxta regulam S. Aug. sunt intelligenda in proprietate sermonis, quando non obstat alius Scripturæ locus, nec sequitur aliquod inconueniēs, vt in præsenti non sequi patebit ex solutione Obiectionum: ergo Christus satisfecit de toto rigore iustitiæ pro peccatis generis humani. Et hoc maximè, quia in Scriptura tribuuntur satisfactioni Christi, quæ non possent cōpetere satisfactioni puri hominis: quæ tamen in ordine ad Deum pro peccatis potest esse ex iustitia imperfecta, vt postea dicetur: ergo satisfactio Christi fuit ex iustitia perfecta.

Secundò, omnes conditiones requisitæ ad satisfactionem de toto rigore iustitiæ, concurrerunt in satisfactione Christi. Fuit voluntaria, quia vt ait Propheta; Traditus est quia ipse voluit: & ipsemet ait; Animam meam pono pro ouibus meis. Fuit æquiualens, cùm fuerit infiniti valoris, vt postea dicetur. Fuit facta alteri, non solùm in ordine ad alias diuinas Personas, sed etiam in ordine ad Filium; nam sit ipsi satisfactio vt est Persona diuina siue vt terminat naturam diuinam: satisfacit autem vt terminat naturam humanam: ibi autem est ius distinctum, nam operationes humanitatis peculiari modo pertinent ad ipsum tanquam ad personā talis naturæ; quamuis in quantum Deus, cum aliis Diuinis Personis ad illas cōcurrat vt causa prima, & sic habeat aliquod Dominium supra ipsas, eo modo quo supra alia omnia: ratione autem huius diuersi Dominij est alter à seipso. Fuit ex propriis; quia licèt generi humano, & naturæ assumptæ cōcessa fuerit gratia vnionis, ac proinde data fuerit persona, quæ pro ipso satisfaceret: ipsi tamen personæ satisfacienti nulla fuit facta gratia in ordine ad satisfactionem: sed ex propria dignitate habuit conferre valorem infinitum operibus humanitatis à se assumptæ: & licet aliquid concessum fuerit in ordine ad hanc satisfactionem, adhuc ex his iam habitis vt propriis, poterat ex iustitia satisfieri. Fuit denique ex aliis indebitis; quia satisfactio infiniti valoris, qualis fuit Christi, est sufficiens pro infinitis debitis; non enim potest exhauriri: maximè quia, vt dictum est, habuit infinitatem multò excellentiorem, scilicet in esse naturali ex parte rei oblatæ: ergo Christus satisfecit de toto rigore iustitię pro peccatis generis humani.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. Psalmo 88. Exprobrauerunt inimici tui Domine exprobrauerunt commutationem Christi tui: loquitur autem Psalmista secundùm Aug. de Iudæis & Gentibus exprobrantibus mortem Christi pro genere humano satisfactoriam. 1. Cor. 6. Empti estis precio magno. Psalmo 129. Copiosa apud eum Redemptio: Sed emptio & redemptio sunt actus iustitiæ commutatiuæ vt patet. Deinde, illa satisfactio est actus alicuius virtutis, vt certum est; non alterius quàm iustitiæ commutatiuæ: Non enim fuit pœnitentię, quia virtus pœnitētiæ habet pro materia peccatum proprium: vnde non fuit in Christo, ex D. Th. infra qu. 84. art. 7. ad 4. Non virtutis charitatis, quia hæc respicit Deum dilectum quatenus in se bonum, non autem Deum vt offensum, sicut respicit satisfactio. Nec religionis: hæc enim reddit Deo cultum debitum pro beneficiis acceptis; non autem pertinet ad ipsam satisfacere pro delictis: quamuis omnes istæ, sicut & misericordia, liberalitas, & aliæ plures concurrerint: & esto, concedatur quòd iste actus, quo Christus satisfecit vltimò, fuerit actus alterius virtutis ab illa elicitus: non tamen potest negari quin fuerit imperatus & regulatus à iustitia commutatiua; cùm satisfacere pro delictis, ipsius tantummodò proprium sit: & hoc maximè quia Christus satisfecit per plures actus diuersarum virtutum: omnia enim sua ad nostrum bonum ordinauit: sed quando plures actus ordinantur ad eundem finem, debet dari specialis virtus, quæ illos ordinet & dirigat ad talem finem, qui est iustitiæ commutatiuæ: propter hanc enim rationem D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 5. constituit specialem virtutem iustitiæ Legalis, vt ordinet ad bonum commune, quod respicit tanquam proprium finem, actus aliarum virtutum: constat autem quòd virtus, quæ respicit finem, imperat & regulat actus omnes aliarum virtutum, qui ad talem finem ordinantur: ergo Satisfactio Christi fuit elicita, vel saltem imperata & regulata à virtute iustitiæ commutatiuæ.

AD primum ergo dicendum, quòd illa petitio Christi fuit secundùm partem inferiorem, quæ naturaliter refugiebat mori, & hanc fecit vt ostenderet se verum hominem: nec tamen fuit absoluta, quia addidit; Si possibile est: considerans autem esse voluntatem Dei, quòd moreretur, voluntariè, subiungit; Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ad aliud dicendum, quòd operationes satisfactoriæ non fuerunt infinitæ in esse Physico, vt probat argumentum, sed fuerunt infinitæ in esse morali, ratione Suppositi operantis, vt dicetur infra. Ad aliud dictum est, quomodo persona Christi vt satisfaciens, est altera à seipsa prout ei fit satisfactio, ratione diuersi dominij, vt explicabitur ad tertium. Ad aliud dicendum, quòd illa dignitas infinita diuinæ Personę fuit communica-

ta

ta humanitati assumptæ: vnde vt terminans humanitatem, est altera à seipsa quocumque alio modo considerata: tota autem Trinitas indiuisè concurrit ad operationes satisfactorias, per modum primæ causæ: non autem speciali illo modo, quo persona Filij in quantum terminat naturam humanam: sic enim concurrit vt principium, quod, proximum, à quo est totus valor satisfactionis, quamuis entitas actionis sit sub dominio totius Trinitatis: sed hoc quasi nihil est. Ad aliud patet ex dictis.

Ad secundum dicendum, quòd supposito mysterio Incarnationis, Deus non potuit non acceptare satisfactionem Christi Domini, vt pote superabundantem: maximè quia erat caput totius generis humani in esse morali: vnde eius satisfactio est etiam totius generis humani, quia ex D. Th. caput & reliquum corpus siue cætera membra sunt vna persona mystica: vnde licet Christus in se non fuerit reus, fuit tamen caput reorum: vnde instantia de filio Regis non est ad propositum. Quòd autem Christus sit caput generis humani, hoc fuit ex diuino beneplacito: sicut & ex pacto & acceptatione diuina satisfecit pro peccatis illius.

Ad tertium dicendum, quòd in Christo Domino fuit virtus iustitiæ commutatiuæ, eiusdem rationis ac in aliis hominibus: quamuis alij homines non possint illam exercere erga Deum, quia sunt ipsi inferiores, & desunt omnes aliæ conditiones supra enumeratæ pro iustitia perfecta: similiter filius non potest illam exercere secundùm illa bona quæ habet à patre, quandiu sub potestate illius est, quia in illis dependet: sicut & seruus à Domino, quia omnia pertinentia ad seruum, Domini sunt: Christus autem licet sit inferior secundùm humanitatem, secundùm quam etiam dicitur seruus: tamen ipsa eius persona satisfaciens est æqualis Patri, iuxta illud ad Philipp. 2. Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: nec in aliquo dependet à Patre, quia non gratuitò, aut libera eius electione habet ab illo esse, & omnimodam perfectionem: sed ex naturali necessitate.

DVBIVM IV.

Vtrùm Satisfactio Christi Domini fuerit infiniti valoris.

SVpponendum est, actiones sicut & passiones esse suppositorum, vel per se subsistentium; tanquam principij, quod; formarum autem tantummodo, vt principij, quo; hoc erat axioma communiter receptum apud antiquos: quidam moderni illud negant: asseritur tamen ab Aristotele 1. de Anima, cap. 4. & optimè; nam operatio, vt pote actus secundus, sequitur ad esse ex D. Th. in 3. d. 37. q. 2. art. 2. Esse

autem per se primò & immediatè com
posito tanquam habenti esse, vt quod
verò, vt quo, ex D. Th. infra q. 17. ar
Hæc doctrina supposita fuit, tanqua
& ab omnibus recepta, à Ioanne The
Concilio Florentino: & nisi admittat
teria de Trinitate, non poterunt vita
ses: ex qua sequitur, quòd operatione
tiones meritoriæ, quibus Christus D
satisfecit pro genere humano, sint tri
ipsi Christo siue personæ Christi tanqu
cipio, quod: humanitati autem tanqua
cipio formali, quo. Prima pars habetur
sa in Sacris Litteris. 1. Ioannis 2. Ipse
pitiatio pro peccatis nostris. 1. Petri 3
stus semel pro peccatis nostris mortuus
Hebræos 9. Christus semel oblatus est
torum exhaurienda peccata: vnde pr
asserunt communiter, quòd valor Sati
nis Christi procedebat à supposito: cui
est, quia persona Verbi diuini subsisten
manitate, applicabat ipsam humanitate
que potentias ad operandum, ipsásque
bat operationes. Secunda pars probat
actiones quibus satisfecit Christus, e
manæ & vitales: ergo dependent ab h
te, eiúsque potentiis; non vt à princip
vt dictum est: maximè quia non potes
plex principium, quod, proximum
operationis, nisi vtrumque sit partiale
præsenti non contingit; sed vt princip
li, quo, specificante ipsas operationes
propositio debet admitti; Christus in
Deus homo, vel in quantum homo D
fecit pro nobis; sicut dicitur quòd pass
tuus est pro nobis: ly autem, Christ
nit materialiter pro supposito, non p
ex D. Thom. infra q. 16. art. 9. ad 3
ad 2.

Supponendum est secundò. Quòd
neraliter nihil est aliud in genere mo
ea dignitas & perfectio, quâ res est
tanquam pretium, vel tanquam con
faciat aliquod iustum: valor igitur sic
non est aliquod ens reale Physicum, a
Physicus entis realis, tum quia non h
sam Physicam sui productiuam, tum
Ponitur in aliquo prædicamento, sic
tur omnia entia physica: nec est pura
natio extrinseca, quia verè valor est
bus: nec est purum ens rationis, quia
independenter ab intellectu, & ne
gitante, in bonis operibus; sicut & in a
sed est aliquid medium, quod dicitur
morale, habens esse valde diminutum

Prima opinio Scoti & discipulorum
rit satisfactionem Christi Domini fuis
infiniti valoris ab extrinseco, siue ab
tione diuina: non verò ab intrinseco.
Suppositum Christi non potuit influe

ter infinitum valorem in talem Satisfactionem: non vt diuinum, quia vt sic non Satisfacit: non vt humanum, quia vt sic tantùm facit, quod fecisset proprium suppositum humanitatis si fuisset; non autem illud præstitisset valorem infinitum: ergo valor Satisfactionis Christi non fuit ab intrinseco infinitus.

Secundò, quando plura concurrunt ad vnum effectum: si principium aliquod ex illis sit finitum, licèt alia sint infinita, effectus erit finitus, vt patet in visione beata, ad quam concurrit diuina essentia infinita, & potentia finita; propterea visio est finita: sed ad Satisfactionem Christi concurrunt, tum humanitas finita, tum persona Christi infinita vt patet: ergo Satisfactio erit finita.

Tertiò, ex opposito sequuntur multa inconuenientia. Primum, quòd actiones remissæ eiusdem habentis gratiam sint eiusdem valoris ac intensæ, quia valor desumitur à persona digna, quæ est vna & eadem. Secundum, quòd dabitur aliquod infinitum realecreatum, scilicet valor infinitus operum Christi. Tertium, quòd Christus æquè satisfecisset in vnico actu, ac in tota vita: quia quilibet actus, vt pote infiniti valoris, erit infinitè satisfactorius; infinito autem non datur maius. Quartum, quòd Christus plus meruerit, quàm Deus ex sua omnipotentia possit præmiare: non enim est dabile præmium infinitum, correspōdens merito infinito. Quintum tandem, quòd Christus perfectè suo merito infinito pro nobis Satisfecerit, ac meruerit: vnde superflua erunt in nobis merita nostra, ac bona opera: ergo Satisfactio Christi non fuit valoris infiniti.

Quartò, bonitas moralis operum Christi, tam proueniens ex parte obiecti, quàm ex circunstantiis, fuit finita: ergo & finiti valoris intrinseci. Patet consequentia, quia valor operum consistit in eorum bonitate. Probatur antecedens, quia potuerunt esse de præstantiori obiecto, & cum maiori intensione: hæc autem bonitas, cùm sit fundamentum valoris, faciet quòd valor procedens à persona sit maior: maximè quia persona non tam influit in valorem operis, quàm res oblata: vnde si Rex soluat centum aureos alicui debitos: & similiter soluat rusticus: prima solutio non erit maioris valoris, quàm secunda.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Satisfactio Christi Domini, pro peccatis generis humani, fuerit valoris infiniti. 2. Vnde non solùm fuit ad æqualitatem, sed fuit superabundans. 3. Et consequenter etiam secluso omni pacto cum Deo, non poterat non acceptari.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D.Thom. hîc art. 2. ad 1. & infra q.48. art. 2. ad. 2. & 3. quem communiter sequuntur eius discipuli & alij. Item Clementis VI. in extrauagante quæ incipit, Vnigenitus, de pœnitentiis, & remissionibus: vbi hæc tria dicit. Primum, modicam guttam Sanguinis Christi Domini, propter vnionem ad Verbum, sufficeisse ad Redemptionem totius generis humani. Secundum; Christum Dominum acquisiuisse Ecclesiæ thesaurum infinitum, constantem suis meritis, & operationibus Satisfactionis. Tertium; non esse aliquatenus formidandum de consumptione, seu imminutione huius thesauri, propter infinita Christi merita: quæ omnia important manifestè infinitatem valoris intrinsecam, & non tantùm ex acceptatione: quia aliàs non esset differentia inter opera Christi, & puri hominis; nam ex acceptatione, puri hominis opera possent dici infiniti valoris, si acceptarentur pro debito infinito.

Secundò, opera Satisfactoria Christi Domini procedebant à supposito infinito simpliciter in ratione entis, scilicet à Persona diuina tanquam à principio, quod: quia vt dictum est ex 1. Metaph. Actiones sunt suppositorum: ergo ex natura rei, & ab intrinseco erant infiniti simpliciter valoris, in ratione Satisfactionis: quia valor Satisfactionis crescit ex dignitate personæ Satisfacientis: nam honos & obsequium, quæ reperiuntur in tali Satisfactione, iuxta prudens & æquum hominum iudicium, plus æstimantur, quò persona quæ satisfacit fuerit dignior: vnde & infinitè, si fuerit infinitè digna, vt contingit in præsenti. Nec potest dici, quòd limitetur à principio formali proximo: quamuis enim limitetur operatio ab illo, tam in esse entis, quàm in esse & valore morali, dependenteab obiecto eius & circunstantiis: non tamen in hoc esse & valore morali, proueniente à supposito, qui consistit in hoc, quòd talis operatio procedens à supposito infinitè digno, sit moraliter ipsi coniuncta, ex qua coniunctione & vnione infinitè dignificatur, sicut & humanitas ipsa, & alia omnia: vnde non limitant illum influxum moralem personæ; quin potius eleuantur ab ipsa, vt per modum principij, quo, moraliter influant eundem valorem.

Probatur secunda pars conclusionis, authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Rom.5. dicitur; Sed non sicut delictum, ita & dōnum; si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in plures abundauit: & infra; Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Quod confirmatur prædicta authoritate Clementis VI. qui docet, vnicam guttam Sanguinis Christi sufficeisse ad Redemptionem totius generis humani: ergo cum totum Sanguinem ad hunc finem effuderit, & tot opera virtutum ad satisfaciendum ordinauerit; talis Satisfactio fuit, non solùm ad æqualitatem, sed etiam superabundans. Deinde, peccatum, pro quo fiebat Satisfactio, solùm est infinitum in ratione iniuriæ, ex parte personæ offensæ: vnde est solùm

malum

malum infinitum in esse moris: Satisfactio au-
tem Christi habet duplicem infinitatem, scilicet
moralem ex parte personæ Satisfaciẽtis, & Phy-
sicam ex parte rei oblatæ: quia Christus non so-
lùm obtulit in Satisfactionem suum Sãguinem,
suas operationes, suam humanitatem: sed etiam
totum seipsum, idest suam personam vnitam ta-
li humanitati, ita vt vnio fuerit ratio sine qua
non offerri non poterat: ergo hæc satisfactio
fuit superabundans. Quia autem fuit voluntaria,
non fuit facta Christo iniuria, quòd fuerit ab il-
lo exigita, quia scienti & volenti nulla fit in-
iuria.

Probatur tertia pars conclusionis. Supposito
decreto de Incarnatione Verbi Diuini: in quo
Deus fuit liberrimus: & supposito alio, quo de-
creuit, vt Christus sibi offerret sua opera, &
Mortem Sacratissimam in Satisfactionem gene-
ris humani, in quo etiam fuit liberrimus, neces-
sitabatur ad illam acceptandam (& licet fuerit
pactum de illa acceptanda vt constat ex Scriptu-
ra; non tamen fuit absolutè necessarium, sed ad
melius esse, vt Deus ostenderet se inclinatum
ad subleuandam humanam miseriam) ita vt ra-
tione illius genus humanum liberum tribuere-
tur Christo, tanquam eius Redemptori, vt docet
S. Anselmus in libro, Cur Deus homo, c. 19. ait
enim: Imò necesse esse video, vt Pater filio re-
tribuat, alioquin iniustus esse videretur; si nol-
let: aut impotens, si non posset: quæ aliena sunt
à Deo. Et ratio est euidens; quia ille, cui tribui-
tur pro iniuria vel damno sibi illato, retributio
æqualis, imò superabundans, & maior quæ ex-
cogitari & desiderari potest; tenetur ex iustitia
illam acceptare, quia sic perfectissimè indem-
nizatur: nihil autem aliud potest creditor iustè
exigere, quia nullus potest iustè debitum exi-
gere, nisi ratione inequalitatis quam patitur: con-
stat autem ex dictis, quòd Satisfactio Christi non
habet hanc æqualitatem ex pacto, sed ex natura
rei: ergo secluso etiam omni pacto cum Deo,
non poterat non acceptari Satisfactio Christi, ab
ipsomet Deo secundùm attributum suæ iustitiæ
commutatiuæ: quæ non potest exerceri erga
puram creaturam, vt docet D. Thom. 1. p. q. 21.
art. 1. benè autem erga Christum, maximè cum
sit caput omnium hominum, vnde per ipsum,
totum genus humanum, tanquam per suum ca-
put, satisfecit.

Ad primum ergo dicendum, quòd supposi-
tum Verbi influit infinitum valorem in Satisfa-
ctionem Christi: non quidem vt diuinum redu-
plicatiuè siue vt terminans naturam Diuinam,
sed vt Diuinum specificatiuè terminans natu-
ram humanam, & in ea supplens suppositum
creatum; sed eminentiori modo faciens, illud
quod fecisset in ordine ad suum effectum for-
malem, & insuper dignificans tum naturam,
tum eius operationes, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd argumen-

tum conuincit de effectu Physico, & secun
esse naturale: vel etiam de morali conside
ex parte obiecti & circunstantiarum: non
tem de morali, cuius moralitas deriuatur à
sona; nam tunc principium formale, quo,
limitat principium, quod; sed potius dignif
tur ab eodem principio, quod, & eleuatur
eundem ordinem: & hoc maximè quia ad e
ctus Physicos persona Verbi concurrebat
diante humanitate, eiusque potentiis, vnde
illis limitabatur: ad hunc autem valorem infl
bat immediatè; vnde non erat à quo limitare

Ad tertium dicendum, quòd nullum tale
quitur inconueniens ex nostra conclusione. N
primum, quia dignitas personæ Christi est su
stantialis, naturalis ei & necessaria: vnde nec
sariò communicat infinitam suam dignitat
suis operibus, aliisque ad ipsum pertinentib
dignitas autem quæ homini prouenit à gra
est accidentalis, & communicatio eius facien
operibus subiacet nostræ libertati: vnde est i
qualis talis communicatio dignitatis in op
bus, iuxta maiorem & minorem eorum int
sionem: maximè quia interuenit pactum
hoc. Nec secundum assignatum est incon
niens: licèt enim non possit dari ens reale
sicum infinitum, aut bonum morale real
nitate essentiali proueniente ex obiecto:
tamen potest dari bonum morale reale bo
accidentali, ex circumstantia personæ fu
modo supra explicato. Nec tertium, qui
lùm sequitur in omnibus operibus Christi
sumptis, non esse maiorem valorem inte
quàm in vno tantùm, quod verum est; se
sequitur quòd non sit maior extensiuè: &
sequenter maior etiam extensiuè Satis
Christi facta per illa omnia. Nec quartum
Christus poterat impetrare & mereri Inc
tionem aliarum diuinarum Personarum
hoc ordinasset sua merita: constat autem
Præmium esse infinitum, & æquale m
Christi. Nec denique quintum, quia Ch
sic pro nobis meruit & satisfecit; vt relic
nobis faciendam applicationem suorum
torum, per nostra bona opera; aliàs non
Proderit, vnde ait S. Paulus; Adimpleo ea
desunt Passionibus Christi.

Ad quartum dicendum, quòd proce
bonitate essentiali, ac valore in ea fundato
fuerunt finitè in operibus Christi: non a
de accidentali procedente à persona: in
factione autem attenditur tam res oblata,
persona satisfaciens, si sit pro iniuria; quia
debet fieri per aliquem actum personæ sa
cientis, quæ influit iuxta suam dignitatem,
rem tali actui: instantia autem adducta
pecunia, quæ eiusdem est pretij à quocu
soluatur.

DVB

D

DVBIVM V.

Vtrùm pura creatura poſsit Deo Satisfacere de toto rigore iuſtitiæ, pro peccato generis humani.

PRIMA opinio aſſerit potuiſſe Deum facere puram creaturam, ita ſanctam, vt ſatisfaceret ipſi de condigno, pro peccato generis humani: pro hac citantur aliqui, etiam Thomiſtæ. Probatur authoritate S. Auguſtini, & D. Thom. S. Auguſtinus tract. 5. in Ioannem docet, Deum potuiſſe tribuere puro homini poteſtatem inſtituendi Baptiſmum, quo remittuntur peccata; ſed hoc magis eſt, quàm ſatisfacere pro peccato generis humani de condigno. D. Thom. autem infra, q. 64. art. 4. docet Deum poſſe communicare puræ creaturæ poteſtatem excellentiæ, quam habuit Chriſtus in quantùm homo: hæc autem poteſtas importat tantam gratiam in Chriſto, vt deriuetur in alios, & ſit caput ipſorum, ac Redemptor ſatisfaciens pro omnibus. Et in ſolutione ad 2. & 3. docet Deum potuiſſe communicare ſuis miniſtris virtutem iuſtificandi alios: ergo pura creatura poteſt Deo ſatisfacere de toto rigore iuſtitiæ, pro peccato generis humani.

Secundò, Deus poteſt puræ creaturæ communicare tantam gratiam & charitatem, quantam communicauit Chriſto; imò maiorem, quia gratia & charitas Chriſti fuerunt finitæ: & inſuper poteſt conſtituere ipſum caput generis humani, ſicut conſtituerat Adamum & Chriſtum: ſed his poſitis ſatisfaceret de toto rigore iuſtitiæ; pro peccato generis humani; ſicut Satisfecit Chriſtus: nam in Chriſto vt capite totius generis humani, principium ſatisfaciendi fuit gratia & charitas: ergo pura creatura poteſt Deo ſatisfacere de toto rigore iuſtitiæ, pro peccato generis humani; maximè quia gratia adoptionis poteſt ſatisfacere ad æqualitatem pro pœnis temporalibus aliorum, & habet potentiam obedientialem ad omnia ad quæ Deus illam applicauerit.

Tertiò, actus charitatis perfectus tantùm placet Deo, quantum diſplicet quodcumque peccatum: nam ſicut per peccatum auertitur quis à Deo, & conuertitur ad creaturam tanquam ad vltimum finem: ſic per actum charitatis auertitur à creatura, & conuertitur ad Deum vltimum finem: & ſicut peccatum habet quandam infinitatem à perſona offenſa, ſic actus charitatis illam habet à Deo obiecto dilecto: ſed tunc ſatisfit alicui pro aliquo de toto rigore, quando redditur æquale ex D. Thom. infra q. 48. art. 2. ergo pura creatura poteſt Deo ſatisfacere de toto rigore iuſtitiæ, pro peccato generis humani.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd pura creatura non potuit per ſua opera naturalia, ſiue ſine auxilio diuinæ gratiæ, etiam de potentia Dei abſoluta, ſatisfacere, vel ex imperfecta iuſtitia, pro peccato generis humani. 2. Nec cum gratia potuit ſatisfacere perfectè ſiue de toto rigore iuſtitiæ. 3. Benè tamen imperfectè.

Probatur prima pars concluſionis. Vt aliquod opus ſit ſatisfactorium, etiam ex iuſtitia imperfecta, debet in ſe habere aliquem valorem, ratione cuius dicat aliquam proportionem, quamuis non omnimodam, ad debitum; ſine quo non ſufficit acceptatio extrinſeca creditoris, alioquin eſſet gratuita condonatio debiti, nulla interueniente ſatisfactione: ſed opera merè naturalia ſiue facta ſine auxilio Diuinæ gratiæ, nullum habent valorem in ordine ad ſupernaturalia: quia vt communiter docent Theologi, contritio vt antecedit prioritate naturæ gratiam iuſtificantem, nec eſt meritoria, nec ſatisfactoria pro peccatis; & hoc ideo, quia ſunt inferioris ordinis reſpectu peccatorum, nam peccata pertinent tam ad ordinem naturalem, quàm ſupernaturalem, auertunt enim tam à debito fine naturali, quàm ſupernaturali; & vtrique deordinationi ſatisfaciendum eſt reparando ipſam: eſt autem impoſſibile, quòd fiat reparatio ad finem naturalem, niſi etiam fiat ad finem ſupernaturalem; quia ſuppoſita eleuatione creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem, inſtat præceptum de reparanda vtraque deordinatione; vnde non ſatis fit ipſi, niſi vtraque reparetur: & ita peccatum ſimpliciter remanet: præſens autem difficultas procedit, factis prædictis ſuppoſitionibus: ergo pura creatura non potuit per ſua opera naturalia, ſeu ſine auxilio diuinæ gratiæ, etiam de potentia Dei abſoluta, ſatisfacere, vel ex imperfecta iuſtitia, pro peccato generis humani.

Probatur ſecunda pars concluſionis, tum authoritate D. Thom. hîc art. 2. ad 2. vbi hanc expreſsè docet & probat: tum quia hominis ad Deum non poteſt abſolutè eſſe perfecta iuſtitia commutatiua, quæ debet eſſe principium huius Satisfactionis: deſunt enim conditiones: non enim poteſt eſſe ad æqualitatem, quia, vt probatum eſt, peccatum mortale eſt malum infinitum in ratione iniuriæ Deo intentatæ, Satisfactio autem puri hominis non poteſt eſſe actu infinita, quia non eſt poſſibilis gratia actu infinita, quæ ſit principium elicitiuum ipſius: ergo pura creatura, etiam de potentia abſoluta, non potuit adhuc cum gratia ſatisfacere Deo perfectè, ſiue de toto rigore iuſtitiæ, pro peccato generis humani.

Probatur tertia pars concluſionis, tum authoritate, tum ratione D. Thom. loco citato: Ad imperfectam ſatisfactionem de condigno, ſufficit quòd ſit eiuſdem ordinis cum perſona offenſa, ſcilicet Deo vt eſt author gratiæ: & quòd perſona offenſa illam acceptet: & ſit illâ contenta: ſed Satisfactio elicita ex gratia, & charitate

eſt

est ordinis diuini & supernaturalis, vt patet, cùm gratia sit participatio diuinæ naturæ vt est in se: & aliunde Deus potest illam acceptare in ordine ad generis humani reparationem, & esse contentus illa; sicut acceptat illam pro peccatis propriis, & in ordine ad meritum: ergo de potentia Dei absoluta potest pura creatura imperfectè satisfacere cum gratia, pro peccato generis humani.

Ad primum ergo dicendum, quòd aliud est assumi aliquem à Deo, vt eius instrumentum, ad instituenda Sacramenta causatiua gratiæ: & aliud est satisfacere perfectè de condigno pro alio, ac proinde principaliter ei mereri primam gratiam. Primum docet Augustinus, & est possibile: sicut est possibile quòd quis assumatur vt instrumentum Physicum administrandi Sacramenta, quod de facto fit: cum hac tamen differentia, quòd administrans concurrit physicè ad gratiam, instituens verò concurreret tantùm moraliter; nam Deus gratiam immediatè conferret, posito illo signo Sacramenti, ratione pacti: mereri autem & satisfacere important causam principalem, scilicet ipsum operantem, cùm sit in genere moris: & quia debitum est infinitum; requiritur, vt sit Satisfactio perfecta, virtus infinita, vt dictum est. Ad illud D. Thom. dicendum, quòd in Christo est duplex potestas: authoritatiua vna, quæ ipsi vt Deo competit, & hæc nulli creaturæ communicari potest: altera excellentiæ, quæ competit ipsi vt homini, & hæc creaturis communicari potest, putà in institutione Sacramentorum, & similibus. Hæc autem potestas non sufficit ad hoc vt quis satisfaciat perfectè pro aliis, quantumcumque intendatur gratia habitualis; nisi esset infinita, & posset habere actum infinitum (quod est impossibile:) quia debitum est infinitum: in Christo autem compensatur ex infinitate Diuinæ Personæ satisfacientis. Ad aliud iam dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd gratia & charitas in Christo concurrerunt ad eius meritum, & ad operationes satisfactorias: sed ad infinitatem talis meriti & satisfactionis, concurrit tantùm Persona diuina Christi infinitè digna: & ad summùm gratia & charitas vt coniunctæ tali Personæ: vnde quantumcumque in pura creatura augeātur gratia & charitas; quia nunquam erunt infinitæ actu, nec in esse Physico, vt patet, nec in esse morali ratione coniunctionis ad personam, non poterunt esse principium satisfaciendi perfectè, pro debito infinito peccati generis humani: quod cum sit impossibile, nec ad hoc poterunt eleuari per potentiam obedientialem; quamuis possint satisfacere pro aliquo finito, vt pro pœnis temporalibus.

Ad tertium dicendum, quòd Deus plus odit peccatum in ratione iniuriæ sibi intētatæ à creatura, quàm diligat actum charitatis eius: talis enim actus finitus diligitur à Deo finitè: peccatum autem sub illa ratione infinitè odio habetur: quantò enim quis diligit bonum, tantò odit malum eius destructiuum: constat autem quòd Deus infinitè diligit se suásque perfectiones, quarum est destructiuum peccatum, quantùm ad affectum creaturæ, vnde infinitè odit peccatum. Deinde, auersio à Deo per peccatum est totalis & infinita, cùm sit in genere moris priuatiui: conuersio autem ad Deum per actum charitatis, cùm sit in genere physico, est finita; vnde non perfectè reparat illam auersionem: aliter enim concurrit persona offensa ad grauitatem iniuriæ, ac concurrit obiectum ad dignitatem actus, vt dictum est; quia intensio, vt ita dicamus, iniuriæ prouenit intrinsecè à maiori dignitate personæ offensæ: intensio autem actus non prouenit à digniori obiecto, sed à maiori conatu operantis.

DVBIVM VI.

Vtrùm possit quis satisfacere pro suo peccato mortali.

Prima opinio asserit posse aliquem satisfacere perfectè pro suo peccato, dummodo constituatur in gratia. Probatur; peccatum mortale etiam in ratione iniuriæ Deo intentatæ, non est malum infinitum, nisi extrinsecè ratione personæ offensæ, cùm homo se auertat tantùm à Deo, finito modo: ergo poterit reddi aliquid Deo æquiualens, scilicet conuersio ad Deum, finita quidem ratione intensionis, infinita autem ratione obiecti. Deinde, esto, sit malum infinitum: adhuc satisfaciet perfectè; qui enim soluit quantum potest, perfectè satisfacit: nam eximitur à debito siue obligatione soluendi: & crudelis esset creditor, si exigeret à debitore plusquam potest: vnde potest quis perfectè satisfacere pro suo peccato mortali.

Secunda opinio asserit neminem posse satisfacere, etiam imperfectè, pro suo peccato mortali. Probatur; remissio peccatorum, & iustificatio fiunt omninò gratis, ac proinde nulla interuenit iustitia etiam imperfecta, vt patet authoritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum: ad Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius: quod etiam dicitur ad Ephesios. 2. Psalmo 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Idem docent Concilia, Mileuitanum, Arausicanum, & Tridentinum sess. 6. de Iustificatione, cap. 7. & 8. ergo nemo potest satisfacere, etiam imperfectè, pro peccato suo mortali.

Tertiò, si quis posset imperfectè satisfacere pro suo peccato mortali: vel hoc esset per actum antecedentem iustificationem: vel per subsequentem, vt patet ex sufficienti dinumeratione; intelligimus enim de posterioritate, aut prioritate etiam naturæ & causalitatis: sed per neu-

trum esse potest. Non per antecedentem, quia omnis Satisfactio ex iustitia quacumque inter Deum, & hominem, præsupponit hominem Deo gratum, ac proinde iustificatum, quia Deus odio habet iniquum & iniquitatem eius; prima autem gratia qua quis fit gratus Deo & iustus, datur omninò gratis, vt probat Apostolus, ac proinde non ex operibus satisfactoriis quasi ex iustitia. Nec etiam per subsequentem, quia hic præsupponit iustificationem, & peccatum remissum; vnde pro ipso non est necessaria Satisfactio: ergo nemo potest satisfacere, etiam imperfectè, pro peccato suo mortali.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd etsi nemo possit satisfacere perfectè, vel de toto rigore iustitiæ, pro peccato suo mortali, Deo offenso; 2. Imperfectè tamen illi satisfacit pœnitens per actus contritionis & charitatis; non quidem vt antecedunt prioritate naturæ iustificationem: 3. Benè tamen vt subsequuntur posterioritate naturæ.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D.Thom. hîc art. 2. ad 2. & infra q. 85. art. 3. Illum sequuntur cōmuniter eius discipuli. Probatur eius ratione; Peccatum mortale in ratione iniuriæ Deo intentatæ (sub qua ratione consideratur dum pro eo fit Satisfactio; sub aliis enim rationibus est malum ipsius peccantis: nemo autem sibi propriè dicitur satisfacere:) est malum simpliciter infinitum, pro quo debet fieri Satisfactio infinita, vt fit ad æqualitatem, perfecta, & de toto rigore iustitiæ, vt supra dictum est: sed nulla pura creatura potest habere, & dare Deo satisfactionem infinitam: tum quia persona satisfaciens, vt quod, est finita; tum quia principium, quo, elicitiuum ipsius, non potest esse nisi finitum, vt etiam supra dictum est: ergo nemo potest satisfacere perfectè, vel de toto rigore iustitiæ pro peccato suo mortali, Deo offenso.

Probatur secunda pars conclusionis ex illo Gen. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ex quo colligunt Sancti Patres, quòd si persona offerens non sit Deo grata, ac proinde iusta, eius munera Deo non placent; vnde non sunt meritoria, nec satisfactoria; & ita omnis iustitia, etiam imperfecta, hominis ad Deum, fundatur in Dei gratia & amicitia: ergo pœnitens non satisfacit Deo, etiam imperfectè, per actus contritionis & charitatis, vt antecedunt prioritate naturæ iustificationem.

Probatur tertia pars conclusionis, quam sequuntur Caietanus & Aluarez in præsenti. Banez 1. p. q. 21. art. 4. & alij. Tum ex illo Lucæ 7. de Magdalena; Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Tum expressâ authoritate & ratione D.Th. hîc art. 2. ad 2. vbi docet quòd purus homo potest Deo satisfacere imperfectè, pro peccato mortali habente quandam infinitatem; loquitur autem absolutè de peccato, siue alieno, siue proprio; si acceptetur eius Satisfactio: maximè cum sit maior difficultas satisfaciendi pro alieno, quàm pro suo. Et infra q. 85. art. 3. ait: Quòd pœnitentia vt virtus est pars iustitiæ: iustitia autem hominis ad Deum est imperfecta, sicut filij ad Patrem, serui ad Dominum. Et ad 3. subdit; Quòd pœnitentia continetur sub commutatiua iustitia, quatenus voluntariè recompensat pro culpa. Idem docet alibi: ergo pœnitens per actus contritionis & charitatis satisfacit Deo imperfectè pro suo peccato mortali; non quidem vt hi actus antecedunt prioritate naturæ iustificationem vt ostensum est, sed vt subsequuntur posterioritate naturæ. Respondent aliqui D. Thom. accipere hic satisfactionem imperfectam pro dispositione ad iustificationem, per quam peccatum gratis remittitur. Vel quòd nomine Satisfactionis intelligatur à D.Th. non Satisfactio pœnitentis, sed Christi, cuius intuitu omninò gratis remittuntur peccata. Sed vtraque responsio est manifestè contra ipsum textum D. Th. vltra quod si prima valeret, sequeretur quòd pœnitens posset dici Deo satisfacere pro peccatis, per actus fidei, spei, & alios quoscumque disponentes ad iustificationem, quod falsum est: solùm enim satisfacit per actum contritionis & charitatis: secunda etiam est falsa, nam illa Satisfactio, si tantùm esset Christi, deberet dici perfecta, ipsi enim ex iustitia perfecta debetur, quòd pœnitentibus membris suis remittantur peccata: & tamen vocat illam D. Thom. imperfectam: ergo est pœnitentis, fundata tamen in satisfactione Christi perfecta, sed non adæquatè applicata, propter limitationem actus: deinde manifestè pugnat cum D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. art. 2. ad 1.

Secundò, pœnitens per actus contritionis & charitatis reddit Deo, pro offensa in eum commissa, omne quod potest, & quicquid Deus ab illo exigit, & in quantum illi actus subsequuntur iustificationem, sunt actus amici & Deo grati, ac meritorij vitæ æternæ: ergo habent in se talem conditionem, vt ex condignitate imperfecta quam habent, cum acceptatione diuina, pœnitens imperfectè Deo satisfacit pro suo peccato mortali.

Tertiò, ex D. Thom. infra q. 85. art. 3. ad 3. sicut homo per actum Religionis satisfacit Deo pro beneficiis ab illo acceptis, sic per actum virtutis pœnitentiæ satisfacit pro offensis contra eum commissis; propterea vtraque est iustitia non Metaphoricè, sed vera, quamuis imperfecta: nec aliunde potest habere quòd sit iustitia, nisi quia vtraque Deo satisfacit, licèt ex diuerso motiuo: sed ex D.Thom. 2. 2. q. 80. art. vnico per virtutem Religionis satisfacit homo pro beneficiis acceptis, etsi imperfectè, Deo benefactori: ergo etiam per actum pœnitentiæ siue formalis, siue virtualis; scilicet per actum contritionis & charitatis

charitatis satisfacit imperfectè Deo offenso pro peccatis in eum commissis. Nec valet quorundam responsio, quòd scilicet pœnitentia est iustitia: quia satisfacit non pro culpa peccati consistente in auersione à Deo vltimo fine, sed pro pœna ipsi debita ratione conuersionis. Sed hæc solutio impugnatur à D. Thom. loco citato ad 4. vbi sic ait; Quidam dicunt quòd peccatum habet infinitatem ex parte auersionis, & sic gratis dimittitur: sed ex parte conuersionis culpa finita est, & sic pro ea satisfieri potest per actum pœnitentiæ. Sed hoc nihil est; quia Satisfactio non correspondet peccato, nisi secundùm quòd est offensa Dei (de illo enim sub hac præcisa ratione conteritur pœnitens) quod non habet ex parte conuersionis, sed ex parte auersionis.

Ad primum ergo dicendum sicut supra, quòd peccatum mortale in ratione iniuriæ Deo factæ, est malum intrinsecè infinitum: persona enim offensa, quæ est non tam obiectum, quàm subiectum iniuriæ, influit ipsi malitiam intrinsecam: auersio autem, quæ est in peccato, ab vltimo fine non est positiua, sed priuatiua, ac proinde totalis & infinita: conuersio autem ad Deum est quid positiuum: & licèt specificetur extrinsecè ab obiecto; tamen eius maior vel minor intensio procedit à diuerso conatu principij, qui semper est finitus, nec potest esse infinitus in creaturis. Ad aliud dicendum, quòd impossibilitas soluendi non extinguit debitum, sed tantùm suspendit obligationem soluendi: cuius signum est, quia tenebitur soluere, si miraculosè fiat potens ille, qui per naturam non poterat, quod non esset, si per naturalem impotentiam extingueretur debitum: vnde absque crudelitate potest exigi à peccatore, quòd subeat pœnam pro iniuria taxatam à Deo, nisi satisfaciat imperfectè, in virtute meritorum Christi. Nec Matthæi 18. arguitur de crudelitate ille qui vexabat conseruum, quia exigebat debitum; sed arguitur, quia excedebat in modo exigendi, nolens habere patientiam pro centum denariis, cùm eius Dominus omninò gratis dimisisset multò maius debitum ipsi eisdem verbis rogâti.

Ad secundum dicendum, quòd iustificatio & remissio peccatorum, dicitur in Scriptura & Conciliis fieri gratis; quia infusio primæ gratiæ, qua iustificamur, & qua remittuntur peccata formaliter ratione culpæ & maculæ, & quæ est radix Satisfactionis pro ipsis, in quantum est forma contritionis & charitatis subsequentis, dans eis valorem ad satisfaciendum, fit omninò gratis vt alibi docetur: eo modo quo sæpe in Scripturis gloria, etsi debita operibus meritoriis per modum coronæ, dicitur dari gratis, quia gratia quæ est principium merendi, datur nobis gratis: vnde quamuis iustificatio & remissio peccatorum, in quantum dicunt emundationem à culpa & macula peccati, per infusionem gratiæ sanctificantis, fiat omninò gratis, vt docent Scriptura & Concilia, non tamen vt includunt Satisfactionem debitam & exigitam à pœnitente.

Ad tertium dicendum, quòd hæc Satisfactio fit per actum contritionis & charitatis, vt subsequuntur iustificationem, quæ pro illo priori constituit hominem Dei amicum, & importat infusionem gratiæ sanctificantis, quæ tollit peccatum vt est macula, & carentia diuinæ amicitiæ; non tamen pro illo tunc tollit peccatum formaliter sub ratione iniuriæ Deo factæ, nisi forte radicaliter, vt dictum est: vnde pro illo priori remittitur peccatum secundùm se totum inadæquatè: postea facta Satisfactione adæquatè: nullum enim est inconueniens dicere, quòd Deus ita remittat gratis peccatum, vt est macula & priuatio suæ amicitiæ, vt simul exigat aliquam pro ipso Satisfactionem à pœnitente, in quantum habet rationem iniuriæ sibi factæ; & hoc per actus subsequentes iustificationem. Ex hactenus dictis colligitur, quòd nullus potest satisfacere etiam imperfectè, pro quocumque peccato etiam veniali, per opera merè naturalia; quia sunt inferioris ordinis, peccatum enim reducitur ad ordinem supernaturalem & diuinum, tanquam malum ipsius. Colligitur etiam quòd homo iustus per actus supernaturales potest perfectè satisfacere pro peccatis venialibus, quia in eis non est ratio mali infiniti.

QVÆSTIO II.

De modo vnionis Verbi incarnati in duodecim articulos diuisa.

Deinde considerandum est de modo vnionis Verbi incarnati. Et primo, quantum ad ipsam vnionem. Secundo quantum ad personam assumentem. Tertio, quantum ad naturam assumptam.

Circa primum quæruntur duodecim.

¶ Primo, vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in natura.
¶ Secundo, vtrum sit facta in persona.
¶ Tertio, vtrum sit facta in supposito, vel hypostasi.
¶ Quarto, vtrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.
¶ Quintò, vtrum sit facta aliqua vnio animæ & corporis in Christo.
¶ Sextò, vtrum natura humana fuerit vnita Verbo accidentaliter.
¶ Septimo, vtrum ipsa vnio sit aliquid creatum.
¶ Octauo, vtrum sit idem quod assumptio.
¶ Nono, vtrum sit maxima vnionum.
¶ Decimò, vtrum vnio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam.
¶ Vndecimo, vtrum eam aliqua merita præcesserint.
¶ Duodecimo, vtrum gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in natura. 7.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd vnio Verbi incarnati sit facta in vna natura. Dicit enim Cyrillus, & Inducitur in gestis Concilij Calcadonen. * Non oportet intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam. Quod quidem non esset, nisi vnio fieret in natura. Ergo vnio Verbi incarnati facta est in natura.

¶ 2. Præterea, Atha. † dicit: Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus: sed anima rationalis, & caro conueniunt in constitutione vnius naturæ humanæ. Sic ergo Deus & homo conueniunt in constitutione alicuius naturæ: ergo vnio facta est in natura.

¶ 3. Præterea, Duarum naturarum vna non denominatur ex altera, nisi aliquo modo in Inuicem transmutentur. Sed diuina natura & humana in Christo abinuicem denominantur: dicit enim Cyrillus diuinam naturam esse incarnatam: & Gregorius * Nazianzenus dicit humanam naturam esse deificatam, vt patet per Dam. † Ergo ex duabus naturis videtur esse facta vna natura.

inf. a. 8 & 6 c & 12. ad 1. & q. 50. a. 2 & 3. d. 1. q. 2. ar. 1. & d. 5. q. 1. a. 2. & 3 Et 4. cont. c. 35. 37 & 41. & opusc. q. an. a. 3. m. & 1. & opusc. 3. ca. 211. 232. & 213. * Athan.

ad epist. Cyril. ad Ioan. episc. Antioch. non multum procul.

Sed contra est, quod dicitur in determinatione Concilij Calcedonen.* Confitemur in nouissimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter vnionem. Ergo vnio non est facta in natura.

† In symbolo fidei suae.

CONCLVSIO.

Impossibile est incarnati Verbi vnionem factam esse in natura.

Natiuitatem. in epi. 1. ad Eudoxium ante medium.

Respondeo dicendum quod ad huius quaestionis euidentiam oportet considerare quid sit natura. Sciendum est ergo, quod nomen naturae à nascendo est dictum: Vnde primo est impositum hoc nomen ad significandum generationem viuentium: quae natiuitas vel pullulatio dicitur, vt dicatur natura quasi nascitura. Deinde translatum est nomen naturae ad significandum principium huius generationis. Et quia principium generationis in rebus viuentibus est intrinsecum, vlterius deriuatum est nomen naturae ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus: secundum quod Philosophus dicit in 2. physic.* quod natura est principium motus in eo in quo est per se & non secundum accidens: Hoc autem principium vel forma est, vel materia: vnde quandoque natura dicitur forma, quandoque vero materia. Et quia finis generationis naturalis est in eo quod generatur, species essentia, quam significat diffinitio: inde est, quod huiusmodi essentia speciei vocatur etiam natura. Et hoc modo Boetius naturam definit in libro * de duabus naturis, dicens, Natura est vnamquamque rem informans specifica differentia, quae scilicet complet diffinitionem speciei. Sic ergo nunc loquimur de natura secundum quod natura significat essentiam, vel quod quid est, siue quidditatem speciei. Hoc autem modo accipiendo naturam, impossibile est vnionem Verbi incarnati esse factam in natura.

† lib. 3. orth. fi. ca. 6. & 7. à medio.

** In symbolo fidei ibi posito repertes id. to. 3. conc. 4. generalium Coloniae impressorum anno Domini. 1538.*

** li. 2. phy. te. 3. sc.*

** in 2. pr. à prin. li.*

¶ Tripliciter enim aliquid vnum ex duobus vel pluribus constituitur. Vno modo ex duobus integris, perfectis remanentibus. Quod quidem fieri non potest nisi in his, quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura: sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis, per solam compositionem fit aceruus. ex lapidibus autem, & lignis secundum aliquem ordinem dispositis, & etiam ad aliquam figuram redactis, fit domus. Et secundum hoc posuerunt aliqui vnionem esse per modum confusionis, quae scilicet est sine ordine, vel per modum commensurationis; quae scilicet est cum ordine. Sed hoc non potest esse. Primo quidem: quia compositio, vel ordo, vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis. Et sic sequeretur, quod vnio Incarnationis non esset per se, sed per accidens: quod infra improbabitur *. Secundo, quia ex huiusmodi non fit vnum simpliciter, sed secundum quid, remanent enim plura actu. Tertio, quia forma talium non est natura, sed magis ars: sicut forma domus. Et sic non constitueretur vna natura in Christo, vt ipsi volunt.

ar. 6. huius qu.

Alio modo fit aliquid vnum ex perfectis, sed transmutatis: sicut ex elementis fit mixtum. Et sic aliqui dixerunt vnionem incarnationis esse factam per modum complexionis. Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia natura diuina est omnino immutabilis, vt in prima parte dictum est:† vnde nec ipsa potest conuerti in aliud cum sit incorruptibilis: nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis. Secundo, quia id quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie: differt enim caro à quolibet elementorum specie. Et sic Christus non esset eiusdem naturae cum Patre, nec cum Matre. Tertio, quia ex his, quae plurimum distant, non potest fieri commixtio: soluitur enim species vnius eorum, puta si quis guttam aquae amphorae vini apponat. Et secundum hoc cum natura diuina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio: sed remanebit sola natura diuina.

p. p. q. 9. art. 1.

Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis vel permutatis, sed imperfectis: sicut ex anima & corpore fit homo: & similiter ex diuersis membris vnum corpus constituitur. Sed hoc dici non potest de Incarnationis mysterio. Primo quidem, quia vtraque natura est secundum rationem suam perfecta, diuina scilicet & humana. Secundo, quia diuina natura & humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitatiuarum, sicut membra constituunt corpus: quia natura diuina est incorporea. Neque per modum formae & materiae; quia diuina natura non potest esse forma alicuius, praesertim corporei. Sequeretur enim quòd species resultans esset communicabilis pluribus: & ita essent plures Christi. Tertio, quia Christus non esset humanae naturae, neque diuinae naturae. Differentia enim addita variat speciem: sicut vnitas numerum, sicut dicitur in 8. Metaphysic. †

† li. 8. tex. 10.

** In Conc. Constant. con. 8. sub ipsud Conc. col. 5. generale.*

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa Cyrilli exponitur in quinta Synodo * sic: Si quis vnam naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex diuina natura & humana, vnione secundum subsistentiam facta: sed ex talibus vocibus naturam vnam siue substantiam diuinitatis & carnis Christi introducere conetur: talis anathema sit. Non ergo sensus est, quod in Incarnatione ex duabus naturis sit vna natura constituta: sed quod natura Verbi Dei, carnem vniuit sibi in persona.

Ad secundum dicendum quod ex anima & corpore constituitur in vnoquoque nostrum duplex vnitas, naturae & personae. Naturae quidem secundum quod anima vnitur corpori, formaliter perficiens ipsum, vt ex duobus fiat vna natura, sicut ex actu & potentia, vel materia & forma. Et quantum adhuc non attenditur similitudo, quia natura diuina non potest esse corporis forma, vt in primo probatum est. † Vnitas vero personae constituitur ex eis, in quantum est vnus aliquis subsistens in carne & anima. Et quantum ad hoc attenditur similitudo: vnus enim Christus subsistit in diuina natura & humana.

Prim. p. q. 3. art. 8.

Ad tertium dicendum, quod sicut Damasc. * dicit: Natura diuina dicitur incarnata: quia est vnita carni personaliter: non quod sit in naturam carnis conuersa. Similiter & caro dicitur deificata (vt ipse dicit) non per conuersionem, sed per vnionem ad Verbum, saluis suis proprietatibus naturalibus, vt intelligatur caro deificata, quia facta est Dei Verbi caro, non quia facta sit Deus.

li. 3. ortho. fid. c. 6.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in persona.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod vnio Verbi incarnati non sit facta in persona. Persona enim Dei non est aliud à natura ipsius: vt habitum est in primo. † Si ergo vnio non est facta in natura, sequitur quod non sit facta in persona. 8.

Locus supra art. 1. indicato.

P. p. q. 3. ar. 8.

¶ 2 Praeterea, Natura humana non est minoris dignitatis in Christo, quam in nobis. Personalitas autem ad dignitatem pertinet, vt in primo habitum est. † Cum ergo natura humana in nobis propriam personalitatem habeat, multo magis habuit propriam personalitatem in Christo.

† P. p. q. 29. art. 3.

¶ 3 Praeterea, Sicut Boet. dicit in libr. de dua. nat. * Persona rationalis naturae indiuidua substantia. Sed Verbum Dei assumpsit naturam humanam indiuiduam: natura enim vniuersalis non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur: vt Damasc. dicit †. Ergo humana natura habet suam personalitatem in Christo. Non ergo videtur quod sit facta vnio in persona.

** aliquantulum a prin. libri vide locum in 3. pag.*

† lib. 3. ca. 11. & lib. 1. cap. 11. ad sensum solum

Sed contra est, quod in Chalcedon. * Synodo legitur: Non in duas personas partitum aut diuisum, sed vnum & eundem Filium vnigenitum Deum Verbum Dominum nostrum Iesum Christum confitemur. Ergo facta est vnio Verbi in persona.

** habetur in Conc. 8. Ephesino Epis. synodi ad Nestorium: & etiam in loco citato supra in argum. Sed contra.*

CONCLVSIO.

Cum Verbum diuinum naturam sibi vniuerit humanam, non ad naturam suam attinentem, necessario ne vnio non in natura, sed in persona facta est.

Respondeo dicendum, quod persona aliud significat quàm natura. Natura enim, vt dictum est, * significat essentiam speciei, quam significat diffinitio. Et si quidem his, quae ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inueniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam à supposito naturae, quod est indiuiduum subsistens in natura illa: quia vnumquodque indiuiduum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum sua natura. Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inueniri aliquid, quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia & principia indiuiduantia (sicut maxime apparet in his, quae sunt ex materia & forma composita) & ideo in talibus etiam secundum rem differt natura & suppositum non quasi omnino aliqua separata. sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, & superadduntur quaedam alia, quae sunt praeter rationem speciei. vnde suppositum significatur vt totum, habens naturam sicut partem formalem & perfectiuam sui: & propter hoc in compositis ex materia & forma, natura non praedicatur de supposito: non enim dicimus, quod hic homo sit sua humanitas. Si qua vero res est in qua omnino nihil aliud est praeter rationem speciei vel naturae suae (sicut est in Deo) ibi non est aliud secundum rem suppositum & natura, sed solum secundum rationem intelligendi quia natura dicitur secundum quod est essentia quaedam: eadem vero dicitur suppositum secundum quod est subsistens. Et quod est dictum * de supposito, intelligendum est de persona in creatura rationali vel intellectuali: quia nihil aliud est persona, quam rationalis naturae indiuidua substantia, secundum Boetium. † Omne igitur quod inest alicui personae, siue pertineat ad naturam eius siue non vnitur ei in persona: si ergo humana natura Verbo Dei non vnitur in persona, nullo modo ei vnitur. & sic totaliter tollitur Incarnationis fides: quod est subruere totam fidem Christianam. Quia ergo Verbum habet naturam humanam sibi vnitam, non autem ad suam naturam diuinam pertinentem: consequens est quod vnio sit facta in Verbi persona, non autem in natura.

** Art. praeced.*

** In isto met art.*

In lib. de duab. naturis aliquantulum a principio.

Ad primum ergo dicendum, quod licet in Deo non sit aliud secundum rem natura & persona: differt tamen secundum modum significandi (sicut dictum est *) quia persona significat per modum subsistentis. Et quia natura humana sic vnitur Verbo, vt Verbum in ea subsistat, non autem vt aliquid addatur eius rationem suae naturae, vel vt eius natura in aliud transmutetur: ideo vnio humanae naturae ad Verbum Dei, facta est in persona, non in natura.

In corp. art.

Ad secundum dicendum quod personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicuius rei & perfectionem, inquantum ad dignitatem alicuius rei & perfectionem eius pertinet, quod per se existat: quod in nomine personae intelligitur. Dignius autem est alicui, quod existat in aliquo se digniori quàm quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi. Sicut etiam esse completiuum speciei, pertinet ad dignitatem formae: tamen sensitiuum nobilius est in homine propter coniunctionem ad nobiliorem formam completiuam, quàm sit in bruto animali, in quo est forma completiua.

Ad tertium dicendum, quod Verbum Dei non assumpsit humanam naturam in vniuersali, sed in atomo, id est in indiuiduo (sicut Dam. dicit †) alioquin oporteret, quod cuilibet homini conueniret esse Dei Verbum, sicut conuenit Christo. Sciendum est tamen quod non quodlibet indiuiduum in genere substantiae etiam in rationali natura habet rationem personae; sed solum illud, quod per se existit, non autem illud, quod existit in alio perfectiori. Vnde manus Sortis quamuis sit quoddam indiuiduum, non tamen est persona: quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in suo toto. Et hoc etiam potest significari in hoc, quod persona dicitur substantia indiuidua: non enim manus est substantia completa, sed

li. 3. orth. fid. c. 11.

ſed pars ſubſtantiæ. Licet ergo hæc humana natura ſit quoddam indiuiduum in genere ſubſtantiæ: quia tamen non per ſe ſeparatum exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in perſona Dei Verbi, conſequens eſt, quod non habeat perſonalitatem propriam. Et ideo facta eſt vnio in perſona.

ARTICVLVS III.

Vtrùm vnio Verbi incarnati facta ſit in ſuppoſito, vel hypoſtaſi.

9. AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd vnio Verbi Incarnati non ſit facta in ſuppoſito ſiue in hypoſtaſi. Dicit enim Aug. in Ench.† Diuina ſubſtantia & humana, vtraque eſt vnus Dei filius, ſed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Leo Papa etiam dicit in Epiſtola ad Flauianum*: Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniuriis. Sed aliud & aliud differt ſuppoſito: ergo vnio Verbi incarnati, non eſt facta in ſuppoſito.

3. d. 8. q. 3. art. 1. & 4. q. 3. 6. art. 2. & d. 10. q. 1. a. 2. q. 3. & 4. 10. 1. 34. 38 & 39. & vnic. a. 3. 2. & 3. ad 6. & 5. ad 9. & quodl. 4. a. 8. & quo. 9. q. 2. a. 3. & 3. c. & op. 1. c. 81. & 82. & op. 2. 217. 218. 219. & 220.

¶ 2 Præterea, Hypoſtaſis nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia particularis, vt Boet. dicit in libro de dua. nat.† Manifeſtum eſt autem quod in Chriſto eſt quædam alia ſubſtantia particularis præter hypoſtaſim Verbi, ſcilicet corpus & anima & compoſitum ex eis. Ergo in ipſo eſt alia hypoſtaſis præter hypoſtaſim Verbi.

¶ 3 Præterea, Hypoſtaſis Verbi non continetur in aliquo genere, neque ſub ſpecie: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta ſunt:* ſed Chriſtus, ſecundum quod eſt factus homo, continetur ſub ſpecie humana: dicit enim Diony.† 2. c. de diuin. nom. Intra naturæ noſtræ terminos venit, qui omnem totius naturæ ordinem ſupereminenter excedit. Non autem continetur ſub ſpecie humana, niſi ſicut hypoſtaſis quædam humanæ ſpeciei. Ergo in Chriſto eſt alia hypoſtaſis præter hypoſtaſim Verbi Dei. Et ſic idem quod prius.

† ca. 36. à med. 1. 3.

SED contra eſt, quod Damaſ. dicit in 3. libro:* In Domino Ieſu Chriſto duas naturas cognoſcimus, vnam autem hypoſtaſim.

† In epi. 10. c. 4. paulo à princip.

CONCLVSIO.

Incarnati Verbi vnionem factam eſſe in hypoſtaſi & diuino ſuppoſito credendum eſt.

RESPONDEO dicendum, quod quidam ignorantes habitudinem hypoſtaſis ad perſonam licet concederent in Chriſto vnam ſolam perſonam, poſuerunt tamen aliam hypoſtaſim† Dei, & aliam hominis, ac ſi vnio ſit facta in perſona, non in hypoſtaſi.

Auguſtinum à prin. in ſer. in 3 pag. P. p. q. 3. a. 5.

Quod quidem apparet erroneum tripliciter. Primò ex hoc quod perſona ſuper hypoſtaſim non addit niſi determinatam naturam, ſcilicet rationalem, ſecundum quod Boet. dicit in lib. de duabus natur.* quod perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, & ideo idem eſt attribuere propriam hypoſtaſim humanæ naturæ in Chriſto, & propriam perſonam. Quod intelligentes ſancti Patres, vtrumque in Concilio quinto apud Conſtantinopol.† celebrato damnauerunt: dicentes: Si quis introducere conetur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas, anathema ſit: nec enim adiectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit ſancta Trinitas, incarnato vno de ſancta Trinitate Deo Verbo. Subſiſtentia autem idem eſt, quod res ſubſiſtens, quod eſt proprium hypoſtaſis, vt patet per Boet. in lib.† de duab. natur. Secundo, quia ſi detur, quòd perſona aliquid addat ſuper hypoſtaſim, in quo poſſit vnio fieri, hoc nihil aliud eſt, quàm proprietas ad dignitatem pertinens: ſecundum quod à quibuſdam dicitur, quod perſona eſt hypoſtaſis proprietate diſtincta, ad dignitatem pertinente. Si ergo facta ſit vnio in perſona & non in hypoſtaſi, conſequens erit quod non facta ſit vnio, niſi ſecundum dignitatem quandam. Et hoc eſt approbante ſynodo Epheſina damnatum à Cyrillo† ſub his verbis: Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt adunationem ſola copulans eas coniunctione, quæ ſecundum dignitatem quandam, vel auctoritatem eſt, vel ſecundum potentiam & non magis concurſu ſecundum adunationem naturalem: anathema ſit. Tertio, quia tantum hypoſtaſis eſt cui attribuuntur operationes, & proprietates naturæ, & ea etiam quæ ad naturæ rationem pertinent in concreto: dicimus enim quod hic homo ratiocinatur, & eſt riſibilis, & eſt animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur eſſe ſuppoſitum: quia ſcilicet ſuppoſitur his, quæ ad hominem pertinent, eorum prædicationem recipiens. Si ergo ſit alia hypoſtaſis in Chriſto præter hypoſtaſim Verbi, ſequitur, quod de aliquo alio quàm de Verbo verificentur ea, quæ ſunt hominis puta eſſe natum de Virgine, paſſum, crucifixum, & ſepultum. Et hoc etiam damnatum eſt approbante Concilio Epheſino ſub his Verbis:† Si quis perſonis duabus vel ſubſiſtentiis eas, quæ ſunt in Euangelicis & Apoſtolicis ſcripturis, impartitur voces, aut de Chriſto à ſanctis dictas, aut ab ipſo de ſe: & quaſdam quidem velut homini præter illud ex Deo Verbum ſpecialiter intellecto applicat: quaſdam vero velut Deo decibiles, ſoli ex Deo Patre Verbo; anathema ſit. Sic ergo patet eſſe hæreſim olim ab Eccleſia damnatam, dicere quòd in Chriſto ſunt duæ hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita ſiue quod vnio non ſit facta in hypoſtaſi vel ſuppoſito. Vnde in eadem ſynodo legitur:† Si quis non confitetur carni ſecundùm ſubſiſtentiam vnitum ex Deo Patre Verbum vnumque eſſe Chriſtum cum ſua carne eundem, ſcilicet Deum & hominem, anathema ſit.

e. t. non multo ante med. & 3. art. ſi. c. 3. 4. & 5. & 9. 18. a. 2. cor. In 3. pag. à prin. In conc. 2. Conſtant. quod eſt 5. generale ca. 5. to. 2. Concil. In 5. pag. à princ. lib. † In Epheſ. ſyne 3. ſyno. ca. 3. tom. 1. conc. In Epheſ. ſyn. 1. can. 4 tom. 1. conc. In can. 2. Epheſ. 3. ſyn. quæ fuit vna ex 4. principalib.

AD primum ergo dicendum, quòd ſicut accidentalis differentia facit alterum, ita differentia eſſentialis facit aliud. Manifeſtum eſt autem, quòd alteritas quæ prouenit ex differentia accidentali, poteſt ad eandem hypoſtaſim vel ſuppoſitum pertinere in rebus creatis: eo quòd idem numero poteſt diuerſis accidentibus ſubeſſe. non autem contingit in rebus creatis, quod idem numero ſubſiſtere poſſit diuerſis eſſentiis vel naturis, ſed vnus & idem Chriſtus ſubſiſtit in duabus naturis. Vnde ſicut quod dicitur alterum & alterum in creaturis non ſignificat diuerſitatem ſuppoſiti, ſed ſolùm diuerſitatem formarum accidentalium: ita quod dicitur Chriſtus aliud & aliud, non importat diuerſitatē ſuppoſiti vel hypoſtaſis, ſed diuerſitatem naturarū. Vnde Gregorius Nazianzenus dicit in Epiſtola ad Didymum.† Aliud & aliud ſunt ea, ex quibus Saluator eſt, non autem alius & alius: dico vero aliud & aliud e contrario, quàm in Trinitate habet: ibi enim Alius & alius dicimus, vt non ſubſiſtentias confundamus, non autem Aliud & aliud.

In ep. 1. ad Cledonium inter princi. & med. compt. Honoratiſſimo.

AD ſecundum dicendum, quod hypoſtaſis ſignificat ſubſtantiam particularem, non quocumque modo, ſed prout eſt in ſuo complemento: Secundum vero quod venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypoſtaſis ſicut manus vel pes. Et ſimiliter humana natura in Chriſto quamuis ſit ſubſtantia particularis: quia tamen venit in vnionem cuiuſdam completi, ſcilicet totius Chriſti, prout eſt Deus & homo, non poteſt dici hypoſtaſis vel ſuppoſitum: Sed illud completum ad quod concurrit, dicitur eſſe hypoſtaſis, vel ſuppoſitum.

AD tertium dicendum, quod in rebus creatis res aliqua ſingularis non ponitur in genere, vel in ſpecie ratione eius, quod pertinet ad eius indiuiduationem: ſed ratione naturæ, quæ ſecundum formam determinatur: cum indiuiduatio magis ſit ſecundum materiam in rebus compoſitis. Sic ergo dicendum eſt, quod Chriſtus eſt in ſpecie humana, ratione naturæ aſſumptæ; non ratione ipſius hypoſtaſis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm perſona, vel hypoſtaſis Chriſti poſt Incarnationem ſit compoſita.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd perſona Chriſti non ſit compoſita. Perſona enim Chriſti non eſt aliud, quàm perſona vel hypoſtaſis Verbi: vt ex dictis patet:* Sed in Verbo non eſt aliud perſona & natura, vt patet ex dictis in prima parte†. Cùm ergo natura Verbi ſit ſimplex, (vt in primo* oſtenſum eſt) impoſſibile eſt quod perſona Chriſti ſit compoſita. 10.

3. d. 6. q. 2. art. 3. art. 2. P. p. q. 1. ar. 3. P. p. qu. 3. a. 7 & per totam q.

¶ 2 Præterea, Omnis compoſitio videtur eſſe ex partibus: Sed diuina natura non poteſt habere rationem partis: quia omnis pars habet rationem imperfecti, ergo impoſſibile eſt, quòd perſona Chriſti ſit compoſita ex duabus naturis.

¶ 3 Præterea, Quod componitur ex aliquibus, videtur eſſe homogeneum eis: ſicut ex corporibus non componitur niſi corpus. Si ergo ex duabus naturis aliquid ſit in Chriſto compoſitum, conſequens erit, quod illud non erit perſona, ſed natura: & ſic in Chriſto erit facta vnio in natura: quod eſt contra prædicta*.

art. 2.

SED contra eſt, quod Damaſ. dicit in tertio lib.† In Domino Ieſu Chriſto duas naturas cognoſcimus, vnam autem hypoſtaſim ex vtraque compoſitam.

lib. 3. orth. fid. c. 3. 4. & 5.

CONCLVSIO.

Tametſi perſona Chriſti ex ſe ſit ſimplex, vt ſubſiſtens tamen in duabus naturis, compoſita eſſe cenſenda eſt.

RESPONDEO dicendum, quod perſona ſiue hypoſtaſis Chriſti dupliciter poteſt conſiderari.

Vno modo ſecundum illud, quod eſt in ſe: & ſic eſt omnino ſimplex, ſicut & natura Verbi: Alio modo ſecundum rationem perſonæ, vel hypoſtaſis, ad quam pertinet ſubſiſtere in aliqua natura, & ſecundum hoc perſona Chriſti ſubſiſtit in duabus naturis. Vnde licet ſit ibi vnum ſubſiſtens, eſt tamen ibi alia & alia ratio ſubſiſtendi, & ſic dicitur perſona compoſita, inquantum vnum duobus ſubſiſtit.

Et per hoc patet reſponſio Ad primum.

Ad ſecundum dicendum, quod illa compoſitio perſonæ ex naturis, non dicitur eſſe ratione partium, ſed potius ratione numeri: ſicut omne illud, in quo duo conueniunt, poteſt dici ex eis compoſitum.

Ad tertium dicendum, quòd non in omni compoſitione hoc verificatur quod illud quod componitur, ſit homogeneum componentibus, ſed ſolùm in partibus continui. Nam continuum non componitur, niſi ex continuis: animal vero componitur ex anima & corpore: quorum neutrum eſt animal.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſit facta aliqua vnio animæ & corporis in Chriſto.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd in Chriſto non fuerit vnio animæ & corporis. Ex vnione enim animæ & corporis in nobis cauſatur perſona vel hypoſtaſis hominis. Si ergo anima & corpus fuerunt in Chriſto vnita, ſequitur quod fuerit ex vnione eorum aliqua hypoſtaſis conſtituta; non autem hypoſtaſis Verbi Dei, quæ eſt æterna. Ergo in Chri[illegible] aliqua perſona vel hypoſtaſis præter hypoſtaſim Ve[illegible]d eſt contra prædicta*. 11.

inf. q. 16. a. 1. c. & 3. d. 8. q. 1. a. 1. & 4. ac. c. 17. & 41. 45. 2. & op. 3. cap. 555. art. 2. & 3. praced.

¶ 2. Præte[illegible] vnione animæ & corporis conſtituitur natura huma[illegible], Dam. autem dicit in 3. lib.† quòd in Domino Ieſu Chriſto non eſt communem ſpeciem accipere. Ergo in eo non eſt facta animæ & corporis vnio.

lib. 3. orth. fi. c. 3. circa med.

¶ 3. Præterea, Anima non coniungitur corpori, niſi vt viuificet ipſum. Sed corpus Chriſti poterat viuificari ab ipſo Verbo Dei, quod eſt fons & principium vitæ. Ergo in Chriſto non fuit vnio animæ & corporis.

SED contra eſt, quòd corpus non dicitur animatum niſi ex vnione animæ: Sed corpus Chriſti dicitur animatum: ſecundùm illud quod Eccleſia* cantat. Animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt. Ergo in Chriſto fuit vnio animæ, & corporis.

a in feſto Circumciſ. Domini in Laudibus.

CONCLVSIO.

Cùm Chriſtus fuerit eiuſdem ſpeciei cum aliis hominibus, in ipſa Incarnationis opere fuit verè anima corpori vnita: & contrarium dicere, hæreticum eſt.

RESPON

3.d.2.q.1. ar.3.q.3. ex d.7.q.1. ar. prio.

Respondeo dicendum, quòd Christus dicitur homo vniuocè cum aliis hominibus, vt pote eiusdem speciei existens: secundum illud Apostoli Philip. 2. In similitudinem hominum factus. Pertinet autem ad rationem speciei humanæ, quod anima corpori vniatur: non enim forma constituit speciem, nisi per hoc, quod fit actus materiæ. Et hoc est, ad quod generatio terminatur, per quam natura speciem intendit. Vnde necesse est dicere, quod in Christo fuerit anima corpori vnita, & contrarium est hæreticum: vt pote derogans veritati humanitatis Christi.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hac ratione moti videntur illi, qui negauerunt vnionem animæ, & corporis in Christo: ne per hoc scilicet cogerentur personam nouam vel hypostasim in Christo inducere: quia videbant, quod in puris hominibus ex vnione animæ ad corpus constituitur persona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima & corpus sic in eis coniunguntur, vt per se existant. Sed in Christo vniuntur ad inuicem, vt adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita: & propter hoc ex vnione animæ & corporis in Christo non constituitur noua hypostasis, seu persona, sed aduenit ipsum coniunctum personæ seu hypostasi præexistenti. Nec propter hoc sequitur, quod sit minoris efficaciæ vnio animæ & corporis in Christo quàm in nobis: quia ipsa coniunctio ad nobilius non adimit virtutem, aut dignitatem, sed auget. sicut anima sensitiua in animalibus constituit speciem, quia consideratur vt vltima forma, non autem in hominibus, quamuis in nobis sit virtuosior & nobilior: & hoc propter adiunctionem vlterioris & nobilioris perfectionis, scilicet animæ rationalis, vt etiam suprà dictum est *.

* Ar. 2. huius q. ad 2.
† Cuatum in arg.

Ad secundum dicendum, quod verbum Damas. † potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt referatur ad humanam naturam: quæ quidem non habet rationem communis speciei, secundum quod est in vno solo indiuiduo, sed secundum quod est abstracta ab omni indiuiduo, prout in nuda contemplatione consideratur: vel secundum quod est in omnibus indiuiduis. Filius autem Dei non assumpsit humanam naturam, prout est in sola consideratione intellectus, quia sic non assumpsisset ipsam rem humanæ naturæ: nisi forte diceretur, quod humana natura est quædam idea separata, sicut Platonici * posuerunt hominem sine materia: sed tunc filius Dei non assumpsisset carnem, contra illud quod dicitur Luc. vlt. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Similiter etiam non potest dici quod filius Dei assumpserit humanam naturam, prout est in omnibus indiuiduis eiusdem speciei: quia sic omnes homines assumpsisset. Relinquitur ergo, vt Damas. * postea dicit in eodem lib. quod assumpserit naturam humanam in atomo, id est, in indiuiduo: non quidem in alio indiuiduo, quod sit suppositum vel hypostasis illius naturæ, quàm in persona filij Dei. Alio modo potest intelligi dictum Damasc. * vt non referatur ad naturam humanam, quasi ex vnione animæ & corporis non resultet vna communis natura, quæ est humana: sed est referendum ad vnionem duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, ex quibus non componitur aliquid tertium quod sit quædam natura communis: quia sic illud esset natum prædicari de pluribus: * & hoc ibi intendit. Vnde subdit: Neque enim generatus est, neque vnquam generabitur alius Christus, ex deitate & humanitate, in deitate & humanitate Deus perfectus, idem & homo perfectus.

* vt patet in Arist. 1. metaph. tex. 6. & 25. per multos etc.
* lib. 3. c. 11.
* lib. 3. c. 11
D. 3. c. 3. in med.

Ad tertium dicendum, quod duplex est principium vitæ corporalis. Vnum quidem effectiuum: & hoc modo Verbum Dei est principium omnis vitæ. Alio modo est aliquid principium vitæ formaliter: cum enim viuere viuentibus sit esse (vt dicit Philosophus 2. de anima *) sicut vnumquodque formaliter est per formam suam: ita corpus viuit per animam, & hoc modo non potest corpus viuere per Verbum, quod non potest esse corporis forma.

* Lib. 2. tex. 37. to. 2.

Articvlvs VI.

Vtrùm natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.

12. Ad sextvm sic proceditur. Videtur, quòd humana natura fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter. Dicit enim Apost. Philip. 2. de filio Dei, quod habitu inuentus est vt homo. Sed habitus accidentaliter aduenit ei, cuius est, siue accipiatur habitus, prout est vnum de decem prædicamentis, siue prout est species qualitatis. Ergo humana natura accidentaliter vnita est filio Dei.

3.q.17.a. 1.c. Et 3. d.6.q.3. ar.2. Et 4. con. c. 37. 41 & 49. Et vnic. a. 1. con. & 13. Et op. 3. c. 213. Et Phil. 2. col. 5

¶ 2 Præterea, Omne quod aduenit alicui post esse completum, aduenit ei accidentaliter: hoc enim dicimus accidens, quod potest & adesse & abesse alicui præter subiecti corruptionem. Sed natura humana aduenit ei [illegible] filio Dei, habenti esse perfectum ab æterno. Ergo [illegible] ei accidentaliter.

¶ 3 Præterea, Quicquid non pertinet ad [illegible] seu essentiam alicuius rei, est accidens eius: quia omne quod est, aut est substantia, aut accidens. Sed humana natura non pertinet ad essentiam vel naturam diuinam filij Dei: quia non est facta vnio in natura, vt supra dictum est *. Ergo oportet quod natura humana accidentaliter filio Dei aduenerit.

Ar. 1. huius q.

¶ 4 Præterea, Instrumentum accidentaliter aduenit. Sed humana natura in Christo fuit diuinitatis instrumentum: Dicit enim Damascen. in tertio libro: quod caro Christi instrumentum diuinitatis existit. Ergo videtur, quòd humana natura fuerit filio Dei vnita accidentaliter.

li. 3. ort. fidei cap. 15. post medium.

Sed contra est, quod illud, quod accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, sed quantum vel quale, vel aliquo alio modo se habens. Si ergo humana natura accidentaliter adueniret, cum dicitur, Christus est homo, non prædicaretur quid, sed quale, aut quantum aut aliquo alio modo se habens. Quod est contra Decretalem Alex. Papæ dicentis: Cum Christus sit perfectus Deus & perfectus homo, qua temeritate audeat quidam dicere, quod Christus secundum quod est homo, non est quid?

CONCLVSIO.

Neque secundum essentiam vel naturam, neque etiam secundum accidens, sed medio quodam modo secundum subsistentiam seu hypostasim, naturam humanam Verbo Dei vnitam fuisse, Ecclesia Catholica docet.

Respondeo dicendum quod ad huius quæstionis euidentiam, sciendum est, quod circa mysterium vnionis duarum naturarum in Christo, duplex hæresis insurrexit. Vna quidem confundentium naturas, sicut Eutychetis & Dioscori, qui posuerunt quod ex duabus naturis est constituta vna natura, ita quod confitentur Christum esse ex duabus naturis, quasi ante vnionem distinctis, non autem in duabus naturis quasi post vnionem naturarum distinctione cessante.

Alia vero fuit hæresis Nestorij, & Theodori Mopsuesteni, separantium personas: posuerunt enim aliam esse personam Filij Dei, & filij hominis, quas dicebant sibi inuicem esse vnitas. Primo quidem secundum inhabitationem, inquantum scilicet Verbum Dei habitauit in illo homine sicut in templo. Secundo per vnitatem affectus, inquantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. Tertio secundum operationem: prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. Quarto secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter coniunctionem ad filium Dei. Quinto secundum æquiuocationem, id est communicationem nominum prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum & filium Dei. Manifestum est autem istos omnes modos accidentalem vnionem importare. Quidam autem posteriores magistri, putantes se has hæreses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum concesserunt vnam Christi personam, sed posuerunt duas hypostases siue duo supposita, dicentes hominem quemdam compositum ex corpore & anima a principio suæ conceptionis, esse assumptum a Dei Verbo & hæc est prima opinio, quam Magister ponit in 6. dist. tertij lib. sententiarum *. Alij vero volentes seruare vnitatem personæ, posuerunt Christi animam non esse corpori vnitam: sed hæc duo separata ab inuicem, esse vnita Verbo accidentaliter; vt sic non cresceret numerus personarum. Et hæc est tertia opinio, quam magister ibidem ponit. Vtraque autem harum opi. incidit in hæresim Nestorij. Prima quidem, quia idem est ponere duas hypostases vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas, vt supra dictum est *. Et si fiat vis in nomine personæ, considerandum est quod etiam Nestorius vtebatur vnitate personæ propter vnitatem dignitatis & honoris. Vnde etiam sexta Synodus definit anathema eum *, qui dicit vnam personam secundum dignitatem, & honorem & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius insanientes conscripserunt. Alia vero opinio incidit in errorem Nestorij, quantum ad hoc, quod posuit vnionem accidentalem: non enim differt dicere, quod Verbum Dei vnitum est homini Christo secundum inhabitationem sicut in templo suo (sicut dicebat Nestorius) & dicere, quod vnitum fuit Verbum Dei homini secundum indutionem, sicut vestimento, sicut dicit tertia opinio, quæ etiam peius dicit aliquid, quam Nestorius, scilicet quod anima & corpus non sunt vnita. Fides autem catholica medium inter prædictas positiones tenens, non dicit vnionem factam Dei & hominis secundum essentiam vel naturam, neque etiam secundum accidens: sed medio modo secundum subsistentiam, seu hypostasim. Vnde in sexta Synodo * dicitur, Cum multis modis vnitas intelligatur qui iniquitatem Apollinarij & Eutychetis sequuntur, in peremptionem eorum, qui conuenerunt, tollentes (id est interimentes) vtramque naturam, vnionem secundum confusionem dicunt. Theodori autem & Nestorij sequaces, diuisione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. Sancta vero Dei Ecclesia, vtriusque perfidiæ impietatem reijciens, vnionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur: quod est secundum subsistentiam. Sic ergo patet, quod secunda trium opinionum, quas Magister * ponit, quæ asserit vnam hypostasim Dei & hominis, non est dicenda opinio, sed sententia Catholicæ fidei: similiter etiam prima opinio, quæ ponit duas hypostases, & tertia, quæ ponit vnionem accidentalem non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Concilijs ab Ecclesia damnatæ.

di. 6. § 2. & 3. sen.
In lit. di. 2 &c.
a. 1. 3. huius q.
habetur in synodo 2. Constant. can. 4.
habetur in conc. 1. Constant. canon. 4.
Vt est. sent. di. 6

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Damasc. * dicit in 3. lib. non necesse est omnifariam & indefectiue assimilari exempla: quod enim est in omnibus simile, idem vtique erit, & non exemplum, & maximè in diuinis: impossibile enim est simile exemplum inuenire in omnibus, & in Theologia, id est in deitate personarum, & in dispensatione, id est in mysterio Incarnationis. Humana ergo natura in Christo assimilatur habitui, id est vestimento, non quidem quantum ad accidentalem vnionem sed quantum ad hoc, quod Verbum videtur per humanam naturam, sicut homo per vestimentum. Et etiam quantum ad hoc, quod vestimentum mutatur: quia scilicet formatur secundum figuram eius, qui induit ipsum, qui à sua forma non mutatur propter vestimentum. Et similiter humana natura assumpta à Verbo Dei est meliorata, ipsum autem Verbum Dei non est mutatum: vt Aug. exponit in lib. * 83. quæst.

li. 3 ort. fid. c. 26 an. tine
lo. 83. q. q. 73. non longe a fine, to. 4

Ad secundum dicendum, quod illud quod aduenit post esse completum, accidentaliter aduenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi: sicut in resurrectione corpus adueniet animæ præexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, vt scilicet corpus habeat esse vitale per animam, non est autem sic de albedine: quia aliud est esse albi, & aliud est esse hominis, cui aduenit albedo. Verbum autem Dei æterno esse completum, habuit secundum hypostasim siue personam: ex tempore autem aduenit ei natura humana, non quasi assumpta ad vnum esse, prout est naturæ, sicut

sicut corpus assumitur ad esse animæ, sed ad vnum esse, prout est hypostasis vel personæ. Et ideo humana natura non vnitur accidentaliter filio Dei.

li. 5. met. te. 15. 1. 3. Ad tertium dicendum, quòd accidens diuiditur contra substantiam. Substantia autem (vt patet 6. Meta.) dupliciter dicitur. Vno modo pro essentia siue natura: alio modo pro supposito siue hypostasi. Vnde sufficit ad hoc, quod non sit vnio accidentalis, quod sit facta vnio secundum hypostasim, licet non sit facta vnio secundum naturam.

Ad quartum dicendum, quod non omne quod assumitur vt instrumentum, pertinet ad hypostasim assumentis, sicut patet de securi & gladio: nihil tamen prohibet, illud quod assumitur ad vnitatem hypostasis, se habere vt instrumentum: sicut corpus hominis, vel membra eius. Nestorius ergo posuit, quod natura humana est assumpta a Verbo solum per modum instrumenti, non autem ad vnitatem hypostasis. Et ideo non concedebat, quod homo ille vere esset Filius Dei, sed instrumentum eius. Vnde Cyrillus dicit in epistola ad Monachos Ægypti, Hunc Emmanuelem, id est Christum, non tanquam instrumenti officio assumptum dici scriptura, sed tanquam Deum vere humanatum, id est hominem factum. Damascenus * autem posuit naturam humanam in Christo esse, sicut instrumentum ad vnitatem hypostasis pertinens.

li. 3. orth. fi. c. 15. à med.

13 Inf. art. 8. c. & 3. d. 5. q. 2. a. 2. q. 3. ad 2. & d. 5. q. 1. a. 1. q. 1. & d. 7. q. 2. a. 1. c. & 4. conc. c. 39. & 40.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm vnio naturæ diuinæ, & humanæ sit aliquid creatum.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quod vnio naturæ diuinæ & humanæ, non sit aliquid creatum. Nil enim creatum in Deo potest esse: quia quicquid est in Deo, Deus est. Sed vnio est in Deo: quia ipse Deus est humanæ naturæ vnitus. Ergo videtur, quod vnio non sit aliquid creatum.

¶ 2 Præterea, Finis est potissimum in vnoquoque: Sed finis vnionis est diuina hypostasis, siue persona, ad quam terminata est vnio. Ergo videtur quod huiusmodi vnio maxime debeat iudicari, secundum conditionem diuinæ hypostasis, quæ non est aliquid creatum. Ergo nec ipsa vnio est aliquid creatum.

Poste. te. 5. non longe à fi. c. 2. ¶ 3 Præterea, Propter quod vnumquodque tale & illud magis, vt dicit Philos. Sed homo dicitur esse creator propter vnionem. Ergo multo magis ipsa vnio non est aliquid creatum, sed creator.

SED contra, Omne quod incipit esse ex tempore, est creatum. Sed vnio illa ab æterno non fuit, sed incepit esse ex tempore. Ergo vnio est aliquid creatum.

CONCLVSIO.

Cùm vnio diuinæ & humanæ naturæ sit relatio, quæ Deo ex mutatione creaturæ conuenit, necesse est eam aliquid creatum esse.

RESPONDEO dicendum, quòd vnio, de qua loquimur, est relatio quædam, quæ consideratur inter diuinam naturam & humanam, secundum quod conueniunt in vna persona Filij Dei. Sicut autem in prima parte dictum est *, omnis relatio, quæ consideratur inter Deum & creaturam, realiter quidem est in creatura, (per cuius mutationem talis relatio innascitur) non autem est realiter in Deo, sed secundum rationem tantum: quia non innascitur secundum mutationem Dei. Sic ergo dicendum est, quod hæc vnio, de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum: in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est: & ideo oportet dicere quod sit quiddam creatum.

p. p. q. 13. art. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc vnio non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum, dicitur enim Deus vnitus creaturæ, ex hoc quod creatura est realiter vnita Deo absque eius mutatione.

In 10. art. Ad secundum dicendum, quòd ratio relationis sicut & motus dependet ex fine vel termino, sed esse eius dependet à subiecto. Et quia vnio talis non habet esse reale nisi in natura creata (vt dictum est *) consequens est, quod habeat esse creatum.

Ad tertium dicendum, quòd homo dicitur creator, & est Deus propter vnionem, inquantum terminatur ad hypostasim diuinam. Non tamen sequitur quod ipsa vnio sit creator vel Deus, quia quòd aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse ipsius, quàm rationem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm vnio Verbi Incarnati sit idem quod assumptio.

14 3. d. 5. q. 3. ar. 1. & q. 3. AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quòd idem sit vnio quod assumptio. Relationes enim sicut & motus specificantur secundum terminum. Sed idem est terminus assumptionis & vnionis, scilicet diuina hypostasis. Ergo videtur quod non differant vnio & assumptio.

¶ 2 Præterea, In mysterio Incarnationis idem videtur esse vniens & assumens, vnitum & assumptum. Sed vnio & assumptio videntur sequi actionem & passionem vnientis & vniti, vel assumentis & assumpti. Ergo videtur idem esse vnio quod assumptio.

li. 3. or. fid. c. 11. * epist. ad. ... ¶ 3 Præterea, Damasc. † dicit in 3. lib. Aliud est vnio, aliud Incarnatio: nam vnio solam demonstrat copulationem; ad quem autem facta est copulatio non adhuc: humanatio autem & Incarnatio determinant, ad quem sit facta copulatio. Sed similiter assumptio non determinat ad quem facta sit copulatio. Ergo videtur vnio idem esse quod assumptio.

SED contra est, quod diuina natura dicitur esse vnita, non autem assumpta.

CONCLVSIO.

Non idem sed diuersa est ab ipsa Assumptione Vnio, quod

R. P. Philippi Camo. discal. Disp. Theolog in 3. p.

Vnio ad relationis genus, Assumptio ad actionis & passionis genus spectat.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est, * vnio importat relationem quandam diuinæ naturæ & humanæ secundum quod conueniunt in vna persona. Omnis autem relatio, quæ incipit esse ex tempore, ex aliqua mutatione causatur. Mutatio autem consistit in actione & passione. Ar. prœ.

Sic ergo dicendum est, quod prima & principalis differentia inter assumptionem & vnionem est, quod vnio importat ipsam relationem: assumptio autem actionem, secundum quam dicitur aliquis assumens, vel passionem, secundum quam dicitur aliquid assumptum.

Ex hac autem differentia accipitur secunda alia differentia: nam assumptio dicitur sicut in fieri, vnio * autem sicut in facto esse: & ideo vniens dicitur esse vnitum, assumens autem non dicitur esse assumptum. Natura enim humana significatur, vt in termino assumptionis ad hypostasim diuinam, per hoc quod dicitur homo, vnde vere dicimus, quod Filius Dei qui est vniens sibi humanam naturam, est homo. Sed humana natura in se considerata, idest in abstracto, significatur vt assumpta: non autem dicimus quod Filius Dei sit humana natura.

Ex eadem etiam sequitur tertia differentia, quod relatio, præcipue æquiparantiæ non magis se habet ad vnum extremum, quam ad aliud; actio autem & passio diuersimode se habent ad agens & patiens, & ad diuersos terminos. Et ideo assumptio determinat terminum à quo, & ad quem: dicitur enim assumptio quasi ab alio ad se sumptio. Vnio autem nihil horum determinat: vnde indifferenter dicitur, quod humana natura est vnita diuinæ, & e conuerso. Non autem dicitur diuina natura assumpta ab humana, sed e conuerso: quia humana natura adiuncta est ad personalitatem diuinam, vt scilicet persona diuina in humana natura subsistat.

In. 11. ar. Ad primum ergo dicendum, quod vnio & assumptio non eodem modo se habent ad terminum, sed diuersimode, sicut dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd vniens & assumens non omnino sunt idem: nam omnis persona assumens est vniens, non autem e conuerso. Nam persona Patris vniuit naturam humanam Filio, non autem sibi: & ideo dicitur vniens, non assumens, quasi ad se sumens. Persona autem filij, quæ sibi humanam naturam vniuit, est vniens & assumens. Et similiter non est idem vnitum & assumptum: nam diuina natura dicitur vnita, & non assumpta.

Ad tertium dicendum, quod assumptio determinat, cui facta est copulatio ex parte assumentis, inquantum assumptio dicitur quasi ad se sumptio, sed Incarnatio & humanatio ex parte assumpti, quod est caro vel natura humana. Et ideo assumptio differt ratione & ab vnione, & ab Incarnatione seu humanatione.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.

AD NONVM sic proceditur. Videtur quod vnio duarum naturarum in Christo non sit maxima vnionum. Vnitum enim deficit in ratione vnitatis ab eo quod est vnum: eo quod vnitum dicitur per participationem, vnum autem per essentiam. Sed in rebus creatis aliquid dicitur simpliciter esse vnum, sicut præcipuè patet de vnitate ipsa, quæ est principium numeri. Ergo huiusmodi vnio, de qua loquimur, non importat maximam vnitatem. 15 3. d. 5. q. 1. ar. 1. a. 1. & 4. contra. 41

¶ 2 Præterea, Quanto ea, quæ vniuntur, magis distant, tanto minor est vnio. Sed ea quæ secundum hanc vnionem vniuntur, maximè distant scilicet natura diuina & humana, distant enim in infinitum. Ergo huiusmodi est minima vnio.

¶ 3 Præterea per vnionem fit aliquid vnum. Sed ex vnione animæ & corporis in nobis fit aliquid vnum in persona & natura, ex vnione autem diuinæ & humanæ naturæ fit aliquid vnum solum in persona. Ergo maior est vnio animæ ad corpus, quam diuinæ naturæ ad humanam: Et sic vnio de qua loquimur, non importat maximam vnitatem.

SED contra est, quod Aug. dicit 1. de Trinit. * quod homo potius est in Filio Dei, quam Filius in Patre. Filius autem est in Patre per vnitatem essentiæ, homo vero est in Filio per vnionem Incarnationis. Ergo maior est vnio Incarnationis, quam vnitas diuinæ essentiæ, quæ tamen est maxima vnionum. Et sic per consequens vnio Incarnationis importat maximam vnitatem. li. 1. c. 10. ante medium 1. 3.

CONCLVSIO.

Tametsi ex parte naturarum, quæ vniuntur, Vnio diuinæ & humanæ naturæ maxima non est, attamen ea maxima est ex parte diuinæ personæ, in qua vniuntur.

RESPONDEO dicendum, quod vnio importat coniunctionem aliquorum in aliquo vno. Potest ergo vnio Incarnationis dupliciter accipi. Vno modo, ex parte eorum, quæ coniunguntur. Alio modo ex parte eius, in quo coniunguntur. Et ex hac parte, huiusmodi vnio habet præeminentiam inter alias vniones: nam vnitas personæ diuinæ, in qua vniuntur duæ naturæ est maxima. Non autem habet præeminentiam ex parte eorum, quæ coniunguntur.

Ad primum ergo dicendum, quod vnitas diuinæ personæ est maior, quàm vnitas numeralis, quæ scilicet est principium numeri. Nam vnitas diuinæ personæ, est vnitas increata, per se subsistens, non recepta in aliquo per participationem. Est etiam in se completa, habens in se quicquid pertinet ad rationem vnitatis: & ideo non competit sibi ratio partis, sicut vnitati numerali, quæ est pars numeri, & quæ participatur in rebus numeratis. Et ideo quantum ad hoc, vnio Incarnationis præeminet vnitati numerali, ratione scilicet vnitatis diuinæ personæ, non autem ratione naturæ humanæ, quæ non est ipsa vnitas diuinæ personæ, sed est ei vnita.

Ad secundum dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte coniunctorum: non autem ex parte personæ, in qua est facta vnio.

Ad tertium dicendum, quòd vnitas diuinæ personæ est maior vnitas, quam sit vnitas & personæ & naturæ in nobis. Et ideo vnio Incarnationis est maior, quàm vnio animæ & corporis in nobis.

Quia verò illud quod in contrarium obiicitur, falsum supponit, scilicet quod maior sit vnio Incarnationis quàm vnitas personarum diuinarum in essentia: dicendum est ad authoritatem August. quod humana natura non est magis in Filio Dei, quàm Filius Dei in Patre, sed multò minus: Sed ipse homo quantum ad aliquid, est in Filio magis, quam Filius in Patre: inquantum scilicet idem supponitur in hoc quod dico, Homo, prout sumitur pro Christo, & in hoc quod dico, Filius Dei: non autem est idem suppositum Patris & Filij.

Positum in argu. sed contra.

ARTICVLVS X.

Vtrùm vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.

16 Ad decimvm sic proceditur. Videtur, quòd vnio Incarnationis non sit facta per gratiam. Gratia enim est accidens quoddam: vt in secunda parte habitum est. Sed humanæ naturæ vnio ad diuinam, non est facta per accidens: vt supra ostensum est. † Ergo videtur quod vnio Incarnationis non sit facta per gratiam.

Inf. q. 6. a. 6. & verit. q. 20. a. 2. & 3. d. 13 q. 3. a. 1. F. sec q. 110. art. 2 & 3. † Art. 6. huius qu.

¶ 2 Præterea, Gratiæ subiectum est anima: Sed sicut dicitur Colos. 2. In Christo inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: ergo videtur quod illa vnio non sit facta per gratiam.

¶ 3 Præterea, Quilibet Sanctus Deo vnitur per gratiam. Si igitur vnio Incarnationis fuit per gratiam, videtur quod non aliter dicatur Christus esse Deus, quam alij Sancti homines.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. de Prædest.* Sanctorum, Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Sed homo ille factus est Christus per vnionem ad diuinam naturam. Ergo vnio illa fuit per gratiam.

** Cap. 15 ante med. tom. 7.*

CONCLVSIO.

Facta est diuinæ & humanæ naturæ Vnio in Christo, non quidem secundum aliquam gratiam habitualem, sed gratuito Dei dono, & voluntate, & non ex aliquibus præcedentibus meritis.

Respondeo dicendum, quòd sicut in secunda parte dictum est,* gratia dupliciter dicitur. Vno modo ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis. Alio modo ipsum gratuitum donum Dei. Indiget autem humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, quod eleuetur in Deum, cum hoc sit supra facultatem suæ naturæ. Eleuatur autem humana natura in Deum dupliciter. Vno modo per operationem, qua scilicet Sancti cognoscunt & amant Deum. Alio modo per esse personale. Qui quidem modus est singularis Christo. In quo humana natura assumpta est ad hoc, quod sit in persona Filij Dei. Manifestum est autem quod ad perfectionem operationis requiritur quod potentia sit perfecta per habitum: sed quod natura habeat esse in supposito suo, non fit mediante aliquo habitu.

*3. d. 13. q. 1. art. 1. * P. S. Q. 110. a. 1.*

Sic ergo dicendum est, quod si gratia accipiatur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem habens, vnio Incarnationis facta est per gratiam: sicut & vnio Sanctorum ad Deum per cognitionem & amorem: Si verò gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, sic ipsum, quod est, humanam naturam esse vnitam personæ diuinæ, potest dici quædam gratia, inquantum nullis præcedentibus meritis hoc est factum, non autem ita quod sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis vnio fiat.

3. dist. 4 q. 1. art. 2. & q. 3. & Col. 2. l. 2. col. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia, quæ est accidens, est quædam similitudo diuinitatis participata in homine. Per Incarnationem autem, humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam diuinæ naturæ, sed dicitur esse coniuncta ipsi diuinæ naturæ in persona filij. Maius autem est ipsa res, quam similitudo eius participata.

Ad secundum dicendum, quod gratia habitualis est solum in anima: Sed gratia, idest gratuitum Dei donum, quod est vniri diuinæ personæ, pertinet ad totam naturam humanam, quæ componitur ex anima & corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo diuinitatis in Christo corporaliter habitasse: quia est vnita diuina natura non solum animæ, sed etiam corpori. Quamuis etiam possit dici, quod dicitur habitasse in Christo corporaliter, idest non vmbraliter, sicut habitauit in Sacramentis veteris legis, de quibus ibidem subditur, quod sunt vmbra futurorum, corpus autem est Christus: prout scilicet corpus contra vmbram diuiditur. Dicunt etiam quidam, quod diuinitas dicitur in Christo habitasse corporaliter, idest tribus modis, sicut corpus habet tres dimensiones. Vno modo, per essentiam, præsentiam, & potentiam: sicut in cæteris creaturis: Alio modo, per gratiam gratum facientem: sicut in Sanctis: Tertio modo, per vnionem personalem: quod est proprium sibi.

Vnde patet responsio Ad tertium: quia scilicet vnio Incarnationis non est facta solum per gratiam habitualem, sicut alij sancti vniuntur Deo, sed secundum subsistentiam, siue personam.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm vnionem Verbi Incarnati aliqua merita præcesserint.

17 Ad vndecimvm sic proceditur. Videtur, quod vnio Incarnationis fuerit aliqua merita subsecuta: Quia super illud Psalmi 32. Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum, &c. dicit glos.* Hic insinuatur desiderium Prophetæ de Incarnatione, & meritum impletionis. Ergo Incarnatio cadit sub merito.

1. 2. q. 98. a. 4. & 3. dist. 4. q. 3. ar. 1. & Ro. 1. l. 3.

¶ 2 Præterea, Quicunque meretur aliquid, meretur illud, sine quo illud haberi non potest: Sed antiqui Patres merebantur vitam æternam, ad quam peruenire non poterant, nisi per Incarnationem, dicit enim Greg.* in lib. 13. moral. Hi qui ante Christi aduentum in hunc mundum venerunt, quantamlibet iustitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinum cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia nondum ille venerat, qui iustorum animas in perpetua sede collocaret. Ergo videtur quod meruerint Incarnationem.

*co. 8 & Heb. 3 l. 4. col. 1. * Summar in gl. interlinear. lib. * Lib 13. c. 30 circa fin.*

¶ 3 Præterea, De* beata Virgine cantatur, quod Dominum omnium meruit portare. Quod quidem factum est per Incarnationem. Ergo Incarnatio cadit sub merito.

** In offic. allelu ad Mat.*

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib.* de Prædest. Sanctorum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Sed nulla merita præcesserunt regenerationem nostram: secundum illud ad Titum 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Ergo nec illam Christi generationem aliqua merita præcesserunt.

** C. 15. in princ. & fin. tom. 7.*

CONCLVSIO.

Nulla neque Christi, neque aliorum merita diuinam Verbi vnionem præcesserunt, cum ea sit supra omnem beatorum vnionem, & principium omnis meriti: Meruerunt tamen Sancti Patres ex congruo Incarnationem desiderando & petendo.

Respondeo dicendum, quòd quantum ad ipsum Christum, manifestum est * ex præmissis, quod nulla eius merita potuerunt præcedere vnionem. Non enim ponimus, quod ante fuerit purus homo: & postea per meritum bonæ vitæ, obtinuerit esse Filius Dei, sicut posuit Photinus: sed ponimus quod à principio suæ conceptionis ille homo verè fuerit Filius Dei, vtpote non habens aliam hypostasim, quàm Filij Dei: secundum illud Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei. Et ideo omnis operatio illius hominis subsecuta est vnionem. Ergo nulla eius operatio potuit esse meritum vnionis.

** Ar. præ c.*

Sed neque etiam opera alterius cuiuscunque hominis potuerunt esse meritoria huius vnionis ex condigno. Primò quidem: quia opera meritoria hominis propriè ordinantur ad beatitudinem, quæ est virtutis præmium & consistit in plena Dei fruitione. Vnio autem Incarnationis cum sit in esse personali transcendit vnionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis. Et ideo non potest sub merito.

Secundò, quia gratia non potest cadere sub merito: quia est merendi principium. Vnde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ: secundum illud Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

Tertio, quia Incarnatio Christi est reformatiua totius humanæ naturæ: Et ideo non cadit sub merito alicuius hominis singularis: quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ.

Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem, desiderando & petendo: congruum enim erat vt Deus exaudiret eos qui ei obediebant.

Et per hoc patet responsio Ad Primum.

Ad secundum dicendum quòd hoc est falsum, quòd sub merito cadat omne illud, sine quo præmium esse non potest; quædam enim sunt, quæ non solum requiruntur ad præmium, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut diuina bonitas, & eius gratia, & ipsa hominis natura. Et similiter Incarnationis mysterium est principium merendi: quia de plenitudine Christi omnes accepimus, vt dicitur Ioan. 1.

Ad tertium dicendum quod beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: non quia meruit ipsum Incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis.

Ad dvodecimvm sic proceditur. Videtur quod gratia vnionis non fuerit homini Christo naturalis. Vnio enim Incarnationis non est facta in natura, sed in persona, vt dictum est.* sed vnumquodque denominatur à termino. Ergo gratia illa magis debet dici personalis, quàm naturalis. 18

*Infr. q. 7. art. 13. ad 2. & q. 34. art. 3. 2. & 3. d. 4. q. 3. art. 2. q. 1. * Ar. 1. & 2. huius q.*

¶ 2 Præterea: Gratia diuiditur contra naturam: sicut gratuita quæ sunt à Deo, distinguuntur contra naturalia, quæ sunt à principio intrinseco. Sed eorum quæ ex opposito diuiduntur, vnum non denominatur ab alio. Ergo gratia Christi non est ei naturalis.

¶ 3 Præterea, Naturale dicitur quod est secundum naturam: Sed gratia Vnionis non est naturalis Christo secundum naturam diuinam (quia sic conueniret etiam alijs personis) nec etiam naturalis est ei secundum naturam humanam, quia sic conueniret omnibus hominibus, qui sunt eiusdem naturæ cum ipso. Igitur videtur, quòd nullo modo gratia Vnionis sit Christo naturalis.

Sed contra est, quod August. dicit in Enchir.* humanæ naturæ susceptione fit quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum.

Ca. 40 post med. to. 3. L. 5. mor. c. 3 10. 3.

CONCLVSIO.

Cùm humana in Christo natura à principio conceptionis fuerit diuinæ personæ vnita, animaque eius habituali gratia repleta, non fuit in ipso vel vnionis, vel habitualis gratia, naturalis, quasi ex humanæ naturæ principijs causata: sed vtraque gratia sic in illo naturalis fuisse dicitur, quod à natura diuina, & ab illius natiuitate in eo fuerit.

Respondeo dicendum, quòd secundum Philos. in 5 Meta.* natura vno modo dicitur ipsa natiuitas, alio modo essentia rei.

rei. Vnde naturale potest aliquid dici dupliciter: Vno modo, quod est tantum ex principiis essentialibus rei: sicut igni naturale est sursum ferri: Alio modo dicitur esse homini naturale, quod ab ipsa natiuitate habet: secundum illud Eph. 2. Eramus natura filij iræ. Et Sapien. 12. Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum.

Gratia igitur Christi siue Vnionis, siue habitualis non potest dici naturalis, quasi causata ex principiis humanæ naturæ in Christo, quamuis possit dici naturalis quasi prouenicus in naturam humanam Christi, causante diuina natura ipsius.

Dicitur autem naturalis vtraque gratia in Christo, inquantum eam à natiuitate habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana diuinæ personæ vnita, & anima eius fuit munere gratiæ repleta.

Ad primum ergo dicendum, quod licèt Vnio non sit facta in natura, est tamen causata ex virtute diuinæ naturæ, quæ est verè natura Christi: Et etiam conuenit Christo à principio suæ natiuitatis.

Ad secundum dicendum, quod non secundum idem dicitur gratia & naturalis: sed gratia quidem dicitur, inquantum non est ex merito: naturalis autem dicitur, inquantum est ex virtute diuinæ naturæ in humanitate Christi ab eius natiuitate.

Ad tertium dicendum, quod gratia Vnionis non est naturalis Christo secundum humanam naturam, quasi ex principiis humanæ naturæ causata: & ideo non oportet quod conueniat omnibus hominibus. Est tamen naturalis ei secundum humanam naturam propter proprietatem natiuitatis ipsius prout sic conceptus est ex Spiritu Sancto, vt esset idē naturalis Filius Dei & hominis. Secundum vero diuinam naturam est ei naturalis, inquantum diuina natura est principium actiuum huius gratiæ. Et hoc conuenit toti Trinitati, scilicet huius gratiæ esse actiuum principium.

DISPVTATIO III.

De modo Vnionis Verbi Incarnati.

CONSIDERATO iam fine & exercitio Dominicæ Incarnationis, considerandus est modus quo facta est, siue quo Verbum diuiuum vnitum est humanitati, eam assumendo.

DVBIVM I.

Vtrùm Vnio Verbi Incarnati sit facta in natura.

SVpponendum est in hac materia de Incarnatione Verbi Diuini, reperiri duos oppositos errores. Primus fuit Nestorij, quòd in Christo Domino fuerint duæ personæ: vna propria & humana: alia scilicet diuina inhabitans in ipso tanquam in templo; vnde absolutè dicebat Christum esse tantùm hominem; in quo tamen Deus speciali modo inhabitabat: fuit condemnatus in Concilio Ephesino, in ipso præsidente authoritate Celestini primi, sancto Patre nostro Cyrillo Patriarcha Alexandrino: Adhuc extant, máximè Babylone, & in aliis vicinis ciuitatibus Nestoriani; vniuersaliter ab aliis Christianis orientalibus odio habiti. Secundus error fuit Eutichetis, Dioscori, & aliorum qui volentes contra Nestorium excludere à Christo duas personas, in eo vnicam admiserunt naturam, non intelligentes distinctionem quæ est inter naturam, & personam: & nunc ex ignorantia obstinati manent in hoc errore discipuli eorum; qui error varias habuit expositiones; nam Eutiches, vt refert. S. Leo Epist. 10. & 52. credidit diuinitatem conuersam fuisse in humanitatem: vnde intellexit illud; Verbum caro factum est, sicut istud; Vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam: sed hoc fuit condemnatū in Concilio Chalcedonensi sub sancto Leone I. Pontifice. Alij verò vt Dioscorus, ex relatione Armenorum qui eum sequuntur, crediderunt ex diuinitate & humanitate tanquam ex partibus factam fuisse vnam naturam completam, partim diuinam, partim humanam, nimis litteraliter assumentes exemplum S. Athanasij in suo Symbolo: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus: hunc modum dicendi sequuntur Armeni inimicissimi sancti Leonis, quem in suis Sacrificiis solent anathematizare: illum tuentur obstinatione potius, quàm ratione: dicunt tamen contra Eutichetem neutram fuisse destructam naturam in Christo; vnde dicunt in eo esse diuinam sine destructione humanæ, & humanam sine destructione diuinæ: & cum hac distinctione credunt nobiscum conuenire, dum dicimus in Christo esse duas naturas, diuinam scilicet & humanam sine separatione.

Prima igitur opinio, sed hæretica, fuit Eutichetis & sequacium dicentium vnionem Incarnati Verbi factam esse inter naturas, ita vt vna sit conuersa in aliam, vel ex vtraque sit facta vna. Probatur ex Scriptura, Ioannis 1. dicitur, Verbum caro factum est: sed hoc importat diuinam Verbi naturam conuersam esse in carnem, vt patet ex hoc alio loco Ioannis 2. Vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam; est enim eadem phrasis, & in vltimo loco significat conuersionem aquæ in vinum: ergo & in primo, ac proinde vnio facta est in natura.

Secundò, probatur multiplici authoritate Sanctorum Patrum. S. Cyrillus, vt habetur actione 1. Concilij Chalcedonensis, ait; Non oportet intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei Verbi Incarnati. S. Athanasius in suo Symbolo, ait: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Idem Cyrillus in symbolo suæ fidei dicit diuinam naturam esse Incarnatam: S. Gregorius Nazianzenus dicit è contra, humanam naturam esse deificatam; & tandem plures alij Sancti Patres vtuntur in hoc mysterio nomine Mixtionis & Mixturæ: sed hæc omnia non possunt dici, nisi in Incarnatione Verbi sit facta vnio inter naturas, vt discurrendo per singula patet: ergo in hoc mysterio facta est vnio inter naturas.

Tertiò, si in mysterio Incarnationis non sit facta vnio inter naturas, sequitur quòd in Christo verè & propriè sunt duæ naturæ integræ, diuina scilicet & humana: & consequenter Christus esset duo, & non vnus: nam sicut tres diuinæ Personæ sunt vnus Deus propter vnitatem diuinæ naturæ in tribus existentis: sic è contra ex dualitate naturarum in Christo, debet Christus dici duo, & non vnus: ergo in Christo non sunt duæ naturæ; sed facta est vnio inter naturas: & hoc indicat Apostolus ad Philippenses 2.

dum ait de Chriſto; In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd vnio Verbi Incarnati non eſt facta in natura, ſed in perſona: 2. Vnde per Incarnationem vna natura non fuit conuerſa in aliam. 3. Nec ex duabus facta eſt vna totalis mixta. 4. Sed poſt Incarnationem vtraque remanſit integra: & vnitæ fuerunt in eadem Perſona diuina Verbi, quæ ſubſiſtit in duabus naturis, diuina ſcilicet & humana, quibus conſtat.

Probatur prima pars concluſionis; Tum communi conſenſu omnium Catholicorum: eſt enim de fide: Tum authoritate omnium Sanctorum Patrum; maximè D.Thom. hic q.2.ar.1. vbi ſic probat: Si vnio Verbi Incarnati eſt facta in natura; ſiue ſi Natura diuina fuit vnita cum humana primò, debuit ex hac vnione reſultare vnum. Vel igitur vtraque natura remanſit completa; & hoc non, quia ex pluribus entibus completis non fit vnum per ſe, ſed per accidens; nec fit vnum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; nec forma reſultans eſt naturalis, ſed artificioſa, vt patet in domo: conſtat autem quòd Chriſtus eſt vnum per ſe ſubſtantiale, vnio quippe fuit ſubſtantialis: eſt vnum ſimpliciter, non ſecundùm quid tantùm, aut per aggregationem. Vel fuerunt naturæ tranſmutatæ, ita vt ex ipſis fiat vnũ mixtum: nec hoc poteſt dici; quia natura diuina eſt omninò intranſmutabilis, ingenerabilis, & incorruptibilis; vnde nec ipſa poteſt conuerti in aliam, nec alia in ipſam, nec intrare commixtionem, miſcibilia enim corrumpuntur, & debent miſcibilia eſſe proportionata. Vel denique naturæ remãſerunt impermixtæ & intranſmutatæ, ſed concurrerunt vt partes tanquam anima & corpus: nec hoc etiam dici poteſt, quia tam diuina, quàm humana natura Chriſti ſunt quid perfectum & completum: nec poſſunt conſtituere vnum per modum partium quantitatiuarum, quia natura diuina eſt omninò incorporea: nec poteſt vniri humanæ tanquam forma materiæ, ratio enim formæ informantis importat imperfectionem: ergo vnio Verbi Incarnati non eſt facta in natura, ſed in perſona, vt infra dicetur: vnde per Incarnationem vna natura non fuit conuerſa in aliam, nec ex duabus facta eſt vna totalis mixta; & ex his conſtat 2. & 3. pars concluſionis.

Probatur quarta pars concluſionis: Tum ex dictis, ex quibus manifeſtè ſequitur: Tum ex vnanimi conſenſu Sanctorum Patrum, & Conciliorum: vnde Chalcedonenſe actione 1. ait; Sequentes Sanctos Patres confitemur eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, perfectũ, in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verè, & hominem verè: confitemur eundem Chriſtum Filium Dei vnigenitum, in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè. Idem confirmant alia Concilia, & Pontifices. Deinde, Chriſtus Dominus eſt verus Deus & homo, vt patet ex Scripturis: nam quòd ſit homo, patet ex ipſomet Chriſto vocante ſe Filium hominis; & eius natiuitas, vita, & mors manifeſtè declarant: quòd ſit Deus, patet ex multis locis noui teſtamenti; vnde Paulus de ipſo loquens ait; Qui eſt Deus benedictus: & ipſemet ait, Ioan. 10. Ego & Pater vnum ſumus: & tandem fuerunt duæ eius natiuitates, vnde Concilium Conſtantinop. 5. Confeſſ. 5. cap. 2. dicit: Si quis non cõfitetur Dei Verbi duas eſſe natiuitates, vnam ante ſecula ex Patre, alteram in vltimis diebus, de ſanctiſſima Dei genitrice & ſemper Virgine Maria; anathema ſit: duæ autem natiuitates eſſe non poſſunt, niſi ſint duæ naturæ: ergo in Chriſto eſt tam diuina, quàm humana natura: quia diuina conſtituit Deum, & humana hominem. Denique, in Chriſto Domino ſunt duæ voluntates, diuina ſcilicet & humana: ſicut & duæ operationes, vt definitum eſt contra Monotelitas: ergo & duæ naturæ quas conſequuntur; vnde poſt Incarnationem remanſit vtraque natura integra, & vnitæ fuerunt in eadem Perſona diuina Verbi, quæ ſubſiſtit in duabus naturis, diuina ſcilicet & humana quibus, conſtat.

AD primum ergo dicendum, quòd in primo loco, Verbum caro factum, idem eſt ac Verbum aſſumpſiſſe carnem, & ei vnitum: in ſecundo autem, Aquam vinũ factam, idem eſt ac Aquam in vinum conuerſam: non autem eſt inconueniens, quòd eadẽ dictio (Factum) habeat diuerſum ſenſum pro diuerſitate materiæ; quia enim Verbum diuinum eſt ingenerabile & incorruptibile, per ly, Caro factum, non poteſt intelligi eſſe conuerſum in carnem: ſicut per ly, Aquam vinum factam, intelligitur ex conſequentibus eſſe conuerſam in vinum, quia naturâ ſuâ aqua & vinum ſubiacent generationi & corruptioni.

AD ſecundum dicendum, quòd illud dictum Cirylli ſic exponitur in quinta Synodo, vt hîc refert D.Thom. Si quis vnam naturam Verbi Dei Incarnatam dicens, non ſic accipiat, ſicut Patres docuerunt, quia ex diuina natura & humana, vnione ſecundùm ſubſtantiam facta: ſed ex talibus vocibus naturam vnam ſiue ſubſtantiam Diuinitatis & carnis Chriſti introducere conetur; talis anathema ſit: vnde vt ſubiungit D.Thom. non voluit S.Ciryllus, quòd in Incarnatione ex duabus naturis ſit vna natura conſtituta, ſed quòd natura Verbi Dei carnem vniuit ſibi in perſona. Ad illud Athanaſij dicendum, quòd illius intentum eſt, hoc exemplo probare, quòd ſicut ex vnione animæ rationalis & carnis reſultat vnus homo; ſic ex Deo Filio & humanitate aſſumpta ſit vnus Chriſtus, qui eſt vna tantùm perſona, & eſt Deus & homo: exemplum autem non tenet in alio, quòd caro & anima ſunt partes conſtituentes vnam naturam totalem;

totalem; Diuinitas enim non potest esse pars formalis, aut materialis componēs. Secundus locus S. Cirylli debet exponi sicut primus. Ad illud Nazianzeni respondet S. Damascenus, & D. Th. loco citato ad 3. quòd natura diuina dicitur Incarnata, quia est vnita carni personaliter, non quòd sit in naturam carnis conuersa: similiter & caro diciturDeificata, non per conuersionem, sed per vnionem ad Verbum, saluis suis proprietatibus naturalibus, vt intelligatur caro Deificata, quia facta est Dei Verbi caro; non quia facta sit Deus: quomodo autē sint intelligendi Sancti Patres, dum vtūtur nomine Mixtionis aut Mixturæ in hoc Mysterio, patebit ex dicēdis postea.

Ad tertium dicendum, quòd hoc nomen, Christus, est substantiuum, sicut &, Deus, homo, & similia: ad multiplicationem autem nominis substantiui, requiritur quidem multiplicatio formæ tanquam causæ formalis, sed non sufficit, quia vlterius requiritur multiplicatio suppositorum tanquam conditionis sine qua non: vnde tres Diuinæ Personæ sunt vnus Deus, propter vnitatem Deitatis: Christus etiam vnus, propter vnitatem Suppositi, licèt sint duæ naturæ. Ad aliud dicendum, quòd Christus dicitur, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: quia secundùm exteriorem speciem apparebat esse purus homo, sicut alij; cùm tamen esset simul Deus & homo: sic communiter explicant hunc locum Sancti Patres.

DVBIVM II.

Vtrum humanitas Christi Domini fuerit vnita personaliter Verbo.

SVpponendum est, quòd persona constituitur ex personalitate quasi ex actu, & ex natura quasi ex potentia: in Diuinis, quia omnia sunt vnum vbi non est oppositio relatiua; ideo personalitas non distinguitur actu realiter à natura diuina, sed tantùm virtualiter: vnde persona diuina est simplicissima, omnem excludens compositionem, quamuis ob illam virtualem distinctionem in eius eminentia repertam, non quicquid conuenit personæ, conuenit naturæ; & è contra: persona verò humana constat ex partibus realiter distinctis, scilicet natura & personalitate siue subsistentia, quæ adueniens naturæ reddit eam subsistentem siue per se stantem, & alteri incommunicabilem tãquam Supposito; cùm ex sua ratione substantiæ prius esset alteri incommunicabilis tanquam Subiecto: personæ autē ex his constitutæ conuenit esse, & operari, vt quod: vnde vt humanitas assumatur à persona diuina, eique vniatur hypostaticè, debuit priuari propria subsistentia; non quam habuerit, quia ab instanti suæ creationis assumpta fuit, sed quam naturaliter habitura erat, si non fuisset assumpta.

Prima opinio, sed hæretica, incepit à temporibus Apostolorum, quòd humanitas Christi Domini non fuerit vnita personaliter Verbo: quia aliqui tenuerunt Christum esse purum hominem; ita Carpocrates, Ebion, & Cherintus, contra quos S. Ioannes scripsit Euangelium, in quo præ cæteris Euangelistis maximè agit de diuinitate Christi Domini: hos sequuti sunt quidam dicti Gnostici, Theodorus Coriarius, & Theodorus Mopsuestenus præceptor Nestorij; qui Nestorius effectus Patriarcha Constantinopolitanus sub Theodusio iuniore hunc errorem acerrimè defendit, vnde sectam Nestorianorum à se denominatam suscitauit. Dicebat autem aliam esse personam Filij Dei à persona Filij Mariç Virginis, vnde negabat Sanctissimam Virginem genuisse Deum, asserens genuisse purum hominem: cui tamen fuisse postea vnitum Filium Dei, non quidem hypostaticè, sed accidentaliter per inhabitationem tanquam in templo, per affectum peculiarem, per operationem specialiter in ipso mirabilia operantem, & per communicationem suæ excellentiæ & dignitatis, vnde voluit ipsi communicare sua idiomata, ita vt appellatus fuerit Deus, Filius Dei, &c. Ita colligitur ex Conciliis, quæ hanc hæresim damnauerunt. Probatur tamen authoritate Sacræ Scripturæ Ioan. 2. Soluite Templū hoc. Actuum 10. postquam dictum est quòd Deus vnxisset Iesum Spiritu Sancto, subditur; Quoniam Deus erat cum illo: & c. 2. Actuū dixit S. Petrus: Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis: & tandem in Scriptura multa attribuuntur Christo, quæ sunt indigna Deo, vt quòd sit seruus, vermis, opprobrium hominum, abiectio plebis, derelictus à Deo: ergo Christus non est Deus; sed tantùm in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ait Apostolus ad Coloss. 2. vnde humanitas non est vnita Verbo personaliter.

Secundò, Probatur multiplici authoritate Sanctorum Patrum: Aug. in Enchiridio cap. 3. ait; Diuina substantia & humana vtraque est vnus Dei Filius: sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem; propter Verbum æqualis Patri, propter hominem minor. Et in Hymno, Te Deum, alloquens Filium Dei ait: Tu ad liberandum suscepturus hominem. S. Leo Epistola ad Flauianum ait; Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. S. Damasc. lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 6. ait; Id quod non est assumptum, non esse curatum. S. Basilius in Psalm. vocat Christum hominem deiferum: sed hæc omnia testimonia distingunt in Christo duas personas, vnam propriam, aliam inhabitantem; nam aliud & aliud important distinctionem suppositorum: alia verò expresè dicunt in Christo esse hominem siue personam humanam assumptam: ergo humanitas

non fuit in Christo personaliter vnita Verbo.

Tertiò, Probatur multiplici ratione. Persona Diuina non est aliud à Diuina natura: ergo cum vnio humanitatis Christi non sit facta in natura diuina, nec facta est in persona. Deinde, in Christo sunt duæ naturæ indiuiduæ intellectuales per se subsistentes; & ita sunt duæ personæ, quia ex definitione Boëtij persona nihil est aliud quàm rationalis naturæ indiuidua substantia. Item in Christo considerantur duæ generationes, scilicet diuina & humana: ergo etiam sunt duæ personæ; quia terminus, qui, generationis est persona genita. Item Christus vt Deus non continetur in aliquo genere aut specie, benè tamen vt homo, dicit enim Dionysius 1. de Diuinis nomin. Intra naturæ nostræ terminos venit, qui omnem totius naturæ ordinem supereminenter excedit: constat autem quòd sub genere ponitur suppositum siue persona, & ita in Christo est persona humana. Denique, sequuntur hæc inconuenientia: Quòd natura humana in Christo sit minoris dignitatis quàm in nobis, quia destituitur propria personalitate: Quòd beatissima Virgo generet Deum antiquiorem se, si non generat hominem: Et quòd terminus vnionis hypostaticæ, qui est persona Christi, præexistat vnioni: ergo humanitas Christi non fuit vnita Verbo personaliter.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd humanitas Christi Domini fuit vnita Verbo personaliter, & non tantùm accidentaliter, vnde vnio Verbi Incarnati dicitur facta in persona, siue in hypostasi & supposito: ac proinde in Christo est tantùm vna persona, scilicet diuina Filij, in duabus naturis Diuina & humana subsistens, in diuina tanquam in propria & connaturali naturaliter; in humana verò carente propria personalitate, ex gratia vnionis. Hæc conclusio sic declarata est communis inter Scholasticos, & Sanctos Patres tanquam de fide.

Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum, ac Sanctorum Patrum: in Scriptura quippe Christus ipse tanquam singularis persona, modo se vocat Filium Dei naturalem, & non tantùm adoptiuum; vt cum dicit: Ego & Pater vnum sumus; & hoc tam expresè vt Iudæi voluerint sæpe illum lapidare, quòd se Filium Dei faciebat, vtique naturalem; nam adoptiui sunt omnes iusti; & Deum vocabat Patrem, vtique etiam naturalem. Et S. Paulus in Epistola ad Hæbræos hanc Filiationem diuinam Christi demonstrat ex Scripturis. Modò se vocat hominem, & filium hominis sæpissimè: quòd autem sit eadem persona, hoc testimonium conuincit, dum ait; Pater maior me est: Ecce persona Filij Dei vocat Patrem maiorem se; non ratione Diuinitatis, quia est sic consubstantialis Patri, sed ratione humanitatis assumptæ & sibi vnitæ. In Conciliis etiam expresè determinatur in Christo Domino esse tantùm vnam personam, hypostasim, subsistentiam in concreto, aut suppositum (idem enim sunt.) In Ephesino enim anathematismo 3. sic habetur: Si quis post naturarum vnionem subsistentias in vno Christo diuidit, vnicuique nimirum suam propriam assignans, naturásque ea tantùm copula connectit, quæ est secundùm dignitatem, vel authoritatem; non autem ea ratione quæ est secundùm physicam vnionem, anathema sit: nomine autem physicæ siue naturalis vnionis, non intelligitur necessaria, sed vera & realis. Item, Si quis non confitetur carni secundùm subsistentiam vnitum ex Deo Patre Verbum, vnúmque esse Christum cum sua carne, eundem scilicet Deum & hominem; anathema sit. In 5. generali scilicet Constantinop. 2. Canon. 5. Si quis introducere conetur in Mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas; anathema sit. In Chalcedonensi in symbolo Fidei: Cõfitemur in nouissimis diebus Filium Dei vnigenitum in duabus naturis, inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differẽtia naturarum propter vnionem. Item, Non in duas personas partitum aut diuisum, sed vnum & eundem Filium vnigenitum, Deum Verbum, Dominum nostrum Iesum Christum confitemur. Sancti Patres sunt vniformes in hac confessione: sufficiant pauci pro omnibus. Athanasius in suo symbolo recepto & decantato à tota Ecclesia, loquens de Christo ait, Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus omninò non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Damascenus lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 3. ait; In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam autem hypostasim. His accedit communis consensus Theologorum, qui propter hanc vnitatem personæ in Christo, admittunt communicationem idiomatum, attribuentes Deo quæ sunt hominis, & è contra: vnde dicitur Deus passus, Deus mortuus, &c.

Secundò, Probatur ratione. Duo concreta non prædicantur de se inuicem, nisi eorum abstracta copulentur in eodem subiecto, aut supposito: non enim posset dici, Album est dulce, nisi albedo & dulcedo essent in vno & eodem subiecto: ergo cum secundùm fidem dicamus loquentes de Christo, Deus est homo, & homo est Deus, necessarium est quòd diuinitas & humanitas copulentur in vna & eadẽ persona, siue supposito (cum duæ substantiæ non possint esse in eodẽ subiecto) hæc autem persona non potest esse humana, vt statim dicetur: ergo est Diuina. Deinde, ex Scriptura constat Deum assumpsisse humanam naturam, iuxta illud S. Pauli: Nunquã Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: sed assumere, & apprehendere est

ad

ad se sumere, & sibi vnire: ergo Deus sibi, seu suæ Diuinæ Personæ vniuit naturam humanã, non personam, quia non est assumptibilis. Quòd autem hæc vnica persona Christi Domini sit diuina, non humana; constat tum vltima ratione, tum quia persona quæ est in Christo, est simul Deus & homo, vnde terminat simul naturam diuinam & humanam: persona autem humana non potest terminare naturam diuinam, quia diuina natura non potest ab aliquo creato perfici; constat autem quòd natura perficitur à persona qua terminatur, cùm persona satiet eius potenrialitatem & dependentiam: persona autem diuina potest terminare etiam naturam humanam, cùm possit illam perficere, vt pote continens omnem perfectionem cuiuscumque personæ creatæ: vnde persona Christi est diuina.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt Christus Dominus suum Corpus, vel suam humanitatem vocet Templum Diuinitatis suæ, non sequitur quòd non sint vnitæ Diuinitas & humanitas in vna persona: sicut licèt corpus dicatur domus animæ, non tamen hinc tollitur quin vniantur in eadem persona. Ad alium locum dicendum, quòd vel ibi intelligitur de humanitate Christi formata virtute Spiritus Sancti, & ab ipso charismatibus gratiæ vncta & decorata, cui Deus siue tota Trinitas specialiter assistebat in operatione miraculorum: vel intelligitur de toto Christo, qui dicitur vnctus per Spiritum Sanctum, inquantum fuit vnitus hypostaticè humanitati; quæ vnio, vt pote maxima gratia concessa humanitati, potest vocari vnctio per Spiritum Sanctum, cui dona gratiæ attribuuntur. Dum autem dicitur quòd Deus erat cum illo, nomine Dei intelligitur Deus Pater, personæ enim diuinæ sunt simul triplici ratione; tum quia sunt relatiuæ, relatiua autem sunt simul; tum quia identificantur cum natura diuina in qua vniuntur; tum quia Verbum mentis est intimum dicenti, sicut & amor diligenti, & insuper Verbum & amor sunt simul: & ita in hoc loco fit mentio trium personarum sanctissimæ Trinitatis. Ad aliud dicendum, quòd Deus dicitur fecisse Christum; quia totus Christus, vt importat quoddam compositum ex duabus naturis, diuina & humana vnitis in eadem persona Verbi, est terminus Incarnationis: propterea dicitur factus, quia ex vnitione humanitatis ad Verbum, quæ fuit actio totius sanctissimæ Trinitatis, resultauit Christus. Ad alia dicendum, quòd solùm probant distinctionem naturarum in Christo, ratione quarum diuersa & opposita ei attribuuntur, vnde dicitur vermis, seruus &c. ratione humanitatis: derelictus autem dicitur, quia ad manifestandam veritatem humanæ naturæ tempore Passionis, pars inferior animæ, siue secundùm potentias omnes sensitiuas, nihil solatij recepit, sed sibi relicta est ad maius meritum; vnde graui dolore afflictus, sicut & pœnis acutissimis exclamauit, non per modum dubitantis, sed dolentis tantùm, Deus meus vt quid dereliquisti me.

Ad secundum dicendum cum D.Thom. hic art. 3. ad 1. Quòd Alter importat differentiam accidentalem: Aliud substantiuè, differentiam essentialem petitam ex naturis: Alius autem, differentiam suppositi; vnde cum in Christo sint duæ naturæ essentialiter diuersæ, rectè dicitur aliud & aliud substantiuè: & ratione vnius æqualis Deo, ratione verò alterius minor. In alio loco vbi Augustinus dicit, Deum assumpsisse hominem, per hominem intelligitur natura hominis. Ad illud S.Leonis dicendũ, sicut ad primum Augustini. Ad illud S.Damasceni dicendum, quòd solùm intendit probare, Deum assumpsisse totam naturam humanam, siue integram secundùm omnes suas partes: quia secundùm omnes remanserat per peccatũ originale infirma: ad has autem non pertinet personalitas, cùm non sit de essentia rei: vnde benè probat quòd tota natura fuit curata, quia tota fuit assumpta. Ad aliud Basilij dicendum quòd non habet hanc phrasim, sed solùm vocat Carnem Christi, Deiferam, eo modo quo caro vocatur Templum Diuinitatis: & licèt habuisset talem phrasim, debebat hìc concretum, scilicet homo, sumi pro abstracto, scilicet humanitate.

Ad tertium dicendum cum D. Thom. art. 2. ad 1. quòd licèt in Deo non sit aliud secundùm rem, natura & persona, differt tamen secundùm modum significandi; quia persona significat per modum subsistentis: siue licèt non differant actu realiter, differunt tamen virtualirer: & quia natura humana sic vnitur Verbo, vt Verbum in ea subsistat; non autem vt aliquid addatur ei ad rationem suæ naturæ, vel vt eius natura in aliud transmutetur; ideo vnio humanæ naturæ ad Verbum Dei facta est in persona, non in natura: ad hanc enim diuersitatem sufficit distinctio virtualis, ratione cuius attribuimus personæ quæ sunt de conceptu ipsius, & non amplius; sicut & naturæ: quamuis autem per se primò tantùm diuina persona sit vnita humanitati, per se tamen secundariò etiam diuina natura dicitur ipsi vnita, sed in eadem persona. Ad aliud dicendum, quòd quia humanitas non fuit assumpta per propriam subsistentiam completã; ideo subsistit subsistentiã Verbi: sola autem subsistentia multiplicat personas, quia non quælibet natura rationalis indiuidua est persona, sed natura per subsistenriam completa. Ad aliud dicendum quòd in generatione non est necesse, quòd persona aliqua simpliciter producatur, sufficit enim quòd alicui communicetur natura, vt fit in generatione humana Christi; vnde in illa non producitur eius persona simpliciter; præsupponitur enim producta per generationẽ diuinam

diuinam ab æterno; ſed dicitur producta ſecundùm quid, ideſt inquantùm homo, quia ei communicatur natura humana. Ad aliud dicendum quòd in prædicamentis non ponuntur per ſe perſonæ, ſiue ratione ſui, ſed ratione naturæ: ſiue ponitur concretum naturæ, & ita Chriſtus vt homo in eis ponitur, non vt Deus. Ad aliud dicendum, quòd maior aduenit dignitas humanitati, per hoc quòd ſubſiſtat perſonalitate diuina, quàm haberet per propriam. Beatiſſima autem Virgo non generat Deum vt Deus eſt reduplicatiuè: ſed vt homo eſt; ſic enim non eſt antiquior ipsâ: ſub hac etiam ratione eſt terminus vnionis hypoſtaticæ, cui ſub hac ratione non præſupponitur.

DVBIVM III.

Vtrùm perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit compoſita.

SVpponendum eſt, quòd licet perſona Chriſti Domini, ſit perſona diuina Filij Dei ſubſtantialiter & realiter: in hoc tamen eſt aliqua differentia; nam perſona Filij Dei vt ſic præcisè, importat ſeipſam tantùm vt ſubſiſtentem in natura diuina quam terminat: perſona autem Chriſti importat eandem met perſonam Filij Dei, vt de nouo terminantem naturam humanam, & ſimul ſubſiſtentem in vtraque natura, diuina ſcilicet & humana: vnde perſona Filij Dei ante Incarnationem erat tantummodo diuina: poſt Incarnationem verò eſt ſimul diuina & humana, diuina quidem, tum in ſua entitate, tum quia terminat naturam diuinam: humana autem, ſolummodo quia terminat naturam humanam, faciens quicquid faceret perſona purè humana, ſi in humanitate Chriſti ſubſiſteret.

Prima opinio Scoti negat perſonam Chriſti Domini poſt Incarnationem eſſe compoſitam. Probatur; De ratione propriæ compoſitionis eſt, quòd ex illa reſultet aliquod totum, habens formam totalem, ſub qua contineantur omnia quę ſunt in illo: ſed hoc non reperitur in perſona Chriſti Domini vt patet; maximè quia compoſitum reſultat ex componentibus: conſtat autem quòd perſona Chriſti Domini non reſultat ex diuinitate & humanitate; aliàs humanitas vt pars componens eſſet prior ipsâ perſonâ: ergo perſona Chriſti Domini non eſt compoſita.

Secundò, in omni compoſitione eſt imperfectio ex parte vtriuſque componentis: tum quia vtrumque eſt pars: tum ex ratione peculiari, quia vnum eſt potentia receptiua, aliud actus receptus: ſed perſona diuina Chriſti non poteſt eſſe pars ex D. Aug. lib. 3. contra Maximum cap. 1. Nec actus receptus, cùm receptio importet limitationem: ergo perſona Chriſti non eſt compoſita. Maximè quia ex D. Thom. 4. contra gentes cap. 49. Ratio ſubſiſtendi conſtitutiua perſonæ, in Chriſto eſt vnica & ſimpliciſſima.

Tertiò, ſi perſona Chriſti dicenda eſſet cōpoſita, maximè eſſet quia eius perſonalitas vnitur cum natura humana, & facit vnum per ſe: ſed hoc eſt falſum, quia cùm natura ante aduentum perſonalitatis ſit quoddam ens completum, non poteſt eſſe pars compoſitionis per ſe, ſed tantùm accidentariæ. Deinde, ſi perſona Chriſti eſſet verè compoſita, æquè diceretur humana ac diuina: ac proinde ſimpliciter eſſet dicenda perſona humana, ſicut ſimpliciter dicitur diuina: quod tamen eſt falſum, & contra Concilia; nam ſimiliter poſſet dici ſine addito Creatura, Facta &c.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd perſona Chriſti Domini poſt Incarnationem, eſt verè & propriè compoſita ex duabus naturis diuina & humana: 2. Inſuper in Chriſto inueniuntur multæ compoſitiones per ſe; ſcilicet ex ſuppoſito Verbi & humanitate: 3. Ex perſonalitate Verbi & eadem humanitate: 4. Aliquo modo etiam ex diuina & humana natura: 5. Et tandē ex anima rationali & carne. 6. Vnde licèt perſona Chriſti, perſona Meſſiæ ſit dicenda ſimpliciter compoſita; non tamen perſona Filij Dei, aut Verbi diuini; ſed tantùm cum addito, ſcilicet Incarnati, vel in quantum homo.

Probatur prima pars concluſionis (quam communiter ſequuntur Theologi cum D. Th. hîc art. 4. Et licet aliqui vocent hanc compoſitionem ineffabilem: hoc tamen non diminuit veritatem compoſitionis, ſed tantùm ab ea excludit imperfectionem: ſicut etiam vnio vera Verbi diuini ad humanitatem dicitur ineffabilis) authoritate Conciliorum, & Sāctorum Patrum. In Concilio generali. 5. collatione 8. Can. 4. ſic habetur: Sancta Eccleſia vnionem Verbi Dei ad carnem ſecundùm compoſitionem fatetur, quæ eſt ſecundùm ſubſtantiam. Item; Si quis non confiteatur vnitatem Dei Verbi ad carnem animatā anima rationali & intellectuali, ſecundùm compoſitionem, ſiue ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut Sancti Patres docuerunt; & ideo vnam eius ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnus de ſancta Trinitate; anathema ſit. Et Canone 7. Chriſtus duas habet naturas, ex quibus eſt compoſitus. In Concilio 6. generali Actione 4. Confitemur Chriſtum ex duabus naturis compoſitum: Et in Lateranenſi 1. Can. 8. Si quis non confitetur propriè & verè ſecundùm compoſitionem, ideſt ſecundùm ſubſiſtentiam naturalem vnionem ex quibus vnus & ſolus extitit Chriſtus inconfuſè, & indiuiſè in eo cognitam; ſit condemnatus: vnde ſolutio Scoti quòd Concilia non ſint intelligenda de compoſitione propria, ſed tantum metaphorica, id eſt, de vnione duarum naturarum in vna & eadem perſona, licèt ipſum excuſet ab errore, non tamen ſoluit

plenè

plenè has authoritates; non enim est admittendum quòd Concilia loquantur impropriè: maximè in re tanti momenti. Sancti Patres sunt perpetui in hac sententia. S. Bernardus serm. 3. Natiuitatis, & Aug. Epist. 3. ad Volusianum. Nazianzenus Serm. de Paschate, & Tertullian. de Carne Christi cap. 15. vocant Incarnationem Mixturam, & Mixtionem Dei & hominis, Christúmque esse hominem Deo Mixtum dicunt. Dionys. 4. De diuinis nominibus vocat Mysterium Incarnationis compositionem ineffabilem. Damascenus 3. Orthodoxæ fidei cap. 3. ait; In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam autem hypostasim ex vtraque compositam. Idem Aug. 3. de Trinitate cap. 17. Ex duabus substantiis facta fuit vna persona. Deinde probatur ratione D. Thom. sic expensa. Licèt in Christo sit tantùm vna persona subsistens: est tamen alia & alia ratio subsistendi, quia subsistit ex duabus & in duabus naturis, diuina videlicet & humana: vnde est simul persona diuina & humana, vt dictum est, quia persona non solum includit intrinsecè subsistentiam siue personalitatem, sed etiam naturam, ita vt ex vtraque resultet persona: sed vbi est duplex ratio subsistendi, si non sit duplex persona, sicut in Christo, erit vna composita, inquantum vnum duobus subsistit: ergo persona Christi Domini post Incarnationem est verè & propriè composita ex duabus naturis diuina & humana: maximè quia talis persona æquiualet duabus, & idem facit quod facerent duæ, nempe ipsa diuina, & humana, si adesset. Deniquè, illa persona est verè & propriè composita, cui attribuuntur in concreto prædicata essentialia disparata, imò opposita: quia cùm ex Dialecticis prædicatio fundetur in aliqua identitate & vnitate subiecti cum prædicato, vbi prædicata sunt substantialia disparata & opposita, subiectum non potest esse aliquid simplex, sed necessariò est compositum, cùm eidem simplici opposita substantialia repugnent; hoc enim est fundamentum cur duo contradictoria non possint esse simul vera aut falsa: sed personæ Christi Domini post Incarnationem attribuuntur in concreto prædicata essentialia disparata, imò opposita; nam illa met persona secundùm fidem verè dicitur Deus, Filius Dei, Verbum Patris: & simul dicitur verus homo, filius hominis, Filius Mariæ Virginis: Ergo persona Christi Domini post Incarnationem est verè & propriè composita ex duabus naturis, diuina, & humana.

Probatur secunda pars conclusionis: tum ex illo Athanasij: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus: quo indicatur fieri compositionem ex Deo Filio & humanitate, sicut ex anima rationali & carne. Deinde, vbi sunt aliqua vnita per modum actus & potentiæ substantialis, ibi est vera compositio, vt patet inductione; & est compositio per se; sicut quando potentia est in vno genere, & actus in alio, est compositio per accidens, sicut ex subiecto & accidente: sed in Christo suppositum Verbi & humanitas vniuntur vt duo extrema, quorum vnum scilicet humanitas est potentia, suppositum autem Verbi est actus terminans, secundùm fidem: & licèt non informet, tamen intimè vnitur, & eminentiori modo facit quod faceret persona humana: Ergo in Christo est compositio per se ex supposito Verbi & humanitate.

Probatur tertia pars conclusionis. Ex Basilio 2. contra Eunomium; Cōpositum est illud, quod vnum cùm sit, ex diuersis constat: sed persona Christi vna existens, constat ex personalitate Verbi & humanitate: nam ex personalitate Verbi & humanitate, extremis realiter distinctis, vnitis tamen, resultat vnum per se, nempe Christus; non minus ac ex natura humana & propria personalitate resultat v. g. Petrus: ergo sicut Petrus est compositus ex humanitate & propria personalitate; sic Christus est compositus ex personalitate Verbi & humanitate. Deinde, ad faciendam veram compositionem hæc quatuor requiruntur, & sufficiunt, scilicet; Quòd extrema sint realiter distincta. Quòd sint realiter vnita. Quòd in eodem supposito. Quòd vnum habeat rationem actus & aliud rationem potentiæ: sed hæc omnia reperiuntur in præsenti; nam personalitas Verbi & humanitas realiter distinguntur, vt patet; realiter vniuntur, secùndùm fidem, in eodem supposito Verbi siue persona: licèt enim persona & personalitas Verbi idem sint secundùm rem, differunt tamen secundùm diuersum modum significandi, siue virtualiter; quod sufficit adhoc, vt personalitas dicatur vnita cum humanitate in persona Verbi: sicut eadem distinctio sufficit, vt natura diuina & humana dicantur vnitæ substantialiter in persona Verbi: & tandem personalitas est actus, non quidem informans, benè tamen actuans & complens humanitatem vt potentiam metaphysicam, non minus ac terminaret & compleret propria personalitas; imò perfectius: ergo in Christo est compositio per se ex personalitate Verbi & humanitate.

Probatur quarta pars conclusionis: tum ex Epistola Agathonis Papæ approbata in 6. Synodo generali, Act. 4. Vbi loquens de duabus naturis Christi Domini, sic habet circa medium; Ex quibus inconfusè, inseparabiliter, & incommutabiliter est compositus. Idem docet Damascenus supra citatus dicens: In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam autem hypostasim ex vtraque compositam. Deinde, Diuina & humana natura realiter distinctę vniuntur, quamuis mediatè, in persona Verbi Diuini, ad constituendum vnum Christum Deum & hominem: ergo aliquo modo faciunt compositionem,

tionem, alioquin confusè se haberent, sicut duo lapides vniti: non tamen est rigorosa compositio, quia non vniuntur per modum actus & potentiæ. Nec obstat si dicatur, quòd tres diuinæ personæ vniuntur in natura diuina, & tamen non faciunt compositionem. Item totum compositum est perfectius qualibet parte sua componente. Constat autem quòd natura diuina simul cum humana non plus dicunt perfectionis, quàm sola humana. Similiter totum compositum est sua componentia simul sumpta: & tamen in Concilio Constantiensi sess. 14. damnatur hæc propositio; Duæ naturæ diuinitas & humanitas sunt vnus Christus: & meritò, alioquin posset dici quòd diuinitas & humanitas sint passæ. Ad primum enim dicendum, quòd tres diuinæ personæ, qua parte sunt quid vnum, non faciunt compositionem, sed identitatem: qua verò parte distinguntur ex oppositione, potius se mutuò excludunt, quàm vniantur; vnde nec sic faciunt compositionem. Ad aliud dicendum, quòd Maior est vera, quando componentia sunt partes; non autem quando sunt extrema tantùm, ad instar compositionis numerorum, vt hic contingit. Vel dicendum, quòd est vera de maiori perfectione extensiua, non verò de intensiua, quam hic concedimus. Ad aliud dicendum concessa Maiore, quòd Minor damnatur, non in sensu composito, sic enim admittitur à Sanctis Patribus. Aug. in Enchiridio cap. 38. Leone Epist. 11. ad Iulianum. Damasc. 3. de fide orthodoxa cap. 19. Imò in Concilio Arelarensi can. 1. & admittitur communiter in sensu identico à Theologis: sed damnatur in sensu diuiso, vt accipiebatur ab hæreticis, quasi Christus diuisim esset humanitas & diuinitas. Nec sequela valet: quia in propositionibus attenditur sensus formalis; non autem materialis & identicus; vnde talis propositio non debet simpliciter concedi, sed exponi.

Probatur quinta pars conclusionis: tum authoritate Concilij Lateranensis cap. Firmiter. vbi sic ait de Christo: Verus homo factus ex anima rationali & humana carne compositus. Deinde, Christus secundùm fidem est verus homo, veram habens humanitatem: sed humanitas constat ex anima rationali & carne vnitis, vt patet: ergo in Christo Domino est compositio ex anima rationali & carne. Ex dictis manifesta est sexta pars conclusionis.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad compositionem veram non est necessarium, vt resultet totum habens formam totalem, sub qua contineantur omnia quæ sunt in illo: sed tantùm requiritur, vt totum resultans comprehendat in se ipso omnia sua componentia, quæ simul vnita ipsum constituant: vt patet in compositione metaphysica ex natura & propria subsistentia, vel ex supposito & esse; cui assimilatur præsens compositio: nisi per formam totalem intelligatur quicumque actus; tunc enim vera esset Maior; & in præsenti subsistentia diuina vt terminans in Christo vtramque naturam, & omnia quæ in eo sunt, esset illa forma totalis. Ad aliud dicendum, quòd persona Christi resultat ex componentibus; non quidem secundùm suam entitatem; sed vt est persona duarum naturarum diuinæ & humanæ simul: sic enim tantùm est composita.

Ad secundum dicendum cum D. Thom. hic ad 1. Quòd ista compositio personæ ex naturis, non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri siue extremorum: quia non est ibi actus receptus, nec potentia recipiens. Nec requiritur quòd actus sit receptus per modum formæ, sufficit quòd intimè vniatur & terminet, vt contingit in præsenti. Ad aliud dicendum, quòd in Christi persona est alia, & alia ratio subsistendi: cùm subsistat in duabus naturis, vt docet D. Thom. in præsenti: quamuis subsistere simpliciter conueniat ipsi tantùm ratione diuinitatis: propterea D. Thom. in illo loco optimè dicit, quòd ratio subsistendi constitutiua personæ (simpliciter) in Christo, est vnica & simplicissima.

Ad tertium dicendum, quòd licèt natura humana ante aduentum personalitatis, sit ens completum physicè, & propterea in compositione physica non potest esse pars: tamen est quid incompletum metaphysicè, & ita potest in compositione metaphysica esse pars, & talis compositio est per se, non quidem essentialis, sed substantialis, & non accidentaria. Ad aliud dicendum, quòd persona Christi potest quidem dici humana, ab officio & munere terminandi humanitatem, non autem æquè ac dicitur diuina: nec absolutè, quia in sua entitate est purè diuina, & simul terminat naturam diuinam: vnde si absolutè diceretur humana, esset occasio erroris Nestorianorum admittentium in Christo, tam personam diuinam, quàm purè humanam.

DVBIVM IV.

Quid sit terminus Vnionis hypostaticæ.

Svpponendum est, nomine Vnionis hypostaticæ tria posse intelligi. Primùm est actio vnitiua, tenens se ex parte trium diuinarum Personarum indiuisè operantium ad extra, per eandem indiuisam omnipotentiam, cùm sint vnus Deus: & in præsenti vnientium humanitatem cum personalitate Verbi: cùm enim talis coniunctio & vnio sit effectus ad extra, procedit effectiuè à tota Sanctissima Trinitate, ex communi axiomate Theologico: hæc autem actio est quid increatum, importat enim actum diuini intellectus exequentis, connotando actum diuinæ voluntatis hoc decernentis. Secundum est,

eſt, formalis vnio ſiue coniunctio Verbi diuini, & humanitatis,quę eſt terminus prædictę actionis vnitiuæ: vnde poteſt dici vnio paſſiua, ſicut prima dicitur vnio actiua, eo prorſus modo quo actio vnitiua animæ cum materia, dicitur generatio actiua: formalis verò coniunctio & vnio vtriuſque dicitur generatio paſſiua. Tertium eſt, relatio reſultans ex tali coniunctione; realis quidem ex parte humanitatis aſſumptæ, quia per talem vnionem & aſſumptionem realiter mutatur, incipit enim ſubſiſtere;quæ realis mutatio eſt fundamentum relationis realis: rationis autem ex parte Verbi & diuinæ naturæ, quia per hanc vnionem Deus non mutatur, vt habet D.Thom. hîc art.7. vocatur tamen ab ipſo relatio æquiparantiæ: non quòd ſit eodem modo in vtroque extremo; ſed quia eodem modo vtrumque denominat, ſcilicet vnitum. Quia verò duplex eſt terminus actionis, videlicet totalis, & formalis: totalis eſt totum ex ipſa reſultans, v.g. totum compoſitum in generatione: formalis autem eſt id quod per actionem communicatur termino totali, & quo conſtat, vt natura humana in generatione. In præſenti difficultate. Conueniunt omnes, quòd totus Chriſtus, ſiue perſona ſubſiſtens ſimul in natura diuina & humana, eſt terminus totalis Incarnationis ſiue vnitionis hypoſtaticæ: ſolùm differunt in termino formali; & de hoc quæritur.

Prima opinio eſt Suaris, Vaſquis, Yſamberti, & plurium aliorum extra ſcholam D.Thom. quam etiam nonnulli recentiores Thomiſtæ ſequuntur, quæque attribuitur Scoto, Durando, & aliis: quòd terminus formalis Incarnationis eſt quidam modus ſubſtantialis in humanitate productus,realiter modaliter ab ipſa humanitate diſtinctus; quo formaliter perſona Verbi vnitur cum humanitate: differunt autem inter ſe prædicti authores, quòd Suares & alij dicunt hunc modum vnionis eſſe omninò abſolutum. Alij vt Vaſques dicunt eſſe relatiuum, ſiue relationem ſubſtantialem, fundamentum relationis accidentalis. Alij denique vt Yſambertus medium tenent, dicentes quòd non eſt omninò & ſimpliciter abſolutus, ſed relatiuus. Non deſunt etiam Alij, qui dicunt hunc modum eſſe accidentalem. Rationes in quibus differunt, non pertinent ad nos; ſed ſolùm illæ, in quibus conueniunt dari iſtum modum vnionis hypoſtaticæ. Probatur primò authoritate D.Thom. hîc art.7. vbi dicit, quòd vnio naturæ diuinæ & humanæ ſit aliquid creatum;& licèt nomine Vnionis, intelligat relationem, non poteſt fieri quòd ſit relatio prædicamentalis, ſed debet eſſe tranſcendentalis, ac proinde prædictus modus vnionis ſubſtantialis, quo formaliter diuina natura & humana vniuntur.

Secundò, nulla datur actio vera ſine termino formali producto: quia in omni actione eſt agere, & facere; ſiue producere; & conſequenter correſpondet ei ex parte patientis agi, fieri, & produci: & propterea in transſubſtantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ponitur pro termino eius formali aliquis modus ſubſtantialis: ergo cùm vnitio hypoſtatica ſit vera actio, terminus eius formalis eſt modus ſubſtantialis vnionis hypoſtaticæ: alioquin relatio realis humanitatis vnitæ ad Verbum eſſet ſine fundamento.

Tertiò, poſt Incarnationem humanitas & Verbum, quæ ſunt extrema vnita, alio modo inter ſe referuntur, ac antea: quia antea non erant vnita, poſtea verò ſunt vnita: ita vt humanitas verè dependeat in ſuo ſubſiſtere & exiſtere à Verbo: ſed hæc non poſſunt fieri, niſi adſit aliqua mutatio, vt patet; alioquin eodem modo ſe haberent poſt, ac antea: conſtat autem quòd hæc mutatio non poteſt ſe tenere ex parte Verbi Diuini immutabilis: ergo ſe tenet ex parte humanitatis, in quantùm acquirit nouum modum eſſendi, qui eſt noua aliqua formalitas in rerum natura.

Conclusio.

Respondeo dicendum, quòd terminus totalis vnionis hypoſtaticæ, eſt totus Chriſtus, continens aliquid increatum, & aliquid creatum: 2. Terminus verò formalis eſt ſubſiſtentia Verbi, vt communicata humanitati: 3. Non autem modus aliquis ſubſtantialis, ſiue abſolutus, ſiue relatiuus, qui ſit medium vniens Verbum cum humanitate. Ita Caietanus hîc art.10. ad 1. Aluarez diſp.13. & communiter alij Thomiſtæ.

Probatur breuiter prima pars concluſionis, in qua penè omnes conueniunt. Terminus totalis alicuius actionis vnitiuæ, eſt totum compoſitum ex tali vnione reſultans, vt patet in generatione humana, in qua vnitur anima corpori, & totum compoſitum ex anima & corpore eſt terminus totalis illius, & ſic de aliis: talis enim actio habet pro fine, vniendo partes, producere totum: ergo cùm totus Chriſtus ſit totum compoſitum reſultans ex vnione Verbi Diuini cum humanitate, eſt terminus totalis vnionis hypoſtaticæ, continens aliquid increatum ſcilicet ſuppoſitum Verbi cum natura diuina, & aliquid creatum ſcilicet naturam humanam.

Probatur ſecunda pars concluſionis: tum authoritate D.Thom. hîc art. 6.7. & 8. vbi explicans terminum formalem vnionis hypoſtaticæ, docet eſſe quid increatum: quod non poteſt eſſe aliud, quàm ſubſiſtentia Verbi vt communicata humanitati. Deinde, in omni actione vnitiua extremorum, quorum vnum ſit actus, & aliud potentia; illud quod habet rationem actus; eſt terminus formalis talis actionis, per talem enim actionem communicatur actus ipſi potentiæ, vel receptiuæ illius, vel terminabilis per illum: propriè enim actus communicatur potentiæ, & non è contra: quod totum patet tum in vnione

actus phyſici ſiue animæ cum potentia materiæ, tum in vnione actus metaphyſici ſcilicet ſubſiſtentiæ cum potentia eſſentiæ;& ipſius eſſe,ſiue exiſtentiæ cum ſuppoſito receptiuo ipſius: licèt enim hæc omnia per vnam actionem completa fiant; tamen actio vt virtualem admittit diſtinctionem, habet ſemper pro termino formali, illud quod eſt actus in toto reſultãte ex tali actione: ſed in Verbo vt terminante naturam humanam, eius diuina ſubſiſtentia vt communicata humanitati, eſt verus actus terminans: & humanitas eſt potentia terminata, vt fatentur omnes: ergo terminus formalis vnionis hypoſtaticæ eſt ſubſiſtentia Verbi vt communicata humanitati: quod debet intelligi de termino primario; nam ſecundarius eſt exiſtentia diuina: quia, vt dicetur dubio ſequenti, humanitati fuit etiam communicata exiſtentia diuina Verbi: conſtat autem quòd hic terminus formalis eſt ſimpliciter quid increatum.

Probatur tertia pars concluſionis. Authoritate D.Thom. 4. contra gentes cap. 41. vbi ait, quòd nihil in rebus naturalibus inuenitur huic vnioni tam ſimile,ſicut vnio animæ intellectualis ad corpus: ſed tam in generatione, quàm in reſurrectione anima intellectualis vnitur corpori immediatè ſeipſa, ſecluſo omni modo ſubſtantiali vniunis,vt fusè probauimus in Phyſicis ex eodem D. Th. & communi conſenſu Thomiſtarum: ergo non datur modus aliquis ſubſtantialis, qui ſit medium vniens Verbum cum humanitate. Hic autem D. Thom. loquitur de vnione animæ ad corpus tanquam ad comparter: non verò tanquam ad inſtrumentum tantùm vt aliqui volunt. Deinde, vel talis modus eſſet neceſſarius ad diſponendam humanitatem ad vnionem Verbi:vel ad illam formaliter vniẽdam,quaſi non poſſit eſſe,aut intelligi vnita ſine ipſo. Non aſſerunt primum aduerſarij; nam humanitas carens propria ſubſiſtentia, ratione potentiæ obedientialis eſt ſufficienter diſpoſita ad vnionem. Secundum dici non poteſt; quia Verbum Diuinum ſine vllo ſibi ſuperaddito, eſt æquè vnitum humanitati, ac humanitas ipſi. Denique ſubſiſtentia propria vnitur humanitati immediatè ſeipſa: ergo & ſubſiſtentia Verbi illam ſupplens. Nec valet reſponſio dicentium, eſſe diſparitatem in hoc, quòd ſubſiſtentia creata eſt modus aut forma: Nam contra: ſubſiſtentia Verbi ſupplet quidem præcisè ſubſiſtentiam, non autem modum eius, quia eminentiori modo, ſcilicet terminando: ad hoc tamen non requiritur medium, ſicut nec requiritur ad hoc vt Diuina eſſentia immediatè vniatur & terminet per modum obiecti cogniti intellectũ creatum; quamuis in ipſo præ requiratur lumen gloriæ tanquam diſpoſitio, eleuans ipſum ad ordinem ſupernaturalem,& reddens ipſum potentiam proportionatam obiecto, & actui eliciendo, quod præſupponitur ad vnionem obiecti cum potentia, quæ eſt tantùm accidentalis, & non ſubſtantialis vt iſta: maximè quia actus per ſe & potentia per ſe vniuntur per ſe;non ſolùm vt ly, per ſe, dicit vnionem eſſentialem aut ſubſtantialem oppoſitam accidentariæ; ſed etiã vt dicit vnionem immediatam, vt patet inductione in omnibus: ergo cùm ſubſiſtentia Verbi ſit actus per ſe humanitatis aſſumptæ per modum potentiæ, ei immediatè vnitur; & non mediante iſto modo vnionis:cùm enim non ſit actus per ſe humanitatis, non poteſt ſeipſo vniri cum ipſa; ſi enim actui per ſe hoc non competit, multò minus actui per accidens,& ita vniretur medio alio modo, & iſte mediante alio, & ſic in infinitum.

Ad primum ergo dicendum, quòd D.Th. per vnionem hic intelligit relationem realem prædicamentalem, exiſtentem in humanitate, vt patet ex ipſo textu eiuſdem articuli, & maximè in reſponſione ad 2. vbi hanc relationem diſtinguit à natura humana, tanquam à ſubiecto: conſtat autem quòd relatio tranſcendentalis non diſtinguitur à re:& clarius in articulo ſequenti. Deinde relatio tranſcendentalis eſt ita intima rei, vt ſit eſſentialis, aut ſaltem omninò inſeparabilis:quod dici non poteſt de iſto modo vnionis, ſi daretur: vnde D. Thom. vocando hanc vnionem,relationem,intellexit relationem prædicamentalem, & non potuit intelligere tranſcendentalem.

Ad ſecundum dicendum, quòd per omnem actionem agitur, & fit aliquid: non autem ſemper producitur aliquid; quia actiones ſunt in multiplici differentia: quædam ſunt productiuæ, & hæ aliquid producunt: aliæ ſunt vnitiuæ, & hæ nihil producunt; ſed hoc quod faciunt, eſt vnire extrema: aliæ ſunt acquiſitiuæ termini, & hæ etiam nihil producunt. Ad inſtantiam dicendum, quòd eſt diſparitas: nam tranſſubſtantiatio non eſt actio vnitiua, vt iſta, ſed eſt actio conuerſiua terminata ad Corpus & Sanguinem Chriſti, ſecundùm nouum modum exiſtendi ſub ſpeciebus Sacramentalibus,vt cõmuniter docent Thomiſtæ: vnde non mirum ſi terminus eius formalis ſit aliquis modus ſubſtantialis in humanitate: Incarnatio autem eſt tantùm actio vnitiua partium, ſiue extremorum immediatè inter ſe, vt dictum eſt. Ad aliud dicendum, quòd realis mutatio humanitatis, per hoc quòd ponatur extra cauſas, & ſimul terminetur ſubſiſtentia Verbi Diuini, eſt fundamentum relationis realis vnionis,exiſtẽtis in ipſa humanitate;& relationis rationis,quæ eſt in Verbo.

Ad tertium dicendum, quòd humanitas per hoc quòd ſubſiſtat ſubſiſtentiâ Verbi, mutatur, & nouo modo ſe habet; non per modum illum ſubſtantialem, ſed per acquiſitionem ſubſiſtentiæ diuinæ: ſicut anima rationalis vnita alio modo ſe habet ac ſeparata; non per acquiſitionem noui modi ſubſtantialis quo vniatur,ſed per immediatam

mediatam coniunctionem, quæ exprimitur per actuationem quasi actiuam ex parte eius,& passiuam ex parte materiæ: & sic proportione seruata in præsenti. Vnde non quotiescumque aliquid se habet nouo modo,acquirit aliquem modum substantialem, sed sufficit quòd sit in ipso aliqua mutatio per acquisitionem, vel amissionem alicuius: sicut patet in agente, quod dum agit, dicitur alio modo se habere ac antea; quia de nouo est in actu secundo: vnde pari modo humanitas Christi habet se alio modo post Incarnationem,quia de nouo subsistit & actuatur per subsistentiam Verbi: & hoc docet D. Th. hîc art. 8.

DVBIVM V.

Vtrùm per Vnionem hypostaticam communicata fuerit humanitati, non solùm subsistentia, sed etiam existentia Verbi.

SVpponendum est ex D.Thoma hîc artic.8. quòd Vnio hypostatica non est omninò idem, quod assumptio: licèt enim realiter idem sit assumptio humanitatis ad personam Verbi, quod vnio hypostatica Verbi cum humanitate: in tribus tamen differunt. Primò,quia vnio importat relationem; assumptio verò importat actionem & passionem. Secundò; quia assumptio dicitur sicut in fieri; vnio verò sicut in facto esse. Tertiò, quia assumptio importat terminum à quo,& ad quem ipsius actionis;assumptio enim est alicuius ad se sumptio: propterea assumi competit humanitati,non autem Verbo, aut Diuinitati;vnio verò nihil horum importat; vnde tam humanitati, quàm Verbo & Diuinitati competit vniri.Hæc autem vnio est quidem maxima vnionum; si attendatur id in quo coniunguntur extrema, scilicet terminus ipsius vnionis,persona Christi,quæ licèt in duabus naturis subsistens, remanet maximè vna res. Hoc docet Aug. lib.1. de Trinitate cap. 10. Ex parte verò extremorum quæ coniunguntur, non est maxima vnionum: maior est enim diuinarum Personarum vnio in eadem natura diuina,& inter se; vt ibidem docet D.Thom.

Supponendum est secundò ex dictis in Metaphysica, iuxta communem doctrinam Thomistarum, quòd in supposito tria reperiuntur, ex quibus substantialiter componitur: videlicet natura siue essentia actualis quæ in suo conceptu importat tantùm prædicata quidditatiua & essentialia, qualis est humanitas in homine, & hæc exprimitur in concreto per definitionem. Secundum, est subsistentia siue suppositalitas,& in creaturis intellectualibus personalitas, & ratio hypostatica: hæc enim quatuor idem sunt in talibus creaturis: ex subsistentia autem & natura resultat suppositum, siue persona in intellectualibus, tanquam compositum ex vtraque; ex natura quidem vt potentia metaphysica, ex subsistentia autem vt actu metaphysico; suppositum autem est ipsum totum habens naturam & subsistentiam tanquam partes. Tertium, est existentia,vltimus actus metaphysicus, siue esse quo tam suppositum cõstitutum,quàm ipsa natura in supposito vltimò complentur, & actuantur. Hæc tria distinguuntur realiter inter se, & se habent prædicto ordine, vt clarè docet D.Thom. infra qu.17. art. 2. ad 1. vbi ait: Esse consequitur naturam non sicut habentem esse, sed qua aliquid est: personam autem siue hypostasim, sicut habentem esse. Hic autem ordo, siue prioritas & posterioritas inter hæc tria, non est temporis,sed naturæ: eodem quippe instanti, & per eandem actionem hæc tria producuntur:Primò enim terminatur ad essentiam actualem incompletè positam extra causas:Secundò, sed simul duratione, ad subsistentiam: Tertiò, ad existentiam qua essentia completè ponitur extra causas, & hîc terminatur actio quantùm ad terminum primarium: nam secundarius sunt proprietates.Ex quo sequitur quòd quamuis in fieri productio humanitatis Christi præcesserit eius assumptionem, non tamen in facto esse;quia, vt dictum est, productio non completur, siue non est perfecta, donec sit producta, aut saltem communicata existentia naturæ: vnde S. Leo epist. 11. ad Iulium Episcopum ait: Natura quippe nostra assumpta est, non vt prius creata assumeretur,sedvt ipsa assumptione crearetur. Igitur hîc reperiuntur duæ actiones,scilicet creatio inchoata humanitatis, & assumptio provt importat communicationem actiuam diuinæ subsistentiæ, quæ est complementum, sed extrinsecum creationis, cùm sint in diuerso ordine; naturali quidem, creatio; supernaturali autem, assumptio. Quamuis autem assumptio sic sumpta sit communis toti Trinitati per modum principij actiui: tamen vt significat vnionem formalem diuinæ subsistentiæ à Deo per modum actus purè terminantis, est propria solius Filij;& est idem assumptio,ac ad se sumptio.

Prima opinio Scoti in 3. d.6. q.1. Vasquis infra qu.17.art.1. Suaris ibidem art. 2. & aliorum, asserit humanitatem Christi habere propriam existentiam: vnde non fuit illi communicata existentia Verbi; imò iudicat impossibile,quòd aliqua res creata sit in rerum natura per existẽtiam Dei increatam. Probatur authoritate septimæ Synodi, Actione 6. vbi admittitur distinctio naturæ ab hypostasi, facta à quodam Epiphanio Episcopo: quòd natura in Christo tantùm dicit humanitatem existentem,hypostasis autem addit subsistentiam. Item Damasceni lib. 3. fidei orthodoxæ cap.3. vbi ait, Verbum assumpsisse humanitatem, non priuatam existentiã, & c.11. expressè dicit humanitatem habuisse existentiam in Verbo, non per Verbum. Denique D.Thom. q. de vnione Verbi Incarnati art.4. in

disputatis ait; Christus est vnus simpliciter propter vnitatem suppositi, & duo secundùm quid propter duas naturas. Et ad 1. respondet, quòd esse humanæ naturæ non est esse diuinæ: ergo per vnionem hypostaticam non fuit communicata humanitati Christi existentia Verbi.

Secundò, humanitas Christi fuit producta per actionem distinctam ab assumptione, scilicet per creationem, quæ ex D.Thom. terminatur ad esse; & ex eodem D.Thom. assumptio præsupponit rem assumendam, quia vt ait infra qu.4. art.2. & 3. Id quod assumitur, non est terminus assumptionis, sed præintelligitur assumptioni: si autem præsupponitur assumptioni, vt res actualis in rerum natura, & extra causas singularis, vtique præsupponitur existens; nam esse actuale in rerum natura, & extra causas singulare, sunt effectus formales ipsius existentiæ. Insuper D.Thom. infra q.6.art.2.docet Verbum assumpsisse animam mediante intellectu siue mente, mens autem vt pote accidens, non potest intelligi, nisi in anima prius natura existente: ergo per vnionem hypostaticam non fuit communicata humanitati existentia Verbi.

Tertiò, ex opposito sequuntur hæc inconuenientia. Primum, quòd in Christo non sit viuere humanum: quia ex Aristotele 2. de anima cap.4. viuere in viuentibus est esse: in Christo autem non esset esse humanum. Secundum, quòd humanitas assumpta, si relinqueretur à Verbo, periret: quia nihil potest conseruari in rerum natura sine existentia. Tertium, quòd Angelus naturali virtute cognosceret euidenter mysterium Incarnationis: nam videns humanitatem existentem, non per propriam existentiam, iudicaret existere per existentiam diuinam; & sic esse assumptam à Deo. Quartum, quòd vnio hypostatica sit facta primariò in aliquo absoluto, scilicet in existentia quæ est vnica in diuinis & absoluta: prius enim natura debet existere, quàm assumatur; & consequenter tota Trinitas esset Incarnata: ergo per vnionem hypostaticam non fuit communicata humanitati existentia Verbi.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd non solùm fuit possibile humanitatem Christi existere immediatè per existentiam Verbi: 2. Sed etiam de facto per illam existit, absque propria & connaturali: 3. Imò implicat humanitatem existentem propria existentia assumi à Deo, vel sic assumptam per illam existere. Ita communiter Thomistæ.

Probatur prima pars conclusionis. Existentia creata est realiter distincta ab essentia, vt dictum est supra; & fusè probatum in Metaphysica: imò est magis extrinseca ipsi essentiæ, quàm subsistentia; est enim actualitas vltima, aduenieus naturæ iam subsistenti, & consequenter natura minus dependens ab ipsa, quàm à propria subsistentia: ergo cùm sit possibile humanitatem Christi subsistere immediatè per subsistentiam Verbi, priuatam subsistentia propria, etiam fuit possibile eandem humanitatem existere immediatè per existentiam Verbi, priuatam existentia propria & connaturali: Quod magis constabit ex modo dicendis, & ex solutione argumentorum in contrarium.

Probatur secunda pars conclusionis, authoritate sexti Concilij generalis, Actione 11. approbantis sequens eius dictum de humanitate Christi; (In ipso, scilicet Verbo, & non in se habuit existentiam:) constat autem substantialem aliquam naturam existere in aliquo, idem esse, ac existere per existentiam ipsius: & similiter ipsam habere propriam existentiam distinctam ab existentia alterius, esse ipsam existere in se, & non in illo altero, nisi forte vt in subiecto, cum quo faciat compositionem accidentariam: vnde Cócilij mës est probare quòd humanitas Christi Domini non præexstitit duratione reali, suæ assumptioni; quia nullā habuit, nec habet propriā existentiam, sine qua non potest esse in rerum natura. Nec valet solutio Suaris quòd humanitas dicatur existere in Verbo, & non in se: quia licèt habeat propriam existentiam, per illam tamen inexistit Verbo, in quantùm eius existentia dependet & completur à subsistentia Verbi. Nam contra, quia existentia substantialis non potest dici inexistentia, hæc enim conuenit solis accidentibus, vel formis accidentaliter vnitis. Deinde, quia existentia cùm sit vltima actualitas, non potest vlterius terminari & compleri, vt dictum est in Metaphysicis.

Secundò probatur authoritate & ratione D. Thom. infra q.17.art.1.& 2. vbi expresse probat in Christo vnum tantùm esse substantiale reperiri: quia vnio humanitatis ad Verbum non est accidentalis, sed verè & propriè substantialis & personalis: ex duobus autem entibus in actu siue existëtibus non potest resultare vnum per se, ex communi doctrina Philosophorum: vnde sic concludit, illud esse quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam secundùm se, impossibile est in vna hypostasi vel persona multiplicari, quia impossibile est quòd vnius rei non sit vnum esse; loquitur autem D. Thom. hic de esse existentiæ, non autem subsistentiæ, vt clarè explicat in solutione ad 1. vbi ait: Esse (de quo huc vsque egerat) consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est, personam autem siue hypostasim consequitur, sicut habentem esse: & ideo magis retinet vnitatem secundùm vnitatem hypostasis, quàm habeat dualitatem secundùm dualitatem naturæ: quod idem docuerat in 3. d. 6. qu. 2. art. 2.

Tertiò, vt dictum est ex S.Leone: Productio humanitatis non fuit completa ante assumptionem eiusdem, sed per assumptionem habuit suum

suum complementum, alioquin totum officium Beatissimæ Virginis, in productione humanitatis, fuisset absolutum & completum ante assumptionem; & ita esset mater solius humanitatis, & non Dei; quod est contra Concilium Ephesi. 1. Can. 1. reuera enim non attigisset totum resultans per assumptionem, quod est Christus Dominus, verus Deus & homo: sicut Deus in quantum creans non attingit hominem genitū, quia creatio animæ est completa prius natura in facto esse, quàm sit generatio hominis: sed si in humanitate Christi Domini esset propria existentia, productio humanitatis fuisset completa ante assumptionem eiusdem; nam productio rei vltimò completur in esse, quod est vltima rei actualitas substantialis, vt sæpe docet D. Thom. & propterea creatio animæ rationalis verè completur ante generationem hominis prioritate naturæ; quia ante eandem generationem producta est anima cum proprio esse, quod communicatur toti homini: ergo humanitas Christi existit immediatè per existentiam Verbi, absque propria & connaturali. Maximè quia cùm hoc potuerit fieri, vt dictū est in prima parte Conclusionis, & conducat ad dignitatem humanitatis, factum esse credendum est.

Probatur tertia pars conclusionis contra Asturicensem, ratione D. Thom. Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed qua aliquid est; personam autem siue hypostasim sicut habentem esse: vnde esse siue existentia non aduenit naturæ, nisi suppositatæ siue completæ per subsistentiam, qua disponitur & redditur capax existentiæ vltimæ actualitatis, non solùm naturæ, sed etiam suppositi, cùm sit habens esse: & licèt concedatur quòd diuinitus possit esse & existere natura sine subsistentia; tamen est impossibile quòd si natura existit in aliquo supposito, esse talis naturæ si sit ei proprium, non sit actus etiam suppositi, cùm suppositum sit receptiuum tam naturæ, quàm esse; ab ipso enim esse tanquam ab actu denominatur: sed implicat quòd suppositum Verbi actuetur, & existat per esse creatum, vt ex se patet, & fatentur omnes; alioquin verè diceretur habere esse creatum: & cùm ens principaliter denominetur ab esse, verè suppositum Verbi posset dici ens creatum, quod admitti non potest, imò simul esset ens creatum, & ens increatum, vnde esset duo, & non vnum; sicut enim ab esse res aliqua est ens, sic etiam est vnum ens; & consequenter vbi sunt duo esse, ibi sunt duo entia: insuper persona Verbi non potest actuari ab aliquo creato, actus enim dat aliquam perfectionem rei actuatæ: ergo implicat humanitatem existentem propria existentia assumi à Deo, vel sic assumptam per illam existere.

Ad primum ergo dicendum, quòd ibi per naturam existentem, intelligitur natura actualis à parte rei, petens existentiam, & sic est existens radicaliter: & eodem modo intelligendus est Damascenus in primo loco; in secundo autem non habentur omnia verba citata, solùm enim dicit quòd humanitas Christi habuit existentiam in Verbo, quod est verissimū, & idem significat ac eam extitisse in Verbo, & per existentiam Verbi; non autem quòd habuerit propriam existentiam in Verbo: imò cap. 12. satis clarè indicat humanitatem non existere in seipsa, sed in Verbo, & per existentiam Verbi, ac eandem esse existentiam Verbi & humanitatis; ait enim; Quorum simul & conceptio, & existentia mirabili modo facta est, conceptio nimirum Verbi, carnis autem in ipso Verbo existentia. Ad illud Diui Thomæ respondent aliqui Thomistæ quòd S. Doctor mutauit sententiam: sed melius dicendum quòd in primo loco solùm vult Christum esse duo secundùm quid, idest cum addito secundùm naturas, quia habet duas: in secundo autem per esse humanæ & diuinæ naturæ, non intelligit esse existentiæ, sed esse & actum essentiæ, quod frequenter accidit in eius doctrina.

Ad secundum dicendum, quòd creatio humanitatis Christi non fuit intrinsecè completa; vnde non fuit terminata ad existentiam ipsi cōnaturalem, sed fuit completa extrinsecè per assumptionem, qua mediante communicata fuit humanitati, tam subsistentia, quàm existentia diuina: essentia autem prius natura est res actualis, à parte rei singularis, & inchoatiuè extra causas, antequam existat: existentia enim est vltima eius actualitas & complementum: humanitas igitur præsupposita fuit in hoc statu actualis ante assumptionem, qua præuenta & satiata diuina subsistentia & existentia, impedita fuit ne emanaret subsistentiam, & existentiam connaturalem: & sic intelligendus est D. Thom. In alio autem loco solùm vult, quòd Verbum assumpsit animam quātùm ad partem inferiorem, scilicet quantùm ad potentias vegetatiuas, & sensitiuas; mediante potentia intellectiua, secundùm ordinem dignitatis, & causalitatis, vt patet ex ipso textu, maximè ad. 3.

Ad tertium dicendum, quòd viuere aliquando sumitur, pro esse rei viuentis: & in hoc sensu non est inconueniens negare in Christo viuere humanum: aliquando etiam sumitur pro essentia rei viuentis exigentis esse viuentium: vel pro actionibus vitalibus; & vtroque modo est viuere humanum in Christo. Ad aliud dicendum, quòd si humanitas relinqueretur à Verbo, compleretur intrinsecè creatio animæ ipsius, & ita emanaret propriam subsistentiam, & existentiam, ac proinde existeret in proprio supposito. Ad aliud dicendum, quòd licèt connaturaliter Angeli cognoscant omnia naturalia; sciunt tamen quòd Deus potest aliquid naturale ipsis abscondere; vnde seclusa reuelatione mysterij Incarnationis debebant suspendere iudicium,

iudicium, & dicere quòd forte humanitas illa exiſtebat propria exiſtentia, ſed ſibi abſcondita propter aliquod myſterium. Ad aliud dicendum, quòd cùm eſſentiæ prius adueniat ſubſiſtentia, quàm exiſtentia: & hæc adueniat mediante illa: vnio hypoſtatica facta eſt primariò in ſubſiſtentia relatiua Verbi: & ſecundariò tantùm in exiſtentia abſoluta; & propterea ſola perſona Verbi fuit Incarnata, vt diſputatione ſequenti amplius dicetur: non autem eſt neceſſe quòd natura aſſumenda præſupponatur exiſtens aſſumptioni, ſed actualis actualitate eſſentiæ.

DVBIVM VI.

Vtrùm Vnio Hypoſtatica cadat, aut cadere potuerit ſub merito?

SVpponendum eſt, Vnionem Hypoſtaticam poſſe conſiderari, vel ſub ordine intentionis, vel ſub ordine exequutionis: & iuxta hanc ordinum diuerſitatem poteſt procedere præſens difficultas; Vtrùm ſcilicet propter aliqua merita Deus decreuerit, aut potuerit decernere vnionem hypoſtaticam: vel, Vtrùm Deus vnionem hypoſtaticam omninò gratis, ſiue gratuita voluntate ſua decretam, propter aliqua merita executioni mandauerit, aut mandare potuerit; ſiue illa merita fuerint de condigno, ſiue de congruo. Et hoc intelligitur ſtante decreto, quod colligitur fuiſſe in Deo, ex Scripturis, iuxta ſuperiùs dicta; ſuppoſito ſcilicet quòd vnio hypoſtatica fuerit primum in intentione inter omnia opera ad Extra, & quòd intuitu eius Deus voluerit ſe communicare per gratiam, quæ eſt principium omnis meriti: ſi enim hi ordines fuiſſent voliti independenter, & ordo gratiæ præceſſiſſet ordinem hypoſtaticum in intentione, non eſt dubium, quin ordo hypoſtaticus potuerit cadere ſub merito de condigno, ex pacto & acceptatione diuina, ſi ad illum ordinaſſet merita, ſicut ordinauit ad gloriam.

Prima opinio aliquorum tenet humanitatem Chriſti Domini de facto meruiſſe de condigno, vel ſaltem de congruo vnionem hypoſtaticam. Probatur ex illo Pſalm. 44. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatẽ; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis: quem locum S. Paulus ad Hebræos 1. explicat de Chriſto, qui fuit vnctus diuinitate præ omnibus aliis: Pſalmiſta hanc vnionem dicit eſſe effectum meritorum Chriſti, quia dilexit iuſtitiam, & odit iniquitatem. Deinde humanitas Chriſti præceſſit prioritate naturæ ſuam vnionem hypoſtaticam, vt docet D. Thom. infra: ſed ad meritum ſufficit talis prioritas merentis; propterea D. Thom. 1. p. q. 62. art. 2. & 3. docet Angelos meruiſſe in primo inſtanti ſuæ creationis; quod etiam verum eſt de Adamo, vt docet q. 95. art. 1. ad 5. ergo humanitas Chriſti Domini meruit vnionem hypoſtaticam, maximè quia nihil habetur contrarium in Scriptura diuina, & Conciliis.

Secunda opinio Suaris tenet, quòd licèt de facto Chriſtus non meruerit vnionem hypoſtaticam, potuit tamen illam mereri, tam per opera antecedentia prioritate naturæ, quàm per ſubſequentia. Probatur; potuit Deus prædeſtinaſſe vnionem hypoſtaticam, & præuidens Chriſtum habiturum infinita merita, potuit velle executionem ipſius propter talia merita, quia hi ordines intentionis & executionis contrario modo ſe habent: & de facto ſic contingit in noſtra prædeſtinatione, nam merita ſunt effectus illius; & tamen ſunt cauſa executionis eius. Deinde, Deus potuit velle communicare Chriſto gratiam vnionis, cum hac conditione, vt per opera ſubſequentia illam mereretur: ſicut Rex poteſt conferre militi equum, aut arma, vt ea mereatur in bello; vnde ſunt præmium futuri meriti, quia ſufficit vt meritum præuideatur, adhoc vt præmium antecedenter conferatur. Denique, ſi quid obſtaret, maximè eſſet quia vnio hypoſtatica eſt principium omnis meriti, principium autem meriti non poteſt cadere ſub merito: ſed hæc ratio nulla eſt; quia vnio hypoſtatica eſt etiam principium meriti Sanctorum Patrum, & beatiſſimæ Virginis, qui ſaltem de congruo meruerunt executionem Incarnationis: ergo Chriſtus Dominus potuit mereri vnionem hypoſtaticam.

Tertia opinio negat abſolutè vnionem hypoſtaticam cadere ſub merito, etiam de congruo: non ſolùm quantùm ad intentionem, ſed etiam quantùm ad executionem: vnde aſſerit Sanctos Patres illam nullo modo meruiſſe. Probatur ex illo ad Titum 3. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei; non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed propter miſericordiam ſuam magnam ſaluos nos fecit: vnde Incarnatio eſt opus omninò gratuitum, ac proinde excludens quodcumque meritum. Deinde ſi Sancti Patres antiqui meruerint, etiam de congruo vnionem hypoſtaticam; vel hoc fuit per opera naturalia purè, vel per ſupernaturalia: non primum; quia illa propter improportionem nihil ſupernaturale merentur: nec ſecundum; quia poſſent eſſe meritoria de condigno, non minus ac de congruo: & ſi obſtat inferioritas ordinis gratiæ ad ordinem hypoſtaticum, etiam obſtabit ad meritum de congruo; maior enim eſt diſtantia inter hos ordines, quàm inter ordinem naturæ, & ordinem gratiæ: cùm tamen propter hanc diſtantiam, opera naturalia nec de congruo ſint meritoria gratiæ. Denique, ex oppoſito ſequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd decretum de vnione hypoſtatica non fuit abſolutum & efficax, ſed conditionatum & depẽdens ex meritis Sanctorum Patrum.

Secundum,

Secundum, quòd Sancti Patres meruerint etiam suam prædestinationem, & primam gratiam: cùm hæc sint effectus vnionis hypostaticæ; qui autem meretur causam, meretur effectum: iuxta illud; Qui est causa causæ, est causa causati: ergo Sancti Patres nullo modo meruerunt vnionem hypostaticam.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus de facto non meruit vnionem hypostaticam. 2. Nec mereri potuit etiam de congruo, supposito decreto quòd de facto fuit circa ipsam: non solùm quantùm ad eius intentionem, sed nec quoad eius executionē. 3. Sancti Patres autem, qui eius executionem præcesserunt, talem executionem de congruo meruerunt: 4. Non autem de condigno: 5. Intentionem verò ipsius nullo modo.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, vbi sæpe vnio hypostatica vocatur gratia vnionis; imò fuit maxima gratia quæ humanitati Christi Domini potuit conferri: ergo non fuit collata propter merita Christi Domini; nam vt ait Apostolus ad Rom. 11. Si ex operibus, iam gratia non est: vnde gratia, licèt possit conferri intuitu meritorū, sicut confertur nobis gratia ex meritis Christi; numquam tamen intuitu meritorum eius cui confertur: vnde Psalmo 8. dicitur de Christo, iuxta interpretationem S. Pauli ad Hebræos 2. Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis quoniam reputas eum? minuisti eum paulominus ab Angelis, &c. Deinde, ex Scriptura; nostra prædestinatio fit omninò gratis, & independenter à meritis vt præuisis: ergo & prædestinatio Christi quæ est exemplar nostræ: sed obiectum prædestinationis Christi principaliter est filiatio Dei naturalis, media vnione hypostatica, iuxta illud ad Rom. 1. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, ad quam sequitur quasi proprietas prædestinatio eius ad gloriam: ergo vnio hypostatica omninò gratis collata est Christo.

Secundò probatur authoritate Sanctorum Patrum, maximè Augustini, cuius in materia gratiæ summa est authoritas, lib. 2. de prædestin. sanctorum cap. 15. ait: Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui vt hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meretis natura humana, quæ in illo est comparuit? respondeatur quæso; ille homo vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus, Filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? quod eius bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petiuit vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Idem docet libro de correctione & gratia, cap. 11. Nec valet solutio Suaris, quòd Aug. agat hîc contra Photinum asserentem Christi humanitatem extitisse ante assumptionem. Nam contra; quia Aug. principaliter agit contra Pelagianos, contra quos probat nostram prædestinationem fieri omninò gratis, exemplo prædestinationis Christi: nam paulò ante dixerat; Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundum vniuscuiusque mensuram super cuncta eius membra diffundit: ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: hæ autem authoritates excludunt etiam meritum de congruo, quod excludit donum purè gratuitum.

Tertiò probatur ratione indicata à Sancto Augustino: Christus, vt homo, non præcessit vnionem hypostaticam duratione, quasi eius humanitas prius extiterit, quàm assumpta fuerit, secundùm fidem: ergo non meruit vnionem hypostaticam, qua media assumptus fuit; nam meritum est in operatione, operari autem sequitur esse; esse enim est actus primus, operatio autem est actus secundus. Maximè quia cùm actiones sint suppositorum, viâ saltem ordinariâ, humanitas Christi non solùm debuit præcessisse hanc vnionem existens, sed etiam subsistens vt illam mereretur; cuius contrarium fides docet. Hoc magis patebit ex immediatè dicendis.

Probatur secunda pars conclusionis: Si Christus potuit mereri suam vnionem hypostaticam etiam quoad executionem: vel hoc fuit per opera antecedentia ipsam vnionem, vel per subsequentia: non per antecedentia; quia vt dictum est, nec Christus, nec eius humanitas præextiterunt vnioni hypostaticæ, secundùm fidem, iuxta illud Lucæ 1. Quod ex te nascetur sanctū, vocabitur filius Dei; & ideo omnis operatio illius hominis subsequuta est vnionem: nec per subsequentia; quia vnio hypostatica est primum principium effectiuum cuiuscumque meriti Christi ex D. Thom. q. 29. de verit. art. 6. ad ipsam enim consequitur, per modum proprietatis, gratia sanctificans principium proximum meriti: maximè quia quælibet operatio meritoria Christi præsupponit ipsum suppositum ac Esse ipsius: ergo est impossibile quòd sit terminus meritorum ipsius Christi: repugnat enim quòd idem respectu eiusdem sit principium effectiuum meriti, & terminus meriti: cùm enim principium effectiuum meriti illud antecedat, & terminus subsequatur, vt patet; idem respectu eiusdem simul esset prius & posterius, quod est impossibile; propterea D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 5. negat primam gratiam, quę est principium meriti, posse cadere sub merito: quia sic esset principium, & terminus meriti. Idem probat S. Augustinus contra Pelagianos.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis, quam docet D. Thom. hîc art. 11. & communiter

muniter Theologi: Ad meritum de congruo sufficit, quòd ille qui meretur præexistat, & quòd opus quo meretur sit bonum ordinatum, vel formaliter & explicitè, vel saltem virtualiter & implicitè, ad id quod meretur; ita vt ex quadam decentia, non autem ex iustitia correspondeat tali operi præmium, ad quod valde cōducit amicitia mutua inter merentem, & eum apud quem meretur: sed hæ omnes conditiones concurrerunt in Sanctis Patribus, qui præcesserunt Incarnationem: hanc enim desiderabant, & à Deo continuis clamoribus expetebant, vt patet ex Sacra Scriptura: ergo cùm essent amici Dei, congruum fuit vt illos exaudiret, & ita de congruo meruerunt vnionem hypostaticam. Nec tamen sequitur principium meriti cadere propriè sub merito: quia cùm meritum de congruo non fundetur in iustitia, sed tantùm in quadam decentia; non habet ex natura sua terminum quem inferat, sed confertur ex bonitate acceptantis tale meritum. Nec vnio hypostatica fuit principium effectiuum, sed tantùm morale talis meriti, inquantùm intuitu meritorum Christi futurorum ex tali vnione, collata fuit antiquis Sanctis Patribus gratia, quæ fuit illis principium meriti: non autem est impossibile, quòd idem respectu eiusdem sit principium morale, & terminus physicus, vt patet in fine, qui moraliter mouet ad opus, & physicè per opus producitur vt terminus: sed est impossibile quòd idem sit principium physicum & effectiuum, siue radicale, siue proximum: & quòd simul sit terminus productus.

Probatur quarta pars conclusionis, authoritate & rationibus D. Thom. hîc art. 11. Opera meritoria hominis propriè ordinantur ad beatitudinem, quæ est virtutis præmium, & consistit in plena Dei fruitione: vnio autem Incarnationis, cùm sit in esse personali, transcendit vnionem beatæ mentis ad Deum quæ est per actum fruentis; & ideo non cadit sub merito. Secundò, Gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium; vnde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ, secundùm illud Ioannis 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Tertiò, Incarnatio Christi est reformatiua totius humanæ naturæ, & ideo non cadit sub merito alicuius hominis singularis; quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ. Hæ rationes probant de facto, non de possibili; vnde vis ipsarum in hoc consistit, quòd Deus ordinauit meritum de condigno cuiuscumque puri hominis, ad beatitudinem, & non ad aliquid excellentius, aut quod prosit toti humanæ naturæ. Nec videtur conueniens, quòd illud quod est principium morale gratiæ meritoriæ cadat sub merito; cùm ipsa gratia sub merito non cadat. Cum hoc tamen stat quòd principiū meriti morale potest cadere sub merito, non autem gratia prima, quæ est principium physicum meriti.

Probatur quinta pars conclusionis: quòd Sancti Patres non meruerint de condigno vnionem hypostaticam, quantùm ad intentionem, probant argumenta D. Thom. non solùm de facto, sed etiam de possibili quod mereri non potuerint, supposito decreto vnionis hypostaticæ, quod de facto fuit in Deo; cùm ex vi illius vnio hypostatica sit primum à Deo volitum ad extra, & omnia alia volita propter ipsam: vnde eius intentio præcedit omnia, & ita non potest esse terminus meriti de condigno; imò nec de congruo: ipsa autem executio potest esse terminus meriti de congruo, vt dictum est, quia præsupponit Sanctos Patres amicos, & ipsam desiderantes, quos congruum fuit exaudiri, iuxta illud Psalmi 11. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Isaiæ 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem & propugnatorem qui liberet eos.

Ad primum ergo dicendum, quòd ille locus Psalmi sic est exponendus: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis: idest, ad hunc finem vnxit te Deus vt diligeres iustitiam, & odio haberes iniquitatem, sicut de facto dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem; siue breuius; Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem; propter hoc enim vnxit te Deus &c. Locus autem Apocalipsis: Dignus est agnus qui occisus est, accipere gloriam, honorem, & diuinitatem: debet sic intelligi; quòd per diuinitatem accipiatur honor diuinus siue debitus Deo: vel potest accipi pro iterata vnione hypostatica cum tota humanitate: cùm enim per mortem Christi fuerit separata eius sanctissima anima à corpore, soluta fuit humanitas; vnde non remansit vnita Verbo secundùm se, quamuis partes ipsæ remanserint vnitæ iuxta Catholicam fidem: vnde cùm Christus meruerit reunionem suæ animæ cum corpore, meruit etiam reunionem hypostaticam cum tota humanitate, & resurgere, idemmet numero Christus Deus & homo. Ad aliud dicendum, quòd tam Angeli, quàm primus Parens in illo primo instanti erant personæ existentes, vnde potuerunt mereri: humanitas autem Christi in illo priori ante suam assumptionem & vnionem hypostaticam, non fuit persona, nec existens; vnde non potuit tunc operari, nec consequenter mereri, iuxta dicta supra ex Sacris Scripturis.

Ad secundum dicendum, quòd ordo intentionis & executionis contrario quidem modo se habent respectu meritorum, quando merita non dependent ab ipsa executione, vt patet in instantia adducta de nostra prædestinatione: sed quando merita dependent tam ab intentione, quàm ab executione, sicut in præsenti; tam intentio,

tentio, quàm executio debent præcedere merita, nec possunt cadere sub merito: cùm igitur non possint præuideri merita Christi Domini, nisi præuideatur tam intentio, quàm executio vnionis hypostaticæ, ex qua resultat Christus, talis vnio etiam quoad executionem, non potest cadere sub merito Christi, etiam de congruo. Ad aliud dicendum, quòd si illud quod datur, sit principium effectiuum meriti, non potest anticipatè dari, vt præmium illius futurum, vt dictum est. Nec instantia adducta aliquid probat; nam arma, aut equus non sunt principium effectiuum meriti in milite, sed eius virtus & industria, qua benè vtitur armis & equo; & propterea anticipata solutio potest esse præmium meriti futuri, & terminus illius in hoc casu. Ad aliud dicendum, quòd vnio hypostatica est tantùm principium morale meritorum Sanctorum Patrum, & Beatissimæ Virginis: in Christo autem est principium effectiuum; vnde est disparitas. Quòd autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domino suo seruit, magis habet rationem gratiarum actionis, quàm meriti, ex D. Thom. qu. 29. de veritate art. 6.

Ad tertium dicendum, quòd meritum de congruo, cùm nullam inducat obligationem iustitiæ, non tollit rationem gratuiti simpliciter; vnde vnio hypostatica est donum simpliciter gratuitum: maximè quia eius intentionem nullum meritum etiam de congruo præcessit. Ad aliud dicendum, quòd Sancti Patres meruerunt de congruo vnionem hypostaticam per opera supernaturalia, congruum enim fuit, quòd Deus exequeretur hanc vnionem propter desideria, & bona opera Sanctorum Patrum, quos diligebat: & hoc est illa opera esse meritoria de congruo, non autem fuerunt meritoria de condigno; quia meritum de cōdigno puri hominis ex ordinatione diuina non respicit aliquid nobilius beatitudine. Nec verum est maiorem esse distantiam inter ordinem gratiæ & ordinem hypostaticum, quàm inter ordinem gratiæ & ordinem naturæ: quia ordo naturæ est merè naturalis, ordo verò gratiæ & ordo hypostaticus in hoc conueniunt, quòd sunt supernaturales; vnde opera Sanctorum Patrum habent aliquam proportionem ad ordinem hypostaticum, si fiant in gratia: nec obstat; quòd aliunde magis distant in ratione creati & increati, finiti & infiniti. Ad aliud dicendum, decretum de vnione hypostatica, siue quantùm ad substantiam, siue quantùm ad circumstantias accelerationis, &c. esse efficax, sed dicere ordinem ad merita de congruo Sanctorum Patrum, tanquam ad media aliquo modo conducentia ad eius executionem: nec tamen sequitur illa merita concurrisse ad prædestinationem, & primam gratiam eorundem Sanctorum Patrum; quia hæc non sunt effectus vnionis hypostaticæ, vt actu executæ, sed vt præuisæ & exequendæ: vt sic au-

tem non cadit sub merito de condigno, aut de congruo alicuius. Ex dictis sequitur quòd Beatissima Virgo, sicut meruit tantùm de congruo vnionem hypostaticam, siue Incarnationem Filij Dei, propter rationes adductas quæ vniuersaliter procedunt: sic tantùm de congruo meruit esse Matrem Dei: hæc enim sunt correlatiua, quæ sunt simul: si enim meruisset de condigno esse Matrem Dei, etiam de condigno meruisset habere Filium Deum, ac proinde Incarnationem diuinam: quia tamen intra limites meriti de congruo multùm antecelluit alios Sanctos, ideo supposito quòd Deus voluerit incarnari, ipsa præ cæteris fuit digna eligi in Matrem Dei.

QVÆSTIO III.

De modo vnionis ex parte personæ assumentis in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de vnione ex parte personæ assumentis.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

¶ Primo vtrum assumere conueniat personæ diuinæ.

¶ Secundo, vtrum conueniat naturæ diuinæ.

¶ Tertio, vtrum natura possit assumere abstracta personalitate.

¶ Quarto, vtrum vna persona possit assumere sine alia.

¶ Quinto, vtrum qualibet persona possit assumere.

¶ Sexto, vtrum plures personæ possint assumere vnam numero naturam.

¶ Septimo, vtrum vna persona possit assumere duas numero naturas.

¶ Octauo, vtrum magis fuerit conueniens de persona filij Dei, quod assumpserit humanam naturam, quam de alia persona diuina.

ARTICVLVS I.

Vtrum diuinæ personæ conueniat assumere naturam creatam

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod persona diuinæ non conueniat assumere naturam creatam. Persona enim diuina significat aliquid maximè perfectum. Perfectum autem est, cui non potest fieri additio. Cùm igitur assumere sit quasi ad se sumere, ita quod assumptum addatur assumenti: videtur quod personæ diuinæ non conueniat assumere naturam creatam. 19. 3. d. 5. 9. a. 1

¶ 2. Præterea, illud, ad quod aliquid assumitur communicatur quodammodo ei, quod in ipsum assumitur, sicut dignitas communicatur ei qui in dignitatem assumitur: Sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis: vt in prima parte dictum est*. Ergo personæ diuinæ non conuenit assumere, quod est ad se sumere. P. p. q. 29. art. 3.

¶ 3. Præterea, Persona constituitur per naturam: Sed inconueniens est, quod constitutum assumat constituens quia effectus non agit in suam causam. Ergo personæ non conuenit assumere naturam

Sed contra est, quod Augustinus dicit de fide ad Petrum*, Formam, id est, naturam serui, in suam accepit Deus, ille scilicet Vnigenitus, personam. Sed Deus vnigenitus est persona. Ergo personæ competit accipere naturam, quod est assumere: In lib. de f. ad Pet. c. 2. a me dio 10.

CONCLVSIO

Cùm assumere, sit ad se aliquid sumere, in quo & principium actus, & terminus (quæ personæ conueniunt) denotantur, consequens est personæ diuinæ propriissimè conuenire assumere.

Respondeo dicendum quod in verbo assumptionis duo importantur, videlicet principium actus, & terminus. dicitur enim assumere quasi ad se sumere. Huius autem sumptionis, persona est & principium & terminus. Principium quidem, quia personæ propriè competit agere: huiusmodi autem sumptio carnis per actionem diuinam facta est. Similiter etiam persona est huius sumptionis terminus: quia sicut supra dictum est* Vnio facta est in persona, non in natura. Et sic patet quod propriissimè competit personæ, assumere naturam q. præced. ar. 1. & 2

Ad primum ergo dicendum, quòd cum persona diuina sit infinita, non potest ei fieri additio. Vnde Cyrillus dicit in Epist. synodali Ephes.* Conc. Non secundum appositionem coniunctionis intelligimus modum. Sicut etiam in vnione hominis ad Deum, quæ est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo: sed illud quod diuinum est, apponitur homini. Vnde non Deus, sed homo perficitur In Epist. 1. syn. Eph. ad Nestorium media illius

Ad secundum dicendum, quod persona dicitur incommunicabilis, inquantum non potest de pluribus suppositis prædicari: nihil tamen prohibet, plura de persona prædicari. Vnde non est contra rationem personæ, sic communicari vt subsistat in pluribus naturis quia etiam in personam creatam possunt plures naturæ concurrere accidentaliter: sicut in persona vnius hominis inuenitur quantitas & qualitas. Hoc autem

G 2 est

eſt proprium diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum, non quidem accidentaliter, ſed ſecundum ſubſiſtentiam.

q. 2. ar. 8. Ad tertium dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt *, natura humana non conſtituit perſonam diuinam ſimpliciter, ſed conſtituit eam ſecundum quod denominatur à tali natura humana, non enim ex natura habet filius Dei quod ſit ſimpliciter, cum fuerit ab æterno ſed ſolum quod ſit homo. Sed ſecundum naturam diuinam conſtituitur perſona diuina ſimpliciter. Vnde perſona diuina non dicitur aſſumere diuinam naturam, ſed humanam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuinæ naturæ conueniat aſſumere.

20\. AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd naturæ diuinæ non conueniat aſſumere. Quia ſicut dictum eſt *, aſſumere dicitur quaſi ad ſe aliquid ſumere. Sed natura diuina non ſumpſit ad ſe humanam naturam, quia non eſt facta vnio in natura, ſed in perſona ſicut ſupra dictum eſt *. Ergo naturæ diuinæ non competit aſſumere naturam humanam.

*3. di. 5. q. 2. art. 2. * ar. præc. q. 2. ar. 1. & 2.*

¶ 2. Præterea, Natura diuina communis eſt tribus perſonis. Si ergo naturæ conuenit aſſumere, ſequitur, quod conueniat tribus perſonis. Et ita Pater aſſumpſit naturam humanam, ſicut & Filius: quod eſt erroneum.

¶ 3. Præterea, aſſumere eſt agere. Agere autem conuenit perſonæ, non naturæ; quæ magis ſignificatur vt principium quo agens agit. Ergo aſſumere non conuenit naturæ.

ca. 2. in ar. præc. & inel. ca. in 3. Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de Fid. ad Pet. * Illa natura quæ ſemper genita manet ex Patre, id eſt, quæ eſt per generationem æternam accepta à Patre, naturam noſtram ſine peccato ſuſcepit.

CONCLVSIO.

Diuinæ perſonæ primo aſſumere humanam naturam conuenit, naturæ autem diuinæ ſecundario.

ar. præc. RESPONDEO dicendum, quod ſicut dictum eſt, * in verbo Aſſumptionis duo ſignificantur, ſcilicet principium actionis, & terminus eius. Eſſe autem aſſumptionis principium, conuenit naturæ diuinæ ſecundum ſeipſam, quia eius virtute aſſumptio facta eſt. Sed eſſe terminum aſſumptionis non conuenit diuinæ naturæ ſecundum ſeipſam: ſed ratione perſonæ, in qua conſideratur. Et ideo primo quidem & propriiſſime perſona dicitur aſſumere: ſecundariò autem poteſt dici, quod etiam natura aſſumpſit naturam ad ſui perſonam. Et ſecundum etiam hunc modum dicitur natura incarnata: non quaſi ſit in carnem conuerſa, ſed quia naturam carnis aſſumpſit. Vnde Damaſc. dicit *, Dicimus naturam Dei incarnatam eſſe ſecundum beatos Athanaſium †, & Cyrillum *.

*li. 3. orth. fid. c. 6. ad ſi. † Athan. in ſymb. ſuo ſi. * Cyril. in ep. Cal. ad. 1. poſt epiſ. Cyril. ad Ioann. Epiſ. Antiochen. In co. ar.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ly, ſe, eſt reciprocum, & refert idem ſuppoſitum. Natura autem diuina non differt ſuppoſito à perſona Verbi: & ideo inquantum natura diuina ſumit naturam humanam ad perſonam Verbi, dicitur eam ad ſe ſumere. Sed quamuis Pater ſumat naturam humanam ad perſonam Verbi, non tamen propter hoc ſumit eam ad ſe: quia non eſt idem ſuppoſitum Patris & Verbi, & ideo non poteſt dici propriè, quod Pater aſſumat naturam humanam.

Ad ſecundum dicendum, quod illud quod conuenit naturæ diuinæ ſecundum ſe, conuenit tribus perſonis: ſicut bonitas, ſapientia, & huiuſmodi. Sed aſſumere conuenit ei ratione perſonæ Verbi, ſicut dictum eſt *: Et ideo ſoli illi perſonæ conuenit.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut in Deo idem eſt quod eſt, & quo eſt: ita etiam in eo idem eſt quod agit, & quo agit: quia vnumquodque agit inquantum eſt ens. Vnde natura diuina eſt illud quo Deus agit, & eſt ipſe Deus agens.

ARTICVLVS III.

Vtrùm abſtracta perſonalitate per intellectum, natura poſſit aſſumere.

21\. AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd ſi abſtracta perſonalitate per intellectum, natura non poſſit aſſumere. Dictum eſt * enim, quod naturæ conuenit aſſumere ratione perſonæ: Sed quod conuenit alicui ratione alicuius, remoto eo non poteſt ei conuenire, ſicut corpus quod eſt viſibile ratione coloris, ſine colore videri non poteſt. Ergo abſtracta perſonalitate per intellectum, natura aſſumere non poteſt.

3. dis. 5. q. 1. a. 3. art præc.

¶ 2. Præterea, Aſſumptio importat terminum Vnionis, vt dictum eſt *: Sed vnio non poteſt fieri in natura, ſed ſolum in perſona. Ergo abſtracta perſonalitate, natura diuina non poteſt aſſumere.

ar. 1. huius quæſt.

¶ 3. Præterea, in Prima parte dictum eſt *, quòd in diuinis abſtracta perſonalitate nihil manet: Sed aſſumens eſt aliquid. Ergo abſtracta perſonalitate, non poteſt diuina natura aſſumere.

P. p. q. 40. art 3.

Sed contra eſt, quòd in diuinis perſonalitas dicitur proprietas perſonalis: quæ triplex eſt, ſcilicet paternitas, filiatio & proceſſio: vt in prima parte dictum eſt. * Sed remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia, per quam eſt facta incarnatio: ſicut Angelus dicit Lucæ primo, Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Ergo videtur, quod remota perſonalitate, natura diuina poſſit aſſumere.

P. p. q. 30. ar 3.

CONCLVSIO

Abſtracta per intellectum ſuo modo diuina apprehendentem perſonalitate, poteſt natura diuina intelligi vt aſſumens.

RESPONDEO dicendum, quòd intellectus dupliciter ſe habet ad diuina. Vno modo vt cognoſcat Deum ſicuti eſt. & ſic impoſſibile eſt, quod circumſcribatur per intellectum aliquid à Deo, & quòd aliud remaneat: quia totum quod eſt in Deo, eſt vnum, ſalua diſtinctione perſonarum: Quarum tamen vna tollitur ſublata alia, quia diſtinguuntur ſolis relationibus quas oportet eſſe ſimul. Alio modo ſe habet intellectus ad diuina, non quidem quaſi cognoſcens Deum vt eſt, ſed per modum ſuum, ſcilicet multipliciter & diuiſim, id quod in Deo eſt vnum. Et per hunc modum poteſt intellectus noſter intelligere bonitatem & ſapientiam diuinam, & alia huiuſmodi quæ dicuntur eſſentialia attributa, non intellecta paternitate, vel filiatione, quæ dicuntur perſonalitates. Et ſecundum hoc abſtracta perſonalitate per intellectum, poſſumus adhuc intelligere naturam aſſumentem.

Ad primum ergo dicendum, quod quia in diuinis idem eſt quo eſt, & quod eſt, quicquid eorum quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſecundum ſe conſideretur aliis circumſcriptis, erit aliquid ſubſiſtens, & per conſequens perſona: cum ſit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc poſitis proprietatibus perſonalibus in Deo dicimus tres perſonas: ita excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus, remanebit in conſideratione noſtra, natura diuina, vt ſubſiſtens, & vt perſona. Et per hunc modum poteſt intelligi, quod aſſumat naturam humanam ratione ſuæ ſubſiſtentiæ vel perſonalitatis.

Ad ſecundum dicendum, quòd etiam circumſcriptis per intellectum perſonalitatibus trium perſonarum, remanebit in intellectu vna perſonalitas Dei, vt Iudæi intelligunt, ad quam poterit terminari aſſumptio, ſicut nunc dicimus eam terminari ad perſonam Verbi.

Ad tertium dicendum, quòd abſtracta perſonalitate per intellectum, dicitur nihil remanere per modum reſolutionis, quaſi aliud ſit quod ſubiicitur relationi, & aliud ipſa relatio: quia quicquid conſideratur in Deo, conſideratur vt ſuppoſitum ſubſiſtens. Poteſt tamen aliquid eorum quæ dicuntur de Deo, intelligi ſine alio, non per modum reſolutionis, ſed per modum iam dictum *. *In co. ar.*

ARTICVLVS IV.

Vtrùm vna perſona poſſit ſine alia, naturam creatam aſſumere.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod vna perſona non poſſit aſſumere naturam creatam, alia non aſſumente. Indiuiſa enim ſunt opera Trinitatis, vt dicit Aug. * in Enchirid. ſicut autem trium perſonarum eſt vna eſſentia, ita & vna operatio: Sed aſſumere eſt operatio quædam. Ergo non poteſt conuenire vni perſonæ diuinæ, quin conueniat alij. 22.

3. di. 5. q. 2. ar. 1. Enc. c. 38. à medio tom. 3.

¶ 2. Præterea, Sicut dicimus perſonam Filij incarnatam, ita & naturam: tota enim diuina natura in vna ſuarum hypoſtaſum incarnata eſt, vt dicit Damaſ. in 3. li. * Sed natura communis eſt tribus perſonis: ergo & aſſumptio.

li. 3. orth. fid. c. 6

¶ 3. Præterea, Sicut humana natura in Chriſto aſſumpta eſt à Deo ita etiam & homines per gratiam aſſumuntur ab ipſo, ſecundum illud Rom. 14. Deus illum aſſumpſit: Sed hæc aſſumptio communiter pertinet ad omnes perſonas: ergo & prima.

Sed contra eſt, quod Dionyſ 2. cap de Diui nom. * Incarnationis myſterium dicit pertinere ad diſcretam Theologiam: ſecundum quam ſcilicet aliquid diſtinctum dicitur de diuinis perſonis.

c. 2. p. 1. à med. & ante med.

CONCLVSIO

Aſſumptio cum præter operationis actum, complexe denotet aſſumptionis terminum, ex parte principij communis eſt tribus perſonis, non autem ex parte termini.

RESPONDEO dicendum, quòd (ſicut dictum eſt *) aſſumptio duo importat, ſcilicet actum aſſumentis, & terminum aſſumptionis. Actus autem aſſumentis procedit ex diuina virtute, quæ communis eſt tribus perſonis, ſed terminus aſſumptionis eſt perſona, ſicut dictum eſt: Et ideo id quod eſt actionis in aſſumptione, commune eſt tribus perſonis: ſed id quod pertinet ad rationem termini, conuenit ita vni perſonæ, quod non alij. Tres enim perſonæ fecerunt, vt humana natura vniretur vni perſonæ Filij.

ar. 1. huius quæſt. Ibidem.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit ex parte operationis. Et ſequeretur concluſio, ſi ſolam illam operationem importaret abſque termino, qui eſt perſona.

Ad ſecundum dicendum, quòd natura dicitur incarnata, ſicut & aſſumens, ratione perſonæ, ad quam terminata eſt vnio (ſicut dictum eſt *) non autem prout eſt communis tribus perſonis. Dicitur autem tota natura diuina incarnata: non quia ſit incarnata in omnibus perſonis, ſed quia nihil deeſt de perfectione diuinæ naturæ, perſonæ incarnatæ.

ar. 1 huius quæſt.

Ad tertium dicendum, quod aſſumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandam participationem diuinæ naturæ ſecundum quandam aſſimilationem ad bonitatem illius: ſecundum illud 2. Petr. 1. Vt diuinæ conſortes naturæ, &c. Et ideo huiuſmodi aſſumptio communis eſt tribus perſonis, & ex parte principij, & ex parte termini: Sed aſſumptio, quæ eſt per gratiam Vnionis, eſt communis ex parte principij, non autem ex parte termini: vt dictum eſt *.

Ar. 2. huius quæſt.

ARTICVLVS V.

Vtrùm quælibet perſona diuina potuerit humanam naturam aſſumere.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd nulla alia perſona diuina potuerit humanam naturam aſſumere, præter perſonam Filij. Per huiuſmodi enim aſſumptionem factum eſt, quod Deus ſit filius hominis. Sed inconueniens eſſet, quod eſſe Filium hominis conueniret Patri, vel Spiritui ſancto: hoc enim vergeret in confuſionem diuinarum perſonarum. Ergo Pater, vel Spiritus ſanctus carnem aſſumere non potuit. 23.

3. di. 1. q. 2. art 1.

¶ 2. Præterea, Per Incarnationem diuinam, homines aſſe-

ſequuti

sequuti sunt adoptionem filiorum, secundum illud Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum: Sed filiatio adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis, quæ non conuenit nec Patri, nec Spiritui sancto: vnde dicitur Rom. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui. Ergo videtur, quod nulla alia persona potuerit incarnari, præter personam Filij.

¶ 3. Præterea, Filius dicitur missus & genitus natiuitate temporali, secundum quod incarnatus est. Sed Patri non conuenit mitti, qui etiam est innascibilis: vt in Prima parte habitum est *. ergo saltem persona Patris non potuit incarnari.

P. p. q. 43. ar. 4. & q. 32. art. 3.

SED contra est, quod quicquid potest Filius, potest Pater, & Spiritus sanctus: alioquin non esset eadem potentia trium personarum. Sed Filius potuit incarnari. Ergo similiter Pater, & Spiritus sanctus.

CONCLVSIO.

Cùm vna sit trium personarum potestas, potuit quæuis persona Diuina humanam assumere naturam.

a 1. huius quæst.

RESPONDEO dicendū, quod sicut dictū est *, assumptio duo importat, scilicet ipsum actum assumentis, & terminum assumptionis: principium autem actus est virtus diuina: terminus autem est persona. Virtus autem diuina communiter & indifferenter se habet ad omnes personas: eadem etiam est communis ratio personalitatis in tribus personis, licèt proprietates personales sint differentes. Quandocunque autem virtus aliqua, indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare: sicut patet in potentiis rationalibus, quæ se habent ad opposita, quorum vtrumque agere possunt. Sic ergo diuina virtus potuit naturam humanam vnire personæ Patris: vel Spiritus sancti, sicut vniuit eam personæ Filij. Et ideo dicendum, quod Pater, vel Spiritus sanctus potuit carnem assumere, sicut & Filius.

AD primum ergo dicendum, quod filiatio temporalis, qua Christus dicitur filius hominis, non constituit personam ipsius, sicut filiatio æterna: sed est quiddam consequens natiuitatem temporalem. Vnde si per hunc modum nomen Filiationis ad Patrem, vel Spiritum sanctum transferretur, nulla sequeretur confusio diuinarum personarum.

AD secundum dicendum, quod filiatio adoptiua est quædam participata similitudo filiationis naturalis: Sed fit in nobis appropriatè à Patre, qui est principium naturalis filiationis: & per donum Spiritus sancti, qui est amor Patris & Filij, secundum illud Gal. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba pater. Et ideo sicut filio incarnato, adoptiuam filiationem accepimus ad similitudinem filiationis naturalis eius: ita Patre incarnato, adoptiuam filiationem reciperemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & à Spiritu sancto tanquam à nexu communi Patris & Filij.

AD tertium dicendum, quòd Patri conuenit esse innascibilem secundum natiuitatem æternam: quod non excluderet natiuitas temporalis. Mitti autem dicitur filius Dei secundum Incarnationem, eo quod est ab alio, sine quo Incarnatio non sufficeret ad rationem missionis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm plures personæ diuinæ possint assumere vnam numero naturam.

24 AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quòd duæ personæ diuinæ non possint assumere vnam & eandem numero naturam. Hoc supposito, aut essent vnus homo, vel plures: Sed non plures: sicut enim vna natura diuina in personis pluribus non patitur, esse plures Deos, ita vna natura humana in pluribus personis non patitur, esse plures homines. Similiter etiam non possent esse vnus homo: quia vnus homo est iste homo qui demonstrat vnam personam. & sic tolleretur distinctio trium personarum diuinarum: quod est inconueniens. Non ergo duæ aut tres personæ possunt accipere vnam naturam humanam.

3. d. 1. q. 2. ar. 4.

¶ 2 Præterea assumptio terminatur ad vnitatem personæ, vt dictum est. Sed non est vna persona Patris & Filij & Spiritus-sancti. Ergo non possunt tres personæ assumere vnam naturam humanam.

Ar. 2. huius qu.

¶ 3 Præterea Damasc. † dicit in 3 lib. & Aug. in 1. de Trinita. * quod ex Incarnatione Filij Dei cōsequitur, quod quicquid dicitur de filio Dei, dicitur de filio hominis; & è conuerso. Si ergo tres personæ assumerent vnam naturam humanam, sequeretur, quod quicquid dicitur de qualibet trium personarum, diceretur de illo homine: & è conuerso, quæ dicerentur de illo homine, possent dici de qualibet trium personarum. Sic ergo id quod est proprium Patris, scilicet generare filium ab æterno, diceretur de illo homine: & per consequens diceretur de filio Dei, quod est inconueniens. Non ergo est possibile, quod tres personæ diuinæ assumant vnam naturam humanam.

Damasc. li. 3. c. 3. & 4. * li. 1. ca. 11. 12. & 13. & li. 15. c. 3.

SED contra, Persona incarnata subsistit in duabus naturis, diuina scilicet, & humana: Sed tres personæ possunt subsistere in vna natura diuina: Ergo etiam possunt subsistere in vna natura humana, ita scilicet, quod sit vna natura humana à tribus personis assumpta.

CONCLVSIO.

Non est impossibile personis diuinis, vt duæ vel tres, assumant vnam numero naturam humanam: sed tamen impossibile est vt assumant vnam hypostasim, seu humanam personam.

a 2. Ar 3. ad 1.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est, * ex vnione animæ & corporis in Christo non fit neque noua persona, neque noua hypostasis: sed fit vna natura assumpta in personam vel hypostasim diuinam. Quod quidem non fit per potentiam naturæ humanæ, sed per potentiam diuinæ personæ. Est autem talis diuinarum personarum conditio, quod vna earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ, sed solum à communione eiusdem personæ. Quia igitur in mysterio Incarnationis tota ratio facti, est potentia facientis (vt August. dicit in Epistola * ad Volusianum) magis circa hoc est iudicandum secundum conditionem diuinæ personæ assumentis, quàm secundum conditionem naturæ humanæ assumptæ. Sic ergo non est impossibile diuinis personis, vt duæ vel tres assumant vnam naturam humanam. Esset tamen impossibile, vt assumerent vnam hypostasim, vel vnam personam humanam: sicut & Anselm. * dicit in lib. cur Deus homo, quod plures personæ non possunt assumere vnum eundemque hominem: scilicet in vnitatem personæ.

est epist. 3. non multū ante med. tom 2. lib. 2. cur D. homo. cap. 9. circa prin.

AD primum ergo dicendum, quod hac positione facta, scilicet quòd tres personæ assumerent vnam humanam naturam verum esset dicere, quod tres personæ essent vnus homo propter vnam naturam humanam. Sicut enim nunc verum est dicere, quòd tres personæ sunt vnus Deus propter vnam diuinā naturam, sic verum esset dicere, quòd essent vnus homo propter vnam naturam humanam. Nec ly, vnus, importaret vnitatem personæ, sed vnitatem in natura humana. Non enim posset argui ex hoc, quod tres personæ sunt vnus homo, quod essent vnus simpliciter: nihil enim prohibet dicere, quòd homines qui sunt plures simpliciter, sint vnus, quantum ad aliquid, puta vnus populus. Et sicut Aug. * dicit 6. de Trin. diuersum est natura Spiritus Dei & spiritus hominis: sed inhærendo fit vnus Spiritus secundum illud 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo, vnus Spiritus est.

l. 6. c. 3 ante med. tom. 3.

AD secundum dicendum, quòd illa positione facta, humana natura esset assumpta in vnitate, non vnius personæ, sed in vnitatem singularum personarum: ita scilicet quod sicut diuina natura habet naturalem vnitatem cum singulis personis: ita natura humana haberet vnitatem cum singulis per assumptionem.

AD tertium dicendum, quòd circa mysterium Incarnationis fit communicatio proprietatum pertinentium ad naturā: quia quæcunque conueniunt naturæ, possunt prædicari de persona subsistente in natura illa, cuiuscumque naturæ nomine significetur. Prædicta igitur positione facta, de persona Patris poterunt prædicari & ea quæ sunt humanæ naturæ, & ea quæ sunt diuinæ: & similiter de persona Filij & Spiritus sancti. Non autem id quod conueniret personæ Patris ratione propriæ personæ posset attribui personæ Filij aut Spiritus sancti, propter distinctionem personarum quæ remaneret. Posset ergo dici, quod sicut Pater est ingenitus, ita homo esset ingenitus, secundum quod ly, homo, supponeret pro persona Patris. Si quis autem vlterius procederet, Homo est ingenitus: esset fallacia figuræ dictionis vel accidentis: Sicut & nunc dicimus Deum esse ingenitum, quia Pater est ingenitus: nec tamen possumus concludere, quod Filius sit ingenitus, quamuis sit Deus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm vna persona diuina possit assumere duas naturas humanas.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quòd vna persona diuina non possit assumere duas naturas humanas. Natura enim assumpta in mysterio Incarnationis nō habet aliud suppositum præter suppositum personæ diuinæ: vt ex supradictis patet. * Si ergo ponatur esse vna persona diuina assumens duas humanas naturas, esset vnum suppositum duarum naturarum eiusdem speciei, quod videtur implicare contradictionem: non enim natura vnius speciei multiplicatur, nisi secundum distinctionem suppositorum. 25

3. d. 1. q. 2. ar. 5. Art. præc. & art. 2. huius q. & q. 2. a. 2. & 3.

¶ 2 Præterea, Hac suppositione facta, non posset dici, quòd persona diuina Incarnata; esset vnus homo: quia non haberet vnam naturam humanam. Similiter etiam non posset dici, quòd esset plures; quia plures homines sunt suppositis distincti, & ibi esset tantum vnum suppositum. Ergo prædicta positio est omnino impossibilis.

¶ 3 Præterea, In Incarnationis mysterio tota natura diuina est vnita toti naturæ assumptæ, id est cuilibet parti eius: est enim Christus perfectus Deus, & perfectus homo: totus Deus & totus homo: vt Damasc. * dicit in 3. li. Sed duæ humanæ naturæ non possent totaliter sibi inuicem vniri, quia oporteret quòd anima vnius esset vnita corpori alterius: & quod etiā duo corpora essent simul, quod confusionem induceret naturarum. Non ergo est possibile, quod vna persona duas humanas naturas assumat.

SED contra est, quòd quicquid potest Pater, potest Filius. Sed Pater post Incarnationem Filij potest assumere naturam humanam aliam numero ab ea, quam Filius assumpsit: in nullo enim per Incarnationem Filij est diminuta potentia Patris vel Filij. Ergo videtur quòd Filius post Incarnationem possit aliam humanam naturam assumere, præter eam quam assumpsit.

li. 3. ort. fi. c. 7.

CONCLVSIO.

Quoniam potentia diuinæ personæ infinita est, potest persona diuina præter humanam naturam quam assumpsit, aliam numero humanam naturam assumere.

RESPONDEO dicendum, quod illud quòd potest in vnum, & non in amplius, habet potentiam limitatam ad vnum. Potentia autem diuinæ personæ est infinita, nec potest limitari ad aliquid creatum. Vnde non est dicendum, quòd persona diuina ita assumpserit vnam naturam humanam, quòd non potuerit assumere aliam. Videretur enim ex hoc sequi, quod personalitas diuinæ naturæ esset ita comprehensa per vnam naturam humanam, quòd ad eius personalitatem alia assumi non possit, quod est impossibile, non enim increatum à creato comprehendi potest. Patet ergo, quòd siue consideremus personam diuinam secundum virtutem, quæ est principium vnionis, siue secundum suam personalitatem, quæ est terminus

vnionis

vnionis, oportet dicere, quòd persona diuina præter naturam humanam quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere.

Ad primum ergo dicendum, quòd natura creata perficitur in sua ratione per formam, quæ multiplicatur secundum diuisionem materiæ. Et ideo si compositio materiæ & formæ constituat nouum suppositum, consequens est, quod natura multiplicetur secundum multiplicationem suppositorum: Sed in mysterio Incarnationis vnio formæ & materiæ, id est, animæ & corporis non constituit nouum suppositum, vt supra

Ar. præced. dictum est * & ideo posset esse multitudo secundum numerum ex parte naturæ, propter diuisionem materiæ absque distinctione suppositorum.

Ad secundum dicendum, quòd posset videri dicendum, quod prædicta positione facta sequeretur, quod essent duo homines propter duas naturas, absque hoc quod essent ibi duo supposita, sicut e conuerso tres personæ dicerentur vnus homo, propter vnam naturam humanam assumptam, vt supra dictum

Ar. vltim. ad 1. est: Sed hoc non videtur esse verum. quia nominibus est vtendum secundum quod sunt ad significandum imposita: quod quidem est ex consideratione eorum quæ apud nos sunt. Et ideo oportet circa modum significandi & consignificandi cōsiderare ea quæ apud nos sunt in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Homo enim, qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus duobus vestimentis: & qui habet duas qualitates, dicitur singulariter aliqualis secundum duas qualitates. Natura autem assumpta quantum ad aliquid, se habet per modum indumenti, licet nō

q. 2. ar. 6. ad 1. sit similitudo, quātum ad omnia vt supra dictum est * Et ideo si persona diuina assumeret duas naturas humanas, propter vnitatem suppositi diceretur vnus homo, habens duas naturas humanas. Contingit autem quod plures homines dicuntur vnus populus propter hoc quod conueniunt in aliquo vno: non autem propter vnitatem suppositi. Et similiter si duæ personæ diuinæ assumerent vnam numero humanam naturam,

q. 3. ar. 6. ad 1. dicerentur vnus homo (vt supra dictum est *) non vnitate suppositi, sed inquantum conueniunt in aliquo vno.

Ad tertium dicendum, quod diuina & humana natura non eodem ordine se habent ad vnam personam diuinam, sed per prius comparatur ad ipsam diuina natura, vt pote quæ est vnum cum ea ab æterno: Sed natura humana comparatur ad personam diuinam per posterius, vt pote assumpta ex tempore diuina persona: non quidem ad hoc quod natura sit ipsa persona, sed quod persona Dei in humana natura subsistat. Filius enim Dei est sua deitas, sed non est sua humanitas. Et ideo ad hoc, quod natura humana assumatur à diuina persona requiritur quod diuina natura vnione personali vniatur toti naturæ assumptæ, id est secundum omnes partes eius. Sed duarum naturarum assumptarum esset vniformis habitudo ad personam diuinam, nec vna assumeret aliam. Vnde non oporteret, quod vna earum totaliter alteri vniretur, id est omnes partes eius omnibus partibus alterius.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm fuerit magis conueniens quòd persona Filii assumeret humanam naturam, quā alia persona diuina.

26. AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit magis conueniens, Filium Dei incarnari, quàm Patrem, vel Spiritum sanctum. Per mysterium enim Incarnationis, homines ad veram Dei cognitionem sunt perducti: secundum illud Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimon. perhi. veritati: Sed ex hoc, quod persona Filij Dei est incarnata, multi impediti fuerunt à vera Dei cognitione, ea quæ dicuntur de Filio secundum humanam naturam referentes ad ipsam Filij personam, sicut Arius, qui posuit inæqualitatem personarum, propter hoc quod dicitur Ioan. 14. Pater maior me est. Qui quidem error non prouenisset, si persona Patris incarnata fuisset: nullus enim æstimasset Patrem Filio minorem. Magis ergo videtur fuisse conueniens, quod persona Patris incarnaretur, quàm persona Filij.

Inf. q. 39. a. 8 ad 3. & 3. dist. 1. q. 2. art. 2 & 4. contr. cap. 10 f. & 42.

¶ 2. Præterea, Incarnationis effectus videtur esse recreatio quædam humanæ naturæ: secundum illud Galat. vlt. In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, nec præputium, sed noua creatura: Sed potentia creandi appropriatur Patri. Ergo magis decuisset Patrem incarnari, quam Filium.

¶ 3. Præterea, Incarnatio ordinatur ad remissionem peccatorum: secundum illud Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Remissio autem peccatorum attribuitur Spiritui sancto, secūdum illud Io. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remis. pec. re. eis. Ergo magis congruebat, personam Spiritus sancti incarnari, quam personam Filij.

Li. 3, c. 1. SED contra est, quod Damas. dicit in 3. lib. * In mysterio Incarnationis manifestata est sapientia & virtus Dei: sapientia quidem, quia inuenit difficillimi solutionē pretij, quam decentissimam: virtus autem, quia victum fecit rursus victorem: Sed virtus & sapientia appropriantur Filio: secundum illud primæ Cor. 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ergo conueniens fuit personam Filij incarnari.

CONCLVSIO.

Cum Verbi Dei ad humanam naturam maxima sit similitudo, conuenientissimum fuit, ex diuinis personis ipsum Verbum humanam assumere naturam.

RESPONDEO dicendum, quod conuenientissimum fuit personam Filij incarnari. Primo quidem ex parte vnionis. Conuenienter enim ea quæ sunt similia vniuntur: Ipsius autem personæ Filij, qui est Verbum Dei, attenditur vno quidem modo communis conuenientia ad totam creaturam: quia verbum artificis, id est conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum quæ ab artifice fiunt. Vnde verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Et ideo sicut per participationem huius similitudinis, creaturæ sunt in propriis speciebus institutæ, sed mobiliter. ita per vnionem Verbi ad creaturā, non participatam, sed personalem, conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam & immobilem perfectionem. Nam & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat. Alio modo habet conuenientiam specialiter cum humana natura, ex eo quod Verbum est conceptus æternæ sapientiæ, à qua omnis sapientia hominum deriuatur, & ideo per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis, quod participat Verbum Dei: sicut discipulus instruitur per hoc quod recipit verbum magistri: vnde Eccl. 1. dicitur, Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Et ideo ad consummatam hominis perfectionem conueniens fuit, vt ipsum Verbum Dei humanæ naturæ personaliter vniretur.

Secundo potest accipi ratio huius congruentiæ ex fine vnionis, qui est impletio prædestinationis eorum scilicet, qui præordinati sunt ad hæreditatem cælestem, quæ non debetur, nisi filiis eius, secundum illud Rom. 8. Si filij & hæredes: Et ideo congruum fuit, vt per eum, qui est filius naturalis homines participarent similitudinem huius filiationis secundum adoptionem: sicut Apostolus ibidem dicit, Quos præsciuit & prædest. confor. fieri ima. fi. sui. Tertio potest accipi ratio huius congruentiæ ex peccato primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur. Peccauerat enim primus homo appetendo scientiam: vt patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni & mali. Vnde conueniens fuit, vt per verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil est quo humana malitia non possit abuti: quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur, secundum illud Ro. 2. An diuitias bonitatis eius contemnis? Vnde etiam si persona Patris fuisset incarnata, potuisset ex hoc homo alicuius erroris occasionem sumere: quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam reparandam.

Ad secundum dicendum, quod prima rerum creatio facta est a potentia Dei Patris per Verbum. Vnde & recreatio per verbum fieri debuit a potentia Dei Patris, vt recreatio creationi responderet: secundum illud 2. Corin. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

Ad tertium dicendum, quod Spiritui sancto proprium est, quod sit donum Patris & Filij. Remissio autem peccatorum fit per Spiritum sanctum tanquam per donum Dei: Et ideo conuenientius fuit ad iustificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cuius Spiritus sanctus est donum.

QVÆSTIO IV.

De modo vnionis ex parte naturæ humanæ assumptæ in sex articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de vnione ex parte assumpti. Circa quod primo considerandum occurrit de his quæ sunt à verbo Dei assumpta. Secundo de coassumptis, quæ sunt perfectiones, & defectus. Assumpsit autem Dei filius humanam naturam, & partes eius.

¶ Vnde circa primum triplex consideratio occurrit. Prima est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quantum ad partes ipsius. Tertia, quantum ad ordinem assumptionis.

¶ Circa primum quæruntur sex.

¶ Primo, vtrum humana natura fuerit magis assumptibilis à filio Dei, quam aliqua alia natura.

¶ Secundo, vtrum assumpserit personam.

¶ Tertio, vtrum assumpserit hominem.

¶ Quarto, vtrum fuisset conueniens, quòd assumpsisset naturam humanam à singularibus separatam.

¶ Quinto, vtrum fuisset conueniens, quod assumpsisset humanam naturam in omnibus eius singularibus.

¶ Sexto, vtrum fuerit conueniens quod assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adæ progenito.

ARTICVLVS I.

Vtrùm natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia natura.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd humana natura non fuerit magis assumptibilis à filio Dei, quàm quælibet alia natura. Dicit enim Aug. * in epist. ad Volusianum, In rebus mirabiliter factis, tota ratio facti, est potentia facientis: Sed potentia Dei facientis Incarnationem, quæ est opus maxime mirabile, non limitatur ad vnam naturam, cum potentia Dei sit infinita. Ergo natura humana non est magis assumptibilis à Deo, quàm aliqua alia creatura. 27.

3. d. 2. q. 1. a. 1. & 3. cont. c. 55. 3. & 4. in epist. 3. non multum ante med. 10. 2. q. princ. a. 1.

¶ 2. Præterea, Similitudo est ratio faciens ad congruitatem Incarnationis diuinæ personæ vt supra dictum est *: Sed sicut in creatura rationali inuenitur similitudo imaginis, ita in creatura irrationali inuenitur similitudo vestigij. Ergo creatura irrationalis assumptibilis fuit, sicut humana natura.

¶ 3. Præterea, In natura angelica inuenitur expressior Dei similitudo, quàm in natura humana: sicut Greg. * dicit in hom. de centum ouib. introducens illud Ezec. 28. Tu signaculum similitudinis: Inuenitur etiam in angelo peccatum sicut in homine: secundum illud Iob 4. In angelis suis reperit pra

Est hom. 34. in Euan. circa med. illius.

penalitatem: ergo natura angelica fuit ita aſſumptibilis, ſicut natura humana.

¶ 4. Præterea. Cum Deo competat ſumma perfectio, tanto magis eſt Deo aliquid ſimile, quanto eſt magis perfectum: Sed totum vniuerſum eſt magis perfectum, quàm partes eius, inter quas eſt humana natura: ergo totum vniuerſum eſt magis aſſumptibile, quàm humana natura.

Sed contra eſt, quod dicitur Prou. 8. ex ore Sapientiæ genitæ. Deliciæ meæ, ſunt eſſe cum filiis hominum. Et ita videtur eſſe quædam congruentia vnionis filij Dei ad humanam naturam.

CONCLVSIO.

Cum humana natura intellectualis exiſtens, apta ſit verbum Dei per cognitionem & amorem attingere, & originali peccato obnoxia, magis renouatione indigeat, ea ſola ei natura, aſſumptibilis à Verbo fuit.

Respondeo dicendum, quod aliquid aſſumptibile dicitur quaſi aptum aſſumi à diuina perſona. Quæ quidem aptitudo non poteſt intelligi ſecundum potentiam paſſiuam naturalem quæ non ſe extendit ad id quod tranſcendit ordinem naturalẽ, quem tranſcendit vnio perſonalis creaturæ ad Deũ. Vnde relinquitur; quod aſſumptibile aliquid dicatur, ſecundum congruentiam ad vnionem prædictam. Quæ quidem cõgruentia attenditur ſecundum duo in humana natura ſcilicet ſecundum eius dignitatem, & neceſſitatem. Secundum dignitatem quidem, quia humana natura, inquantum eſt rationalis & intellectualis, nata eſt attingere aliqualiter ipſum Verbum per ſuam operationem, cognoſcendo ſcilicet & amando ipſum. Secundum neceſſitatem autem, quia indigebat reparatione, cum ſubiaceret originali peccato. Hæc autem duo ſoli humanæ naturæ conueniunt: nam creaturæ irrationali deeſt congruum dignitatis: naturæ autem angelicæ deeſt congruitas prædictæ neceſſitatis. Vnde relinquitur quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quod creaturæ denominantur aliquales ex eo quod competit eis ſecundum proprias cauſas: non autem ex eo quod conuenit eis ſecundum cauſas primas & vniuerſales: ſicut dicimus, aliquem morbum eſſe incurabilem, non quia non poteſt curari à Deo, ſed quia per propria principia ſubiecti curari non poteſt. Sic ergo dicitur aliqua creatura non eſſe aſſumptibilis, non ad ſubtrahendum aliquid potentiæ diuinæ, ſed ad oſtendendum conditionem creaturæ quæ ad hoc aptitudinem non habet.

Ad ſecundum dicendum, quod ſimilitudo imaginis attenditur in natura humana ſecundum quod eſt capax Dei, ſcilicet ipſum attingendo propria operatione cognitionis & amoris. Similitudo autem veſtigij attenditur ſolum ſecundum repræſentationem aliquam, ex impreſſione diuina in creatura exiſtentem: non autem ex eo quod creatura irrationalis, in qua eſt ſola talis ſimilitudo poſſit Deum attingere per ſolam ſuam operationem. Quod autem deficit a minori, non habet congruitatem ad id quod eſt maius: ſicut corpus quod non eſt aptum perfici anima ſenſitiua, multo minus eſt aptum perfici anima intellectiua. Multo autem maior & perfectior eſt vnio ad Deum ſecundum eſſe perſonale, quam quæ eſt ſecundum operationem. Et ideo creatura irrationalis, quæ deficit ab vnione ad Deum per operationem non habet congruitatem vt vniatur ei ſecundum eſſe perſonale.

Ad tertium dicendum, quod quidam dicunt, angelum non eſſe aſſumptibilem: quia à principio ſuæ creationis eſt in ſua perſonalitate perfectus, cum non ſubiaceat generationi & corruptioni. Vnde non poſſet in vnitatem diuinæ perſonæ aſſumi, niſi eius perſonalitas deſtrueretur: quod neque conuenit incorruptibilitati naturæ eius, neque bonitati aſſumentis: ad quam non pertinet, quod aliquid perfectionis in creatura aſſumpta corrumpat. Sed hoc non videtur excludere totaliter congruitatem aſſumptionis angelicæ naturæ: poteſt. n. Deus producendo nouam angelicam naturam, copulare eam ſibi in vnitate perſonæ: & ſic nihil præexiſtens ibi corrumperetur: Sed, ſicut dictum eſt, * deeſt congruitas ex parte neceſſitatis: quia etſi natura angelica in aliquibus peccato ſubiacet; eſt tamen eius peccatum irremediabile, vt in prima parte habitum eſt. * — *In cor. ar.* — *P. q. 64. art. 2.*

Ad quartum dicendum, quod perfectio vniuerſi, non eſt perfectio vnius perſonæ, vel ſuppoſiti: ſed eius quod eſt vnum poſitione vel ordine, cuius plurimæ partes non ſunt aſſumptibiles, vt dictum eſt. * Vnde relinquitur, quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis. — *In corp. ar.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Filius Dei aſſumpſerit perſonam.

28\. AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quod Filius Dei aſſumpſerit perſonam. Dicit enim Dam. * in 3. lib. quòd Filius Dei aſſumpſit humanam naturam in atomo, id eſt in indiuiduo: Sed indiuiduum rationalis naturæ eſt perſona: vt patet per Boët. in lib. † de dua. natur. Ergo Filius Dei, perſonam aſſumpſit.

¶ 2 Præterea, Damaſ. * dicit, quòd Filius Dei aſſumpſit ea quæ in natura noſtra plantauit: Plantauit autem ibi perſonalitatem. Ergo Filius Dei aſſumpſit perſonam.

¶ 3 Præterea, Nihil conſumitur niſi quod eſt: Sed Innocentius dicit in quadam Decret. quod perſona Dei conſumpſit perſonam hominis. Ergo videtur quòd perſona hominis fuerit prius aſſumpta.

Sed contra eſt quod Aug. dicit in lib. * de fide ad Pe. quòd Deus naturam hominis aſſumpſit, non perſonam.

Loco cit. c. 11. ſequitur natura. — Lib. 3. orth. fid. cap. 11. — † In 3. parte grna a prin. lib. — Lib. 3. ca 6 circa medium. — Ca. 2. to. 3.

CONCLVSIO.

Cùm perſona non præintelligatur in humana natura aſſumptione, ſed magis ſe habeat vt terminus aſſumptionis, filius Dei nullo modo humanam aſſumpſit perſonam.

Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur aſſumi ex eo quod ad aliquid ſumitur. Vnde illud quod aſſumitur, oportet præintelligi aſſumptioni, ſicut illud quod mouetur localiter, præintelligitur ipſi motui. Perſona autem non præintelligitur in humana natura aſſumptioni, ſed magis ſe habet vt terminus aſſumptionis, vt ſupra dictum eſt. Si enim præintelligeretur, vel oporteret quod corrumperetur, & ſic fruſtra eſſet aſſumpta; vel quod remaneret poſt vnionem & ſic eſſent duæ perſonæ, vna aſſumens, & alia aſſumpta, quod eſt erroneum, vt ſupra oſtenſum eſt. * Vnde relinquitur, quod nullo modo Filius Dei aſſumpſit humanam perſonam. — *Q. 2. a. 1. & 2.* — *Q. 2. a. 6.*

Ad primum ergo dicendum, quod naturam humanam aſſumpſit Filius in atomo, id eſt, in indiuiduo, quod non eſt aliud à ſuppoſito increato, quod eſt perſona filij Dei. Vnde non ſequitur, quod perſona ſit aſſumpta.

Ad ſecundum dicendum, quod naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat: ſed propter additionem alicuius; quod eſt ſupra humanam naturam, quod eſt vnio ad diuinam perſonam.

Ad tertium dicendum, quòd conſumptio ibi non importat deſtructionem alicuius quod prius fuerat, ſed impeditionem eius quod aliter eſſe poſſet. Si enim humana natura non eſſet aſſumpta a diuina perſona, natura humana propriam perſonalitatem haberet. & pro tanto dicitur perſona conſumpſiſſe perſonam, licet improprie: quia perſona diuina ſua vnione impediuit, ne humana natura propriam perſonalitatem haberet.

ARTICVLVS III.

Vtrum perſona diuina aſſumpſerit hominem.

29\. AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quod perſona diuina aſſumpſerit hominem. Dicitur enim in Pſalm 64 Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti. quod gl. exponit de Chriſto. Et Aug. dicit in lib. † de Agone Chri. quod Filius Dei hominem aſſumpſit, & in illo humana perpeſſus eſt.

¶ 2 Præterea, Hoc nomen, homo, ſignificat naturam humanam. Sed Filius Dei aſſumpſit humanam naturam. Ergo aſſumpſit hominem.

¶ 3 Præterea, Filius Dei eſt homo: Sed non eſt homo, quem non aſſumpſit. quia ſic eſſet pari ratione Patris, vel quilibet alius homo. Ergo eſt homo quem aſſumpſit.

Sed contra eſt auctoritas Fœlicis Papæ & martyris, quæ introducitur in Epheſina ſynodo. * Credimus in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum de Virgine Maria natum: quia ipſe eſt Dei ſempiternus Filius & Verbum: & non homo a Deo aſſumptus, vt alter ſit præter illum: neque enim hominem aſſumpſit Dei Filius, vt alter ſit præter ipſum.

3. ar. 6. q. 1. ar. 2. & 4. 7. lib. 2. & opu. 1. c. 21. & opu. 1. cap. 215. & Ro. 1. lect. 3. & Phil. 2. co. 4. 5. — † C. 11. circa medium tom. 3. — Ex Epiſt. ad Maximum, inſerta in Calcedonenſe Synod. —

CONCLVSIO.

Quoniam homo naturam humanam vt eſt in ſuppoſito ſignificat, Chriſtum hominem aſſumpſiſſe proprio ſermone non dicitur.

Respondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * illud quod aſſumitur, non eſt terminus aſſumptionis, ſed aſſumptioni præintelligitur. Dictum eſt autem, † quod indiuiduum, in quo aſſumitur humana natura, non eſt aliud quàm diuina perſona, quæ eſt terminus aſſumptionis. Hoc autem nomen, homo, ſignificat humanam naturam, prout nata eſt in ſuppoſitis eſſe. quia, vt dicit Dama. * ſicut hoc nomen, Deus, ſignificat eum, qui habet diuinam naturam, ita hoc nomen homo ſignificat eum qui habet naturam humanam: Et ideo non eſt proprie dictum, quòd Filius Dei aſſumpſit hominem, ſuppoſito (ſicut rei veritas ſe habet) quod in Chriſto ſit tantum vnum ſuppoſitum, & vna hypoſtaſis. Sed ſecundum illos qui ponunt in Chriſto duas hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita, conuenienter & proprie dici poſſet, quod Filius Dei hominem aſſumpſiſſet. Vnde & prima opinio quæ ponitur in ſexta diſtinct. * tertij lib. ſententiar. concedit hominem eſſe aſſumptum: ſed illa opinio erronea eſt, vt ſupra dictum eſt. † — *q. 3. a. 1. & 2. — Lib. 3. ca. 4. in prin. & circa c. 11. circa finem. — Diſt. 6. l. 3. — Q. 2. a. 6.*

Ad primum ergo dicendum, quòd huiuſmodi locutiones non ſunt extendendæ tanquam propriæ: ſed piè ſunt exponendæ vbicunque à ſacris doctoribus ponuntur: vt dicamus, hominem aſſumptum, quia eius natura eſt aſſumpta, & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt Filius Dei ſit homo.

Ad ſecundum dicendum, quòd hoc nomen, homo, ſignificat naturam humanam in concreto, prout ſcilicet eſt in aliquo ſuppoſito. & ideo ſicut non poſſumus dicere, quòd ſuppoſitum ſit aſſumptum, ita non poſſumus dicere, quod homo ſit aſſumptus.

Ad tertium dicendum, quod Filius Dei non eſt homo, quem aſſumpſit, ſed cuius naturam aſſumpſit.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum Filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis.

30\. AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis. Aſſumptio enim humanæ naturæ facta eſt ad communem omnium hominum ſalutem: vnde dicitur prima ad Timot. 4. de Chriſto, quod eſt ſaluator omnium hominum, maximè fidelium: Sed natura prout eſt in indiuiduis, recedit a ſua communitate. Ergo Filius Dei debuit humanam naturam aſſumere, prout eſt ab omnibus indiuiduis abſtracta.

¶ 2 Præterea, In omnibus, id quod eſt nobiliſſimum, eſt Deo attribuendum. Sed in vnoquoque genere illud quod eſt per ſe, potiſſimum eſt. Ergo Filius Dei debuit aſſumere hominem per ſe. Qui quidem ſecundum Platonicos * eſt ipſa humana natura ab indiuiduis ſeparata. Hanc igitur debuit Filius Dei aſſumere.

¶ 3 Præterea, Humana natura non eſt aſſumpta à Filio Dei, prout ſignificatur in concreto per hoc nomen, homo, vt dictũ eſt. Sic autem ſignificatur, prout eſt in ſingularibus, vt ex dicto

Sup. q. 2. a. 2. ad 1. & 3. ad 2. & q. 4. c. ad 1. & 3. & 1. d. 5. q. 1. a. 3. d. 1. & d. 6. q. 1. a. 3. q. 1. — Vt patet ex Ariſt. 1. met. & 3.

Art. praec. dictis patet. † Ergo Filius Dei assumpsit naturam humanam, prout est ab indiuiduis separata.

Sed contra est, quod dicit Damasc.* in 3. lib. Deus Verbum Incarnatum non eam, quae nuda contemplatione consideratur naturam assumpsit. non enim Incarnatio hoc, sed deceptio & fictio Incarnationis esset. Sed humana natura, prout est ab indiuiduis separata, vel abstracta, in nuda contemplatione cogitatur: quia secundum seipsum non subsistit, vt ibidem Damasc.* dicit. Ergo Filius Dei non assumpsit humanam naturam, secundum quod est a singularibus separata.

Lib. 3. orth. fid. ca. 11. circa prin.

Loco nunc cito.

CONCLVSIO.

Quoniam natura humana ab omnibus indiuiduis abstracta non existit: nec si esset, mereri, aut videri quispiam per eam posset: eam sic abstractam, à Filio Dei assumptam esse, dicere non licet.

Respondeo dicendum, quod natura hominis vel cuiuscumque alterius rei sensibilis, praeter esse quod in singularibus habet, dupliciter potest intelligi. Vno modo quasi per seipsam esse habeat praeter materiam, sicut Platonici posuerunt. Alio modo sicut in intellectu existens, vel humano vel diuino. Per se quidem subsistere non potest, vt Phil. probat in 7. Meta.* quia ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis, quae ponitur in eius definitione: sicut carnes & ossa in definitione hominis. Vnde non potest esse, quod natura humana sit praeter materiam sensibilem. Si tamen esset hoc modo subsistens natura humana, non fuisset conueniens, vt à Verbo Dei assumeretur. Primo quidem, quia assumptio ista terminatur ad personam: hoc autem est contra rationem formae communis, vt sit in persona; quia in persona indiuiduatur. Secundo, quia naturae communi non possunt attribui nisi operationes communes & vniuersales; secundum quas homo non meretur, nec demeretur. Cum tamen illa assumptio ad hoc facta sit, vt Filius Dei natura assumpta nobis mereretur. Tertio quia natura sic existens non est sensibilis, sed intelligibilis. Filius autem Dei assumpsit humanam naturam, vt hominibus in ea visibilis appareret, secundum illud Baruch. 3. Post haec in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Similiter etiam non potuit assumi humana natura à Filio Dei, secundum quod est in intellectu diuino: quia sic nihil aliud est quam natura diuina, & per hunc modum ab aeterno esset in Filio Dei humana natura. Similiter non conuenit dicere, quod Filius Dei assumpsit humanam naturam, prout est in intellectu humano, quia hoc nihil aliud esset, quam quod intelligeretur assumere naturam humanam. Et sic si non assumeret eam, in rerum natura, esset intellectus falsus. Nec esset aliud ista naturae humanae assumptio, quàm fictio quaedam Incarnationis: vt Damasc.* dicit.

Lib. 7. Metaphys. text. 16. & 27. tom. 3.

Lib. 3. c. 11. circ. fin.

Ad primum ergo dicendum, quòd Filius Dei Incarnatus, est communis omnium saluator, non communitate generis, vel speciei, quae attribuitur naturae ab indiuiduis separatae: sed communitate causae, prout Filius Dei Incarnatus) est vniuersalis causa salutis humanae.

Ad secundum dicendum, quòd per se homo, non inuenitur in rerum natura: ita quod sit praeter singularia, vt Platonici posuerunt.* quamuis quidam dicant, quod Plato non intellexit hominem separatum esse, nisi in intellectu diuino. Et sic non oportuit quod assumeretur à Verbo, cùm ab aeterno sibi affuerit.

Apud Aristot. lib. 1. metaph. text. 6. & 23.

Ad tertium dicendum, quòd quamuis natura humana non sit assumpta in concreto, vt suppositum praeintelligatur assumptioni: sic tamen assumpta est in indiuiduo, quia assumpta est, vt sit in indiuiduo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis.

Ad Qvintvm sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei humanam naturam assumere debuerit in omnibus indiuiduis. Illud enim, quod primo & per se assumptum est, est natura humana. Sed quod conuenit per se alicui naturae, conuenit omnibus in eadem natura existentibus: ergo conueniens fuit, vt natura humana assumeretur a Dei Verbo in omnibus suis suppositis.

& 3. d. 2. q. 1. ar. 2. qu. 1.

¶ 2 Praeterea, Incarnatio diuina processit ex diuina charitate, vt dicitur Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: Sed charitas facit vt aliquis se communicet amicis, quantum est possibile. Possibile autem fuit Filio Dei, vt plures naturas hominum assumeret, (vt supra dictum est.*) & eadem ratione omnes. Ergo conueniens fuit, quod Filius Dei assumeret naturam humanam in omnibus suis suppositis.

Q. 3. a. 7.

¶ 3 Praeterea, Sapiens operator perficit opus suum breuiori via qua potest: sed breuior via fuisset, si omnes homines assumpti fuissent ad naturalem filiationem, quam quod per vnum Filium naturalem multi in adoptionem Filiorum adducantur, vt dicitur Gal. 4. ergo humana natura debuit à Filio Dei assumi in omnibus suppositis.

Sed contra est, quod Dam. dicit* in 3. lib. quod Filius Dei non assumpsit humanam naturam quae in specie consideratur: neque enim omnes hypostases eius assumpsit.

Lib. 3. ca. 11. circ. princ.

CONCLVSIO.

Non decuit Filium Dei humanam naturam in omnibus indiuiduis (hoc est, in singulo supposito distributas humanitates) assumere; ita enim & multitudo suppositorum humanae naturae, & dignitas primogeniturae Filii Dei in multis fratribus, & denique vnitatis proportio inter diuinum suppositum & naturam humanam; tolleretur.

Respondeo dicendum, quòd non fuit conueniens, quod humana natura in omnibus suis suppositis à Verbo assumeretur. Primo, quia tolleretur multitudo suppositorum humanae naturae, quae est ei connaturalis. Cum enim in natura assumpta non sit considerare aliud suppositum praeter personam assumentem, (vt supra dictum est,* si non esset humana natura nisi assumpta, sequeretur, quod non esset nisi vnum suppositum humanae naturae, quod est persona assumens.

Art. 3. huius quaest.

Secundo, quia hoc derogaret dignitati Filii Dei incarnati, prout est primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturae secundum diuinam: essent enim tunc omnes homines aequalis dignitatis.

Tertio, quia conueniens est, quòd sicut vnum suppositum diuinum est incarnatum: ita vnam solam naturam humanam assumpserit, vt ex vtraque parte vnitas inueniatur.

Ad primum ergo dicendum, quod assumi conuenit secundum se humanae naturae, quia scilicet non conuenit ei ratione personae, sicut naturae diuinae conuenit assumere ratione personae. Non autem conuenit ei secundum se, sicut pertinens ad principia essentialia eius, vel sicut naturalis eius proprietas: per quem modum conueniret omnibus eius suppositis.

Ad secundum dicendum, quòd dilectio Dei ad homines manifestatur non solum in ipsa assumptione humanae naturae, sed praecipuè per ea quae passus est in humana natura pro aliis hominibus: secundum illud Rom. 5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis: quia cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. quod locum non haberet, si in omnibus hominibus naturam humanam assumpsisset.

Ad tertium dicendum, quod ad breuitatem viae, quam sapiens operator obseruat, pertinet, quod non faciat per multa quod sufficienter potest fieri per vnum. Et ideo conuenientissimum fuit, quòd per vnum hominem omnes alii saluarentur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm conueniens fuerit quòd Filius humanam naturam assumeret ex stirpe Adae.

Ad Sextvm sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit conueniens vt filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adae. Dicit. n. Apost. ad Heb. 7. talis decebat vt esset nobis Pontifex segregatus à peccatoribus. Sed magis esset à peccatoribus segregatus, si non assumpsisset naturam humanam ex stirpe Adae peccatoris. Ergo videtur, quod non debuerit de stirpe Adae naturam humanam assumere. 32.

Inf. q. 31. a. 1. & 3. d. 2. q. 1. a. 2. q. 2. & opu. 3. c. 224.

¶ 2 Praeterea, In quolibet genere principium nobilius est eo quod est à principio. Si igitur assumere voluit humanam naturam, magis debuit eam assumere in ipso Adam.

¶ 3 Praeterea, Gentiles fuerunt magis peccatores, quàm Iudaei: vt dicit glo.* ad Galat. 2. super illud, Nos natura Iudaei, & non ex Gentibus peccatores. Si ergo ex peccatoribus naturam humanam assumere voluit, debuit eam magis assumere ex Gentibus, quam ex stirpe Abrahae, qui fuit iustus.

Gl. interl.

Sed contra est, quod Luc. 3. Generatio Domini reducitur vsque ad Adam.

CONCLVSIO.

Quamquam Deus aliunde naturam humanam suscipere potuisset, quàm ex Adam, conuenientius tamen fuit ad plenam pro peccatis satisfactionem & maiorem hominum dignitatem, & diuinam potentiam ostendendam, vt ex illo humanam naturam assumeret.

Respondeo dicendum, quòd sicut Aug. dicit in 13. de Trinit.* Poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere illius Adae, qui suo peccato obligauit genus humanum: sed melius iudicauit, vt de ipso quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus; per quem generis humani vinceret inimicum.

L. 13. c. 18. in prin. to. 3.

Et hoc propter tria. Primo quidem, quia hoc videtur ad iustitiam pertinere, vt ille satisfaciat, qui peccauit: Et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secundo, quia hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio, quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta & infirma assumpsit id quod in tantam virtutem, & dignitatem est promotum.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus debuit esse à peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quam venerat destruere: non quantum ad naturam, quam venerat saluare: secundum quam debuit per omnia fratribus assimilari, vt idem Apost. dicit ad Heb. 2. Et in hoc etiam mirabilior est eius innocentia, quod de massa peccato subiecta, natura assumpta tantam habuit puritatem.

Ad secundum dicendum, quod (sicut dictum est*) oportuit, eum, qui peccata venerat tollere, esse à peccatoribus segregatum, quantum ad culpam, cui Adam subiacuit, & quem Christus à suo delicto eduxit: vt dicitur Sap. 10. Oportebat autem eum, qui mundare omnes venerat, non esse mundatum, sicut & in quolibet genere motus, primum mouens est immobile secundum illum motum, sicut primum alterans est inalterabile. Et ideo non fuit conueniens, vt assumeret humanam naturam in ipso Adam.

In solut. praeced.

Ad tertium dicendum, quod quia Christus maximè debebat esse à peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quasi summam innocentiae obtinens: conueniens fuit, vt à primo peccatore vsque ad Christum perueniretur: mediantibus quibusdam iustis: in quibus praefulgerent quaedam insignia futurae sanctitatis. Et propter hoc etiam in populo, ex quo Christus erat nasciturus, instituit Deus quaedam sanctitatis signa, quae inceperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, & circumcisionem in signum foederis consummandi, vt dicitur Gen. 17.

QVAEST

QVÆSTIO V.

De modo unionis ex parte partium humanæ naturæ, in quatuor articulus diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de aſſumptione partium humanæ naturæ.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrum Filius Dei debuerit aſſumere verum corpus.

¶ Secundò, vtrum aſſumere debuerit corpus terrenum, ſcilicet carnem & ſanguinem.

¶ Tertio, vtrum aſſumpſerit animam.

¶ Quarto, vtrum aſſumere debuerit intellectum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Dei Filius debuerit aſſumere verum corpus.

33. Ad Primum ſic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei non aſſumpſerit verum corpus. Dicatur enim Phil. 2. quod in ſimilitudinem hominum factus eſt: ſed quod eſt ſecundum veritatem, non dicitur eſſe ſecundum ſimilitudinem. Ergo Filius Dei non aſſumpſit verum corpus.

¶ 2 Præterea, Aſſumptio corporis in nullo derogauit dignitati diuinitatis: dicit enim Leo Papa in ſermone de Nati. * quod nec inferiorem naturam conſumpſit glorificatio, nec ſuperiorem minuit aſſumptio: ſed hoc ad dignitatem Dei pertinet, quod ſit omnino à corpore ſeparatus. Ergo videtur quod per aſſumptionem non fuerit Deus corpori vnitus.

¶ 3 Præterea, Signa debent reſpondere ſignatis. Sed apparitiones vet. Teſt. quæ fuerunt ſigna apparitionis Chriſti, non fuerunt ſecundum corporis veritatem, ſed ſecundum imaginariam viſionem: ſicut patet Iſa. 6. Vidi Dominum ſedentem, &c. Ergo videtur quòd etiam apparitio Filij Dei in mũdo, non fuerit ſecundum corporis veritatem, ſed ſolum ſecundum imaginationem.

Sed contra eſt quod dicit Aug. † in lib. 83. q. Si phantaſma fuit corpus Chriſti, fefellit Chriſtus: Etſi fefellit, veritas non eſt. Eſt autem veritas Chriſtus. Ergo non fuit phantaſma corpus eius. Et ſic patet, quòd verum corpus aſſumpſit.

CONCLVSIO.

Cum Chriſtus fuerit verè homo pro hominum ſalute mortuus, & à Deo à morte reuſcitatus, conſequens eſt quòd verum corpus aſſumpſerit.

Respondeo dicendum, quòd ſicut dicitur in lib. de Eccleſiaſticis * dogmatibus, Natus eſt Dei Filius, non putatiue, quaſi imaginatum corpus habens, ſed corpus verum. Et huius ratio poteſt triplex aſſignari. Quarum prima eſt ex ratione humanæ naturæ, ad quam pertinet verum corpus habere. Suppoſito igitur ex præmiſſis, * quod conueniens fuerit, Filium Dei aſſumere humanam naturam, conſequens eſt, quod verum corpus aſſumpſerit. Secunda ratio ſumi poteſt ex his quæ in myſterio Incarnationis ſunt acta. Si enim non fuit verum corpus eius, ſed phantaſticum, ergo nec veram mortem ſuſtinuit, nec aliquid eorum quæ Euangeliſtæ de eo narrant ſecundum veritatem geſſit, ſed ſolum ſecundum apparentiam quandam. Et ſic etiam ſequeretur, quòd non fuerit vera ſalus hominis ſubſequuta: oportet. et. effectum cauſæ proportionari. Tertia ratio poteſt ſumi ex ipſa dignitate perſonæ aſſumentis: quæ cum ſit veritas, non decuit, vt in eius opere aliqua fictio eſſet. Vnde & dominus hunc errorem per ſeipſum excludere dignatus eſt, Luc. vlt. cum Diſcipuli conturbati & conterriti, putabant ſe ſpiritum videre, & non verum corpus: & ideo ſe eis palpandum præbuit, dicens, Palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſimilitudo illa exprimit veritatem humanæ naturæ in Chriſto, per modum, quo omnes qui vere in natura humana exiſtuere, ſimiles ſpecie eſſe dicuntur: non autem intelligitur ſimilitudo phantaſtica. Ad cuius euidentiam Apoſtolus ſubiungit, quod factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: quod fieri non potuiſſet, ſi eſſet ſola ſimilitudo phantaſtica.

Ad ſecundum dicendum, quòd per hoc quòd Filius Dei verum corpus aſſumpſit, in nullo eſt eius dignitas diminuta. Vnde Auguſt. * dicit in lib. de fi. ad Pe. Exinaniuit ſeipſum, formam ſerui accipiens, vt fieret ſeruus: ſed formæ Dei plenitudinem non amiſit. Non enim Filius Dei ſic aſſumpſit verum corpus, vt forma corporis fieret, quod repugnat diuinæ ſimplicitati & puritati. Hoc enim eſſet aſſumere corpus in vnitatem naturæ, quod eſt impoſſibile, vt ex ſupra dictis patet. * ſed ſalua diſtinctione naturæ aſſumpſit corpus in vnitatem perſonæ.

Ad tertium dicendum, quòd figura debet reſpondere rei, quantum ad ſimilitudinem, non quantum ad rei veritatem. Si enim ſecundum omnia eſſet ſimilitudo, iam non eſſet ſignum, ſed ipſa res: vt Damaſ. * dicit in 3. lib. conueniens ergo fuit, vt apparitiones vet. Teſt. eſſent ſecundum apparentiam, quaſi figuræ, apparitio autem Filij Dei in mundo eſſet ſecundum corporis veritatem, quaſi res figurata per illas figuras. Vnde dicit Apoſtolus ſecundæ Col. 2. Quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Dei Filius debuerit aſſumere corpus terrenum, ſcilicet carnem & ſanguinem.

Ad Secundum ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus non habuerit corpus carnale ſiue terreſtre, ſed caleſte, dicit enim Apoſtolus 1. ad Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cæleſtis. Sed primus homo, ſcilicet Adam fuit de terra, quantum ad corpus, vt patet Gen. 3. Ergo etiam ſecundus homo ſcilicet Chriſtus fuit de cœlo, quantum ad corpus. 34.

¶ 2 Præterea, Primæ ad Cor 15. dicitur, Caro & Sanguis regnum Dei non poſſidebunt: Sed regnum Dei principaliter eſt in Chriſto, Non ergo in ipſo eſt caro & ſanguis, ſed magis corp. cæleſte.

¶ 3 Præterea, Omne quod eſt optimum, eſt Deo attribuendum: ſed inter omnia corpora nobiliſſimum eſt corpus cæleſte. Ergo tale corpus debuit Chriſtus aſſumere.

Sed contra eſt quod Dominus dicit Luc. vlt. Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Caro autem & oſſa non ſunt ex materia cæleſtis corporis, ſed ex inferioribus elementis. Ergo corpus Chriſti non fuit corpus cæleſte, ſed carneum & terrenum.

CONCLVSIO.

Sicut verum corpus Chriſtus aſſumpſit, ita terrenum, non cæleſte quod impaſſibile & incorruptibile eſt, corpus eum aſſumpſiſſe credendum eſt.

Respondeo dicendum, quod iiſdem rationibus apparet, quare corpus Chriſti non debuit eſſe cæleſte, quibus oſtenſum eſt, * quod non debuit eſſe phantaſticum.

Primo enim, quia ſicut veritas humanæ naturæ non ſaluaretur in Chriſto, ſi corpus eius eſſet phantaſticum (vt poſuit Manichæus) ita etiam non ſaluaretur, ſi poneretur cæleſte: ſicut poſuit Valentinus. Cum enim forma hominis ſit quædam res naturalis, requirit determinatam materiam, ſcilicet carnes & oſſa, quæ in hominis diffinitione poni oportet: vt patet per Philoſophum. * 7. Met.

Secundo, quia hoc etiam derogaret veritati eorum quæ Chriſtus in corpore geſſit. Cum enim corpus cæleſte ſit impaſſibile & incorruptibile (vt probatur in primo de Cœlo) ſi Filius Dei corpus cæleſte aſſumpſiſſet, non vere eſuriſſet nec ſitiſſet, nec etiam paſſionem, & mortem ſuſtinuiſſet. Tertio etiam derogat veritati diuinæ. Cum enim Filius Dei ſe hominibus oſtenderit, quaſi corpus carneum & terrenum habens, fuiſſet falſa demonſtratio, ſi corpus cæleſte habuiſſet. Et ideo in li. de Eccleſiaſticis * dogmatibus dicitur. Natus eſt Dei Filius carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cœlo ſecum afferens.

Ad primum ergo dicendum, quòd Chriſtus dicitur de cœlo deſcendiſſe dupliciter. Vno modo ratione diuinæ naturæ, non ita quòd natura diuina in cœlo eſſe deſierit, ſed quia in infimis nouo modo eſſe cœpit, ſcilicet ſecundum naturam aſſumptam: ſecundum illud Ioa. 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cœlo. Alio modo ratione corporis: non quia ipſum corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam de cœlo deſcenderit, ſed quia virtute cæleſti, id eſt, Spiritu ſancto, eſt eius corpus formatum. Vnde Aug. * dicit ad Oroſium, exponens auctoritatem inductam, Cæleſtem dico Chriſtum: quia non ex humano conceptus eſt ſemine. Et hoc etiam modo Hilarius exponit in lib. de Trin. †

Ad ſecundum dicendum, quòd caro & ſanguis non accipiuntur ibi pro ſubſtantia carnis & ſanguinis, ſed pro corruptione carnis & ſanguinis. Quæ quidem in Chriſto non fuit quantum ad culpam: fuit tamen ad tempus, quantum ad pœnam, et opus noſtræ redemptionis expleret.

Ad tertium dicendum, quòd hoc ipſum ad maximam Dei gloriam pertinet, quod corpus infirmum & terrenum ad tantam ſublimitatem prouexit. Vnde in Epheſina Synodo legitur verbum ſancti Theophili dicentis, Qualiter artificum optimi non in pretioſis tantum materiebus artem oſtendentes, in admiratione ſunt, ſed viliſſimum lutum & terram diſſolutam plerumque aſſumentes, ſua diſciplina demonſtrantes virtutem, multo magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei Verbum, non aliquam pretioſam materiam corporis cæleſtis apprehendens, ad nos aduenit, ſed in luto, magnitudinem ſuæ artis oſtendit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Filius Dei aſſumpſerit animam. 35.

Ad Tertium ſic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei animam non aſſumpſerit. Ioannes enim Incarnationis myſterium tradens, dixit, Verbum caro factum eſt, nulla facta de anima mentione. Non autem dicitur caro factum, eo quod ſit in carnem conuerſum, ſed quia carnem aſſumpſit. Non ergo videtur aſſumpſiſſe animam.

¶ 2 Præterea, Anima neceſſaria eſt corpori ad hoc, quod per eam viuificetur: ſed ad hoc non fuit neceſſaria corpori Chriſti, vt videtur: quia ipſum Verbum Dei eſt, de quo dicitur in Pſal. 35. Domine apud te eſt fons vitæ. Superfluum ergo fuiſſet animam adeſſe Verbo præſente. Deus autem & natura nihil fruſtra faciunt: vt etiam Philoſophus dicit in primo de Cæ. * Ergo videtur, quod Filius Dei animam non aſſumpſerit.

¶ 3 Præterea, Ex vnione animæ ad corpus, conſtituitur natura communis, quæ eſt ſpecies humana. In domino autem Ieſu Chriſto non eſt communem ſpeciem accipere, vt Dam. * dicit in 3. lib. Non igitur aſſumpſit animam.

Sed contra eſt quod Auguſt. dicit in lib. † de Agone Chriſtiano,

stiano, Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum à Verbo Dei: & sic audiunt quod dictum est, Verbum caro factum est, vt negent illum hominem, vel animam, vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam.

CONCLVSIO.

Sicut Christus veram carnem, ita & animam assumpsit, vt anima primi parentis vitiis sauciata, per Filium Dei, qui humanæ naturæ sanandæ gratia, in mundum venerat, curaretur.

li. de hæres. c. 49. & 55. c. 6.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dicit Aug.* in lib. de hæresibus, opinio fuit primo quidem Arij, & postea Apollinaris, quod Filius Dei solam carnem assumpsit absque anima, ponentes quod Verbum fuerit carni loco animæ. Ex quo sequebatur, quod in Christo non fuerint duæ naturæ, sed vna tantum, ex anima enim & carne, vna natura humana constituitur.

li. 83. q. q. 80. a med. tom. 4.

Sed hæc positio stare non potest propter tria. Primo quidem, quia repugnat auctoritati scripturæ, in qua Dominus de sua anima facit mentionem, Matth. 26. Tristis est anima mea vsque ad mortem, & Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam. Sed ad hoc respondebat Apollinaris, quod in his verbis anima metaphorice sumitur: per quem modum in veteri testam. Dei anima commemoratur, Isa. 1. Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea. Sed sicut dicit August.* in lib. 83. q. Euangelistæ in Euangelica narratione narrant, quod miratus est Iesus, & iratus & contristatus, & quod esuriit. Quæ quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse, sicut ex hoc, quod comedit & dormiuit, & fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum: Alioquin si & hæc ad metaphoram referantur, cum similia legantur in vet. Testam. de Deo, peribit fides Euangelicæ narrationis. Aliud enim est, quod Prophetice nuntiatur in figuris, aliud quod secundum rerum proprietatem ab Euangelistis historice scribitur. Secundo, derogat prædictus error vtilitati Incarnationis, quæ est liberatio hominis. Vt enim argumentatur Aug.

li. 3. post med. c. 6.

in lib.* contra Felicianum. Cur accepta carne Filius Dei animam omisit? forte vt innoxiam sciens, medicinæ indigentem esse non credidit, aut à se alienam putans redemptionis beneficio non donauit, aut ex toto insanabilem iudicans, curare nequiuit, aut vt vilem, & quæ nullis vsibus apta videretur, abiecit. Horum duo blasphemiam important in Deum. Quomodo enim dicetur Omnipotens, si curare non potuit desperatam? aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus autem aliis, in vno animæ causa nescitur, in altero meritum non tenetur. Aut intelligere causam putandus est animæ, qui eam ad accipiendam legem, habitu insitæ sibi rationis instructam, à peccato voluntariæ transgressionis nititur separare? Aut quomodo eius generositatem nouit, qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam? Si originem attendat, pretiosior est animæ substantia: si transgressionis culpam, propter negligentiam, peior est carne. Ego autem Christum, & perfectam sapientiam dico & scio, & piissimum esse non dubito, quorum primo meliorem & prudentiæ capacem non despexit: secundo, eam, quæ magis fuerat vulnerata, suscepit. Tertio vero hæc

lib. 2. de an. c. 9. li. 7 met. 35. circa med. to. 1. & 3.

positio est contra ipsam Incarnationis veritatem, caro enim & cæteræ partes hominis per animam speciem sortiuntur: Vnde recedente anima non est os, aut caro, nisi æquiuoce, vt patet per Philosophum in 2. de anima, & 7. Metaphy.*

AD primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Verbum caro factum est, caro ponitur pro toto homine: ac si diceretur, Verbum homo factum est, sicut & Isa. 40. Videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est. Ideo autem totus homo per carnem significatur: quia vt dicitur in auctoritate in-

*In homil. 3 su. pen. * li. 83. quæst. 80. paulo post princ. to. 4.*

ducta,* Per carnem filius Dei visibilis apparuit, Vnde subditur, Et vidimus gloriam eius. Vel ideo: quia vt August. dicit in lib. 83.* quæst. in tota vnitate susceptionis principale, Verbum est, extrema autem atque vltima, caro. Volens itaque Euangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum & carnem nominauit, omittens animam, quæ est Verbo inferior, carne præstantior. Rationabile etiam fuit, vt nominaret carnem quæ propter hoc, quod magis distat à Verbo minus assumptibilis videbatur.

AD secundum dicendum, quod Verbum est fons vitæ, sicut prima causa vitæ effectiua: Sed anima est principium vitæ corporis tanquam forma ipsius: forma autem est effectus agentis. Vnde ex præsentia Verbi magis concludi posset, quod corpus esset animatum: sicut ex præsentia ignis potest concludi, quod corpus cui ignis adhæret, sit calidum.

Lapsim arg. citato.

AD tertium dicendum, quod non est inconueniens, immo necessarium dicere, quod in Christo fuerit natura, quæ constituitur per animam corpori aduenientem: Damasce.* autem negat, in domino Iesu Christo esse communem speciem, quasi aliquid tertium resultans ex vnione diuinitatis, & humanitatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm filius Dei assumere debuerit intellectum.

36.

*3. d. 2. q. 1. a. 1. q. 2 & 4. cont. 13 & ver. q. 20. ar. 1. c. & volo. a c. 1. & ap. 1 q. a 11. * l. 14 c. 1. & 6. to 3.*

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod filius Dei non assumpserit mentem humanam siue intellectum. Vbi enim est præsentia rei, nó requiritur eius imago: sed homo secundum mentem est ad imaginem Dei, vt Aug.* dicit in lib. de trinit. Cùm ergo in Christo fuerit præsentia ipsius diuini Verbi, non oportuit ibi esse mentem humanam.

¶ 2 Præterea, Maior lux offuscat minorem: Sed verbum Dei, quod est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (vt dicitur Ioan. 1.) comparatur ad mentem, sicut lux maior ad minorem: quia & ipsa mens lux quædam est, quasi lucerna illuminata à prima luce. Prouerb. 20. Lucerna Domini, spiraculum hominis. Ergo in Christo, qui est Verbum Dei, non fuit necessarium, esse mentem humanam.

¶ 3 Præterea, assumptio humanæ naturæ à Dei Verbo dicitur Incarnatio eius: Sed intellectus siue mens humana neque est caro, neque est actus carnis, quia nullius corporis actus est:

l. 3. de an t. 6. & 12. text 4. in prin. to. 4.

vt probatur in † 3. de an. Ergo videtur, quod Filius Dei humanam mentem non assumpserit.

SED contra est, quod Aug.* dicit in lib. de fide ad Pet. Firmissime tene, & nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem & animam rationalem, qui de carne sua dicit, Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, Luc. vlt. Animam quoque se habere ostendit, dicens, Ego pono animam meam, & iterum sumo eam, Io. 10. Intellectum quoque animæ ostẽdit se habere dicens, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, Mat. 11. & de ipso per Prophetam Deus dicit, Ecce intelliget puer meus Isa. 52.

CONCLVSIO.

Vt veram animam & corpus Christum habuisse certum est, ita mente quoque & intellectu eum non caruisse credendum est.

ca. 55. in prin. to. 6.

RESPONDEO dicendum, quod sicut August.* dicit in lib de hæresibus, Apollinaristæ de anima Christi à Catholica Ecclesia dissenserunt, dicentes, sicut Arriani, Deum Christum carnem solam sine anima suscepisse: In qua quæstione testimoniis Euangelicis victi, mentem defuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. Sed hæc positio eisdem rationibus conuincitur, sicut & prædicta. Primo enim, hoc ad uersatur narrationi Euangelicæ, quæ commemorat eum fuisse miratum; vt patet Matth. octauo: admiratio autem absque ratione esse non potest quia importat collationem effectus ad causam: dum scilicet aliquis videt effectum, cuius causam ignorat, & quærit, vt dicitur in principio Metaphysicæ. Secundo

li. 1. met. cap. 2. in med. t. 3. li. 3. orr. fi. c. 6. circ. med. ead. li. & sermone dicto.

repugnat vtilitati Incarnationis, quæ est iustificatio hominis à peccato; Anima enim humana non est capax peccati, nec gratiæ iustificantis, nisi per mentem. Vnde præcipue oportuit mentem humanam assumi. Vnde dicit Damasc. in* tertio lib. quod Dei Verbum assumpsit corpus & animam intellectualem & rationalem. Et postea subdit † Totus toti vnitus est, vt toti mihi salutem largiretur: quod enim inassumptum est, incurabile est. Tertio, hoc repugnat veritati Incarnationis: cum enim corpus proportionetur animæ sicut materia propriæ formæ, non est vere caro humana, quæ non est perfecta anima humana, scilicet rationali. Et ideo si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem: quia per solam mentem anima nostra differt ab

lib. 83. q. q. 80. non procul à prin. to. 4.

anima bestiali. Vnde dicit August. in lib.* 83. quæst. quòd secundum hunc errorem sequeretur, quod filius Dei belluam quandam cum figura humani corporis suscepisset: Quod iterum repugnat veritati diuinæ, quæ nullam patitur fictionis falsitatem.

AD primum ergo dicendum, quòd vbi est ipsa res per sui præsentiam, non requiritur eius imago ad hoc quod suppleat locum rei: sicut vbi est imperator, milites non venerantur eius imaginem. Sed tamen requiritur cum præsentia rei imago ipsius, vt perficiatur ex ipsa rei præsentia, sicut imago in cera perficitur per impressionem sigilli, & imago hominis resultat in speculo per eius præsentiam. Vnde ad perficiendam mentem humanam, necessarium fuit, quod eam sibi Verbum Dei vniret.

Inf. q. 9. a. 1. ad 2. & 3. d. 13. q. 1. a. 1. ad 3. & d. 14. a. 1. q. 1. ad 3.

AD secundum dicendum, quòd lux maior euacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis; non tamen euacuat, sed perficit lucem corporis illuminati: ad præsentiam enim solis, stellarum lux obscuratur, sed aëris lumen perficitur. Intellectus autem seu mens hominis est quasi lux illuminata à luce diuini Verbi. & ideo per præsentiam Verbi non euacuatur mens hominis, sed magis perficitur.

AD tertium dicendum, quòd licet potentia intellectiua non sit alicuius corporis actus ipsa tamen essentia animæ humanæ quæ est forma corporis, requiritur, quod sit nobilior, ad hoc quod habeat potentiam intelligendi: & ideo necesse est, vt corpus melius dispositum ei respondeat.

QVÆSTIO VI.

De modo assumptionis quantum ad ordinem, in sex articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de ordine assumptionis prædictæ.

¶ Circa quod quæruntur sex.

¶ Primo, vtrùm Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

¶ Secundò, vtrùm assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

¶ Tertio, vtrùm anima Christi fuerit priùs assumpta à Verbo, quàm caro.

¶ Quarto, vtrum caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quàm animæ vnita.

¶ Quintò, vtrùm tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

¶ Sexto, vtrùm sit assumpta mediante gratia.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

37.

3. d. 2. q. 2. ar. 1. & d. 3. q. 3. a. 1. ad 4. & 4. cor. ca. 44. & questio a. 3. ad 5.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod Filius Dei non assumpserit carnem mediante anima. Perfectior enim est modus quo Filius Dei vnitur humanæ naturæ & partibus eius, quam quo est in omnibus creaturis. Sed in creaturis est immediatè per essentiam, potentiam, & præsentiam. Ergo multa magis Filius Dei immediatè vnitur carni, & non mediante anima.

¶ 2 Præterea, Anima & caro vnita sunt Dei Verbo in vnitate hypostasis seu personæ. Sed corpus immediate pertinet ad

personam

personam, sive hypostasim hominis, sicut & anima: quinimmo magis videtur se de propinquo habere ad hypostasim corpus, quod est materia, quàm anima, quæ est forma: quia principium individuationis, quæ importatur in homine, hypostasis, videtur esse materia. Ergo Filius Dei non assumpsit carnem mediante anima.

q. 50. ar. 2. ad 5. ar. 3. & q. 83. a. 2 & 3. d. 2. q. 3. 3. † l. ep. 3. ante med. illam c. 2. ¶ 3. Præterea, Remoto medio separantur ea quæ per medium coniunguntur: sicut remota superficie, cessaret color à corpore, qui inest corpori per superficiem: Sed separata per mortem anima, adhuc remanet vnio Verbi ad carnem, quod infra patebit.* Ergo Verbum non coniungitur carni mediante anima.

Sed contra est,* quòd Aug. dicit in † Epist. ad Volusianum: Ipsa magnitudo diuinæ virtutis, animam sibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum coaptauit.

CONCLVSIO.

Cùm anima media inter Deum & carnem ex sua nobilitate existens, carnis Filio Dei vniendæ causa quodammodo sit, fatendum est, Filium carnem humanam assumpsisse mediante anima.

Respondeo dicendum, quòd medium dicitur respectu principij & finis. Vnde sicut principium & finis important ordinem quendam, ita & medium. Est autem duplex ordo: Vnus quidem temporis, alius autem naturæ. Secundùm autem ordinem temporis non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium: quia totam humanam naturam simul sibi Verbum Dei vniuit: vt infrà patebit. † Ordo autem naturæ inter aliqua potest attendi dupliciter. Vno modo secundum gradum dignitatis, sicut dicimus Angelos esse medios inter homines & Deum: Alio modo secundum rationem causalitatis: sicut dicitur media causa existere inter primam causam & vltimum effectum. Et hic secundus ordo aliquo modo consequitur primum: sicut enim dicit Diony. 13. c. de diuin. nomi. † Deus per substantias magis sibi propinquas agit in ea, quæ sunt magis remota. Sic ergo, si attendamus gradum dignitatis, anima media inuenitur inter Deum & carnem: & secundum hoc potest dici, quod Filius Dei vniuit sibi carnem mediante anima. Sed & secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis vniendæ Filio Dei: non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet, quod sit caro humana. Dictum est enim supra,* quod natura humana præ cæteris est assumptibilis.

q. 33. ar. 5. c. 13. & c. 4. non remote à princ. q. 4. ar. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex ordo considerari potest inter creaturam & Deum: Vnus quidem secundùm quod creaturæ causantur à Deo, & dependent ab ipso, sicut à principio sui esse. & sic propter infinitatem suæ virtutis Deus immediatè attingit quamlibet rem, causando & conseruando. Et ad hoc pertinet, quod Deus immediate est in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam. Alius autem ordo est secundum quem res reducuntur in Deum, sicut in finem. Et quantum ad hoc inuenitur medium inter creaturam & Deum: quia inferiores creaturæ reducuntur in Deum per superiores: vt dicit Dionys. in lib. cœlest. hier. Et ad hunc ordinem pertinet assumptio humanæ naturæ à Verbo Dei, quod est terminus assumptionis: & ideo per animam vnitur carni.

Ad secundum dicendum, quod si hypostasis Verbi Dei constitueretur simpliciter per humanam naturam, sequeretur, quod corpus esset ei vicinius: cum sit materia, quæ est indiuiduationis principium: sicut & anima, quæ est forma specifica, propinquius se habet ad naturam humanam: Sed quia hypostasis Verbi est prior & altior, quàm humana natura, tanto id quod est in humana natura, propinquius ad eã se habet, quanto est altius: & ideo propinquior est Verbo Dei anima, quam corpus.

Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet, aliquid esse causam alicuius quantũ ad aptitudinem & congruitatem, quo tamen remoto, illud non tollitur: quia etsi fieri alicuius dependet ex aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet. Sicut si inter aliquos amicitia causatur aliquo mediante, eo recedente adhuc amicitia remanet: & sic aliqua in matrimonium ducitur propter pulchritudinem (quæ facit congruitatem in muliere ad copulam coniugalem) tamen pulchritudine cessante, adhuc durat copula coniugalis. Et similiter separata anima, remanet vnio Verbi ad carnem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Dei Filius assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

28. Locum sup. ar. 1. ant. p. 1. q. 77. a. 1. ad 1.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei nõ assumpserit animam mediante spiritu. Idem enim non cadit medium inter seipsum & aliquid aliud: Sed spiritus, siue mens non est aliud in essentia ab ipsa anima: vt in prima parte habitum est.* Ergo Filius Dei non assumpsit animam mediante spiritu, siue mente.

q. 4. a. 1. ¶ 2 Præterea, Illud quo mediante facta est assumptio, videtur esse magis assumptibile. Sed spiritus siue mens non est magis assumptibilis, quam anima: quod patet ex hoc, quòd spiritus angelici non sunt assumptibiles: vt supra dictum est.* Ergo videtur, quòd Filius Dei non assumpserit animam mediante spiritu.

¶ 3 Præterea, Posterius assumitur à primo mediante priori: Sed anima nominat ipsam essentiam, quæ est prior naturaliter, quam ipsa potentia eius, quæ est mens. Ergo videtur quòd Filius Dei non assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

Tom. 3. c. 18. ... & 21. ... Sed contra est, quòd Aug. dicit in lib. de Agone Christiano. † Inuisibilis & incommutabilis veritas, per spiritum animam, & per animam corpus accepit.

CONCLVSIO.

Sicut Filius Dei carnem assumpsit anima mediante, ita animam assumpsisse mediante mente & intellectu credendum est.

R. P. Philipps Cam. dicti Disp. Theolog. in 1. p.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est,* Filius Dei dicitur assumpsisse carnem anima mediante, tum propter ordinem dignitatis, tum etiam propter congruitatem assumptionis. Vtrumque autem horum inuenitur, si comparemus intellectum, qui spiritus dicitur, ad cæteras animæ partes. non enim anima est assumptibilis secundum congruitatem, nisi per hoc, quòd est capax Dei ad imaginem eius existens. quod est secundum mentem, quæ spiritus dicitur: secũdum illud Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ. Similiter etiam intellectus inter cæteras partes animæ, est superior, & dignior, & Deo similior. Et ideo, vt Damasc. dicit in tertio lib.* vnitum est carni per medium intellectus Verbum Dei: intellectus enim est quid animæ purissimum, sed & Deus est intellectus. Ar. prac. Lib. 3. cap. 6. ante med.

Ad primum ergo dicendum, quod etsi intellectus non sit aliud ab anima secundum essentiam: distinguitur tamen ab aliis partibus animæ secundum rationem potentiæ. Et secundum hoc competit sibi ratio medij.

Ad secundum dicendum, quod spiritui Angelico non deest congruitas ad assumptionem, propter defectum dignitatis sed propter irreparabilitatem casus, quod non potest dici de spiritu humano: vt patet ex his, quæ in prima parte* dicta sunt.

Ad tertium dicendum, quod anima (inter quam & Dei Verbum ponitur medium intellectus) non accipitur pro essentia animæ, quæ est omnibus potentiis communis sed pro potentiis inferioribus, quæ sunt omni animæ communes. P. 1. q. 64. art. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima à Dei Filio prius fuerit assumpta, quàm caro.

39 Inf. a. 4. & q. 33. 1. ad 1. & 3. & q. 35. 4. & 3. d. 3. q. 3. ars. 1. & 4. cont. ca. 38. 41. & 43. Art. 1.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod anima Christi fuerit prius assumpta à Verbo, quàm caro. Filius enim Dei assumpsit carnem mediante anima, vt dictum est:* Sed prius peruenitur ad medium, quàm ad extremum. Ergo Filius Dei assumpsit prius animam, quam corpus.

¶ 2 Præterea, Anima Christi est dignior Angelis: secundum illud Psalm. 98. Adorate eum omnes Angeli eius: Sed Angeli creati sunt à principio: vt in primo habitum est.† Ergo & anima Christi, quæ non fuit ante creata, quàm assumpta. dicit enim Damasc. in 3. lib.* quod nunquam neque anima, neque corpus Christi propriam habuerunt hypostasim. Ergo videtur quod anima fuerit ante assumpta, quam caro, quæ est concepta in vtero Virginis.

Ioan. q. ... P. 1. q. 46. ar. 1. Lib. 3. c. 8. Hom. 13. in Ioa. aliquantulum à princ. ... ¶ 3 Præterea, Ioan. 1. dicitur, Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. & postea subditur, quod de plenitudine eius nos omnes accepimus, idest, omnes fideles quocunque tempore: vt Chrys. exponit.* Hoc autem non esset, nisi anima Christi habuisset plenitudinem gratiæ & veritatis ante omnes Sanctos qui fuerunt ab origine mundi: quia causa non est posterior causato. Cum igitur plenitudo gratiæ & veritatis fuerit in anima Christi ex vnione ad Verbum, secundum illud quod ibidem dicitur, Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis: consequens videtur, quod à principio mundi anima Christi fuerit à Verbo Dei assumpta.

Lib. 4. c. 6. à prin. Sed contra est, quod Damasc. dicit in 4. lib. † Non, vt quidam mentiuntur, ante eam, quæ est ex Virgine Incarnationem, intellectus est vnitus Deo Verbo, & ex tunc vocatus est Christus.

CONCLVSIO.

Cum Christi anima propriam sine Verbo subsistentiam nunquam habuerit, eiusdemque sit naturæ cum nostris a eam simul tempore cum carne assumptam esse perspicuum est.

Lib. 4. c. 7. & 3. 10. 4. Respondeo dicendum, quod Origenes posuit in suo Peri-Archon,* omnes animas à principio fuisse creatas, inter quas etiam posuit animam Christi creatam.

Sed hoc quidem est inconueniens, si ponatur quod fuerit tunc creata, sed non statim Verbo vnita, quia sequeretur, quod anima illa aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo. & sic cum fuisset à Verbo assumpta, vel non esset facta vnio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animæ præexistens. Similiter etiam est inconueniens, si ponatur, quod anima illa fuerit à principio Verbo vnita, & postmodum in vtero Virginis Incarnata: quia sic eius anima videretur esse non eiusdem naturæ cum nostris: quæ simul creantur, dum corporibus infunduntur. Vnde Leo Papa dicit in Epistola ad † Iulianum, quod non alterius naturæ erat caro eius, quàm nostra: nec alio illi quàm cæteris hominibus animus est à principio inspiratus.

Est ep. 11. ad Iulian. epist. Circumsem non multum ante fin. Ar. 1. huius quæst.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est,* anima Christi dicitur esse medium in vnione carnis ad Verbum secundum ordinem naturæ: non autem oportet ex hoc, quod fuerit medium ex ordine temporis.

Ad Iulia. epist. non multum ante finem & est ep. 11. Ad secundum dicendum, quod sicut Leo Papa in eadem Epistola dicit,† anima Christi excellit nostras animas non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis: est enim eiusdem generis cum nostris animabus, sed excellit etiam Angelos secundum plenitudinem gratiæ & veritatis. Modus autem creationis respondet animæ secundum proprietatem sui generis: ex quo habet, cum sit corporis forma, vt creetur simul, dum corpori infunditur, & vnitur. Quod non competit Angelis, qui sunt substantiæ omnino à corporibus absolutæ.

Inf. q. 68. a. 1 ad 1. & 3. dist. 14. a. 1. q. 2. ad 5. & 2. & sent. q. 29. a. 4. ad 8. Ad tertium dicendum, quod de plenitudine Christi omnes homines accipiunt secundum fidem, quam habent in ipsum: dicitur enim Rom. 3. quod iustitia Dei est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in ipsum. Sicut autem nos in ipsum credimus vt iam natum: ita antiqui crediderunt in ipsum, vt in nasciturum: habentes enim eundem spiritum fidei credimus: vt dicitur secundæ ad Cor. 4. Habet autem fides quæ est in Christum, virtutem iustificandi ex proposito gratiæ Dei: secundum illud Rom. 4. Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam secundũ propositum gratiæ Dei. Vnde quia hoc propositum est æternum, nihil prohibet per fidem Iesu Christi aliquos iustificari, etiam antequam eius anima esset plena gratia & veritate.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Caro Chriſti fuerit prius à Verbo aſſumpta, quàm animæ vnita.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd caro Chriſti fuerit prius à Verbo aſſumpta, quàm animæ vnita. Dicit enim Aug. in lib. de Fide * ad Petr. Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priuſquam ſuſciperetur à Verbo: Sed caro Chriſti videtur prius fuiſſe concepta, quàm animæ rationali vnita: quia materia vel diſpoſitio prior eſt in via generationis, quàm forma completiua. Ergo prius fuit caro Chriſti aſſumpta, quàm animæ vnita.

Locus sup. ar. 3. ci. a m. * *c. 18. in princ. t. 3.*

¶ 2 Præterea, Sicut anima eſt pars naturæ humanæ, ita & corpus: Sed anima humana non habuit aliud principium ſui eſſe in Chriſto, quàm in aliis hominibus, vt patet ex auctoritate Leonis Papæ ſupra inducta. * Ergo videtur, quòd nec corpus Chriſti aliter habuerit principium eſſendi, quàm in nobis. Sed in nobis ante concipitur caro, quàm adueniat anima rationalis, ergo etiam ita fuit in Chriſto. Et ſic caro prius fuit à Verbo aſſumpta, quàm animæ vnita.

In art. pr. in fin. cor.

¶ 3. Præterea, Sicut dicitur in lib. de Cauſis, * cauſa prima plus influit in cauſatum: & prius vnitur ei, quàm cauſa ſecunda: Sed anima Chriſti comparatur ad Verbum, ſicut cauſa ſecunda ad primam.

In prop. 1. habetur hu. liber inter op. Ariſt. t. 3.

Prius ergo Verbum eſt vnitum carni, quàm anima.

SED contra eſt, quod Damaſc. dicit in 3. lib. Simul Dei Verbi caro, ſimul caro animata, rationalis & intellectualis. Non ergo vnio Verbi ad carnem, præceſſit vnionem ad animam.

Lib. 3. orth. fid. cap. 2.

CONCLVSIO.

Sicut anima non prius fuit à Verbo aſſumpta, quàm caro; ita nec caro prius aſſumi debuit quàm anima, cum caro humana ſit à Verbo aſſumptibilis, non prius autem humana ſit quàm animam rationalem habeat.

RESPONDEO dicendum, quòd caro humana eſt aſſumptibilis à Verbo, ſecundum ordinem quem habet ad animam rationalem, ſicut ad propriam formam. Hunc autem ordinem non habet antequam anima rationalis ei adueniat: quia ſimul dum aliqua materia fit propria alicuius formæ, recipit illam formam: vnde in eodem inſtanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma ſubſtantialis. Et inde eſt, quod caro non debuit ante aſſumi, quàm eſſet caro humana, quod factum eſt anima rationali adueniente. Sicut igitur anima non eſt prius aſſumpta, quàm caro, quia contra naturam animæ eſt, vt prius ſit, quàm corpori vniatur: ita caro non debuit prius aſſumi, quàm anima: quia non prius eſt caro humana, quam habeat animam rationalem.

AD primum ergo dicendum, quod caro humana ſortitur eſſe per animam. Et ideo ante aduentum animæ, non eſt caro humana, ſed poteſt eſſe diſpoſitio ad carnem humanam. In conceptione tamen Chriſti, Spiritus ſanctus qui eſt agens infinitæ virtutis, ſimul & materiam diſpoſuit, & ad perfectum perduxit.

AD ſecundum dicendum, quod forma actu dat ſpeciem: materia autem quantum eſt de ſe, eſt in potentia ad ſpeciem. Et ideo contra rationem formæ eſſet, quod præexiſteret naturæ ſpeciei, quæ perficitur per vnionem eius ad materiam: non autem eſt contra naturam materiæ, quod præexiſtat naturæ ſpeciei. Et ideo diſſimilitudo quæ eſt inter originem noſtram, & originem Chriſti ſecundum hoc, quod caro noſtra prius concipitur, quàm animetur, non autem caro Chriſti, eſt ſecundum illud quod præcedit naturæ complementum, ſicut & quod nos concipimur ex ſemine viri, non autem Chriſtus. Sed differentia, quæ eſſet quantum ad originem animæ redundaret in diuerſitatem naturæ.

AD tertium dicendum, quod Verbum Dei per prius intelligitur vnitum carni quàm anima per modum communem, quo eſt in cæteris creaturis, per eſſentiam, potentiam & præſentiam: Prius tamen dico, non tempore, ſed natura: prius enim intelligitur caro vt quoddam ens, quod à Verbo habet, quam vt animata, quod habet ab anima. Sed vnione perſonali prius ſecundum intellectum oportet, quod caro vniatur animæ, quàm Verbo: quia ex vnione ad animam, habet quod ſit vnibilis Verbo in perſona. præſertim, quia perſona non inuenitur niſi in rationali natura.

ARTICVLVS V.

Vtrum tota humana natura ſit aſſumpta mediantibus partibus.

41. AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quod Filius Dei aſſumpſerit totam naturam humanam mediantibus partibus eius. Dicit enim Auguſt. in libr. de Agone Chriſtiano, * quod inuiſibilis & incommutabilis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus, & ſic totum hominem aſſumpſit: Sed ſpiritus, anima & corpus ſunt partes totius hominis. Ergo totum aſſumpſit mediantibus partibus.

3. d. 2. q. 2. a. 1. qu. 3. & a. 3. qu. 1. c. & d. 5. qu. 3. ar. 2. c. & d. 5. qu. 2. art. 3. * *Colligitur ex ca. 18. p. 20 n 3. tom. 3.*

¶ 2 Præterea, Ideo Filius Dei carnem aſſumpſit mediante anima, quia anima eſt Deo ſimilior, quàm corpus: Sed partes humanæ naturæ, cum ſint ſimpliciores, quàm corpus, videntur eſſe ſimiliores Deo, qui eſt ſimpliciſſimus, quam totum. Ergo aſſumpſit totum mediantibus partibus.

¶ 3 Præterea, Totum reſultat ex vnione partium: Sed vnio intelligitur vt terminus aſſumptionis, partes autem præintelliguntur aſſumptioni. Ergo aſſumpſit totum per partes.

SED contra eſt, quod Damaſc. dicit in 3. lib. * in Domino noſtro Ieſu Chriſto non partes partium intuemur, ſed quæ proximè componuntur, id eſt, deitatem & humanitatem. Humanitas autem eſt quoddam totum, quod componitur ex anima & corpore, ſicut ex partibus. Ergo Filius Dei aſſumpſit partes mediante toto.

lib. 3. c. 16. circa fin.

CONCLVSIO.

Sic verbum Dei partes humanæ naturæ mediante toto aſſumpſiſſe dicitur, quòd quemadmodum corpus aſſumpſit, vt ad animam ordinatur, ita aſſumpſiſſe animam & corpus dicatur, vt ordinantur ad totum, id eſt, ad naturam humanam.

RESPONDEO dicendum, quod cum dicitur aliquid medium in aſſumptione Incarnationis, non deſignatur ordo temporis: quia ſimul facta eſt aſſumptio totius, & omnium partium. * Oſtenſum eſt enim, quod ſimul anima & corpus ſunt ad inuicem vnita ad conſtituendam naturam humanam in Verbo: Deſignatur autem ibi ordo naturæ, vnde per id quod eſt prius in natura, aſſumitur id quod eſt poſterius. Eſt autem aliquid prius in natura dupliciter: Vno modo ex parte agentis; alio modo ex parte materiæ: hæ enim duæ cauſæ præexiſtunt rei. Ex parte quidem agentis eſt ſimpliciter primum illud, quod primo cadit in eius intentione: ſed ſecundum quid prius eſt illud à quo incipit eius operatio. Et hoc ideo, quia intentio eſt prior operatione. Ex parte vero materiæ eſt primum illud, quod prius exiſtit in tranſmutatione materiæ. In Incarnatione autem oportet maxime attendere ordinem, qui eſt ex parte agentis: quia vt Auguſt. dicit in Epiſt. ad Voluſianum, † in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis. Manifeſtum autem eſt, quod ſecundum intentionem facientis prius eſt completum, quam incompletum, & per conſequens totum, quàm partes. Et ideo dicendum eſt, quod Verbum Dei aſſumpſit partes humanæ naturæ mediante toto: ſicut enim aſſumpſit corpus propter ordinem quem habet ad animam rationalem, ita aſſumpſit corpus & animam, propter ordinem quem habent ad humanam naturam.

a. 1. huius q. & a. 2. *† non multũ remouens a medium. & eſt ep. 3. 10. 2.*

AD primum ergo dicendum, quòd ex verbis illis nihil aliud datur intelligi, niſi quod Verbum, aſſumendo partes humanæ naturæ, aſſumpſit totam humanam naturam: & ſic aſſumptio partium eſt prior in via operationis, intellectu, non tempore: Aſſumptio autem naturæ eſt prior, in via intentionis: quod eſt eſſe prius ſimpliciter, vt dictum eſt *.

Loco cit.

AD ſecundum dicendum, quod Deus ita eſt ſimplex, quod etiam eſt perfectiſſimus: & ideo totum eſt magis ſimile Deo, quam partes, inquantum eſt perfectius.

AD tertium dicendum, quod vnio perſonalis eſt, ad quam terminatur aſſumptio: non autem vnio naturæ, quæ reſultat ex coniunctione partium.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm humana natura ſit aſſumpta mediante gratia.

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei aſſumpſerit humanam naturam mediante gratia. Per gratiam enim vnimur Deo: Sed humana natura in Chriſto maximè fuit Deo vnita. Ergo illa vnio facta fuit per gratiam. 42.

3. d. 2. qu. 2. ar. 2. & d. 13. q. 3. ar. 1. & ver. qu. 29. art. 2. & opu. 3. c. 222.

¶ 2 Præterea, Sicut corpus viuit per animam, quæ eſt eius perfectio, ita anima per gratiam: Sed humana natura redditur congrua ad aſſumptionem per animam, vt dictum eſt: ergo & anima congrua redditur ad aſſumptionem per gratiam: Ergo Filius Dei aſſumpſit animam mediante gratia.

¶ 3 Præterea, Auguſt. in 15. de Trin. * dicit, quod Verbum incarnatum eſt ſicut verbum noſtrum in voce. Sed verbum noſtrum vnitur voci mediante ſpiritu. Ergo Verbum Dei vnitur carni mediante Spiritu ſancto, & ita mediante gratia, quæ Spiritui ſancto attribuitur, ſecundum illud primæ ad Cor. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.

li. 15. c. 11. tom. 3.

SED contra eſt, quod gratia eſt quoddam accidens animæ, vt in ſecunda parte habitum eſt *. Vnio autem Verbi ad humanam naturam eſt facta ſecundum ſubſiſtentiam, & non ſecundum accidens, vt ex ſupra dictis patet †. Ergo natura humana non eſt aſſumpta mediante gratia.

1. 2. qu. 110. a. 2. *† qu. 2. ar. 6.*

CONCLVSIO.

Nullo modo Filius Dei humanam aſſumpſit naturam mediante gratia niſi per modum cauſæ efficientis, prout ipſa gratuita Dei voluntas, ex ipſa gratia extitit, quæ eam ſibi vniuit.

RESPONDEO dicendum, quòd in Chriſto ponitur gratia vnionis, & gratia habitualis. Gratia ergo non poteſt intelligi, vt medium in aſſumptione humanæ naturæ, ſiue loquamur de gratia vnionis, ſiue de gratia habituali. Gratia enim vnionis eſt ipſum eſſe perſonale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturæ in perſona Verbi: quod quidem eſt terminus aſſumptionis. Gratia autem habitualis pertinens ad ſpiritualem ſanctitatem illius hominis, eſt effectus quidam conſequens vnionem: ſecundum illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Per quod datur intelligi, quod ex hoc ipſo, quod ille homo eſt vnigenitus à Patre, quod habet per vnionem, habet plenitudinem gratiæ & veritatis. Si vero intelligatur gratia, voluntas Dei: aliquid gratis faciens vel donans, ſic vnio facta eſt per gratiam, non ſicut per medium, ſed ſicut per cauſam efficientem.

AD primum ergo dicendum, quod vnio noſtra ad Deum eſt per operationem, inquantum ſcilicet eum cognoſcimus & amamus, & ideo talis vnio eſt per gratiam habitualem, inquantum operatio perfecta procedit ab habitu: Sed vnio naturæ humanæ ad Verbum Dei, eſt ſecundum eſſe perſonale, quod non dependet ab aliquo habitu, ſed immediatè ab ipſa natura.

AD ſecundum dicendum, quòd anima eſt perfectio ſubſtantialis corporis, gratia verò eſt perfectio animæ accidentalis. Et ideo gratia non poteſt ordinare animam ad vnionem perſonalem (quæ non eſt accidentalis) ſicut anima & corpus.

AD tertium dicendum, quòd verbum noſtrum vnitur voci mediante ſpiritu: non quidem ſicut medio formali, ſed ſicut per medium mouens. Nam ex verbo concepto interius procedit ſpiritus, ex quo formatur vox. Et ſimiliter ex Verbo æterno procedit Spiritus ſanctus: qui formauit corpus Chriſti: vt infra patebit *. Non autem ex hoc ſequitur, quòd gratia Spiritus ſancti ſit formale medium in vnione prædicta. *q. 32. a. 1.*

DISPVT.

DISPVTATIO IV.

De extremis hypostaticæ Vnionis, ac ordine ipsius.

CONSIDERATO Vnionis hypostaticæ modo, considerandum restat de extremis vnitis, scilicet de persona assumente, & natura assumpta, ac tandem de ordine quo completa est.

DVBIVM I.

Vtrùm sola Diuina Persona possit vniri hypostaticè Alienæ naturæ.

SVpponendum est, quòd in hac dictione exclusiua, sola Diuina persona, duæ quæstiones virtualiter continentur. Prima, vtrùm Diuina persona possit vniri hypostaticè alienæ naturæ, & hæc determinata est superiùs; imò ostensum est quòd de facto fuerit vnita. Secunda est, vtrùm nulla alia persona præter Diuinam, possit hypostaticè vniri alienæ naturæ, siue alteri quàm suæ propriæ, & in hoc sensu procedit præsens dubium.

Prima opinio Scoti in 3.d.1.q.4.& Nominalium asserit, non solam Diuinam personam, sed etiam quodcumque suppositum creatum de potentia Dei absoluta, posse hypostaticè vniri alienæ naturæ, & quamlibet posse terminare substantialiter. Probatur; nulla est implicantia tam ex parte naturæ terminandi, quàm ex parte suppositi siue subsistentiæ terminatiuæ: quia quælibet natura diuinitus potest terminari aliena subsistentia, vt dicetur infra: & constat quòd humana de facto terminatur subsistentia diuina. Similiter quælibet subsistentia creata, cùm iam ex natura sua habeat vim terminatiuam naturæ, illam enim exercet in ordine ad propriam, poterit per potentiam obedientialem extendere ad alienam: maximè quia terminatio nullam importat actionem, quamuis præsupponat vnitiuam; sed solam importat coniunctionem cum altero extremo, in vtroque æqualem, ac imperfectam; quia in vno est per modũ formæ; in alio per modum potentiæ: si igitur ex parte vnius est possibilis, etiam erit possibilis ex parte alterius: ergo subsistentia creata potest diuinitus terminare alienam naturam.

Secundò, ad terminandam alienam naturam, non requiritur virtus infinita: nam si ad terminandas infinitas naturas requiritur virtus infinita; ad terminandas finitas non requiritur nisi virtus finita, maior aut minor; & ad terminãdam vnicam, virtus valde limitata: ergo cùm quælibet subsistentia creata habeat virtutem terminatiuam, poterit alienam terminare naturam; saltem separata à propria: non enim videtur difficilior hæc vnio subsistẽtiæ cum aliena natura, quàm vnio duorum corporum per penetrationem dimensionum intra idem ... tium.

Tertiò, si quid obstaret, maximè esset ... subsistentia est modus naturæ propriæ, & ... minò ipsi adæquatè commensuratus: ita ... ratione primi non possit modificare ... naturam, propter indistinctionem realem ... la: ratione verò secundi, quia propter comm... surationem adæquatam non potest vltra se ... tendere: sed neutrum obstat. Non prim... tum quia subsistentia non est modus, tum ... persona diuina est magis indistincta à na... diuina, quàm subsistentia creata à propria n... ra, cùm nullo modo realiter distinguatur; & ... men de facto terminat alienam naturam. N... secundum; quia quælibet diuina persona, ... solùm est commensurata in virtute termina... ua ipsi diuinæ naturæ, sed etiam est ipsi inad... quata; & tamen persona Filij terminat alienam ... ergo subsistentia creata potest diuinitus term... nare alienam naturam.

Quartò, subsistentia creata est actus meta... physicus sicut forma substantialis est actus phy... sicus: & simili modo actuant, scilicet informan... do: ergo cùm forma substantialis possit diuini... tus actuare plures materias, saltem successiuè vt fatentur omnes: sic subsistentia creata diuinitus potest, saltem successiuè, actuare plures naturas; ac proinde terminare alienam.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd implicat contradictionem, suppositum creatum media propria subsistentia terminare substantialiter alienam naturam: 1. Et sic proprium est solius diuinæ personæ. Ita communiter Thomistæ in præsenti, & plures extra scholam D. Thom. vt Suares, Vasques, & alij.

Probatur vtraque pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc ar. 1. ad 2. vbi sic ait: *Hoc autem est proprium Diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundùm subsistentiam*: si ergo est proprium Diuinæ personæ, quia infinitæ: ergo nullo modo potest conuenire personæ creatæ, quia finitæ. Quæ ratio D. Thom. sic expenditur; quælibet persona creata, & subsistentia ipsius est finita ac limitata, vt omnes fateri tenentur: est enim ad certum genus & differentiam determinata, sicut & natura quam terminat, cùm sit determinatæ speciei; genus enim & differentiæ sunt limites cuiuscumque rei creatæ, ipsam limitantes ad peculiarem gradum entis: ergo nulla persona creata, & subsistentia ipsius potest terminare substantialiter alienam naturam; quia terminare alienam naturam importat infinitam, & illimitatam perfectionem: nam si quælibet persona non est determinata & limitata in ordine ad propriam naturam, sed possit quamcumque actuare terminando, non habetur vnde possit haberi

haberi & colligi eius finitas & limitatio: non enim ex aduersariis, potiùs respicit has, quàm alias, & ita simul respicit omnes. Si dicatur quòd licèt omnes simul respiciat; non tamen simul terminandas, sed successiuè, ex quo sequitur eius limitatio; sicut & forma substantialis est limitata, quia tantùm informat vnam portionē materiæ, licèt potens sit quamcumque informare: vnde subsistentia iuxta maiorem vel minorem sui perfectionem, simul poterit terminare plures vel pauciores naturas. Contra; quia forma substantialis ideo potest successiuè terminare plures portiones materiæ, quia non limitatur ad aliquam speciem per materiam; si enim portiones materiæ sublunaris essent diuersæ speciei, non posset illas successiuè informare, sicut non potest informare forma sublunaris materiam cœlestem, cùm sit impossibile vt aliquid manens idem mutet speciem; forma autem mutaret speciem informando successiuè plures portiones materiæ, si essent diuersæ speciei, & traherent formam ad suam speciem: cōtrarium autem contingit; nam materiæ omnes sublunares non differunt specie, nec illam habent; sed trahuntur ad speciem formæ informantis: & cùm sint pura potentia ex se non habens speciem, illam mutant iuxta diuersitatem formarum quas recipiunt: subsistentia autem, sicut & existentia determinatur ad speciem per naturam in qua recipitur; dicitur enim & est subsistentia & existentia humana, vel Angelica, quæ recipitur in natura humana, vel Angelica: vnde ab intrinseco ad illam naturam limitatur; à qua specificatur. Si dicatur, quòd hæc ratio solùm probat subsistentiam v.g. humanam non posse quidem terminare naturas superiores v.g. Angelicas ob nobiliorem specificationem: non autem probat non posse terminare plures naturas eiusdem speciei & inferiores in ipsis eminenter contentas: Contra; quia non quælibet natura superior continet eminenter perfectionem inferioris, nisi aliquo modo sit causa illius. Deinde, in qualibet natura singulari & etiam subsistentia, est peculiaris modus indiuiduationis, quo substantialiter distinguuntur, & se mutuò in perfectione substantiali excedunt; est autem impossibile quòd vna particularis natura & subsistentia contineat, vel formaliter, vel eminenter omnes istos modos; sine fundamento enim ponitur hæc continentia eminentialis, vbi non relucet ex aliqua causalitate. Si denique dicatur, quòd subsistentia limitatur ex imperfecto modo terminandi, scilicet informando, licèt terminet alienam naturam. Contra; quia hoc ipso quòd terminaret alienam naturam, saltem simul cum propria, non terminaret informando; implicat enim eandem formam simul informare duo subiecta, ac proinde quòd duobus tribuat suum effectum formalem,

Secundò; si subsistentia creata terminaret alienam naturam, ad hanc terminationem concurreret vt causa principalis vt certum est: quia hæc terminatio non fit per productionē alicuius in natura terminata, sed per immediatam communicationem ipsius subsistentiæ & personalitatis dantis naturæ suum effectum formalem: cùm autem hic effectus sit sibi proprius & connaturalis, correspondet ipsi vt causę principali: ergo est impossibile quòd subsistentia creata terminet alienam naturam etiam de potentia absoluta; nam naturaliter hoc non potest: quod colligitur ex hoc quòd nunquam contingit; in rebus enim naturalibus, quod est possibile, aliquando contingit: vnde deberet diuinitus accrescere eius virtus, hoc autem est impossibile; quia cùm terminatio, vt dictum est, fiat per nudam & immediatam communicationem ipsius subsistentiæ cum natura, non autem per actionem, ipsa subsistentia in ratione subsistendi deberet perfici, quod est impossibile, ipsâ eâdem remanente: omnis enim accidentalis perfectio & immutatio nihil facit ad propositum. Deinde, dato quòd hoc fieri posset, adhuc sequeretur quòd hæc terminatio, vt pote excedens virtutem naturalem subsistentiæ, corresponderet ipsi vt causæ tantùm instrumentali, quod repugnat dictis. Si dicatur, quòd ad hoc sufficit potentia obedientialis actiua, ingenita vnicuique creaturæ, vel passiua: nam hæc videtur sufficere, cùm terminatio fiat per solā vnionem subsistentiæ cum natura. Contra; nam potia obedientialis actiua non datur: & esto, detur, exercitium tamen ipsius conuenit causæ per illam operanti tantùm instrumentaliter; sicut & exercitium sanctificandi in Sacramentis, ex ipsis aduersariis: potētia autem obedientialis passiua hìc non deseruit; quia terminare non est recipere, aut habere se passiuè, quod est exercitium potentiæ; sed est actuare & perficere, quod est communicare perfectionem, non quidem in genere causæ efficientis, sed in genere causæ formalis saltem extrinsecæ; ad quod non minor requiritur perfectio in principio actuante, ac in causa agente requireretur; quia hic effectus formalis eandem importat perfectionem, ac si esset effectus in genere causæ efficientis.

Ad primum ergo dicendum, quòd implicantia non se tenet ex parte naturæ, quia terminari est recipere subsistentiam, & hoc fit per potentiam obedientialem passiuam quæ est in omnibus, quia recipere non præsupponit perfectionem, sed potius carentiam ipsius: sed se tenet ex parte subsistentiæ, quia terminare est actuare, & conferre perfectionem, non quidem per modum efficientis, sed per modum formæ, ad quod requiritur æqualis perfectio, ac si esset per modum efficientis, virtus autem terminatiua subsistentiæ importans perfectionem, est limitata in ordine ad propriam naturam, vt dictum est,

est; vnde non potest terminare alienam, per potentiam obedientialem actiuã, quia hæc non datur: nec per passiuam, quia exercitium eius est recipere tantùm, terminare autem hypostaticè non importat tantùm coniunctionem subsistentiæ cum natura, sed etiam actuationem passiuam ex parte naturæ, & quasi actiuam ex parte subsistentiæ.

Ad secundum dicendum, quòd quia terminare est effectus quasi formalis, & non efficientis; ideò si extendatur vltra naturam propriam, supponit subsistentiam principium formale illimitatum & infinitum: non enim potest intelligi limitatum, nisi in ordine ad propriam naturam, vt dictum est. Ad instantiam dicendum, quòd expellere corpus ab eodem loco, est effectus tantùm secundarius quantitatis, & adhuc non immediatus; nam præsupponit alium secundarium, scilicet extensionem in ordine ad locum; propterea vterque separatur à quantitate: vnde diuinitus datur penetratio, & coniunctio duorum corporum in eodem loco: vnio autem subsistentiæ creatæ cum aliena natura, ex eius limitatione repugnat, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd repugnantia non prouenit ex primo capite, vt probat argumentum: sed ex secundo; in quantùm subsistentia creata ita est commensurata cum propria natura, vt ab illa limitetur ad determinatam speciem, quod non est in subsistentiis diuinis, quæ licèt commensurentur cum natura diuina in terminatione ad intra; imò vnaquæque sit inadæquata; tamen ob suam illimitationem & infinitatem in ratione terminandi, ratione cuius eminenter continent omnem perfectionem subsistentiæ creatæ cuiuscumque, possunt terminare ad extra quamcumque naturam creatam, imò omnes simul.

Ad quartum iam dictum est, esse latum discrimen inter actum physicum, & metaphysicum: nam physicus non limitatur essentialiter à suo receptiuo, at tantùm indiuidualiter: vnde manens idem potest de vno in aliud transire, retinens vnitatem numericam ex ordine ad primum, habens verò formalem à seipso: metaphysicus autem limitatur à suo receptiuo, tam essentialiter, quàm indiuidualiter.

DVBIVM II.

Vtrùm aliqua Creatura potuerit vnire, vel vniuerit instrumentaliter Verbum humanitati hypostaticè.

SVpponendum est ex dictis, vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, fieri per immediatam coniunctionem extremorum, nullo mediante modo vnionis: vnde qui efficit hanc vnionem debet immediatè attingere vtrumque extremum, coniungendo inter se: si autem daretur ille modus vnionis distinctus, sufficeret attingere productionem ipsius; nam qui causat id quo aliqua formaliter vniuntur, causat vnionem inter ipsa.

Prima opinio est Suaris hîc, disp. 10. sect. 1 quem sequuntur alij, quòd non solùm potu aliqua creatura causare per modum instru menti vnionem hypostaticam Verbi diui cum humanitate, sed quòd de facto Beatissim Virgo illam causauit: consequenter loquitu ad suam opinionem de modo vnionis: ho enim admisso, probabile & pium est istud ad mittere. Probatur vniuersaliter hæc opinio au thoritate Sanctorum Patrum. Ambros. epist. 8: Per hominem, ait, caro eiecta est de paradiso & per Virginem iuncta est Deo. S. Bernard Homil. 4. supra, Missus est, docet Beatam Vir ginem fuisse, quæ benè fermentauit tria illa sata Euangelica; quia videlicet carnem animæ & diuinitati coniunxit. Isichius in Bibliotheca Sanctorum Patrum vocat Beatissimam Virginem Instrumentum Incarnationis eius qui omnia produxit: ergo aliqua creatura vniuit hypostaticè Verbum cum humanitate, per modum instrumenti.

Secundò, attribuendum est Beatissimæ Virgini, quicquid pertinet ad maiorem eius excellentiam & dignitatem, in ordine ad mysterium Incarnationis: & simul confert ad hoc, vt verè & propriè dicatur Mater Dei Incarnati: sed ad hæc necessarium est quòd effectiuè attigerit vnionem hypostaticam Verbi, saltem per modum instrumenti, aliàs verè non posset dici, quòd produxisset vel genuisset Deum hominem, scilicet Christum: sicut non posset dici, quòd Petrus genuit Paulum, nisi attigisset vnionem animæ & corporis: & sic non esset Mater Dei, si non genuisset Deum, quod est hæreticum asserere, & damnatum in Concilio Ephesino: ergo Beatissima Virgo per modum instrumenti vniuit hypostaticè Verbum cum humanitate: maximè quia pertinet ad suauem Dei prouidentiam, quòd vtatur creaturis tanquam instrumentis, in ordine ad plures effectus supernaturales, vt contingit in administratione Sacramentorum, dum gratia producitur instrumentaliter à ministris, dum transsubstantiatur panis & vinum in Corpus & Sanguinem Christi, in operibus miraculosis, &c.

Tertiò, in generatione humana tam pater, quàm mater verè causant vnionem inter animam & corpus, per modum causæ principalis, per hoc præcisè quòd disponunt materiam cui vnitur anima: ergo cùm Beata Virgo verè producat humanitatem cui vnitur Verbum, verè causat vnionem Verbi cum humanitate.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd est impossibile, vt aliqua creatura concurrat etiam instrumentaliter ad vnionem hypostaticam Verbi Diuini cum humanitate. 2. Vnde de facto nulla concurrit;

concurrrit; sed Deus illam immediatè causauit.

Probatur prima pars conclusiouis. Vnio hypostatica Verbi Diuini cum humanitate non est facta per aliquem modum substantialem medium, sed per immediatam coniunctionem extremorum, vt dictum est: vnde qui causat hanc vnionem, debet attingere vtrumque extremum inuicem coniungendo, vel per modum causæ principalis, vel per modum instrumenti; instrumentum enim verè attingit effectum principalis agentis, & elicit eius actionem physicè, quamuis diuerso modo à causa principali; imò per aliquid sibi proprium & præuiù attingit effectum principaliter, & elicit actionem, vt est communis doctrina Thomistarum; & propterea D.Thom.1.p.q.45. negat posse creaturam assumi vt instrumentum creationis, quia ad ipsam nihil præsupponitur, quod præuiè attingat: sed nulla creatura potest effectiuè attingere esse personale Verbi, non solùm producendo illud, sed nec vniendo humanitati, ob suam infinitatem & eminentiam super creaturas, omnimodámque independentiam; ratione quorum repugnat, vt actio creaturæ substantialiter illud in se, per modum principij etiam instrumentalis, attingat. Similiter nulla creatura potest attingere humanitatem Christi ante vnionem, eo modo quo facta est, quia ante illam non extitit, nec in priori naturæ: constat autem quòd actio creaturæ attingit tantùm res existentes; sicut enim actio, sic & passio consequitur esse: ergo est impossibile quòd aliqua creatura concurrat, etiam instrumentaliter, ad vnionem hypostaticam Verbi Diuini cum humanitate.

Probatur secunda pars conclusionis; tum ex dictis; quia quod est impossibile, nunquam fit: tum deinde authoritate Sacræ Scripturæ; vbi vnio hypostatica ita Deo attribuitur vt causæ agenti, quòd excludatur quodcumque instrumentum. Lucæ 1. cùm Beata Virgo interrogasset Angelum, quomodo fieret mysterium Incarnationis; respondit ei assignans authorem & vnicum effectorem ipsius; Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hieremiæ 31. dicitur de mysterio Incarnationis: Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum: ecce effectionem Incarnationis comparat creationi, ad quam ex D.Thom. & Thomistis omnibus 1.p.q.45.art.5. nec datur, nec potest dari instrumentum, & ex communi doctrina de facto non datur. Idem ex aliis pluribus locis colligitur; non autem contrarium. Tum denique, quia ex D.Thom. infra q.31.art.5.& 32. art.4. Beatissima Virgo in conceptione Christi nihil actiuè operata est, sed solam materiam corporis efformandi ministrauit, sicut & aliæ matres in conceptione suorum filiorum; licèt priùs præparauerit materiam, vt esset apta conceptioni: ergo multò minus actiuè & effectiuè causauit vnionem hypostaticam.

Ad primum ergo dicendum, quòd illi Sancti Patres solùm volunt humanitatem fuisse vnitam Verbo, per Sanctissimam Virginem; non quidem attingentem effectiuè ipsam vnionem hypostaticam, sed præparando & ministrando materiam corporis vniendi ex sola Dei virtute.

Ad secundum dicendum, quòd Beatissima Virgo dicitur Mater Dei verè & rigorosè: quia filius quem genuit, verè est Deus & homo: ad hoc autem sufficit quòd ministrauerit materiam corporis Christi, quod est officium matris; nihil enim aliud faciunt matres in conceptione suorum filiorum; vnde totum tribuimus Beatissimæ Virgini in ordine ad Christũ Deum & hominem, quod tribuimus aliis matribus in ordine ad suos filios; imò aliquid amplius; nam ministrauit ex purissimo suo sanguine totam materiam corporis Christi, cùm tamen in aliis conceptionibus etiam semen virile sit materia: nec indiget Virgo Sancta fictis honoribus, & impossibilibus, vt ait D.Bernardus ad aliud propositum: constat autem quòd Patres & Matres non attingunt vnionem animæ ad corpus, cùm anima sit purè spiritualis, ac proinde non potest attingi in seipsa, naturaliter loquendo, per actionem generationis quæ est materialis; sed subministrant tantùm materiam corporis, & insuper virtute seminis à se decisi patres talem materiam vltimò disponunt in vtero materno.

Ad tertium dicendum, quòd cùm vnio animæ ad corpus sit naturalis, aliquo modo possunt dici pater & mater vnire animam corpori, & attingere talem vnionem, per hoc quòd disponunt materiam corporis: vnio autem Verbi ad humanitatem est omninò supernaturalis & gratuita, vnde licèt Beatissima Virgo produceret totam humanitatem, siue animam & corpus, quod tamen negatur, adhuc non diceretur effectiuè attingere vnionem hypostaticam. Deinde, si ob hanc rationem dicenda esset illam attingere, deberet illi tribui tanquam causæ principali, sicut aliis matribus attribuitur attingentia vnionis animæ ad corpus: non autem tantùm vt instrumento.

DVBIVM III.

Vtrùm Pater, & Spiritus Sanctus sint per concomitantiam in humanitate Christi, ratione Mysterij Incarnationis.

SVpponendum est ex Conciliis Lateranensi, cap. firmiter, & Toletano 6. solam Personam Filij esse Incarnatam; non verò Patrem & Spiritum Sanctum: & in hoc conueniunt omnes Theologi, tanquam in propositione fidei. Conueniunt etiam quòd tres diuinæ Personæ ratione suæ immensitatis, sunt in humanitate Christi

Christi Domini generalibus modis, per essentiam, præsentiam, & potentiam: sic enim sunt in omnibus rebus creatis ex D. Thom. 1.p.q.8. art.1. & 3. Differunt autem in hoc; an scilicet Personæ Patris & Spiritus Sancti sint in ipsa, speciali modo, qui dicitur per concomitantiam, ita vt si per impossibile non essent in illa modis generalibus, adhuc essent hoc speciali modo.

Prima opinio Aluaris & aliorum est negatiua. Probatur authoritate Concilij Tridentini, & D.Thom. Concilium sess.13. cap.3. enumerans ea quæ sunt per connexionem & concomitantiam in Sacramento Eucharistiæ, nullam facit mentionem Patris & Spiritus Sancti, sed solùm Diuinitatis, propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem, quam constat non habere Personas Patris & Spiritus Sancti. D.Thom. infra q.79. artic.7. ad 3. dicit quòd in Hostia consecrata non sit nisi totus Christus; constat autem quòd Pater & Spiritus Sanctus non pertinent ad integritatem Christi. Et lectione 6. in cap. 11. epistolæ 1.ad Corinthios dicit: Est aliquid in hoc Sacramento ex reali concomitantia, sicut diuinitas est in hoc Sacramento, propter indissolubilem vnionem ipsius ad corpus Christi, licèt nullo modo substantia panis in Diuinitatem conuertatur: constat autem quòd personæ Patris & Spiritus Sancti non habent hanc vnionem cum corpore Christi: sed eadem est ratio de humanitate Christi, ac de Eucharistia, vt patet, & fatentur omnes: ergo Personæ Patris & Spiritus Sancti non sunt per concomitantiam in humanitate Christi, ratione mysterij Incarnationis.

Secundò, si Personæ Patris & Spiritus Sancti essent hoc speciali modo in humanitate Christi; essent mediatè vnitæ hypostaticè ipsi humanitati, sicut & ob eandem rationem natura Diuina dicitur mediatè vnita ipsi humanitati; ac proinde dicerentur verè secundariò Incarnatæ, sicut & Deus in concreto, siue vt importat indiuiduum Diuinitatis est secundariò Incarnatus: sed nullo modo, siue nec primariò, nec secundariò Personæ Patris & Spiritus Sancti possunt dici Incarnatæ secundùm fidem: ergo non sunt hoc speciali modo in humanitate Christi.

Tertiò, eadem est ratio de humanitate Christi, ac de Eucharistia, quantùm ad hanc specialem existentiam Personarum Patris & Spiritus Sancti, vt patet; quia si sunt in Eucharistia speciali modo, sunt ratione humanitatis cui vniuntur: sed Pater & Spiritus Sanctus non sunt speciali modo in Eucharistia per concomitantiam, vt patet tum ex prædictis authoritatibus; tum quia verè possent dici sacrificari & manducari, sicut dicitur Deus in concreto propter hanc mediatam vnionem, imò mediatam concomitantiam (immediata enim est personæ Filij) sacrificari & manducari; quod tamen nullus admittit: ergo Pater & Spiri Sanctus non sunt speciali modo in humanit Christi.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Personæ P tris & Spiritus Sancti sunt speciali modo concomitantiam in humanitate Christi Do ni, ratione mysterij Incarnationis: sicut & Eucharistia. Ita Cabrera, & alij recentio Thomistæ, ac plures extra scholam D.Tho

Probatur conclusio authoritate Sanctoru Patrum. Ambrosius exponens illud 2.ad Cor Quoniam Deus erat in Christo, mundum r concilians sibi: probat per Deum intelligi Pa trem, ex illo Ioan.14. Quoniam Pater in me est: vnde ait; Pater per id intelligetur esse i Filio, quòd vna eorum sit substantia: rectè igi tur dicitur, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: ecce non ad immensitatem, sed ad vnitatem essentiæ refert quòd Pater sit in Christo. August. in sermone Dominicæ 3. Aduentus, ait: Cùm ergo vna sit Deitas, vna sit Diuinitas; impleuit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus Sanctus, ecce sic solus Iesus Christus suscepit carnem, & tamen Pater & Spiritus Sanctus non defuit maiestate: sicut cœlum & terram impleuit Pater, impleuit & Spiritus Sanctus, carnem Christi deserere non potuerunt, quando in Deitatis vnitate manserunt. & probat ex Scriptura Ioannis 16. vbi dicitur; Non sum solus, sed Pater mecum est. Et Lucæ 4. Iesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane. Idem docent alij Sancti Patres: noster Cyrillus exponens illud Ioan.14. Non credis quia Ego in Patre, & Pater in me est: Chrysostom. homilia ad cap.5. 2. ad Corinth. Basilius epist. 43. & probat exemplo catenæ, cuius si quis apprehendat vnum annulum, attrahit cæteros insertos: ergo propter hanc vnitatem in essentia, ac proinde naturalem connexionem diuinarum Personarum in ipsa, sunt inseparabiles, ac ita vbi est vna, debent esse & aliæ: vnde si per impossibile diuinæ Personæ Patris & Spiritus Sancti non essent in humanitate Christi generalibus modis ratione immensitatis; adhuc essent hoc speciali modo per concomitantiam, ratione Incarnationis Filij.

Secundò, ex D.Thom. 1.p.q.42. artic.5. tres diuinæ Personæ sunt simul, & inseparabiles; imò quælibet est in aliis; tum ratione essentiæ diuinæ communis cum qua identificantur; tum ratione mutuæ relationis, correlatiua enim sunt simul, & vnum oppositorum relatiuè est in altero secundùm intellectum; tum ratione originis, nam Verbum manet in dicente, sicut & Amor in amante: ergo vbicumque est vna diuina Persona, ibi etiam sunt aliæ per concomitantiam, ac proinde licèt per impossibile tres diuinæ Personæ non essent in omnibus rebus ratione immensitatis, adhuc essent in humanitate

tate Christi, vbi est speciali titulo vnionis hypostaticæ persona Filij.

Tertiò, Deus est, vbi operatur:& est speciali modo, vbi speciali modo operatur, vt communiter docent Theologi cum D.Thom. 1. p. q.8. quia verò opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, propter vnitatem diuinæ omnipotentiæ, quæ est principium formale proximum, in quo adunantur diuinæ Personæ in operando; vbi est operatio diuina, ibi sunt tres diuinæ personæ: sed in humanitate Christi Domini est specialis operatio diuina, scilicet vnitio hypostatica, siue actio vnitiua personæ Verbi cum humanitate, quæ operatio est ordinis hypostatici: ergo licèt tres diuinæ Personæ non essent in omnibus rebus ratione immensitatis, per operationem generalem creationis, conseruationis, &c. ordinis naturalis; adhuc essent in humanitate Christi ratione Incarnationis per dictam operationem specialem: & hoc est esse per concomitantiam, quia hæc actio licèt præcedat naturâ vnionem hypostaticam formaliter consideratam in executione: consequitur tamen & concomitatur ordine intentionis; ideo enim tres diuinæ Personæ vniunt hypostaticè secundam Personam humanitati, quia fuit decretum quòd secunda Persona se communicaret hypostaticè humanitati: vnde secunda Persona est duplici titulo speciali in humanitate, & vt terminans hypostaticè, quod est proprium ipsi, cùm in hoc nulla sit actio:& vt vniens seipsam, quæ actio vnitiua est communis. Quod maximè confirmatur ex hoc quòd Deus est speciali modo in iustis per gratiam, ex D.Thom. 1. p.q.43. art.3.

Ad primum ergo dicendum, quòd est duplex concomitantia, scilicet primaria, & secundaria. Per primariam concomitantiam est in Sacramento Eucharistiæ, quicquid pertinet per se ad personam Filij, siue quod est ei identificatũ, vel hypostaticè vnitum, nisi adsit ex vi Verborum: & hæc enumerat Concilium Tridentinũ tantùm. Per concomitantiam verò secundariam sunt illa, quæ quidem non pertinent ad personam Filij, sed tamen sunt inseparabiliter vnita, vt personæ Patris & Spiritus sancti. Ad D.Th. authoritatem dicendum, quòd in primo loco solùm intendit probare quòd tantum est in vna particula consecrata, quantum in multis simul, scilicet totus Christus: & quòd in vna non sit tantùm pars Christi, sed totus; sicut est totus Christus, & non amplius in multis simul. In secundo loco intelligit de concomitantia primaria.

Ad secundum dicendum, quòd etsi persona Patris & Spiritus Sancti dicantur vnitæ mediatè cum humanitate Christi; non tamen hypostaticè; quia non pertinent ad hypostasim Filij Incarnatam, sicut pertinet diuina natura, quam terminat persona Filij vt propriam naturam sibi identificatam: vnde indiuiduum Deitatis dicitur secundariò Incarnatum: non autem suppositum Patris & Spiritus Sancti; vnde magis mediatè vniuntur humanitati, quàm diuina natura: sed æquè necessariò ob indiuisibilem vnionem cum persona Filij Incarnata.

Ad tertium dicendum, quòd personæ Patris & Spiritus Sancti sunt speciali modo in Eucharistia, sed per concomitantiam secundariam tantùm, vt dictum est: quòd autem sic est in Eucharistia non dicitur sacrificari & manducari, quia non pertinet ad Corpus aut Sanguinem quæ sacrificantur, & manducantur: benè tamen dicuntur sacrificari, & manducari quæ sunt per primariam concomitantiam in Eucharistia, quamuis mediatè; omnia enim quæ pertinent ad humanitatem Christi, vel hypostaticè cum ea vniuntur, illam primariò concomitantur, siue mediatè, vt diuinitas, siue immediatè, vt persona Filij: vnde patet quòd non est idem omninò concomitantia primaria ac immediata, & concomitantia secundaria ac mediata.

DVBIVM IV.

Vtrùm personæ Filij terminet primò & per se humanitatem, per aliquid relatiuum.

SVpponendum est, in persona Filij Dei plura reperiri: scilicet naturam diuinam per se subsistentem & existentem subsistentiâ & existentiâ absolutâ nec virtualiter distinctâ, quæ sic ipsi in sua æterna generatione cum omnibus diuinis attributis & perfectionibus à Patre communicatur. Deinde personalitatem ipsam Filij siue subsistentiam relatiuam, eius constitutiuam & distinctiuam à Patre; cùm enim sit constitutiuum relatiuum, est etiam distinctiuũ relatiuum, ac proinde à solo correlatiuo. Denique, relationem spirationis actiuæ, ipsi & Patri communem, qua distinguuntur à Spiritu Sancto. Ex quibus sequitur quòd in Filio sunt aliqua absoluta, & alia relatiua; non quidem actualiter sed tantùm virtualiter distincta. Absoluta sunt essentia diuina, subsistentia communis propria ipsius naturæ, existentia item naturæ, & omnia attributa: relatiua autem sunt personalitas siue subsistentia propria Filij, & relatio spirationis actiuæ. Difficultas igitur est per quid horum persona Filij primò & per se terminet humanitatem.

Prima opinio Durandi, communiter iudicata falsa & temeraria, asserit personam Filij primò & per se terminare humanitatem per subsistentiam essentialem absolutam communem tribus Personis. Probatur, persona Filij terminat per se primò humanitatem per subsistentiam: sed in Diuinis præter subsistentiam communem & essentialem, non datur vlla relatiua ex Aug. 7. de Trinitate, vbi dicit, Deum ad se subsistere, ac

ac proinde subsistere diuinum est absolutum & non relatiuum. Item ex D.Thom.q.8. de Potentia, art.3. ad 7. vbi hæc habet; Relatio in quantum est relatio, non habet quòd subsistat, vel subsistere faciat; hoc enim solius substantiæ est. Deinde, quia essentia diuina in se subsistens non potest per aliud subsistere, scilicet per subsistentias personales: maximè quia subsistentia absoluta, quia infinita, debet continere omnem perfectionem subsistendi; & ita non datur alia, sed sufficiet quòd relationes multiplicent personas subsistentes, & reddant incommunicabiles. Denique, quia subsistentia dicit maximam perfectionem, vnde si in diuinis essent tres realiter distinctæ, essent etiam tres perfectiones, quod est plusquam falsum: & consequenter sicut in diuinis est vnica existentia, & hæc essentialis absoluta; sic & vnica subsistentia, & hæc absoluta: ergo persona Filij terminat per se primò humanitatem per aliquid absolutum; quamuis vt modificatum filiatione, sit proprium Filij: sicut intellectus modificatus paternitate est potentia generatiua propria Patri.

Secunda opinio Suaris & aliorum, est in alio extremo; nam asserit personam Filij ita terminare humanitatem per aliquid relatiuum, vt sit impossibile quòd illam terminet, etiam mediatè, per aliquid absolutum: vnde dicit optimam Capreoli, & aliorum Thomistarum sententiam, qua dicunt personã Filij mediatè & secundariò terminare humanitatem per existentiã absolutã, & communẽ, coincidere cum opinione Durandi. Probatur; Si vnio hypostatica facta est in aliquo absoluto, siue mediatè, siue immediatè scilicet in existentia diuina, vitari non potest quin ratione talis vnionis Pater & Spiritus Sanctus haberent substantiale vinculum & nexum cum humanitate, & ita dicerentur mediatè & secundariò, siue per concomitantiam Incarnati, eo modo quo diuinitas propter hanc vnionem mediatam dicitur secundariò Incarnata: ergo persona Filij non terminat, etiam mediatè, humanitatem per aliquid absolutum scilicet existentiam communem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd persona Filij, quæ sola terminat humanitatem: 1. Per propriam subsistentiam relatiuam; siue per suam personalitatem primò & pet se illam terminat: 3. Non autem per aliquid absolutum & commune; 4. Quamuis mediatè & secundariò illam terminet per existentiam communem & essentialem. 5. Vnde infinitas Verbi non est formale terminatiuum, sed conditio sine qua non terminandi.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide, tum ex Sacra Scriptura, tum ex Symbolis, tum ex Conciliis, vbi passim sola persona Filij dicitur Incarnata, quod est terminare humanitatem; vnde Concilium Toletanum 6. sic ait: Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ n[…]; id est, in eo quod proprium est Filij, […] quod commune est Trinitati. Deinde, se[…] fidem solus Filius factus est homo, […] etiam passim habetur in Scripturis & Conc[…] ergo sola persona Filij terminat humanita[…] hoc enim est fieri hominem.

Probatur secunda pars conclusionis: prædicta authoritate Concilij Toletani, in […] dicitur quòd solus Filius assumpsit humanitatem, in eo quod proprium est Filij, non q[…] commune est Trinitati: sed nihil est propri[…] Filij, nisi propria personalitas siue subsisten[…] eius relatiua; nam quicquid habet aliud, commune vel toti Trinitati, vel saltem conu[…] alteri Personæ, vt patet inductione: er[…] persona Filij terminat humanitatem primò per se per propriam subsistentiã relatiuam, si[…] per propriam personalitatem. Deinde, perso[…]nam Filij terminare humanitatem, est illam a[…]sumere vt in se subsistat priuata propria perso[…]nalitate: sed hoc primò & per se fit per communicationem diuinæ personalitatis, ac proin[…]de subsistentiæ relatiuæ Filij, quæ præuenia[…] subsistentiam & personalitatem eius creatam impediendo ne emanet: nisi enim communicaretur humanitati diuina Filij personalitas, emanaret propriam, ac sic esset inassumptibilis: ergo Filius terminat humanitatem primò, & per se per propriam subsistentiam relatiuam, siue per propriam personalitatem. Denique, non terminat illam per subsistentiam communem primò & per se, vt statim dicetur: ergo per propriam relatiuam.

Probatur tertia pars conclusionis: Si formale terminatiuum, quo, humanitatis, esset aliquid absolutum & commune, non esset maior ratio cur filius diceretur terminare humanitatem, ac fieri hominem, potiùs quàm Pater & Spiritus Sanctus; cùm omnia absoluta & communia æquè conueniant tribus diuinis Personis; propterea enim omnis actio ad extra conuenit indiuisè tribus diuinis Personis: sed nullo modo potest dici quòd Pater & Spiritus Sanctus per se primò terminent humanitatem, & quòd sint homines; vt patet; nam Sacræ Scripturę & Concilia docent, quòd solum Verbum caro factum est; & quòd solus Filius sit Incarnatus & homo factus. Respondet Durandus, quòd hoc argumentum solum probat; Deum in concreto, vt supponit pro indiuiduo Deitatis, posse dici hominem: non tamen inde sequi, quòd Pater & Spiritus Sanctus dicantur homines: nisi cum hac reduplicatione, scilicet inquantum Deus. Sed contra; nam esse indiuiduũ Deitatis æqualiter conuenit tribus diuinis personis, cùm sint idem Deus: ergo si Filius Dei dicatur homo sine aliqua reduplicatione, quia Deus est homo; etiam Pater & Spiritus Sanctus sine vlla reduplicatione

plicatione dicentur homines : quod eſſe contra fidem concedit Durandus. Vel è contra ; ſi Pater & Spiritus Sanctus non dicuntur homines abſolutè, ſed tantùm cum hac reduplicatione, inquantùm Deus;idem eſſet de Filio,qui tamen ſimpliciter & abſolutè ſecundùm fidem eſt homo. Deinde, hæc conſequentia eſt formalis, Pater inquantùm Deus eſt homo : ergo abſolutè Pater eſt homo : nam omne prædicatum reale abſolutum, dictum immediatè de Deo, verè & ſimpliciter dicitur de qualibet diuina Perſona, ac proinde quod prædicatur de diuinis Perſonis inquantùm ſunt Deus, ſiue ratione diuinæ naturæ, prædicatur de ipſis ſimpliciter;cùm eſſentialiter prædicetur;ſicut quicquid cōuenit Petro,inquantum eſt homo,conuenit ipſi ſimpliciter, ſicut eſſe rationalem, &c. Vnde ly, inquantùm Deus, non eſt particula diminuens,ratione cuius prædicatum competat ſubiecto ſecundùm quid, & non ſimpliciter: ſed ſolùm determinat ſubiectum, ſcilicet quòd tale prædicatum ei conueniat inquantùm eſt Deus.

Probatur quarta pars concluſionis : ex dictis ſupra dubio 5. præcedentis diſputationis, vbi oſtenſum eſt humanitatem Chriſti Domini non habere propriam exiſtentiam, ſed exiſtere per exiſtentiam Verbi : vnde cùm in Diuinis non ſit alia exiſtentia,quàm communis & eſſentialis ; nulla enim eſt relatiua, vt probatur in tractatu de Trinitate ; conſequens eſt quòd perſona Filij terminet humanitatem mediatè & ſecundariò per exiſtentiam communem & eſſentialem ; priùs enim debetur & communicatur eſſentiæ ſubſiſtentia, quàm exiſtentia quæ eſt vltima actualitas adueniens ſuppoſito conſtituto : vnde idem ordo obſeruatus eſt in myſterio Incarnationis quantùm ad communicationem ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ diuinæ factam humanitati, qui naturaliter obſeruatur;vt oſtenſum eſt in Metaphyſicis.

Probatur quinta pars concluſionis. Ex dictis perſona Filij immediatè terminat humanitatem per propriam perſonalitatem, ſiue per ſuam ſubſiſtentiam relatiuam, tanquam per principium formale, quo, terminandi : mediatè verò per exiſtentiam abſolutam : in hoc enim conſiſtit myſterium Incarnationis, quòd perſona Filij communicando humanitati propriam ſubſiſtentiam diuinam, illam aſſumat hypoſtaticè, vt in eadem perſona Filij ſubſiſtat & exiſtat : conſtat autem quòd infinitas non eſt formaliter ſubſiſtentia & exiſtentia diuina, ſed eſt quaſi modus omnium quæ ſunt in Deo, & neceſſarius Perſonæ diuinæ vt poſſit terminare alienam naturam, & defectu cuius perſona creata non poteſt terminare niſi propriam naturam, vt oſtenſum eſt ſupra ex D. Th. in hac 3.p.q.3. art.1. vbi ait,proprium eſſe diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, quòd in ea fiat concurſus plurium naturarum ſecundùm ſubſiſtentiam:ergo infinitas Verbi non eſt formale terminatiuum, ſed conditio ſine qua non terminandi.

Ad primum ergo dicendum, quòd in Diuinis vltra ſubſiſtentiam abſolutam, ſunt tres relatiuæ ſingulæ ſingulis Perſonis propriæ : vnde D. Auguſt. loquitur de Deo abſolutè, ſic enim ſubſiſtit ad ſe per ſubſiſtentiam abſolutam ; diuinæ autem Perſonæ ſubſiſtunt ad ſe mutuò per proprias ſubſiſtentias relatiuas. D. Thom. autem nihil aliud intendit, quàm quòd relationes diuinæ habeant radicaliter ab eſſentia diuina, inquantùm cum ea identificantur & ſunt ſubſtanriales, quòd ſubſiſtant, vel faciant ſubſiſtere : hæc enim non conueniunt ipſis ſecundùm rationem generalem relationis;poſita tamen hac identificatione habēt relationes diuinæ intra propriam lineam & ex vi ſua quòd ſint conſtitutiuæ perſonarum, & quòd afferant proprias ſubſiſtentias. Ad aliud dicendum, quòd eſſentia diuina ob ſuam perfectionem petit ſubſiſtere in ſe per propriam ſubſiſtētiam, & inſuper petit ſubſiſtere in diuinis Perſonis ſibi identificatis ; vnde non ſubſiſtit in aliquo extraneo : & hoc quia ob ſuam eminentiam petit communicari tribus ſuppoſitis diuinis realiter inter ſe diſtinctis, ac proinde habentibus proprias ſubſiſtentias relatiuas;omnis enim diſtinctio realis in diuinis eſt relatiua : quia verò in Diuinis linea abſoluta eſt alia à relatiuis, ſufficit ad infinitatem ſubſiſtentiæ abſolutæ, quòd habeat omnem perfectionem abſolutam ſubſiſtendi ; quælibet enim linea eſt diſtincta ab aliis. Ad aliud dicendum, quòd ſubſiſtere in ordine ad ſe, & per ſubſiſtentiam abſolutam, dicit perfectionem ex vi ſuæ lineæ, non autem ſubſiſtere relatiuè ſiue in ordine ad correlatiuum : & ita ſubſiſtentiæ relatiuæ in Diuinis non dicunt intra propriam lineam perfectionem; dicunt autem infinitam, ſed eandem ratione diuinæ eſſentiæ & attributorum, quæ includunt per modum tranſcendentis. Nec eſt par ratio in Diuinis de ſubſiſtentia, ac exiſtentia : nam ex vna parte multiplex exiſtentia derogaret ſimplicitati diuinæ : ex alia verò parte nihil exigit hanc multiplicationem : ſubſiſtentiæ autem relatiuæ, cùm ſint idem ac perſonalitates conſtitutiuæ perſonarum, neceſſariò debent multiplicari, ſicut & ipſæ Perſonæ : quæ multiplicatio compatitur ſummam ſimplicitatem diuinam ob vnitatem eſſe diuini. Ad aliud denique dicendum quòd intellectus diuinus modificatus paternitate, poteſt eſſe potētia generatiua Patris propria ipſi, quia perſona Patris præintelligitur Filio, & ratione originis diſtincta ab ipſo, ac proinde principium formale, quo, generatiuum, eſt proprium Patri : in myſterio autem Incarnationis, ſi vnio immediata facta fuiſſet in ſubſiſtentia abſoluta, non eſſet

cur

cur appropriaretur potiùs Filio, quàm aliis diuinis personis; nihil enim hîc importat oppositionem personæ Filij ad alias; ac proinde nihil est, ratione cuius talis subsistentia communis debeat potiùs appropriari Filio, quàm aliis diuinis Personis.

Ad secundum dicendum, quòd quia vnio hypostatica immediatè facta est in personalitate Verbi, vt dictum est, ratione huius benè intelligitur, quòd existentia absoluta (in qua facta est vnio mediatè) vt sic communicata approprietur personæ Incarnatæ; vnde cùm aliæ diuinæ Personæ sint realiter distinctæ à persona Filij, eique oppositæ, non possunt dici etiam mediatè, secundariò, & per concomitantiam Incarnatæ, aut terminare humanitatem; benè tamen diuinitas, propter realem identificationem cum persona Filij.

DVBIVM V.

Vtrùm quælibet natura creata sit assumptibilis à Persona Diuina.

SVpponendum est, naturas creatas diuidi primò in substantiales & accidentales: accidentales diuiduntur per nouem genera accidentium, substantiales autem in purè spirituales, in purè materiales, & in partim spirituales & partim materiales. Primi generis sunt omnes naturæ Angelicæ expertes omnis materiæ, propterea dicuntur substantiæ separatæ. Secundi generis sunt omnes substantiæ sensibiles, excepto homine: in his duobus generibus est maior & minor perfectio. Tertij generis est sola natura humana, media inter prædictas, participans de vtrisque; spiritualis quidem, quantùm ad animam rationalem: materialis autem, quantùm ad corpus & vires organicas. Dubium præsens vniuersaliter procedit, vtrùm scilicet diuina Persona, sicut assumpsit naturam humanam, sic possit assumere quamlibet aliam, siue substantialem, siue accidentalem, siue purè spiritualem, siue purè materialem.

Prima opinio Alberti Magni in 3. d. 2. qu. 2. negat naturam Angelicam purè spiritualem esse assumptibilem à Persona diuina. Probatur, vt aliqua natura assumatur à Persona diuina, requiritur quòd priuetur propria subsistentia, & subsistat subsistentia diuina; siue quòd non subsistat in proprio supposito, sed in supposito diuino, vt dictum est: sed natura purè spiritualis Angelica non potest priuari propria subsistentia, nec esse sine proprio supposito, cùm in his quæ carent materia suppositum & natura non distinguantur, ex D. Thom. 1. p. q. 3. art. 3. vbi sic ait: In his igitur quæ non sunt composita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuidualem, id est, per hanc materiam, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet quòd ipsæ formæ sint supposita subsistentia; vnde in eis non differt suppositum, & natura: ergo natura Angelica purè spiritualis non est assumptibilis à Persona Diuina.

Secunda opinio Henrici quodlib. 13. q. 5. & Pici Mirandulani in Apologia q. 4. negat naturam purè materialem, siue attingat ad gradum vitæ, siue non attingat, esse assumptibilem à Persona diuina. Probatur; natura purè materialis non potest eleuari ad operationem supernaturalem v.g. dilectionis Dei, visionis beatificæ, & similium: ergo nec ad vnionem hypostaticam, cùm sit aliquid maius, & cùm operari supernaturale debeat sequi ad esse supernaturale diuinum; nam esse est propter operationem. Deinde, vt Persona diuina assumat aliquam naturam, debet ei communicare propriam personalitatem: constat autem solam naturam rationalem siue intellectualem esse capacem personalitatis, ex definitione personæ tradita à Boëtio, quòd sit rationalis naturæ indiuidua substantia. Denique, quia natura per vnionem hypostaticam sanctificatur; aliàs posset natura assumpta esse in peccato: sed natura purè materialis est incapax sanctificationis, vt fatentur omnes: ergo & assumptionis. Maximè quia ex opposito sequeretur, quòd propter communicationem idiomatum, Deus assumpta tali natura diceretur lapis, brutum, &c. è contra verò lapis, & brutum, dicerentur Deus, & similia absurda.

Tertia opinio Suaris disp. 14. sect. 3. dicto 1. & aliorum asserit quamlibet partem naturæ materialis, non solùm in ipso toto, sed etiam separatam posse assumi à Persona diuina, & probat specialiter de materia *prima* sic: Potest conseruari sine vlla forma, cùm habeat suum actum entitatiuum, & partialem existentiam. Deinde, forma substantialis est assumptibilis; cùm tamẽ habeat esse incompletum, sicut materia prima. Denique, materia *prima* est assumptibilis; imò de facto fuit assumpta in toto: ergo & separata, cùm in toto habeat eandem naturam, & eandem distinctionem à toto & à forma substantiali.

Quarta opinio Manrij & aliorum negat naturam accidentalem esse assumptibilem à Persona diuina, non solùm ad subsistendum, sed etiam ad existendum. Probatur, si fieret talis assumptio, ex persona assumente & accidente assumpto deberet fieri vnum per se, sicut fit ex persona Verbi & humanitate, omnis quippe assumptio ad hanc vnitatem terminatur: constat autem quòd ex accidente & Persona diuina, cùm sit substantia, non potest fieri vnum per se. Deinde, esse substantiale conuenit substantiæ, & repugnat accidenti: quia substantia in se & per se existit, accidens verò debet inexistere: constat autem quòd esse existentiæ diuinæ est esse substantiale. Denique, accidens

corporale non poteſt vniri ſpiritui ; ſicut nec ſpirituale corpori : ad aſſumptionem autem conſequitur vnio, & ſine tali vnione illud accidens eſſet ſine vlla intenſione, quæ prouenit ex radicatione in ſubiecto : ergo natura accidẽtalis non eſt aſſumptibilis à Perſona diuina.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd quælibet natura ſubſtantialis purè ſpiritualis, vt Angelica, eſt aſſumptibilis à Perſona diuina, non minus ac humana : 1. Sicut & quælibet natura purè materialis completa : 3. Ex partibus verò eius ſeparatis forma eſt aſſumptibilis : 4. Non materia prima : 5. Natura etiam accidentalis eſt aſſumptibilis ad exiſtendum : 6. Non ad ſubſiſtendum.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D.Thom. hîc qu.4.art.1. ad 3. vbi poſtquam retulit opinionem eorum, qui negant naturam Angelicam eſſe aſſumptibilem, quia deberet corrumpi eius perſonalitas, quod repugnat incorruptibilitati eius, ſubdit : Sed hoc non videtur excludere totaliter congruitatem Angelicæ naturæ, poteſt enim Deus producendo nouam Angelicam naturam, copulare eam ſibi in vnitate perſonæ : & ſic nihil præexiſtens ibi corrumperetur. Deinde, eſto, ſit incongruum naturæ Angelicæ in ſe conſideratæ, quòd eius perſonalitas corrumpatur ; tamen vt ſubſtat diuinæ ordinationi & Dominio, quod Deus ſupra totam naturam ſibi reſeruauit, nihil ipſi eſt incongruum eorum quæ fiunt à Deo, Deus enim aliquid faciens dat congruitatem & conuenientiam ipſi facto ; vnde duplici via eſt aſſumptibilis natura Angelica, vel præueniendo eam ne emanet propriam ſubſiſtentiam, vel corrumpendo ſubſiſtentiam iam emanatam. Denique, ad Hebræos 2. habetur : Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit : quibus verbis S.Apoſtolus oſtendit miſericordiam Dei & benignitatem eius erga homines, quod cum voluerit ſe hypoſtaticè communicare, prætulit naturam humanam Angelicæ : conſtat autem quòd ſi hæc non eſſet aſſumptibilis, nulla eſſet talis comparatio: nam poſſet reſponderi Apoſtolo : Quid miraris, quòd Angelos non apprehendit ? cùm eorum natura non ſit aſsũptibilis: vnde ſuppoſito quòd voluerit ſe communicare naturæ intellectuali, coactus fuit aſſumere humanam: ergo quælibet natura ſubſtantialis purè ſpiritualis, vt Angelica, eſt aſſumptibilis à Perſona diuina, non minus ac humana.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Patrum. Auguſt. libro de vera religione, cap.16. dicit Verbum diuinum potuiſſe aſſumere aliquod corpus æthereum, noſtro viſui accommodatum. Tertullianus libro de carne Chriſti Domini cap. 4. ait Verbum diuinum potuiſſe prodire de vacca, aut ſue, ſi voluiſſet, ita vt hoc tantùm ſit turpe & indignum Deo, ſi de noſtro ſenſu iudicemus Deum, & non ex rei veritate. Gregorius Nyſſenus oratione Catechiſtica cap. 17. aſſerit omnes naturas eſſe eiuſdem rationis quoad aſſumptionem, & differentiam vnius ab alia nullius eſſe momenti ordine ad diuinam omnipotentiam. Deinde Verbum diuinum fuit de facto vnitum hypoſtaticè in triduo mortis cum corpore Chriſti, quod erat natura completa inſenſibilis, vt fides docet : ergo potuit, & poteſt aſſumere quamcumque naturam aliam inſenſibilem, cùm eadem ſit ratio de omnibus quantùm ad aſſumptionem ; licèt enim congruentia ſit ſpecialis, cur de facto tale corpus aſſumpſerit, inquantum ſcilicet erat breui reuniendum animæ rationali aſſumptæ (ſicut enim anima, ſic & corpus, ſunt partes eſſentiales humanitatis phyſicè conſideratæ : & eo ipſo quòd aſſumpſit humanitatem vt nunquam dimitteret, iuxta axioma S. Damaſceni ; Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit : debuit ita aſſumpſiſſe has partes eſſentiales, vt nunquam dimitteret ; cùm ratione harum tantùm remanſerit in triduo mortis humanitas hypoſtaticè vnita, cùm in ſe fuerit deſtructa) tamen quantùm ad potentiam aſſumptibilitatis, eſt omnimoda paritas, cùm conueniant omnes tales naturæ in ratione ſubſtantiæ completæ. Denique, non repugnat ex parte vllius extremi: Non Dei aſſumentis : cùm enim hæc aſſumptio debeat fieri per communicationem diuinæ ſubſiſtentiæ, & hæc ſit infinita continens eminenter perfectionem cuiuſcumque creatæ, poterit illam ſupplere quantùm ad effectum quaſi formalem, qui eſt facere ſubſiſtere ; quamuis eminentiori modo, id eſt, non informando (quod conſequitur imperfectionem & limitationem ſubſiſtentiæ creatæ) ſed terminando & intimè actuando: Nec repugnat ex parte naturæ inſenſibilis : quia omnis talis natura, cùm ſit ſubſtantialis & completa, eſt capax ſubſiſtentiæ quæ eſt actus ipſius ſubſtantiæ, ab intrinſeco exigitus : cùm enim eſſentia & propria ratio ſubſtantiæ in hoc conſiſtat, quòd ſit ens per ſe, & in ſe; id eſt, independens ab alio tanquam à ſubiecto, non intelligitur completa & perfecta, donec ſit omninò per ſe, & in ſe, id eſt, ſuppoſitata & ſubſiſtens, ac independens ab alio tanquam à ſuppoſito : ergo quælibet natura purè materialis completa eſt aſſumptibilis à diuina Perſona.

Probatur tertia pars concluſionis : tum penè communi conſenſu Theologorum : tum quia de facto in triduo mortis anima rationalis Chriſti Domini ſecundum fidem remanſit vnita Verbo hypoſtaticè : ergo quælibet alia forma ſubſtantialis eſt aſſumptibilis ; cùm enim ex communi Philoſophorum doctrina quælibet forma ſubſtantialis poſſit diuinitus ſeparata conſeruari, quia eſt actus : & aliunde, vt ſub-

ſtantia

ſtantiæ ſit capax ſubſiſtendi; eadem ratione poterit hypoſtaticè aſſumi à Perſona diuina ſic ſeparata, ac anima rationalis Chriſti: & ſicut in hac non obfuit ratio partis, ſic nec in illis: quamuis adſit conuenientia quantum ad factum de anima Chriſti, ſicut dictum eſt de eius corpore: & eadem ratio eſt de partibus integralibus compoſiti: poteſt enim Deus aſſumere caput vnius, aut aliam partem, non aſſumptis reliquis; in tali autem caſu non diceretur quòd Deus ſit caput, aut caput Deus: ſicut nec quòd Deus eſſet forma, aut forma Deus: ſed tantùm diceretur Deus vnitus capiti, aut formæ, & caput aut forma vnita Deo: quia tales propoſitiones ſiue prædicationes non cōpetunt, niſi naturis completis ſubſtantialibus, quæ aptæ ſunt conſtituere ſuppoſitum ex natura ſua.

Probatur quarta pars concluſionis, quam communiter docent Thomiſtæ: vt aſſumatur materia prima, debet ei communicari ſubſiſtentia diuina, vt patet: ſed hoc implicat; nam vel communicaretur ei vnitæ formæ ſubſtantiali, vel ſeparatæ ab illa: neutrum dici poteſt. Non primum, quaſi communicaretur ſoli materiæ informatæ, & non formæ; quia materia prima in ſe eſt pura potentia, ac proinde ſicut implicat quòd ſit actu ſine forma; ſic implicat quòd recipiat aliquem actum vel ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ, niſi mediante forma: cùm enim forma ſit eius actus primarius, debet præcedere, & cauſare aliquo modo alios actus ſubſequentes, operando per modum formæ, ſcilicet informando facere ſubſiſtere & exiſtere; propterea eſſe dicitur effectus ſecundarius formæ: ad hoc autem requiritur quòd ipſi prius natura conueniat, aut communicetur ſubſiſtentia & exiſtentia, & poſterius materiæ mediante ipſa: ergo materia prima ſola, etiam vnita formæ, non eſt aſſumptibilis. Nec ſecundum: quia materia prima vt pote pura potentia, non poteſt eſſe ſeparata ab omni forma, vt eſt communis ſententia Thomiſtarū cum D. Th. 1. p. q. 66. a. 1. vbi ſic ait; Dicere materiam primam præcedere ſine forma, eſt dicere ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem: & ratio eſt inter alias aſſignatas in Phyſicis, quia eſt impoſſibile vt aliquid ſit in rerum natura, & non ſit limitatum in aliqua determinata ſpecie, ſi ſit creatum: conſtat autem quòd omnis ſpecificatio prouenit à forma; materia enim ex ſeipſa nullius eſt ſpecici, ſed mutat ſpeciem iuxta diuerſitatem formarum quas recipit: ergo eſt impoſſibile quòd ſit in rerum natura exiſtens, ſeparata ab omni forma: proinde communiter conceditur quòd eſſe eſſentiæ ſpecificum eſt effectus formalis primarius formæ, & eſſe ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ ſecundarius; & conſequenter eſt impoſſibile quòd materia prima ſeparata ab omni forma ſit aſſumptibilis.

Probatur quinta pars concluſionis. Exiſtentia diuina communis toti Trinitati eſt infinita, & conſequenter debet continere omnem perfectionem eſſendi; imò eſt ipſum eſſe per eſſentiam, cuius omnes aliæ exiſtentiæ ſunt limitatæ participationes, ſiue ſint ſubſtantiales, ſiue accidentales; vnde eminentiori modo in illo eſſe diuino continentur, & conſequenter poteſt ſupplere quamcumque creatam exiſtentiam: ſicut ob eandem eminentiam ſubſiſtentia diuina poteſt ſupplere quamcumque ſubſiſtentiam creatam: ex alio verò capite exiſtentia cuiuſcumque accidentis diſtinguitur ab eius eſſentia, & conſequenter poteſt diuinitus ad illa ſeparari (nullum enim creatum eſt ſuum eſſe, hoc enim proprium eſt Dei, vt probatum eſt in Metaphyſicis) ſicut ob eandem diſtinctionem ſubſiſtentia creata eſt ſeparabilis à propria natura. Et tandem, ſupplere exiſtentiam creatam terminando, nullam inuoluit imperfectionem: ſicut nec ſupplete ſubſiſtentiam terminando: ergo natura quælibet accidentalis eſt aſſumptibilis à Perſona diuina ad exiſtendum.

Probatur ſexta pars concluſionis. Quod ſubſiſtit, ſic eſt in ſe, vt ſit independens ab alio tanquam à ſuppoſito; & multò magis tanquam à ſubiecto: nam eſſe ſubſiſtens eſt quædam perfectio & complementum ipſius eſſe ſpecifici ſubſtantiæ, quod excludit omnem dependentiam ab alio tanquam à ſubiecto; propterea ſubſiſtere eſt proprium ſubſtantiæ: ſed eſt impoſſibile quòd accidens ita ſit in ſe, vt ſit independens ab alio tanquam à ſubiecto; licèt enim poſſit exiſtere, & de facto exiſtat in Euchariſtia ſine ſubiecto, dicit tamen ordinem ad ipſum, cùm accidens ſit entis ens eſſentialiter, vt communiter docent Philoſophi: ergo natura accidentalis non eſt aſſumptibilis à Perſona diuina ad ſubſiſtendum per eius ſubſiſtentiam: vnde accidens aſſumptum à Deo ad exiſtendum, non poſſet dici Deus: nam Deus importat ſubſiſtens in natura diuina; ac proinde nec Deus poſſet dici accidens, quia accidens excludit ſubſiſtentiam à ſe, ac proinde quòd ſit ſubſiſtens: ſed diceretur Deus vnitus accidenti, & accidens vnitum Deo.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Th. ibi per ſuppoſitum intelligit indiuiduum, vt eſt communis conſenſus Thomiſtarum, & patet ex ipſo contextu: per hoc enim quòd talis natura non indiuiduatur ab alio, ſed ſeipſa, eſt indiuidua, indiuiduum nec ratione diſtinguitur à natura, ac proinde talis natura ſpecifica non eſt multiplicabilis in indiuidua: in rebus autem materialibus indiuiduum diſtinguitur ratione à natura ſpecifica.

Ad ſecundum dicendum, quòd cùm operari non ſequatur immediatè ad eſſe; ſed mediis potentiis, & formâ, quæ eſt principium operationis: non eſt neceſſe quòd illud omne, quod poteſt habere eſſe ſubſtantiale diuinum (licèt ſit

sit quid maius) possit etiam habere operationem supernaturalem; si non habeat potentias operatiuas, & sit incapax formæ, quæ est principium operationis, vt contingit in præsenti: nam dilectio Dei est actus voluntatis eleuatæ per charitatem, & visio beatifica est actus intellectus eleuati lumine gloriæ, quæ omnia repugnant naturæ purè materiali. Ad aliud dicendum, quòd subsistentia relatiua idem est ac personalitas: & solùm distinguuntur à connotato; prout enim est in natura intellectuali, dicitur personalitas; prout in alia, dicitur subsistentia: & ita dato hoc casu, constitueret suppositum, & non personam. Ad aliud dicendum, quòd natura sanctificatur extrinsecè à Persona diuina, & hæc sanctitas personalis communicari potest naturæ insensibili; non autem sanctitas habitualis quæ procedit à gratia sanctificante, hæc enim requirit naturam intellectualem pro subiecto: Hæc autem sanctificatio consequitur primam tanquam proprietas, quando subiectū est capax illius, ac proinde natura assumpta non potest esse in peccato, idem est enim subiectum peccati, ac gratiæ. Ad aliud dicendum quòd tales propositiones essent veræ, licèt nunc videantur incongruæ: sed eodem modo videntur incongruæ istæ, Deus est homo, Deus est mortuus, his qui non habent fidem mysterij Incarnationis: propterea S. Paulus vocat illud Scandalum Iudæis, & Gentibus stultitiam.

Ad tertium dicendum, quòd materia prima non potest conseruari sine forma, nec habet actum entitatiuum: sed est pura potentia, ac proinde non est assumptibilis extra totum; bene autem forma propter rationes oppositas, vt dictum est.

Ad quartum dicendum, quòd quia in tali assumptione non communicatur subsistētia diuina, non potest dici quòd ex Persona diuina, & accidente fiat vnum per se: sicut fit ex humanitate & persona Verbi: solùm potest dici quòd Persona diuina esset suppositum accidētis, quasi ipsum substentans per propriam diuinam existentiam; ex qua, & accidente fieret aliqua compositio quasi per se, ad instar eius quæ fit ex accidente, & proprio esse, quod suppleret existentia diuina. Ad aliud dicendum, quòd licèt esse existentiæ diuinæ sit in se formaliter substantiale: quia tamen ratio substantiæ in Diuinis est superioris ordinis, continet eminenter tam esse substantiæ creatæ, quàm esse accidentis; vnde vtrumque potest supplere. Ad aliud dicendum, quòd quicquid sit de vnione per inhærentiam & informationem, possibilis tamen est vnio accidentis corporalis cum Persona diuina spirituali, per puram terminationem; retineret autem in tali casu suam indiuiduationem, & intensionem per ordinem ad subiectum in quo fuisset, vel in ordine ad quod creatum fuisset.

DVBIVM VI.

Vtrùm natura creata completa iam propria personalitate, sit assumptibilis à diuina persona.

Supponendum est, quòd suppositum quodcumque est inassumptibile: ita communiter docent Scholastici dicentes, de ratione eius esse quòd subsistat incommunicabiliter alteri quam supposito: ad assumptionem autem requiritur, quòd illud quod assumitur ad hypostaticam vnionem, subsistat in alio tanquam in supposito. Hæc autem incōmunicabilitas prouenit ei à proprio & formali suo constitutiuo: non autem à natura quæ est pars materialis ipsius; cùm ipsa sit assumptibilis, vt patet; Constitutiuum autem formale suppositi est personalitas, siue suppositalitas, siue ratio hypostatica, siue etiam subsistentia in creatis: ex quo patet quòd tale constitutiuum est incommunicabile alteri & inassumptibile; cùm suo supposito causet hanc incommunicabilitatem: vnde difficultas procedit de natura completa propria personalitate, non reduplicatiuè quasi ipsa personalitas etiam assumatur, sed specificatiuè, quasi sola natura completa assumatur, non autem personalitas complens.

Prima opinio potest esse, quòd natura creata iam completa propria personalitate sit assumptibilis à diuina Persona. Probatur; eadem numero natura diuina terminata personalitate Patris, rursus terminatur personalitate Filij, & Spiritus Sancti: & similiter natura humana completa in Christo personalitate Verbi, est assumptibilis ab aliis diuinis Personis, vt communiter docent Theologi: ergo signum est, quòd duæ personalitates siue subsistentiæ non sunt incompossibiles in eadem natura; & ita natura creata cum propria personalitate est assumptibilis à Persona diuina; & consequenter æquè potest esse simul in proprio & alieno supposito, ac simul potest esse in duplici alieno.

Secundò; Personalitas propria nullam habet oppositionem cōtradictoriam ad alienam: cùm ambæ sint formæ positiuæ, & contradictio attendatur penes affirmationem, & negationem: sed quæ non sunt opposita contradictoriè, possunt diuinitus esse simul, quamuis opponantur contrariè: sicut albedo & nigredo: nam solùm contradictoria subtrahuntur diuinæ omnipotentiæ, propter incompossibilitatem simul; eo quòd vnum sic oppositorum est destructiuum alterius: ergo personalitas propria est compossibilis cum aliena in eadem natura: & sic natura completa propria personalitate est assumptibilis à diuina Persona.

Tertiò; In qualibet natura creata est duplex potentia passiua ad terminari: vna naturalis respiciēs propriam personalitatem, vt actum connaturalem

naturalem: alia obedientialis respiciens alienam personalitatem, vt terminum supernaturalem: ergo vtraque potest diuinitus expleri; nulla enim est potentia, quę non possit reduci ad actũ, esset enim frustra & superflua, cùm tamen nullum sit superfluum in rerum natura; & hoc maximè quia si potentia obediẽtialis potest simul expleri duplici actu, vt dictum est de personalitatibus diuinis, multò magis duplex potentia poterit simul expleri duplici actu, quælibet suo.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd natura substantialis creata, completa iam propria personalitate; si eam retineat, non est assumptibilis à Persona diuina: 2. Benè tamen si eâ priuetur. Ita communiter docent omnes Theologi, tam discipuli D. Thom. quàm alij.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum, qui cõmuniter cõtra Nestorium probant humanitatẽ Christi Domini non habuisse propriũ suppositũ, ac proinde nec propriam subsistẽtiam constitutiuam suppositi: quia fuit vnio substãtialis: si autem esset completa propria subsistentia, esset vnio omninò accidentalis; nam quicquid aduenit enti perfectè completo, qualis esset natura supposita, aduenit per accidens, & totum inde resultans non est vnum per se, sed vnum per accidens.

Secundo; Natura creata & propria personalitas habent intimam & necessariam connexionem, inquantum personalitas est primarius eius actus dimanans per simplicem resultantiam: vnde remanens cum ipsa, non potest non assumi assumpta natura: sicut quia natura diuina habet necessariam connexionem cum persona Verbi, ideo secundariò fuit vnita cum humanitate Christi, cum qua primariò fuit vnita persona Verbi. (Nec obstat quia hæc connexio est per identitatem, non autem illa: nam licèt non esset identitas, idem sequeretur:) sed subsistentia creata aut personalitas non est assumptibilis, vt patet ex eius definitione communiter acceptata, quæ est esse constitutiuum formale suppositi alteri incommunicabilis: ergo natura completa propria personalitate non est assumptibilis à Persona diuina. Nec obstat id quod obiicit Vasques, scilicet naturam diuinam magis intimè esse vnitam cum personalitate Patris, cùm sit identitas, quàm naturam creatam cum propria personalitate; est enim distinctio realis: & tamen natura diuina terminatur vlterius à personalitate Filij & Spiritus Sancti, absque eo quod personalitas Patris termineturur. Nam dicendum, esse disparitatem; tum quia terminatio hæc naturæ diuinæ non fit per assumptionem, quæ trahit necessariò & primariò connexa cum re assumpta, sed fit per communicationem passiuam eiusdem naturæ factam personis Filij & Spiritus Sancti, cum qua omnia ipsis communicantur, non opposita ipsis relatiuè: tum quia personalitas propria creata est terminus completus naturæ: non autem quælibet personalitas diuina respectu diuinæ naturæ; & vlterius, ipsæ personalitates diuinæ sunt oppositæ relatiuè; vnde natura diuina iam terminata vna personalitate, est vlterius terminabilis per alias, absque eo quòd vna personalitas termineturur per alias; & tamen terminaretur si posset terminari, quia in Diuinis ad intra est idem posse & esse: si autem personalitas creata posset esse in natura assumpta, Deus non priuasset humanitatem Christi propria personalitate, cùm sit perfectio valde intima ipsius; & Deus assumpsit naturam humanam completam & perfectam quantum possibile fuit. Nec argumentum à diuinis semper valet ad creata, ob supereminentem modum Diuinitatis super creata.

Tertiò; Est impossibile quòd eadem natura sit simul per se, & in alio: cum esse per se, & esse in alio sint duo modi oppositi, & se simul excludentes: sed natura creata iam completa propria personalitate est per se subsistens, vt patet: si autem assumeretur à diuina Persona, esset simul subsistens in alio; de ratione enim assumptionis est, quòd res assumpta subsistat in assumente: ergo natura creata completa propria personalitate non est assumptibilis à Persona diuina. Nec obstat, quòd natura diuina subsistens propria subsistentia absoluta, subsistat etiam in Personis diuinis. Dicendum enim quòd Personæ diuinæ sunt propria supposita naturæ diuinæ, ac proinde subsistens in illis non subsistit in alio, siue in alieno supposito: maximè cùm identificetur ipsis.

Secunda pars conclusionis patet ex dictis supra: nam cùm sola subsistentia reddat naturam incommunicabilem, & hæc possit diuinitus separari à natura ob realem distinctionem, sicut potest impediti ne emanet, vt de facto contigit in humanitate Christi: ideo natura priuata propria subsistentia aut personalitate est assumptibilis à persona Diuina.

AD primum ergo dicendum, quòd diuinæ personalitates sunt simul compossibiles, tam in terminatione diuinæ naturæ, quæ ex se petit esse in tribus diuinis suppositis, quàm in terminatione naturæ creatæ, quia iam sunt inter se compossibiles, & natura creata non esset simul in se & in alio, sed esset tantùm in aliis, & non in se: vnde facilius est eandem naturam simul esse in pluribus alienis suppositis, quàm esse in suo simul & alieno: posito autem quòd tres diuinæ Personæ terminarent eandem numero naturam creatam v. g. humanam, dicerentur vnus homo, sicut nunc dicuntur vnus Deus, vt ait D.Thom. hîc q.3.art.6. ad 2. & ratio vtriusque est, quam idem D.Thom. in materia de Trinitate assignat, ad multiplicandum nomen

nomen substantiuum, vt Deus, & homo requiritur multiplicatio formæ per se importatæ per tale nomen, & insuper multiplicatio suppositorum, tanquam conditio sine qua non; quia forma substantialis ex natura sua est in se, & per se,&vt talis significatur:vnde nisi per nomen multiplicetur, remanet in se vna. Ad multiplicandum autem nomen adiectiuum,non requiritur multiplicatio formæ importatæ, sed tantùm multiplicatio suppositorum in quibus est, quia per hoc quòd in diuinis dicimus tres omnipotentes, vel tres æternos, non intendimus quòd sint tres omnipotentiæ, vel æternitates; sed quòd eadem omnipotentia vel æternitas sit in tribus suppositis: & hoc quia forma accidentalis in concreto, qualiter exprimitur nomine adiectiuo, non significatur vt in se,sed vt in alio; cùm hæc sit natura accidentis quòd sit entis ens. Ex quo patet tres diuinas Personas dici vnum Deum,non propter identitatem tantùm cum natura diuina, sed propter rationem etiam assignatam: ex qua similiter dicerentur, facta illa suppositione, vnus homo;quamuis remanerent plures simpliciter in personis.

Ad secundum dicendum,quòd propria subsistentia cum aliena dicit implicitam,& virtualem contradictionem, inquantum propria dat naturæ esse per se; aliena verò dat ipsi esse in alio: per se autem & in alio afferunt contradictionem, propterea communiter Philosophi negant idem posse esse per se & in alio simul, siue posse esse accidens & substantiam. De albedine & nigredine,concedunt multi posse esse simul diuinitus in gradibus intensis,quia naturaliter reperiuntur simul in gradibus remissis, ex eo quòd non importent modos intrinsecè oppositos, sed sint formæ absolutæ,quamuis naturaliter contrariæ.

Ad tertium dicendum, quòd potentiæ ad actus oppositos sunt compossibiles simul, vt patet in multis, non autem actus: sicut potentiæ ad albedinem & nigredinem: vnde tales potentiæ non possunt simul expleri, ratione incompossibilitatis actuum quos respiciunt: quia tamen successiuè possunt expleri, ideo non sunt frustra; & si actus, quos respiciunt, essent compossibiles,simul possent expleri: quia verò ex duplici personalitate aliena non sequitur contradictio; benè tamen ex aliena cum propria, vt dictum est; potentia naturalis & potentia obedientialis non possunt simul expleri, quælibet suo actu; benè autem potentia obedientialis duplici actu compossibili.

DVBIVM VII.

Vtrum sanguis Christi fuerit vnitus hypostaticè Verbo Diuino.

Svpponendum est, in mysterio Incarnationis totam humanitatem fuisse assumptam, idest, veram animam rationalem, & verum corpus terrenum siue humanum, constans ex carne, sanguine, ossibus, aliisque partibus integrantibus; sicut nostrum. Hæc propositio est de fide,contra plures hæreticos, scilicet Saturninum, Marcionem, Cerdonem, Priscillianistas, Anabaptistas,& Manichæos asserẽtes Christum Dominum non habuisse verum corpus, at fantum phantasticum: & apparenter tantùm comedisse,& similes actiones humanas exercuisse. Item contra Valentinum,& aliquos Armenos asserentes Christum non habuisse corpus eiusdem rationis ac nostrum, at fuisse incorruptibile & cœleste, quòd de cœlo attulit, nihilque ex Beatissima Virgine accepisse; sed per eam transiuisse, ad instar aquæ per canalem. Item contra Apellem quendam dicẽtem Christum in descensu è cœlo sibi corpus ex aëre efformasse, & in eius ascensu in cœlum in eundem aërem resoluisse.Item contra Apollinarem negantem Christum assumpsisse animam rationalem. Item contra Albanenses negantes expresè Christum assumpsisse veram humanitatem. Sed hi omnes sunt hæretici, contra quos processerunt Concilia,& Sancti Patres, & aperta est Sacra Scriptura quæ dicit, Verbum caro factum est, Christum verè fuisse conceptum & natum ex Maria Virgine: Ioannis 20. habuisse carnem & ossa: & Euangelia sunt plena testimoniis susceptæ humanitatis. Tandem habetur definitum in Conciliis Bracharensi c.2. Si quis Christum, ait, in vera hominis natura esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichæus, & Priscillianus dixerunt; anathema sit. Et Lateranensi sub Martino Papa cap.2. Si quis secundùm Patres Sanctos non confitetur propriè & verè ipsum vnum sanctæ,& consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cœlo descendisse, & incarnatum ex Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum,sepultùque, & resurrexisse tertia die,& ascendisse in cœlos, atque sedentem in dextera Patris,& venturum iterum cum paterna gloria, cum assumpta ab eo intellectualiter animata carne, iudicare viuos & mortuos; sit condemnatus. Hoc tandem probat hîc D.Thom. qu.5. art.1. & 2. Corpus autem humanum constat multis partibus, scilicet membris externis vt capite, brachiis,pedibus,&c. Deinde aliis communibus & extensis per omnia ferè membra vt carne, pelle,ossibus,neruis,&c. Hæ possunt vocari partes essentiales corporis: priores vocantur integrantes. Ad has reducuntur quatuor humores,videlicet sanguis, pituita siue flegma, atra bilis siue melancholia, & flaua bilis siue cholera:qui humores quando sunt perfectè dispositi, informantur anima totius, vt probatum est in libris de Anima; eadem quippe est ratio de omnibus. Sanguis imperfectus vocatur nutrimentalis,

trimentalis, & hic non informatur; benè tamen perfectè decoctus; quamuis mixti in venis reperiantur. Præsens difficultas specialiter procedit de sanguine, magis noto: quæ tamen hîc dicuntur, debent proportionali modo intelligi de aliis humoribus.

Prima opinio asserit sanguinem Christi Domini non fuisse vnitum hypostaticè Verbo diuino. Probatur; Sanguis non est de integritate naturæ humanæ; non enim informatur anima rationali, sicut nec vngues, nec capilli, &c. constat autem quòd cùm Verbum assumpserit tantùm naturam humanam, assumpsit tantùm ea quæ sunt de veritate & integritate illius. Deinde, est axioma Theologicum desumptum à S.Damasceno, Verbũ nunquam dimisisse, quod semel assumpsit: constat autem quòd multæ particulæ sanguinis Christi remanserunt apud nos, vt manifestè patet in instrumentis Passionis, & in ampulla S.Magdalenæ, quam ipsa repleuit terra collecta ad pedes Crucis & madida sanguine Christi, quæ ad rei veritatem quotannis in Parasceue Sanguinem ebullientem, & è terra secretum ostendit. Nec potest dici quòd hic sanguis etiam nunc sit hypostaticè vnitus: sicut nec sanguis separatus à sacratissimo eius corpore triduo mortis remansit vnitus: ergo sanguis Christi non fuit vnitus hypostaticè Verbo diuino.

Secunda opinio est in alio extremo: asserit enim omnem sanguinem qui fuit in Christo Domino, siue nutrimentalem, siue perfectè decoctum fuisse vnitum hypostatice Verbo diuino. Probatur; Sacra Scriptura, Sancti Patres, & Pontifices nulla facta distinctione sanguinis in nutrimentalem & vitalem, asserunt illum fuisse assumptum à Verbo, ac fuisse infiniti valoris propter vnionem ad Verbum: dicitur enim ad Hebræos. 2. Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Clemens VI. in Extrauaganti, Vnigenitus, dicit vnam guttam etiam modicam sanguinis Christi Domini, fuisse sufficientem pro salute generis humani, propter vnionem ad Verbum. Deinde, voluntaria est hæc distinctio sanguinis: omnis quippe sanguis est nutrimentalis secundùm Medicos. Denique, Verbum assumpsit non solùm partes essentiales humanitatis, sed etiam quicquid pertinet ad eius integritatem, perfectionẽ, & consistentiam: constat autem quòd totus sanguis ad hæc pertinet: ergo totus sanguis qui fuit in Christo Domino fuit hypostaticè vnitus Verbo diuino.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd sanguis Christi perfectus, pertinens ad veritatem humanæ naturæ, fuit hypostaticè Verbo vnitus: 2. Non autem sanguis imperfectus, dictus nutrimentalis.

Probatur prima pars conclusionis, quæ ab-

R.P.Philippi Carm.discal.Disp.Theolog.in 3.p.

sque errore negari non potest, authoritate Sacræ Scripturæ, quæ nostram redemptionem attribuit sanguini Christi tanquã pretio ipsius. Lucæ 22. Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ad Ephesios. 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius: 1. Petri. 1. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati. 1. Ioannis 1. Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato: sed hæc loca non benè saluantur, nisi dicatur quòd sanguis Christi propter vnionem ad Verbum habuit in se hanc virtutem & efficaciã infinitam, vt ait Clemens VI. in Extrauaganti citata; dicit enim loquẽs de Christo; Qui in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicã, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiat, sed velut quoddam profluuiũ noscitur effudisse: vnde talis sanguis fuit infiniti valoris, non solùm ex parte personæ offerentis, qualiter omnia opera Christi sunt infiniti valoris: sed etiam ex parte rei oblatæ ob prædictam vnionem: ergo sanguis perfectus Christi fuit hypostaticè vnitus Verbo diuino. Deinde Verbum assumens humanitatem, scilicet animam rationalem & corpus, debuit assumere illud omne, quod pertinet ad veritatem & integritatem corporis humani, cùm sine ipsis non sit in suo statu connaturali: sed sanguis perfectus & vitalis est de veritate & integritate corporis humani, ex D.Thom. quodlibeto 5. artic. 5. ergo sanguis perfectus fuit assumptus, & vnitus hypostatice Verbo diuino. Denique, ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. habetur, quòd sanguis Christi Domini est pars humanitatis eius, & propterea est per concomitantiam in Hostia consecrata: & similiter in vino consecrato est per concomitantiam tota humanitas, & diuinitas propter vnionem hypostaticam cum persona Verbi: ergo sanguis perfectus Christi Domini fuit hypostaticè vnitus Verbo diuino.

Probatur secunda pars conclusionis. Verbum assumpsit corpus & partes eius mediante anima, ex D.Thom. hîc q. 6. artic. 1. non solùm prioritate dignitatis, sed etiam causalitatis, in quantum scilicet non intelligitur corpus humanum nisi constituatur tale per animam rationalem, & sic anima est causa corporis vniendi, ac proinde prius natura debuit anima esse vnita Verbo: cùm enim prius naturâ intelligatur anima creata, ac proinde assumpta (cùm assumptio sit terminus & complementum creationis eius, per illam enim habet subsistere, & esse diuinum, præueniens esse & subsistere humanum sibi connaturale, quod habuisset, si creatio habuisset suum complementum intrinsecum) quàm corpori vnita; vnio enim præsupponit, in aliquo saltem priori naturæ, extrema vnibilia: consequenter anima priùs fuit Verbo

Verbo vnita prioritate naturæ, quàm corpus: imò ipsa mediante vt ratione vniendi fuit vnitum corpus, quamuis vnio & animæ & corporis ad Verbum sit immediata, nam separatâ animâ à corpore in triduo mortis, non soluitur vnio corporis ad Verbum: ergo illa solùm sunt vnita Verbo hypostaticè, ad quæ se extendit anima vt forma: ac proinde cùm sanguis imperfectus dictus nutrimentalis, non sit animatus; nec est hypostaticè Verbo vnitus. Deinde, fatentur multi sudorem illum sanguineum Christi in horto non fuisse Verbo hypostaticè vnitum: ergo idem dicendum est de alio quocumque sanguine imperfecto.

Ad primum ergo dicendum, quòd sanguis perfectè decoctus est de veritate & integritate naturæ humanæ, vt docet D.Thom. loco citato, & Aristoteles 2. de partibus animalium cap.2. vbi inter partes animalis enumerat sanguinem: & 3. de historia animalium cap.19. vbi ait, sanguis quandiu vita seruatur, semper viuus animatur & feruet. Ad aliud dicendum, quòd aliqui intelligunt hoc axioma de partibus tantùm principalibus humanitatis, vt anima & corpore, ac de partibus integrantibus, sed notabilibus ipsius corporis: nam partes minutæ, & minus principales, vt capilli, & superflua vnguium, ac fluidi humores vt sanguis, asserunt esse relictas. Sed dicendum quòd totus sanguis perfectè decoctus etiam separatus, mansit vnitus hypostaticè, & in Resurrectione totus fuit receptus, & solus nutrimentalis hic remansit.

Ad secundum dicendum, quòd cùm sanguis perfectus in Christo fuerit in maiori copia quàm nutrimentalis: ideo benè Scriptura attribuit sanguini Christi nostram redemptionem, cùm totus in ordine ad ipsam fuerit effusus: vnde non opus fuit illa distinctione: maximè quia etiam nutrimentalis fuit vnitus, non quidem hypostaticè, sed quasi subiecto, & hæc vnio sufficiebat ad infinitum valorem ipsius. Ad aliud dicendum, quòd hæc diuisio est tradita à D.Thom. & cum fundamento: nam sanguis donec sit perfectè decoctus, & dispositus ad informationem, non informatur forma totius viuentis; benè autem post perfectam dispositionem: licet autem omnis sanguis aliqualiter nutriat, tamen nomen (nutrimentalis) imperfecto datur; quia nutrit etiam alium sanguinem perfectum. Ad aliud dicendum, quòd iste sanguis imperfectus non pertinet ad integritatem, perfectionem, & consistentiam humanitatis simpliciter, sed tantùm est necessarius ad reparandum alium perfectum, aliásque partes corporis, quandiu calor naturalis corpus consumit.

DVBIVM VIII.

Vtrùm ordine executionis priùs fuerint assumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas.

Svpponendum est, partes essentiales physicas humanitatis esse animam rationalem & corpus: ipsa anima non educitur de potentia materiæ, sed creatur in eodem instanti quo infunditur & vnitur ipsi materiæ: creatio eius prius terminatur ad eius essentiam ponendo ipsam extra causas; deinde ad subsistentiam; denique perficitur in existentia, siue esse: vnde anima subsistens & existens communicatur materiæ, & toti composito; vnde tam materia, quàm totum compositum participant eius subsistentiam & existentiam, nulla enim est alia: quod è contrario euenit in aliis compositis, in quibus formæ educuntur de potentia materiæ; illis enim subsistentia & existentia priùs conuenit; deinde formæ & materiæ: quia verò anima rationalis essentialiter est pars, quamuis habeat propriam sibi subsistentiam & existentiam, non tamen subsistit & existit propriè vt quod, sed vt quo: ratio est, quia siue in statu vnionis, siue in statu separationis dicit ordinem ad totum, cuius est subsistere & existere vt quod; partes enim sunt propter totum: nec tamen inde sequitur; quòd tanta sit eius dependentia à suo toto in subsistendo & existendo, quanta est in aliis formis; nam aliæ formæ ita dependent, cùm non habeant propriam subsistentiam, & existentiam, vt sine toto naturaliter esse non possint; anima verò rationalis separata naturaliter subsistit, & existit propriâ subsistentiâ & existentiâ: vnde maior est in hac parte dependentia totius compositi ab anima, quàm animæ à toto composito: & nisi ratio incompleti, & partis obstarent, verè subsisteret & existeret vt quod, propterea dicitur semipersona; maximè in statu separationis: hanc doctrinam tradit D.Thom. 1.p.q.76.art.1. ad 5. vbi ait, quòd anima illud esse, in quo subsistit, communicat materiæ corporali, ex qua & anima intellectiua fit vnum, ita quòd illud esse quod est totius compositi, est etiam ipsius animæ; quod non accidit in aliis formis quæ non sunt subsistentes: & propter hoc anima humana remanet in suo esse, destructo corpore; non autem aliæ formæ. Et de spiritualibus creaturis artic.2. ad 3. ait: Habet anima esse subsistens, inquantum esse suum non dependet à corpore vtpote supra materiam corporalem eleuatum: & tamen ad huius esse communionem recipit corpus, vt sic sit vnum esse animæ & corporis, quod est esse hominis. Idem docet alibi. Quòd autem ratio partis obstet, quin sit dicenda subsistere & existere vt quod, patet ex Philosopho in libris de Anima, vbi absolutè dicit quòd anima non intelligit nec irascitur, vt

vt quod: ficut nec texit aut ædificat vt quod: & quia operari fequitur effe, & ei proportionatur, cui non competit operari vt quod, nec competit effe vt quod: vnde creatio animæ rationalis non eft abfoluta, fed connotatiua generationis, qua mediante vnitur corpori, & refultat totum fubfiftens & exiftens vt quod.

Prima opinio afferit partes humanitatis Chrifti Domini, non fuiffe priùs affumptas ordine etiam executionis, quàm tota humanitas. Probatur; Perfonalitas Verbi diuini, qua mediante communicata facta eft affumptio, eft perfecta & completa, ac proinde foli fubftantiæ completæ proportionata: ergo debuit communicari primò & per fe toti humanitati quæ eft fubftantia completa, fecundariò verò eius partibus, quæ funt fubftantiæ incompletæ, & confequenter non fuerunt priùs affumptæ quàm tota humanitas, imò pofteriùs.

Secundò, eadem eft ratio de fingulis partibus; cum ex his vnitis refultet humanitas: fed caro non fuit priùs in executione affumpta, quàm tota humanitas; nam debuit ante affumptionem effe caro humana, cùm Verbum affumpferit veram carnem humanam; non autem eft caro humana, nifi informetur anima rationali, ac proinde fit conftituta tota humanitas: maximè quia vnio animæ rationalis cum carne eft ratio, finequa non, affumptionis vtriufque partis: ergo partes humanitatis non fuerunt priùs affumptæ in executione, quàm tota humanitas.

Tertiò; Affumptio facta eft per communicationem diuinæ fubfiftentiæ, quæ eodem modo, & ordine debuit communicari, quo propria & connaturalis; non enim multiplicantur miracula fine neceffitate: fed fubfiftentia creata priùs cõuenit naturæ, quàm eius partibus; quia conuenit tantùm partibus propter naturam totalem: & maximè parti materiali, quæ non poteft fubfiftere nifi in toto: ergo partes humanitatis non fuerunt priùs affumptæ in executione, quàm tota humanitas.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd licèt ordine intentionis priùs fuerit affumpta à Verbo diuino tota humanitas, quàm eius partes: 2. Ordine tamen executionis priùs naturâ fuerunt affumptæ partes, quàm tota humanitas. 3. Primò fcilicet anima rationalis, deinde caro, & confequenter tota humanitas.

Probatur prima pars conclufionis communiter recepta. Ideo Deus affumpfit animam rationalem & carnem, quia voluit affumere naturam humanam: vnde affumptio naturæ humanæ, fiue totius humanitatis, eft finis affumptionis partium: ergo cùm finis propriè dictus fit prior ordine intentionis, quàm media ordinata ad finem, ordine intentionis priùs fuit affumpta à Verbo diuino tota humanitas, quàm eius partes.

Probatur fecunda pars conclufionis. Eodem modo communicata fuit fubfiftentia diuina, mediante qua facta fuit affumptio, toti humanitati & eius partibus, quo eis conuenit fubfiftentia humana connaturalis: nullum enim eft fundamentum inuertendi in hoc modum & ordinem naturalem, cùm non fint admittenda miracula fine neceffitate: fed fubfiftentia humana in ordine executionis priùs naturâ conuenit animæ rationali, deinde corpori cui vnitur per informationem, & denique toti humanitati ex vtroque refultanti, vt docet D. Thom. cum locis fupra citatis, tum in 1. d. 8. q. 5. art. 2. ad 2. vbi ait; Anima rationalis fine dubiò habet in fe effe perfectum; quamuis hoc effe non refultet ex partibus componentibus quidditatem ipfius, nec per coniunctionem corporis efficitur ibi aliquod aliud effe, imò hoc ipfum effe quod eft animæ per fe, fit effe coniuncti; effe enim coniuncti non eft nifi effe ipfius formæ: ergo ordine executionis priùs naturâ fuerunt affumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas. Deinde, in hac affumptione eft aliqua actio communis toti Trinitati, dicta vnitio humanitatis ciúfque partium cum perfona Verbi: fed talis actio debuit incipere à partibus, & terminari ad totum; alioquin cùm partes humanitatis fint priores toto, fequeretur quòd prius in fe effent & completè, quàm affumerentur: & hoc maximè in anima rationali dicendum eft, quæ priùs naturâ quàm vniatur, vt pote terminus creationis, debet fubfiftere & exiftere: ergo ordine executionis prius fuerunt affumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas. Denique, quia ordo intẽtionis & ordo executionis in effentialiter fubordinatis, qualiter funt partes cum toto, oppofito modo fe habent; ita vt quod eft primum in intentione, eft vltimum in executione; & è contra: ergo cùm in intentione priùs fit affumpta humanitas, quàm eius partes; in executione prius funt affumptæ ipfæ partes, quàm tota humanitas.

Probatur & explicatur tertia pars conclufionis. Anima rationalis, etfi eodem inftanti creetur, & infundatur materię, eíque vniatur: tamen priùs naturâ intelligitur producta, quàm vnita; vnio enim præfupponit extrema vnibilia: quia igitur creatio animæ Chrifti non fuit intrinfecè terminata, fed extrinfecè per eius affumptionem; ideo ipfi priùs naturâ, quàm vniretur, fuit communicata diuina fubfiftentia & exiftentia; deinde fuit communicata corpori cui fuit vnita talis anima, quamuis immediatè, fed dependenter ab anima, à qua habet effe corpus humanum; & tandem toti humanitati ex his partibus vnitis refultanti.

Ad primum ergo dicendum, quòd fi quid probaret, probaret etiam quòd in triduo mortis anima Chrifti, & corpus eius fanctiffimum non fuiffent vnita cum perfonalitate Verbi, quod nullus

nullus Catholicus potest negare: & similiter quòd nec secundariò essent vnita cum eadem personalitate: vnde dicendum quòd dicta personalitas ob infinitam suam perfectionem, & eminentiam potest vniri cuicumque substantiæ, siue completæ, siue incompletæ, eique se accommodare eodem modo, ac si esset propria eius & connaturalis, quia eminenter continet quamcumque personalitatem creatam.

Ad secundum dicendum, quòd priùs naturâ vniuntur partes, quàm sit constituta humanitas: & in illo priori corpus humanum siue caro humana assumitur, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd priùs in executione conuenit partibus humanitatis subsistere & existere, quàm toti humanitati, vt dictũ est, animæ quidem rationali, quia creatur; creatio autem terminatur ad esse materiæ etiam, quia priùs naturâ informatur anima rationali, ac ita participat eius subsistentiam & existentiam; quàm resultet humanitas: vnde pro illo priori intelliguntur subsistere in seipsis, & non in toto, quamuis nullum sit reale instans, quo non subsistant in toto. Materia autem nunquam est separata à toto, benè tamen forma rationalis. Hoc totum confirmat Caietanus, quia quod est vltimum in resolutione, debuit esse primum in compositione: vnde cùm in resolutione tota humanitas fuisset priùs dimissa (sicut de facto fuit dimissa secundùm se in triduo, quia non fuit humanitas, quæ consistit in vnione animæ cum corpore) quàm partes, si Verbum voluisset dimittere quod semel assumpserat: signum est quòd in compositione partes fuerunt priùs assumptæ, quàm tota humanitas.

QVÆSTIO VII.

De Gratia Christi, prout quidam singularis est homo, in tredecim articulos diuisa.

Deinde considerandum est de coassumptis à Filio Dei in humana natura. Et primo de his quæ pertinent ad perfectionem. Secundo de his quæ pertinent ad defectum.

Circa primum consideranda sunt tria. Primò, de gratia Christi. Secundo, de scientia eius. Tertio, de potentia ipsius.

De gratia autem Christi considerandum est dupliciter. Primo quidem de gratia eius, secundum quòd est quidam singularis homo. Secundo, de gratia eius, secundum quod est caput Ecclesiæ, nam de gratia vnionis iam dictum est. In q. 2.

¶ Circa primum quæruntur tredecim.
¶ Primò, vtrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.
¶ Secundò, vtrum in Christo fuerint virtutes.
¶ Tertio, vtrum in eo fuerit fides.
¶ Quarto, vtrum fuerit in eo spes.
¶ Quinto, vtrum in Christo fuerint dona.
¶ Sexto, vtrum in Christo fuerit timoris donum.
¶ Septimò vtrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.
¶ Octauo, vtrum in Christo fuerit prophetia.
¶ Nono, vtrùm in eo fuerit plenitudo gratiæ.
¶ Decimò, vtrùm talis plenitudo sit propria Christi.
¶ Vndecimo, vtrum Christi gratia sit infinita.
¶ Duodecimo, vtrum potuerit augeri.
¶ Decimotertio, qualiter hæc gratia se habeat ad vnionem.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.

41 Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd in anima assumpta à Verbo non fuerit gratia habitualis. Gratia enim est quædam participatio diuinitatis in creatura rationali: secundum illud 2. Pet. 1. Per quem maxima & pretiosa promissa nobis donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ. Christus autem est Deus, non participatiue, sed secundum veritatem. Ergo in eo non fuit gratia habitualis. [3. dist. 13. q. 1. ar. 1. & veri. q. 29. a. 1. & opu. 3. c. 213. & Ioan. 3. l. 6. col. 3.]

¶ 2 Præterea, Gratia ad hoc est necessaria homini, vt per eam bene operetur (secundum illud 1. Cor. 15. Abundantius omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum) & etiam ad hoc quod homo consequatur vitam æternam: secundum illud Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Sed Christo ex hoc solo quod erat naturalis Filius Dei, debebatur ei hæreditas vitæ æternæ, ex hoc etiam quod erat Verbum, per quod facta sunt omnia, aderat ei facultas omnia bona operandi. Non ergo secundum humanam naturam indigebat alia gratia, nisi vnione ad Verbum.

¶ 3 Præterea, Illud quod operatur per modum instrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes, quia habitus fundatur in principali agente. Humana autem natura in Christo fuit sicut instrumentum diuinitatis: vt dicit Damasc.* in 3. lib. Ergo non debuit in Christo esse aliqua gratia habitualis. [Lib. 3. ort. fi. ca. 15. à med.]

Sed contra est, quod dicitur Isa. 11. Requiescet super eum spiritus Domini. Qui quidem in homine esse dicitur per gratiam habitualem, vt in prima parte dictum est. † Ergo in Christo fuit gratia habitualis. [P. p. q. 43. art. 3.]

CONCLVSIO.

Necessarium fuit in Christo, habitualem gratiam fuisse, cum fuerit anima eius Verbo vnita, & per ipsum in alios gratia redundet.

Respondeo dicendum, quòd necesse est ponere in Christo gratiam habitualem, propter tria. Primo quidem propter vnionem animæ illius ad Verbum Dei: Quanto enim aliquod receptiuum est propinquius causæ influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiæ est à Deo, secundum illud Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Et ideo maxime fuit conueniens, vt anima illa reciperet influxum diuinæ gratiæ. Secundo, propter nobilitatem illius animæ cuius operationes oportebat propinquissimè attingere ad Deum per cognitionem & amorem: ad quod necesse est eleuari rationalem naturam per gratiam. Tertiò, propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim, inquantum homo, est mediator Dei & hominum, vt dicitur 1. ad Tim. 2. & ideo oportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem: secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus est verus Deus secundum personam & naturam diuinam: sed quia cum vnitate personæ remanet distinctio naturarum (vt ex supradictis patet †) anima Christi non est per suam essentiam diuina: vnde oportet quòd fiat diuina per participationem, quæ est secundum gratiam. [q. 2. ar. 1. & 2.]

Ad secundum dicendum: quod Christo, inquantum est naturalis Filius Dei, debetur hæreditas æterna quæ est ipsa beatitudo increata, per increatum actum cognitionis & amoris Dei, eundem scilicet quo Pater cognoscit & amat seipsum, cuius actus anima capax non erat propter differentiam naturæ. Vnde oportebat, quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum: qui quidem esse non potest nisi per gratiam. Similiter etiam, inquantum est Verbum Dei, habuit facultatem omnia bene operandi operatione diuina: sed quia præter operationem diuinam oportet poni in eo operationem humanam (vt infra patebit) oportuit in eo esse habitualem gratiam, per quam huiusmodi operatio in eo esset perfecta. [q. 19. ar. 2.]

Ad tertium dicendum, quod humanitas Christi est instrumentum diuinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum, quod nullo modo agit, sed solum agitur, sed tanquam instrumentum animatum anima rationali, quod ita agit, quod etiam agitur. Et ideo ad conuenientiam actionis oportuit eum habere gratiam habitualem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Christo fuerint virtutes.

44 Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerint virtutes: Christus enim habuit abundantiam gratiæ: Sed gratia sufficit ad omnia recte agendum, secundum illud secundæ ad Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Ergo in Christo non fuerunt virtutes. [3. d. ar. 3. ad 1. & 2. & q. 13. art. 1. & art. 4. d. 14. q 1. art. 2.]

¶ 2 Præterea, Secundum Philosophum 7. Ethic.* virtus diuiditur contra quendam heroicum siue diuinum habitum, qui attribuitur hominibus diuinis: Hic autem maxime conuenit Christo. Ergo Christus non habuit virtutes, sed aliquid altius virtute. [lib. 7. eth. in princip. tom 3.]

¶ 3 Præterea, Sicut in secunda parte dictum est, † virtutes omnes simul habentur: Sed Christo non fuit conueniens habere omnes virtutes, sicut patet de liberalitate & magnificentia: quæ habent actum suum circa diuitias, quas Christus contempsit, secundum illud Matt. 8. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Temperantia etiam & continentia sunt circa concupiscentias prauas, quæ in Christo non fuerunt. Ergo Christus non habuit virtutes. [1. 2. q 65. ar. 1. & 2.]

Sed contra est, quod super illud Psalm. 1. Sed in lege Domini voluntas eius, dicit glos.* Hic ostenditur Christus plenus omni bono: Sed bona qualitas mentis est virtus: Ergo Christus fuit plenus omni virtute. [gl. ordin. ex Cassiod.]

CONCLVSIO.

Cùm in Christo fuerit omnis gratiæ plenitudo, necessarium fuit, in ipso omnes virtutes esse.

Respondeo dicendum, quòd sicut in Secunda parte dictum est: * sicut gratia respicit essentiam animæ, ita virtus respicit potentiam eius. Vnde oportet quod sicut potentiæ animæ deriuantur ab eius essentia, ita virtutes sunt quædam deriuationes gratiæ. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tantò magis imprimit suos effectus. Vnde cùm gratia Christi fue- [1. 2. q. 110. ar. 3. & 4.]

sit perfectissima, consequens est quòd ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animæ quantum ad omnes animæ actus. Et ita Christus habuit omnes virtutes.

Ad primum ergo dicendum. Quòd gratia sufficit homini, quantum ad omnia quibus ordinatur ad beatitudinem: horum tamen quædam perficit gratia immediate per seipsam, sicut gratum facere Deo, & alia huiusmodi: quædam autem mediantibus virtutibus, quæ ex gratia procedunt.

Ad secundum dicendum, quòd habitus ille heroicus vel diuinus, non differt à virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum: inquantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quàm communiter omnibus competat. Vnde per hoc non ostenditur quod Christus non habuerit virtutes, sed quod habuerit eas perfectissimè ultra communem modum. Sicut etiam Plotinus posuit quemdam sublimem modum virtutum, quas esse dixit animi purgati.

Ad tertium dicendum, quòd liberalitas & magnificentia commendatur circa diuitias, inquantum aliquis non tantum appretiatur diuitias, quod velit eas retinere, prætermittendo id quod fieri oportet. Ille autem minime diuitias appretiatur, qui penitus eas côtemnit, & abiicit propter perfectionis amorem. Et ideo in hoc ipso, quòd Christus omnes diuitias contempsit, ostendit in se summum gradum liberalitatis & magnificentiæ. Licet etiam liberalitatis actum exercuerit, secundum quod sibi conueniens erat, faciendo pauperibus erogari quæ sibi dabantur. Vnde cum Dominus Iudæ dixit, Ioan. 13. Quod facis, fac citius: discipuli intellexerunt, Dominum mandasse, quòd egenis aliquid daret. Concupiscentias autem prauas Christus omnino non habuit, sicut infra patebit †: nec propter hoc tamen excluditur quin habuerit temperantiam: quæ tanto perfectior est in homine, quanto magis prauis concupiscentiis caret. Vnde secundum Philosophum 7.* Ethic. temperatus in hoc differt à continente, quod temperatus non habet prauas concupiscentias, quas continens patitur. Vnde sic accipiendo continentiam, sicut Philosophus accipit, ex hoc ipso quod Christus habuit omnem virtutem, non habuit continentiam, quæ non est virtus, sed aliquid minus virtute.

q. 15. art. 2. & 2.

lib. 7. eth. c. 9. non remotè à fi. tom. 5.

Articulus III.

45.

Vtrùm in Christo fuerit fides.

Inf. art. 4. c. & art. 8. ad 3. & art. 2. ad 2. & 1. 2. q. 65. art. 5. ad 3. & 3. d. 13. q. 1. art. 2. q. 1. ad 1. & d. 36. a. 2. ad 3. & ver. q. 29. ar. 4. ad 15. & ver. q. 4. ar. 1. ad 11.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo fuerit fides. Fides enim est nobilior virtus, quàm virtutes morales: puta temperantia, & liberalitas. Huiusmodi autem virtutes fuerunt in Christo, vt dictum est *. Multo ergo magis fuit in eo fides.

¶ 2 Præterea, Christus non docuit virtutes quas ipse non habuit, secundum illud Act. 1. cœpit facere, & docere: Sed de Christo dicitur, Heb. 12. quod est auctor & consummator fidei. Ergo in eo maxime fuit fides.

¶ 3 Præterea, Quicquid est imperfectionis, excluditur à beatis. Sed in beatis est fides: nam super illud Rom. 1. Iustitia Dei reuelatur in eo ex fide in fidem, dicit gl. * de fide verborum, & speciei, in fidem rerum & spei. Ergo videtur, quod etiam in Christo fuerit fides, cùm nihil imperfectionis importet.

* art. præc.

* gl. ordin. ibid.

Sed contra est quod dicitur Hebr. 11. quod fides est argumentum non apparentium. Sed Christo nihil fuit non apparens: secundum illud quod dixit ei Petrus Ioan. vlt. Tu omnia nosti. Ergo in Christo non fuit fides.

CONCLVSIO.

Cùm Christus à primo instanti conceptionis suæ plene per essentiam Deum viderit, nullo modo fides in eo esse potuit.

RESPONDEO dicendum, quod sicut in secunda parte dictum est, * obiectum fidei est res diuina non visa. Habitus autem virtutis, sicut & quilibet alius recipit speciem ab obiecto. Et ideo excluso, quod res diuina sit non visa, excluditur ratio fidei. Christus autem à primo instanti suæ conceptionis plene vidit Deum per essentiam, vt infra dicetur *. Vnde in eo fides esse non potuit.

2. 2. q. 1. art. 4.

q. 34. ar. 4.

AD primum ergo dicendum, quòd fides est nobilior virtus virtutibus moralibus: quia est circa nobiliorem materiam: sed tamen importat quendam defectum in comparatione ad illam materiam, qui defectus in Christo non fuit. Et ideo non potuit in eo esse fides, licet fuerint in eo virtutes morales, quæ in sui ratione huiusmodi defectum non important per comparationem ad suas materias.

AD secundum dicendum, quòd meritum fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis quæ non videt: secundum illud Rom. 1. Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius. Obedientiam autem ad Deum plenissimè habuit Christus, secundum illud Philip. 2. Factus est obediens vsque ad mortem. Et sic nihil ad meritum pertinens docuit, quod ipse excellentius non impleret.

AD tertium dicendum, quod sicut glossa ibidem dicit, * fides propriè est, qua creduntur quæ non videntur. Sed fides quæ est rerum visarum, impropriè dicitur, & secundum quandam similitudinem, quantum ad certitudinem, aut firmitatem adhæsionis.

Aug. in li. 83 q. Euāg. q. 39. in prin. tom. 4.

Articulus IV.

46.

Vtrùm in Christo fuerit spes.

Inf. art. 6. ad 1. & art. 1. ad 2. & art. 9. ad 1 & 3. q. 25. 4.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo fuerit spes. Dicitur enim in Psal. 30. ex persona Christi. In te Domine speraui. Sed virtus spei est, qua homo sperat in Deum. Ergo virtus spei fuit in Christo.

¶ 2 Præterea, Spes est expectatio futuræ beatitudinis, vt in secunda parte habitum est *. Sed Christus aliquid expectabat ad beatitudinem pertinens, videlicet gloriam corporis. Ergo videtur quod in eo fuerit spes.

¶ 3 Præterea, Vnusquisque potest sperare illud quod ad eius perfectionem pertinet, si sit futurum: Sed aliquid erat futurum quod ad perfectionem Christi pertinet: secundum illud Ephes. 4. Ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Ergo videtur, quòd Christo competebat habere spem.

q. ad 1. & 2. 2. q. 18. ar. 2. ad 1. & 3. dist. 26. q. 2. a. 3. q. 1. & d. 36 a. 2. ad 3.

* 2. 2. q. 17. art. 5. ad 3.

SED contra est, quod dicitur Rom. 8. Quod videt quis, quid sperat? Et sic patet, quod sicut fides est de non visis, ita & spes: Sed fides non fuit in Christo, sicut dictum est *, ergo nec spes.

* Art. præc.

CONCLVSIO.

Cùm Christus à principio suæ conceptionis plene fruitionem diuinam habuerit, impossibile fuit in ipso fuisse spem, nisi eorum quæ non plene fuerat adeptus: sic sui corporis immortalitatem & gloriam sperabat.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut de ratione fidei est, quòd aliquis assentiat his quæ non videt: ita de ratione spei est quòd aliquis expectet id quod nondum habet. Et sicut fides, inquantum est virtus Theologica, non est de quocumque non viso, sed solum de Deo: ita etiam spes, inquantum est virtus Theologica, habet pro obiecto ipsum Deum, cuius fruitionem homo principaliter expectat per spei virtutem. Sed consequenter ille qui habet virtutem spei, potest etiam in aliis diuinum auxilium expectare: sicut & ille qui habet virtutem fidei, non solum credit Deo de rebus diuinis, sed etiam de quibuscumque aliis diuinitus sibi reuelatis. Christus autem à principio suæ conceptionis plenè habuit fruitionem diuinam (vt infra dicetur *) & ideo virtutem spei non habuit. Habuit tamen spem respectu aliquorum quæ nondum erat adeptus: licet non habuerit fidem respectu quorumcumque: quia licet plene cognosceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo: non tamen adhuc plenè habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant, puta immortalitatem & gloriam corporis, quam poterat sperare.

q. 34. a. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc non dicitur de Christo secundum spem, quæ est virtus theologica, sed eo quod quædam alia sperauit nondum habita: sicut dictum est *.

In co. art.

Ad secundum dicendum, quòd gloria corporis non pertinet ad beatitudinem, sicut in quo principaliter beatitudo consistat, sed per quandam redundantiam à gloria animæ: vt in secunda parte dictum est †. Vnde spes secundum quod est virtus theologica, non respicit beatitudinem corporis: sed beatitudinem animæ, quæ in diuina fruitione consistit.

P. 1. q. 4. art. 6. & q. 67. a. 4.

Ad tertium dicendum, quod ædificatio Ecclesiæ per conuersionem fidelium, non pertinet ad perfectionem Christi, qua in se perfectus est: sed secundum quod alios ad participationem suæ perfectionis inducit. Et quia spes dicitur propriè respectu alicuius quod expectatur ab ipso sperante habendum, non propriè potest dici, quòd virtus spei Christo ratione inducta * conueniat.

In co. art.

Articulus V.

47.

Vtrùm in Christo fuerint dona.

Isa. 11. 1. 2. col. 2.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerint dona. Sicut enim communiter dicitur, dona dantur in adiutorium virtutum: Sed id quod est in se perfectum, non indiget exteriori auxilio. Cum igitur in Christo fuerint virtutes perfectæ, videtur, quod in eo non fuerint dona.

¶ 2 Præterea, Non videtur esse eiusdem, dare dona & recipere: quia dare est habentis, accipere autem non habentis: Sed Christo conuenit dare dona: secundum illud Psal. 67. Dedit dona hominibus. Ergo Christo non conuenit accipere dona Spiritus sancti.

¶ 3 Præterea, Quatuor dona videntur pertinere ad contemplationem viæ, scilicet sapientia, scientia, intellectus, & consilium, quod pertinet ad prudentiam: vnde Philosophus in 6. Ethic. * numerat ista inter virtutes intellectuales: Sed Christus habuit contemplationem patriæ. Ergo non habuit huiusmodi dona.

lib. 6. eth. c. 3 & seq. tom. 5.

SED contra est, quod dicitur Isa. 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum. Glo. * id est septem dona Spiritus Sancti Christum.

gl. ordin. ibid.

CONCLVSIO.

Cùm Christus perfectissimè à Spiritu sancto moueretur, in ipso quoque excellentissime Spiritus sancti dona fuerunt.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut in Secunda parte dictum est †, dona propriè sunt perfectiones quædam potentiarum animæ secundum quod sunt natæ moueri à Spiritu sancto. Manifestum est autem, quòd anima Christi perfectissimè à Spiritu sancto mouebatur: secundum illud Luc. 4. Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu in desertum. Vnde manifestum est, quòd in Christo fuerunt excellentissimè dona.

p. 1. q. 68. art. 1.

AD primum ergo dicendum, quòd illud quod est perfectum secundum ordinem suæ naturæ, indiget adiuuari ab eo quod est altioris naturæ, sicut homo, quantumcunque perfectus indiget adiuuari à Deo. Et hoc modo virtutes, quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod ducuntur ratione, quantumcumque sint perfectæ, indigent adiuuari per dona quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod sunt motæ à Spiritu sancto.

AD secundum dicendum, quòd Christus non secundum idem est recipiens & dans dona Spiritus sancti: sed dat, secundum quod Deus: & accipit, secundum quod homo. Vnde Greg. dicit in secundo Moral. * quod Spiritus sanctus humanitatem Christi nunquam deseruit, ex cuius diuinitate procedit.

lib. 2. c. 41. à medio ei- dem.

AD tertium dicendum, quòd in Christo non solum fuit cognitio patriæ, sed etiam cognitio viæ, vt infra dicetur †. Et tamen

q. 14. art. 4.

men etiam in patria ſunt per aliquem modum dona Spiritus ſancti, vt in ſecunda parte dictum eſt *.

* p.2. qu. 68. ar. 6.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Chriſto fuerit donum timoris.

48 Inf. q. 15. ar. 7. & 1. d. 15. q. 2. ar. 2. q. 1. * p. 1. 2. q. 19. & 17. ar. 1. † ar. 4. huius quæſt. Aug. in tom. ſuper Pſalm. 9. circa med. tomo 9. † q. 15. a. 1. & 2.

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſto non fuerit donum timoris. Spes enim videtur potior, quam timor: nam ſpei obiectum eſt bonum, timoris vero malum: vt in Secunda parte habitum eſt.* Sed in Chriſto non fuit virtus ſpei, vt ſupra habitum eſt. † Ergo etiam non fuit in eo donum timoris.

¶ 2 Præterea, Dono timoris timet aliquis vel ſeparationem à Deo, quod pertinet ad timorem caſtum: vel puniri ab ipſo, quod pertinet ad timorem ſeruilem: vt Aug. dicit * ſuper canonicam Ioan. Sed Chriſtus non timuit ſeparari à Deo per peccatum, neque etiam puniri ab eo propter culpam, quia impoſſibile erat ei peccare: vt infra dicetur †. Timor autem nõ eſt de impoſſibili. Ergo in Chriſto non fuit donum timoris.

¶ 3 Præterea. Primæ Ioan. 4. dicitur, quod perfecta charitas foras mittit timorem. Sed in Chriſto fuit perfectiſſima charitas, ſecundum illud Epheſ. 3. Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. Ergo in Chriſto non fuit donum timoris.

Sed contra eſt, quod dicitur Iſa. 11. Replebit eum Spiritus timoris Domini.

CONCLVSIO.

Quamquam in Chriſto nullus fuerit culpæ, vel pœnæ timor; fuit tamen in illo præ cæteris hominibus timor quo diuinam venerabatur maieſtatem.

p 2. q. 19. ar. 1.

RESPONDEO dicendum, quod ſicut in ſecunda parte dictum eſt,* timor reſpicit duo obiecta, quorum vnum eſt malum terribile, aliud eſt illud, cuius poteſtate malum poteſt inferri: ſicut aliquis timet Regem, inquantum habet occidendi poteſtatem. Non autem timeretur ille qui poteſt nocere, niſi haberet quandam eminentiam poteſtatis cui de facili reſiſti non poſſit: ea enim quæ in promptu habemus repellere, non timemus. Et ſic patet, quod aliquis non timetur niſi propter ſuam eminentiam. Sic igitur dicendum eſt, quod in Chriſto fuit timor Dei, non quidem ſecundum quod reſpicit malum ſeparationis à Deo per culpam, neque etiam ſecundũ quod reſpicit malum puniſionis pro culpa, ſed ſecundũ quod reſpicit ipſam diuinam eminentiam, prout ſcilicet anima Chriſti quodam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum, à Spiritu ſancto acta. Vnde Hebr. 5. dicitur, quod in omnibus exauditus eſt pro ſua reuerentia. Hunc enim affectum reuerentiæ ad Deum, Chriſtus ſecundum quod homo, præ cæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.

Ad primum ergo dicendum, quod habitus virtutum & donorum, propriè & per ſe reſpiciunt bonum, malum autem ex conſequenti. Pertinet enim ad rationem virtutis, vt opus bonum reddat, vt in ſecundo Ethi. dicitur. Et ideo de ratione doni timoris non eſt illud malum quod reſpicit timor, ſed eminentia illius boni, ſcilicet diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt. Sed ſpes, ſecundum quod virtus eſt, reſpicit non ſolum auctorem boni, ſed etiam ipſum bonum, inquantum eſt non habitum. Et ideo Chriſto qui iam habebat perfectum beatitudinis bonum, non attribuitur virtus ſpei, ſed donum timoris.

Eth. 2. & b. c. 6. in pr. tom. 5.

Ad ſecundum dicendum, quod ratio illa procedit de timore, ſecundum quod reſpicit obiectum, quod eſt malum.

Ad tertium dicendum, quod perfecta charitas foras mittit timorem ſeruilem, qui reſpicit principaliter pœnam: ſic autem timor non fuit in Chriſto.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in Chriſto fuerint gratiæ gratis datæ.

49. 3. contr. c. 154. & ver. q. 27. art. 1. & 5. co. & opu. 3. c. 215. & Ro. 1. l. 3. col. 1. & Epheſ. 1. l. 2. tom. 5.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd in Chriſto non fuerint gratiæ gratis datæ. Ei enim qui habet aliquid ſecundum plenitudinem, non competit illud habere ſecundum participationem. Sed Chriſtus habuit gratiam ſecundum plenitudinem, ſecundum illud Ioan. 1. Plenum gratiæ & veritatis. Gratiæ autem gratis datæ videntur eſſe quædam participationes diuinæ diuiſim, & particulariter diuerſis attributæ: ſecundum illud primæ ad Cor. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt. Ergo videtur quod in Chriſto non fuerint gratiæ gratis datæ.

¶ 2 Præterea, Quod debetur alicui, non videtur eſſe gratis ei datum. Sed debitum erat homini Chriſto, quod ſermone ſapientiæ & ſcientiæ abundaret, & potens eſſet in virtutibus faciendis, & in aliis huiuſmodi, quæ pertinent ad gratias gratis datas: cum ipſe ſit Dei virtus & Dei ſapientia, vt dicitur 1 ad Cor. 1. Ergo Chriſto non fuit conueniens habere gratias gratis datas.

¶ 3 Præterea, Gratiæ gratis datæ ordinantur ad vtilitatem fidelium: ſecundum illud 1. ad Cor. 12. Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem. Non autem videtur ad vtilitatem aliorum pertinere habitus aut quæcunque diſpoſitio, ſi homo non vtatur: ſecundum illud Eccl. 20. Sapientia abſcondita & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Chriſtus autem non legitur vſus omnibus gratiis gratis datis, præſertim quantum ad genera linguarum. Non ergo in Chriſto fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.

Epiſt. 57. dicit nunc ad ſ. tom. 2.

Sed contra eſt quod Auguſt. dicit in epiſtola ad Dardanum *, quod ſicut in capite ſunt omnes ſenſus, ita in Chriſto fuerunt omnes gratiæ.

CONCLVSIO.

Cùm Chriſtus fuerit primus & principalis fidei doctor, in eo oportuit omnes gratias gratis datas fuiſſe.

RESPONDEO dicendum, quod ſicut in ſecunda parte habitum eſt, gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei & ſpiritualis doctrinæ manifeſtationem: oportet enim eum qui docet, habere ea, per quæ ſua doctrina manifeſtetur, aliàs ſua doctrina eſſet inutilis. Spiritualis autem doctrinæ & fidei primus & principalis doctor eſt Chriſtus: ſecundum illud Hebr. 2. Cum initium, accepiſſet enarrari per Dominum, per eos qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, &c. Vnde manifeſtum eſt, quod in Chriſto excellentiſſime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ: ſicut in primo & principali fidei doctore. p 2. q. 111

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut gratia gratum faciens ordinatur ad actus meritorios tam interiores, quam exteriores, ita gratia gratis data ordinatur ad quoſdam actus exteriores fidei manifeſtatiuos: ſicut eſt operatio miraculorum, & alia huiuſmodi. In vtraque autem gratia Chriſtus plenitudinem habuit: inquantum enim diuinitati vnita erat eius anima, plenam efficaciam habebat ad omnes prædictos actus perficiendos: Sed alij Sancti, qui mouentur à Deo ſicut inſtrumenta non vnita, ſed ſeparata, particulariter efficaciam recipiunt ad hos vel ad illos actus perficiendos. Et ideo in aliis Sanctis huiuſmodi gratiæ diuiduntur, non autem in Chriſto.

Ad ſecundum dicendum, quòd Chriſtus dicitur Dei virtus & Dei ſapientia, inquantum eſt æternus Dei filius: Sic autem non competit ſibi habere gratiam, ſed eſſe potius datorem gratiæ: competit autem ſibi habere gratiam ſecundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quòd donum linguarum datum eſt Apoſtolis, quia mittebantur ad docendas omnes gentes. Chriſtus autem in vna ſola gente Iudæorum voluit perſonaliter prædicare ſecundum quod ipſe dicit Matth. 15. Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Et Apoſtolus dicit Rom. 15. Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis. Et ideo non oportuit, quod loqueretur pluribus linguis: Nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia: cum etiam occulta cordium ei non eſſent abſcondita (vt infra dicetur *) quorum voces quæcunque ſunt ſigna: Nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit, ſicut non inutiliter habet habitum, qui eo non vtitur quando non eſt opportunum. q. 10. a. 2.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in Chriſto fuerit Prophetia.

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quòd in Chriſto non fuerit Prophetia. Prophetia enim importat quandam obſcuram & imperfectam notitiam: ſecundum illud Numeri 12. Si quis fuerit inter vos Propheta domini, per ſomnium, aut in viſione loquar ad eum: Sed Chriſtus habuit plenam & apertam notitiam, multo magis quam Moyſes, de quo ibi ſubditur, quod palam, & non per ænigmata videt Deum. Non ergo in Chriſto debet poni Prophetia. 50. Inf. q. 12. a. 3. & 1. 2. q. 174. ar. 5. & Pſal. 44. co. 2. & Matth. 1. col. 1. & Io. 4. l. 6. col. fin. Et 1. Cor. 13. l. 3 col. 1.

¶ 2 Præterea, Sicut fides eſt eorum quæ non videntur, & ſpes eorum quæ non habentur, ita Prophetia eſt eorum quæ non ſunt præſentia, ſed diſtant, nam Propheta dicitur quaſi procul fans: Sed in Chriſto non ponitur fides nec ſpes; vt ſupra dictum eſt †. Ergo Prophetia etiam non debet poni in Chriſto. † Art. 3. & 4. huius quæſt.

¶ 3 Præterea, Propheta eſt inferioris ordinis, quam Angelus: vnde & de Moyſe, qui fuit ſupremus Prophetarum (vt in ſecunda parte dictum eſt *) dicitur Act. 7. quod loquutus eſt cum Angelo in ſolitudine: Sed Chriſtus non eſt minoratus ab Angelis ſecundum notitiam animæ, ſed ſolum ſecundum corporis paſſionem, vt habetur Heb. 2. Ergo videtur quod Chriſtus non fuit Propheta. 2. 2. quæſt. 174. ar. 4.

Sed contra eſt, quod de eo prædicitur Deuter. 18. Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris. Et ipſe de ſe dicit. Mat. 13. & Io. 4. Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua.

CONCLVSIO.

Cùm Chriſtus fuerit ſimul comprehenſor & viator, in ipſo fuiſſe Propheticum lumen, neceſſe fuit, reſpectu eorum quæ eos latebant, apud quos fuerat.

RESPONDEO dicendum, quod Propheta dicitur quaſi procul fans, vel procul videns: inquantum ſcilicet cognoſcit & loquitur ea, quæ ſunt procul ab hominum ſenſibus ſicut etiam Auguſt. dicit 16. contra Fauſtum. * Eſt autem conſiderandum, quod non poteſt dici aliquis Propheta ex hoc quod cognoſcit & annunciat ea quæ ſunt aliis procul, cum quibus ipſe non eſt. Et hoc manifeſtum eſt ſecundum locum, & ſecundum tempus: ſi enim aliquis in Gallia exiſtens cognoſceret, & annunciaret aliis in Gallia exiſtentibus, ea quæ tunc in Syria agerentur, propheticum eſſet: ſicut Eliſæus ad Giezi dixit 4. Reg. 5. quomodo vir deſcenderat de curru, & occurrerat ei. Si vero aliquis in Syria exiſtens, ea quæ ſunt ibi annuntiaret, non eſſet propheticum. Et idem apparet, ſecundum tempus, propheticum enim fuit quod Iſaias prænuntiauit, quòd Cyrus rex Perſarum templum Dei eſſet reædificaturus, vt patet Iſa. 44. Non autem fuit propheticum, quod Eſdras hoc ſcripſit, cuius tempore factum eſt. Si igitur Deus, aut Angeli, vel etiam Beati cognoſcunt & annuntiant ea quæ ſunt procul à noſtra notitia, hoc non pertinet ad prophetiam: quia in nullo noſtrũ ſtatum attingunt. Chriſtus autem ante paſſionem noſtrum ſtatum attingebat, inquantum non ſolum erat comprehenſor, ſed etiam viator. Et ideo propheticum erat, quòd ea quæ erant procul ab aliorum viatorum notitia, & cognoſcebat & annuntiabat. Et hac ratione dicitur in eo fuiſſe prophetia. Li. 16. cap. 18. tom. 6.

Ad primum ergo dicendum, quòd per illa verba non oſtenditur eſſe de ratione prophetiæ ænigmatica cognitio, quæ ſcilicet eſt per ſomnium & in viſione: ſed oſtenditur comparatio aliorum Prophetarum, qui per ſomnium & in viſione perce

perceperunt diuina, ad Moyſen, qui palam & non per enigmata Deum vidit. Qui propheta eſt dictus: ſecundum illud Deut. vlt. Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes. Poteſt tamen dici, quòd etſi Christus habuit plenam & apertam notitiam, quantum ad partem intellectiuam: habuit tamen in parte imaginatiua quaſdam ſimilitudines, in quibus etiam poterat ſpeculari diuina: inquantum non ſolum erat comprehenſor, ſed etiam viator.

Ad ſecundum dicendum, quòd fides eſt eorum, quæ non videntur ab ipſo credente, & ſimiliter ſpes eſt eorum quæ non habentur ab ipſo ſperante: ſed prophetia eſt eorum quæ ſunt procul à communi hominum ſenſu, cum quibus propheta conuerſatur, & communicat in ſtatu viæ. Et ideo fides & ſpes repugnant perfectioni beatitudinis Christi, non autem Prophetia.

Ad tertium dicendum, quòd Angelus, cùm ſit comprehenſor, eſt ſupra prophetam, qui eſt purus viator: non autem ſupra Christum, qui fuit ſimul viator, & comprehenſor.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm in Christo fuerit plenitudo gratiæ.

§ 1. Ad nonvm ſic proceditur. Videtur, quòd non fuerit in Christo gratiæ plenitudo. A gratia enim deriuantur virtutes, vt in ſecunda parte dictum eſt. Sed in Christo non fuerunt omnes virtutes: non enim fuit in eo fides neque ſpes: vt oſtenſum eſt. † Ergo in Christo non fuit gratiæ plenitudo.

Ioſ. a. 10. & 12. co. & 3. diſ. 13 q. 1. a. 2. q. 1. & di. 15. q. 1. a. 2. 3. & opuſ. 3. ca. 211. & opuſ. 60. c. 3 col. 9.

¶ 2 Præterea, Sicut patet ex his quæ in ſecunda parte dicta ſunt, * gratia diuiditur in operantem & cooperantem: Operans autem gratia dicitur, per quam iuſtificatur impius. Quod quidem non habuit locum in Christo, qui nunquam ſubiacuit alicui peccato. Ergo in Christo non fuit plenitudo gratiæ.

* P. 2. q. 111. a. 2. ad 1.

¶ 3 Præterea, Iac. 1. dicitur, Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum: Sed quod deſcendit, habetur particulariter & non plene. Ergo nulla creatura, nec etiam anima Christi poteſt habere plenitudinem donorum gratiæ.

† Art. 3. & 4. * P. 3. q. 111. art. 2.

Sed contra eſt quod dicitur Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.

CONCLVSIO.

Cùm anima Christi à principio ſuæ conceptionis fuerit diuinitati vnita, & vniuerſale principium fuerit omnium habentium gratiam, in ea fuiſſe plenitudinem omnium gratiarum neceſſarium fuit.

Respondeo dicendum, quòd plenè dicitur haberi quod perfecte & totaliter habetur. Totalitas autem & perfectio poteſt attendi dupliciter. Vno modo quantum ad quantitatem eius intenſiuam: puta, ſi dicam aliquem plene habere albedinem, ſi habeat eam, quantumcunque nata eſt haberi. Alio modo ſecundum virtutem: puta, ſi aliquis dicatur plenè habere vitam: quia habet eam ſecundum omnes effectus vel opera vitæ, & ſic habet plenè vitam homo, non autem brutū animal, vel planta. Vtroque autem modo Christus habuit gratiæ plenitudinem. Primo quidem, quia habuit eam in ſummo ſecundum perfectiſſimum modum quo[redacted] poteſt. Et hoc quidem apparet, primo ex propinqu[redacted]nimæ Christi ad cauſam gratiæ: dictum eſt * enim quod quanto aliquod receptiuum propinquius eſt cauſæ influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi, quæ propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales maximam recipit influentiam gratiæ eius. Secundo ex comparatione eius ad effectum. Sic enim recipiebat anima Christi gratiam, vt ex ea quodammodo tranſfunderetur in alios. Et ideo oportuit quod haberet maximam gratiam, ſicut ignis, qui eſt cauſa caloris in omnibus calidis, eſt maxime calidus. Similiter etiam quantum ad virtutem gratiæ, plenè habuit gratiam: quia habuit eam ad omnes operationes vel effectus gratiæ. Et hoc ideo, quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam vniuerſali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principij alicuius generis vniuerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis: ſicut ſol, qui eſt vniuerſalis cauſa generationis (vt Dionyſ. dicit 4. cap. de diui. no. *) eius virtus ſe extendit ad omnia, quæ ſub generatione cadunt. Et ſic ſecunda plenitudo gratiæ attenditur in Christo, inquantum ſe extendit eius gratia ad omnes gratiæ effectus, qui ſunt virtutes & dona, & alia huiuſmodi.

Ar. 1. huius q.

Cap. 4. p. 1. inter prin. & med.

Ad primum ergo dicendum, quòd fides & ſpes nominant effectus gratiæ cum quodam defectu, qui eſt ex parte recipientis gratiam, inquantum ſcilicet, fides eſt de non viſis, & ſpes de non habitis. Vnde non oportet, quòd in Christo, qui eſt auctor gratiæ, fuerint defectus quos important fides & ſpes: ſed quicquid eſt perfectionis in fide & ſpe, in Christo eſt multo perfectius: ſicut in igne non ſunt omnes modi caloris defectiui ex defectu ſubiecti, ſed quicquid pertinet ad perfectionem caloris.

Ad ſecundum dicendum, quòd ad gratiam operantem per ſe, pertinet facere iuſtum. ſed quòd iuſtum faciat ex impio, hoc accidit ex parte ſubiecti, in quo peccatum inuenitur: Anima Christi igitur iuſtificata eſt per gratiam operantem, inquantum per eam facta eſt iuſta & ſancta à principio ſuæ conceptionis, non quòd ante fuerit peccatrix, aut etiam non iuſta.

Ad tertium dicendum, quòd plenitudo gratiæ attribuitur animæ Christi ſecundum capacitatem creaturæ: non autem per comparationem ad plenitudinem infinitam bonitatis diuinæ.

ARTICVLVS X.

Vtrùm plenitudo gratiæ ſit propria Christi.

§ 2. Ad decimvm ſic proceditur. Videtur, quòd plenitudo gratiæ non ſit propria Christi. Quod enim eſt proprium alicuius, ſibi ſoli conuenit. Sed eſſe plenum gratia, quibuſdam aliis attribuitur: dicitur enim Luc. 1. beatæ Virgini, Aue gratia plena: dicitur etiam Act. 7. Stephanus plenus gratia & fortitudine. Ergo plenitudo gratiæ non eſt propria Christo.

3. d. 13. q. 1. a. 2. q. 2.

¶ 2 Præterea, Illud quod poteſt communicari aliis per Christum, non videtur eſſe proprium Christo: Sed plenitudo gratiæ poteſt communicari per Christum aliis, dicit enim Apoſt. Ephe. 3. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ergo plenitudo gratiæ non eſt propria Christo.

¶ 3 Præterea, Status viæ proportionari videtur ſtatui patriæ: Sed in ſtatu patriæ erit quædam plenitudo: quia in illa cœleſti patria vbi plenitudo eſt omnis boni, licet quædam data ſint excellenter, nihil tamen poſſidetur ſingulariter, vt patet per Greg. * in homil. de centum ouibus. Ergo in ſtatu viæ habetur gratiæ plenitudo à ſingulis hominibus: Et ita plenitudo gratiæ non eſt propria Christi.

Hom. 34. in Euang. circa med.

Sed contra eſt, quòd plenitudo gratiæ attribuitur Christo, inquantum eſt vnigenitus à patre: ſecundum illud Io. 1. Vidimus eum quaſi vnigenitum à patre plenum gratiæ & veritatis. Sed eſſe vnigenitum à patre, eſt proprium Christo. Ergo & ſibi proprium eſt, eſſe plenum gratiæ, & veritatis.

CONCLVSIO.

Plenitudo gratiæ quantum ad eſſentiam, & gratiæ virtutem, comparatione effectuum, Christo propria eſt: aliis ſolum tribuitur propter certam intenſionem & extenſionem gratiæ ſecundum conditionem ſubiecti.

Respondeo dicendum, quòd plenitudo gratiæ poteſt attendi dupliciter. Vno modo ex parte ipſius gratiæ, alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipſius gratiæ dicitur eſſe plenitudo gratiæ, ex eo quod aliquis pertingit ad ſummum gratiæ, & quantum ad eſſentiam, & quantum ad virtutem, quia ſcilicet habet gratiam, & in maxima excellentia, qua poteſt haberi, & in maxima extenſione ad omnes gratiæ effectus: & talis gratiæ plenitudo eſt propria Christo. Ex parte vero ſubiecti gratiam habentis, eſſe dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plene gratiam, ſecundum ſuam conditionem, ſiue ſecundum intenſionem, prout in eo eſt intenſa gratia vſque ad terminum præfixum ei à Deo ſecundum illud Ephes. 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Christi. Siue etiam ſecundum virtutem: inquantum ſcilicet habet facultatem gratiæ ad omnia quæ pertinent ad ſuum officium, ſiue ſtatum, ſicut Apoſtolus dicebat Ephes. 3. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc illuminare omnes, &c. Et talis gratiæ plenitudo non eſt propria Christo, ſed communicatur aliis per Christum.

Ad primum ergo dicendum, quòd beata Virgo dicta eſt plena gratia, non ex parte ipſius gratiæ: quia non habuit gratiam in ſumma excellentia, qua poteſt haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, ſed dicitur fuiſſe plena gratia per comparationem ad ipſam: quia ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo, vt eſſet ſcilicet mater Vnigeniti eius. Et ſimiliter Stephanus dicitur plenus gratia: quia habebat gratiam ſufficientem ad hoc, quòd eſſet idoneus miniſter & teſtis Dei ad quod erat electus. Et idem dicendum eſt de aliis. Harum tamen plenitudinum vna eſt plenior altera, ſecundum quod aliquis eſt diuinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem ſtatum.

Ad ſecundum dicendum, quòd Apoſtolus ibi loquitur de illa plenitudine gratiæ, quæ accipitur ex parte ſubiecti, in comparatione ad id, ad quod homo eſt diuinitus præordinatus. Quod quidem eſt vel aliquid commune, ad quod præordinantur omnes Sancti: vel aliquid ſpeciale, quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et ſecundum hoc quædam plenitudo gratiæ eſt omnibus ſanctis communis, vt ſcilicet habeant gratiam ſufficientem ad merendum vitam æternam, quæ in plena Dei fruitione conſiſtit, & hanc plenitudinem optat Apoſt. fidelibus, quibus ſcribit.

Ad tertium dicendum, quòd illa dona, quæ ſunt communia in patria, ſcilicet viſio, comprehenſio, & fruitio, & alia huiuſmodi, habent quædam dona ſibi correſpondentia in ſtatu viæ, quæ etiam ſunt communia omnibus Sanctis. Sunt tamen quædam prærogatiuæ Sanctorum in patria, & in via, quæ non habentur ab omnibus.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Christi gratia ſit infinita.

§ 3. Ad vndecimvm ſic proceditur. Videtur quòd gratia Christi ſit infinita. Omne enim immenſum, eſt infinitum. Sed gratia Christi eſt immenſa: dicitur enim Ioan. 3. Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum Filio ſcilicet Christo. Ergo gratia Christi eſt infinita.

3. d. 13. q. 1. a. 2. q. 2. & d. 14. q. 1. a. 1. & 2. & ver. q. 29. a. 3. & opuſ. 3. c. 211. & opuſ. 60. cap. 1. col. 9. & Io. 3. lec. 6. col. 2. & 3.

¶ 2 Præterea, Effectus infinitus demonſtrat virtutem infinitam, quæ non poteſt fundari, niſi in eſſentia infinita. Sed effectus gratiæ Christi eſt infinitus: extendit enim ſe ad ſalutem totius humani generis: ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi: vt dicitur prima Ioan. 2. Ergo gratia Christi eſt infinita.

¶ 3 Præterea, Omne finitum, per additionem finiti poteſt peruenire ad quantitatem cuiuſcunque finiti. Si igitur gratia Christi eſſet finita, poſſet alterius hominis gratia tantum creſcere, quod perueniret ad æqualitatem gratiæ Christi, contra quod dicitur Iob. 28. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum: ſecundum quod Gregorius * ibi exponit. Ergo gratia Christi eſt infinita.

Lib. 18. Moral. 31.

Sed contra est, quod gratia est quiddam creatum in anima: Sed omne creatum est finitum, secundum illud Sapient. 11. Omnia in numero & pondere & mensura disposuisti. Ergo gratia Christi non est infinita.

CONCLVSIO.

Gratia unionis in Christo fuit infinita, gratia verò habitualis, ut ens quoddam fuit in anima eius, finitum quoddam fuit: ut gratia autem in Christo sine mensura fuit, infinita rectè dicitur.

q. 2. a. 10. q. 6. art. 6.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex supra dictis patet, * in Christo potest duplex gratia considerari. Vna quidem est gratia unionis, quæ sicut supra dictum est, † est ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humanæ naturæ. & hanc gratiam constat esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. Alia verò est gratia habitualis, quæ quidem potest dupliciter considerari. Vno modo, secundum quod est quoddam ens. Et sic necesse est quod sit ens finitum: est enim in anima Christi sicut in subiecto. Anima autem Christi est creatura quædam habens capacitatem finitam, unde esse gratiæ cùm non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiæ. Et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur: quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundum aliquam certam mensuram, id quod ad rationem gratiæ pertinet: eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura: secundum illud Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto Filio suo. Sicut si dicamus, lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest.

AD primum ergo dicendum, quod id quod dicitur, Pater non ad mensuram dat Spiritum Filio, vno modo exponitur de dono quod Deus Pater ab æterno dedit Filio, scilicet diuinam naturam, quæ est donum infinitum. Vnde quædam glos. * dicit ibidem, Vt tantus sit Filius, quantus & Pater. Alio modo potest referri ad donum quod datum est humanæ naturæ, vt vniatur diuinæ personæ: quod etiam est donum infinitum. Vnde glos. † dicit ibidem, Sicut Pater plenum & perfectum genuit Verbum, sic & plenum & perfectum est vnitum humanæ naturæ. Tertio modo potest referri ad gratiam habitualem, inquantum gratia Christi se extendit ad omnia quæ sunt gratiæ. Vnde August. * hoc exponens dicit, mensura diuisio quædam donorum est: alij enim datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ: sed Christus qui dat, non ad mensuram accepit.

* G. interlinearis super illud, Omnia dedit in manu eius.
† Glo. ord. ibid.
* Tract. 14. in Ioan. ante med. 9. tom.

AD secundum dicendum, quòd gratia Christi habet infinitum effectum: tum propter infinitatem prædictam gratiæ, tum propter vnitatem diuinæ personæ, cui anima Christi vnita est.

AD tertium dicendum, quod minus per augmentum potest peruenire ad quantitatem maioris, in his quæ habent quantitatem vnius rationis: sed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Christi, sicut quædam virtus particularis ad vniuersalem. Vnde sicut virtus ignis, quantumcunque crescat, non potest adæquare virtutem solis, ita gratia alterius hominis, quantumcunque crescat, non potest adæquare gratiam Christi.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm gratia Christi potuerit augeri.

54 AD DVODECIMVM sic proceditur. Videtur quòd gratia Christi potuerit augeri. Omni. n. finito potest fieri additio. Sed gratia Christi fuit finita: vt dictum est. * Ergo potuit augeri.

¶ 2 Præterea, Augmentum gratiæ fit per virtutem diuinam: secundum illud 2. ad Corinth. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: Sed virtus diuina, cum sit infinita, nullo termino coarctatur. Ergo videtur, quod gratia Christi potuerit esse maior.

¶ 3 Præterea, Luc. 2. dicitur, quod puer Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Ergo gratia Christi potuit augeri.

1. dist. 13. q. 5. a. 1. q. 4. Ver. 29. q. 2. art. 4. ad 3. & 1. d. 13. q. 1. art. 1. q. 3. & dist. 18. a. 3. cap. & Isa. 11. l. 3. princ.
* art. præc.

SED contra est, quod dicitur Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Sed nihil potest esse aut intelligi maius, quàm quod aliquis sit vnigenitus à Patre. Ergo etiam non potest esse vel intelligi maior gratia, quàm illa, qua Christus fuit plenus.

CONCLVSIO.

Cùm Christo fuerit omnis gratiæ plenitudo, & fuerit simul comprehensor ac viator, impossibile fuit aliquo modo in eo gratiam augeri.

RESPONDEO dicendum, quòd aliquam formam non posse augeri, contingit dupliciter. Vno modo ex parte ipsius subiecti: alio modo ex parte ipsius formæ. Ex parte quidem subiecti, quando subiectum attingit ad vltimum gradum in participatione illius formæ secundum suum modum. sicut si dicatur, quod aër non potest crescere in caliditate, quando pertingit ad vltimum gradum caloris qui potest saluari in natura aëris, licèt possit esse maior calor in rerum natura, qui est calor ignis. Ex parte autẽ formæ excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad vltimam perfectionem quam potest talis forma habere in natura: sicut si dicamus, quod calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris, quam ille ad quem pertingit ignis. Sicut autem aliarum formarum est ex diuina sapientia determinata propria mensura, ita & gratiæ, secundum illud Sap. 11. Omnia in numero, & pondere, & mensura disposuisti. Mensura autem vniuscuiusque formæ præfigitur per cõparationem ad suum finem: sicut non est maior grauitas, quam grauitas terræ, quia non potest esse inferior locus loco terræ. Finis autem gratiæ est vnio creaturæ rationalis ad Deum: non potest autem esse nec intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quàm quæ est in persona. & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ: Sed nec etiam ex parte subiecti: quia Christus, secundum quod homo, à primo instanti suæ conceptionis fuit verus & plenus comprehensor. Vnde in eo non potuit esse gratiæ augmentum, sicut nec in aliis Beatis, quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino. Hominum verò qui sunt puri viatores, gratia potest augeri, & ex parte formæ, quia non attingunt summum gratiæ gradum: & ex parte subiecti, quia nondum peruenerunt ad terminum.

AD primum ergo dicendum, quòd si loquamur de quantitatibus mathematicis, cuilibet finitæ quantitati potest fieri additio: quia ex parte quantitatis finitæ, non est aliquid quod repugnet additioni. Si verò loquamur de quantitate naturali, sic potest esse repugnantia ex parte formæ cui debetur determinata quantitas, sicut & alia accidentia determinata. Vnde Philosophus * dicit in secundo de anima, quod omnium natura constantium est terminus & ratio magnitudinis & augmenti. Et inde est, quod quantitati totius cœli non potest fieri additio. Multo igitur magis in ipsis formis consideratur aliquis terminus, vltra quem non progrediuntur. Et propter hoc non oportet, quod gratiæ Christi possit fieri additio, quamuis sit finita secundum sui essentiam.

Lib. 2. de anima, text. 41. tom. 2.

AD secundum dicendum, quòd virtus diuina licèt possit facere aliquid maius & melius, quam sit habitualis gratia Christi, non tamen posset facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, quam sit vnio personalis ad Filium vnigenitum à Patre. Cui vnioni sufficienter correspondet talis mensura gratiæ, secundum diffinitionem diuinæ sapientiæ.

AD tertium dicendum, quod in sapientia & gratia aliquis potest proficere dupliciter. Vno modo secundum ipsos habitus sapientiæ & gratiæ augmentatos. & sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus: inquantum scilicet aliquis sapientiora & virtuosiora opera facit. Et sic Christus proficiebat sapientia & gratia, sicut & ætate: quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat: vt se verum hominem demonstraret, & in his, quæ sunt ad Deum, & in his quæ sunt ad homines.

ARTICVLVS XIII.

Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad vnionem.

55 AD DECIMVMTERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd gratia habitualis in Christo non subsequatur vnionem. Idem enim non sequitur ad seipsum.

Sed hæc gratia habitualis videtur eadem esse cum gratia vnionis: dicit enim Aug. in lib. de prædestin. sanctorum, Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Quorum duorum primum pertinet ad gratiam habitualem, secundum ad gratiam vnionis. Ergo videtur, quòd gratia habitualis non subsequatur vnionem.

3. d. 13. q. 3. a. 2. q. 3. & op. 3. c. 201. & op. 6. c. 3. ic. 1. Ca. 15. ante med. o. 7.

¶ 2 Præterea, Dispositio præcedit perfectionem tempore, vel saltem intellectu. Sed gratia habitualis videtur esse sicut quædam dispositio humanæ naturæ ad vnionem personalem. Ergo videtur, quod gratia habitualis non subsequatur vnionem, sed magis præcedat.

¶ 3 Præterea, [illegible] est prius proprio. Sed gratia habitualis est communis Christo, & aliis hominibus: gratia autem vnionis est propria Christo. Ergo prior est secundum intellectum, gratia habitualis, quam ipsa vnio. Non ergo sequitur eam.

SED contra est quod dicitur Isa. 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum: & postea sequitur, Dedi spiritum meum super eum, quod quidem pertinet ad donum gratiæ habitualis. Vnde relinquitur, quòd susceptio naturæ humanæ in vnitatem personæ, præcedat gratiam habitualem in Christo.

CONCLVSIO.

Quemadmodum missio Filii natura prior est missione Spiritus sancti, ita gratia vnionis secundum quam intelligitur missio Filij, non quidem tempore sed natura, habitualem Christi gratiam præcedit, secundum quam intelligitur missio Spiritus sancti.

RESPONDEO dicendum, quod vnio humanæ naturæ ad diuinam personam (quam supra * diximus esse ipsam gratiam vnionis) præcedit gratiam habitualem in Christo: non ordine temporis, sed naturæ & intellectus.

q. 2. a. 10. & q. 6. art. 6.

Et hoc triplici ratione: primo quidem secundum ordinem principiorum vtriusque. Principium enim vnionis est persona Filij, assumens humanam naturam, quæ secundum hoc dicitur missa esse in mundum, quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratiæ habitualis quæ cum charitate datur, est Spiritus sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti, quod per charitatem mentem inhabitat. Missio autem Filij secundum ordinem naturæ, prior est missione Spiritus sancti, sicut ordine naturæ Spiritus sanctus procedit à Filio, & à sapientia, dilectio. Vnde & vnio personalis secundum quam intelligitur missio Filij, est prior ordine naturæ, habituali gratia, secundum quam intelligitur missio Spiritus sancti. Secundo accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratiæ ad suam causam. Gratia enim causatur in homine ex præsentia diuinitatis, sicut lumen in aëre ex præsentia solis, vnde dicitur Ezech. 43. Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem, & terra splendebat à maiestate eius. Præsentia autem Dei in Christo intelligitur secundum vnionem humanæ naturæ ad diuinam personam: vnde gratia habitualis Christi intelligitur, vt consequens hanc vnionem, sicut splendor solem.

Tertio, ratio huius ordinis sumi potest ex fine gratiæ: ordinatur enim ad bene agendum. Actiones autem sunt suppositorum & indiuiduorum. Vnde actio, & per consequens gratia ad ipsam ordinata, præsupponit hypostasim operantem. Hypostasis

stasis autem non præsupponitur in humana natura ante vnionem: vt ex supradictis patet. * Et ideo gratia vnionis secundum intellectum præcedit gratiam habitualem.

q. 4. art. 2. An primum ergo dicendum, quod August. † ibi gratiam nominat gratuitam Dei voluntatem, gratis beneficia largientem. Et propter hoc eadem gratia dicit hominem quemcumque fieri Christianum, qua gratia factus est homo Christus: quia vtrumque gratuita Dei voluntate absque meritis factum est.

Lib. de præd. sanct. c. 15. An secundum dicendum, quòd sicut dispositio in via generationis præcedit perfectionem, ad quam disponit in his quæ successiue perficiuntur: ita naturaliter perfectionem sequitur, quam aliquis iam consequutus est: sicut calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam præexistentis. Humana autem natura in Christo vnita est personæ Verbi à principio, absque successione. Vnde gratia habitualis non intelligitur vt præcedens vnionem, sed vt consequens eam, sicut quædam proprietas naturalis. Vnde & Aug.

Enchi. cap. 40. tom. 3. dicit in Ench. quòd gratia est quodammodo Christo homini naturalis.

An tertium dicendum, quòd commune est prius proprio, si vtrumque sit vnius generis. Sed in his quæ sunt diuersorum generum, nihil prohibet proprium esse prius communi. Gratia autem vnionis non est in genere gratiæ habitualis: sed est supra omne genus, sicut & ipsa diuina persona.

Vnde hoc proprium nihil prohibet esse prius communi: quia non se habet per additionem ad commune, sed potius est principium & origo eius quod est commune.

QVÆSTIO VIII.

De Gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ, in octo articulos diuisa.

56.
Inf. q. 48. a. 1. c. & q. 49. a. 1. c. & 3. d. 13. q. 2. art. 1. & art. 2. ... D Einde considerandum est de gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.
¶ Primo, vtrum Christus sit caput Ecclesiæ.
¶ Secundo, vtrum sit caput hominum quantum ad corpora: vel solum quantum ad animas.
¶ Tertio, vtrùm sit caput omnium hominum.
¶ Quarto, vtrum sit caput Angelorum.
¶ Quinto, vtrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis.
¶ Sexto, vtrùm esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo.
¶ Septimò, vtrùm diabolus sit caput omnium malorum.
¶ Octauo, vtrùm Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus sit caput Ecclesiæ.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd Christo secundum quod est homo, non competat esse caput Ecclesiæ. Caput enim influit sensum, & motum in membra. Sensus autem & motus spiritualis, qui est per gratiam, non influitur

Li. 15. de Trinit. c. 26. tom. 3. nobis à Christo homine: quia sicut Aug. dicit in lib. de Trin. nec etiam Christus, secundum quod homo dat Spiritum sanctum, sed solum inquantum est Deus. Ergo ei, secundum quod est homo non competit esse caput Ecclesiæ.

¶ 2 Præterea, Capitis non videtur esse aliud caput. Sed Christi, secundum quod est homo, est caput Deus, secundum illud primæ ad Corinth. 11. Caput Christi Deus. Ergo ipse Christus non est caput.

¶ 3 Præterea, Caput in homine est quoddam particulare membrum, influentiam recipiens à corde: Sed Christus est vniuersale principium totius Ecclesiæ. Ergo non est Ecclesiæ caput.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.

CONCLVSIO.

Vt Ecclesia per similitudinem corpus, ita Christus huius corporis caput rectè dicitur, tum propter gratiæ quam habuit sublimitatem, ac perfectam plenitudinem, tum etiam propter influendi virtutem.

Respondeo dicendum, quod sicut tota Ecclesia dicitur vnum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diuersa membra habet diuersos actus (vt Apost. docet Rom. 12. & prima ad Cor. 12.) ita Christus dicitur caput Ecclesiæ, secundum similitudinem humani capitis. In quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, & perfectionem & virtutem. Ordinem quidem, quia caput est prima pars hominis, incipiendo à superiori. Et inde est, quod omne principium consueuit vocari caput: secundum illud Ezech. 16. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. Perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus & interiores, & exteriores, cum in cæteris membris sit solus tactus. Et inde est, quod dicitur Isa. 9. Senex & honorabilis ipse est caput. Virtutem verò, quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus est à capite, propter vim sensitiuam & motiuam ibi dominantem. Vnde rector dicitur caput populi, secundum illud 1 Reg. 15. Nonne cum paruulus esses, in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim, secundum propinquitatem ad Deum, gratia eius altior est & prior, & si non tempore, quia omnes alij acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius secundum illud Rom. 8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundo verò perfectionem habet quantum

R.P. Philippi Caro discal. Disp. Theolog. in 4.

ad plenitudinem omnium gratiarum: secundum illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis: vt etiam supra ostensum est. * Tertio, virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et sic patet, quod Christus conuenienter dicitur Ecclesiæ caput. q. 7. art. 9.

A D primum ergo dicendum, quod dare gratiam, aut Spiritum sanctum conuenit Christo secundum quod Deus auctoritatiue: sed instrumentaliter conuenit etiam ei, secundum quod homo, inquantum scilicet eius humanitas instrumentum fuit diuinitatis eius. Et ita actiones ipsius ex virtute diuinitatis fuerunt nobis salutiferæ vt pote gratiam in nobis causantes & per meritum, & per efficientiam quandam. August. autem negat Christum, secundum quod homo est, dare Spiritum sanctum per auctoritatem. instrumentaliter autem, siue ministerialiter etiam alij sancti dicuntur dare Spiritum sanctum. secundum illud Gal. 3. Qui tribuit vobis Spiritum, &c. (q. 13. art. 2.)

Ad secundum dicendum, quod in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas. Capitis igitur naturalis non est caput aliud, quia corpus humanum non est pars alterius corporis: Sed corpus similitudinarie dictum, id est, aliqua multitudo ordinata est pars alterius multitudinis sicut multitudo domestica est pars multitudinis ciuilis: & ideo paterfamilias, qui est caput multitudinis domesticæ, habet supra se caput, rectorem ciuitatis. Et per hunc modum nihil prohibet, caput Christi esse Deum, cùm tamen ipse Christus sit caput Ecclesiæ.

Ad tertium dicendum, quod caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus sanctus, qui inuisibiliter Ecclesiam viuificat & vnit. capiti autem comparatur ipse Christus, secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfertur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus sit caput hominum, quantum ad corpora, vel solùm quantum ad animas.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd Christus non sit caput hominum, quoad corpora. Christus enim dicitur caput Ecclesiæ, inquantum influit spiritualem sensum & motum gratiæ in Ecclesiam; Sed huius spiritualis sensus & motus capax non est corpus. Ergo Christus non est caput hominum secundum corpora. 57. 3. d. 13. q. 2. art. 2. & q. 3. & ver. q. 29. a. 4. ad 1. & op. 62. c. 3. col. 7

¶ 2 Præterea, secundùm corpora communicamus cum brutis. Si ergo Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur, quod etiam esset caput brutorum animalium, quod est inconueniens.

¶ 3 Præterea, Christus corpus suum ab aliis hominibus traxit, vt patet Matth. 1. & Luc. 3. Sed caput est primum inter cætera membra, vt dictum est * : ergo Christus non est caput Ecclesiæ quantum ad corpora. ar. præced. in corpore.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

CONCLVSIO.

Tota humanitas Christi in omnes influxit homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus, illud quidem principaliter, hoc verò secundariò.

Respondeo dicendum, quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria forma eius & motor. Et inquantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam & cæteras proprietates conuenientes humano corpori secundum suam speciem: inquantum verò anima est motor corporis, corpus instrumentaliter seruit animæ. Sic ergo dicendum est, quod habet vim influendi humanitas Christi, inquantum est coniuncta Dei verbo, cui corpus vnitur per animam, vt supra dictum est *. Vnde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam & corpus influit in homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus: sed principaliter quantum ad animam: secundariò quantum ad corpus: Vno modo inquantum membra corporis exhibentur arma iustitiæ in anima existenti per Christum, vt Apost. dicit Rom. 6. Alio modo inquantum vita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus, secundum illud Rom. 8. Qui suscitauit Christum Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. q. 6. art. 1.

A D primum ergo dicendum, quod sensus spiritualis gratiæ non peruenit quidem ad corpus primò & principaliter: sed secundariò & instrumentaliter: vt dictum est *. in corp.

A D secundum dicendum, quod corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem, sicut habet corpus humanum. Et ideo non est simile.

A D tertium dicendum, quod licet Christus traxerit materiam corporis ab aliis hominibus: vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso, secundum illud primæ ad Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus sit caput omnium hominum.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd Christus non sit caput omnium hominum. Caput enim non habet relationem nisi ad membra sui corporis. Infideles autem nullo modo sunt membra Ecclesiæ, quæ est corpus Christi: vt dicitur Ephes. 1. Ergo Christus non est caput omnium hominum. 58. Inf. q. 13 art. 3. ad 3. & q. 19. a. 4. & 1. & 1. & 3. d. 13. q. 2. a. 1. q. 2. & 2.

¶ 2 Præterea, Apostolus dicit ad Ephes. 5. quòd Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt ipse exhiberet sibi gloriosam

rioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: Sed multi ſunt etiam fideles in quib. inuenitur macula, aut ruga peccati. Ergo nec etiam omnium fidelium Chriſtus eſt caput.

¶ 3 Præterea, Sacramenta veteris legis comparantur ad Chriſtum ſicut vmbra ad corpus: vt dicitur Coloſſ. 2. Sed patres veteris Teſtamenti Sacramentis illis ſuo tempore ſeruiebant: ſecundum illud Hebr. 8. Qui exemplari & vmbræ deſeruiunt cæleſtium. Non ergo pertinebant ad corpus Chriſti, & ita Chriſtus non eſt caput omnium hominum.

Sed contra eſt, quod dicitur 1. Timoth. 4. Eſt Saluator omnium hominum, & maximè fidelium. Et 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. Saluare autem homines & propitiationem eſſe pro peccatis eorum, competit Chriſto, ſecundum quod eſt caput. Ergo Chriſtus eſt caput omnium hominum.

CONCLVSIO.

Quanquam non eodem modo, omnium tamen hominum Chriſtus caput eſt.

Respondeo dicendum, quòd hæc eſt differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Eccleſiæ myſticum, quod membra corporis naturalis ſunt omnia ſimul, membra autẽ corporis myſtici non ſunt omnia ſimul, neque quantum ad eſſe naturæ, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi, vſque ad finem ipſius. Neque etiam quantum ad eſſe gratiæ: quia eorum etiam qui ſunt in vno tempore quidam gratia carent poſtmodum habituri, aliis eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis myſtici accipiuntur, non ſolum ſecundum quod ſunt in actu, ſed etiam ſecundum quod ſunt in potentia. Quædam tamen ſunt in potentia, quæ nunquam reducuntur ad actum. Quædam vero ſunt, quæ quandoque reducuntur ad actum. Et hoc ſecundum triplicem gradum, quorum primus eſt per fidem: ſecundus per charitatem viæ: tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo dicendum eſt, quod accipiendo generaliter ſecundum totum tempus mundi, Chriſtus eſt caput omnium hominum: ſed ſecundum diuerſos gradus. Primo enim & principaliter eſt caput eorum qui actu vniuntur ſibi per gloriam. Secundo, eorum qui actu vniuntur ſibi per charitatem: tertio eorum qui actu vniuntur ſibi per fidem: quarto verò eorum, qui ſibi vniuntur ſolum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen eſt ad actum reducenda ſecundum diuinam prædeſtinationem: quinto vero eorum, qui in potentia ſunt ſibi vniti, quæ nunquam reducetur ad actum: ſicut homines in hoc mundo viuentes, qui non ſunt prædeſtinati, qui tamen ex hoc ſeculo recedentes totaliter deſinunt eſſe membra Chriſti: quia iam nec ſunt in potentia, vt Chriſto vniantur.

Ad primum ergo dicendum, quòd illi qui ſunt infideles, etſi actu non ſint de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia. Quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primo quidem & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis, ſecundario in arbitrij libertate.

Ad ſecundum dicendum, quòd eſſe Eccleſiam glorioſam non habentem maculam neque rugam, eſt vltimus finis, ad quem perducimur per paſſionem Chriſti. Vnde hoc erit in ſtatu patriæ, non autem in ſtatu viæ: in quo ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, vt dicitur prima Ioannis primo. Sunt tamen quædam, ſcilicet mortalia: quibus carent illi qui ſunt membra Chriſti per actualem vnionem charitatis. Qui vero his ſubduntur peccatis, non ſunt membra Chriſti actualiter, ſed potentialiter, niſi forte imperfecte, per fidem informem, quæ vnit Chriſto ſecundum quid, & non ſimpliciter, vt ſcilicet per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ. Fides enim ſine operibus mortua eſt, vt dicitur Iacob. 2. Percipiunt tamen tales à Chriſto quendam actum vitæ, qui eſt credere: ſicut ſi membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine.

Ad tertium dicendum, quòd ſancti Patres non inſiſtebant Sacramentis legalibus tanquam quibuſdam rebus, ſed ſicut imaginibus & vmbris futurorum. Idem autem eſt motus in imaginem, inquantum eſt imago, & in rem, vt patet per Philoſophum in lib. de Memo. & remi.[*] Et ideo antiqui Patres ſeruando legalia Sacramenta, ferebantur in Chriſtum per fidem & dilectionem eandem, qua & nos in ipſum ferimur. Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Eccleſiæ ad quod nos pertinemus.

cap. 2. in medio tom. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Chriſtus ſit caput Angelorum.

59 AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus, ſecundum quod homo, non ſit caput Angelorum. Caput enim & membra ſunt vnius naturæ: ſed Chriſtus, ſecundum quod eſt homo, non eſt conformis in natura cum Angelis, ſed ſolum cum hominibus: quia vt dicitur Heb. 2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Ergo Chriſtus, ſecundum quòd homo, non eſt caput Angelorum.

¶ 2 Præterea, illorum Chriſtus eſt caput, qui pertinent ad Eccleſiam, quæ eſt corpus eius, vt dicitur Epheſ. 1. Sed Angeli non pertinent ad Eccleſiam: nam Eccleſia eſt congregatio fidelium. fides autem non eſt in Angelis, non enim ambulant per fidem, ſed per ſpeciem: alioquin peregrinarentur à Domino: ſecundum quod Apoſt. argumentatur 2. ad Corinth. 5. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, non eſt caput Angelorum.

¶ 3 Præterea, Aug. dicit ſuper Ioan.[*] quòd ſicut Verbum, quod erat in principio apud Patrem viuificat animas: ita Verbum caro factum viuificat corpora, quibus Angeli carent. Sed Verbum caro factum eſt Chriſtus, ſecundum quod homo. Ergo Chriſtus ſecundum quòd homo, non influit etiam Angelis. Et ita ſecundum quod homo, non eſt caput Angelorum.

Sed contra eſt quod Apoſt. dicit Colo. 2. Qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Et eadem ratio eſt de Angelis aliorum ordinum. Eſt ergo Chriſtus caput Angelorum.

CONCLVSIO.

Cùm homines & Angeli ad gloriæ diuinæ fruitionem ordinentur, ſicut hominum, ita & Angelorum caput, Chriſtus rectè appellatur.

Respondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt, † vbi eſt vnum corpus, neceſſe eſt ponere vnum caput. Vnum autem corpus ſimilitudinariè dicitur vna multitudo ordinata in vnum, ſecundum diſtinctos actus ſiue officia. Manifeſtum eſt autem, quod ad vnum finem, qui eſt gloria diuinæ fruitionis, ordinantur & homines & Angeli. Vnde corpus Eccleſiæ myſticum, non ſolum conſiſtit ex hominibus, ſed etiam ex Angelis. Totius autem huius multitudinis Chriſtus eſt caput: quia propinquius ſe habet ad Deum, & perfectius participat dona ipſius; non ſolum quàm homines, ſed etiam quàm Angeli. & de eius influentia non ſolum homines recipiunt, ſed etiam Angeli. Dicitur enim Epheſ. 1. quod conſtituit eum, ſcilicet Chriſtum Deus pater ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem poteſtatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Et ideo Chriſtus non ſolum eſt caput hominum, ſed etiam Angelorum: vnde & Matth. 4. legitur, quod acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

Art. 1. ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd influentia Chriſti ſuper homines, principaliter quidem eſt quantum ad animas, ſecundum quas homines conueniunt cum Angelis in natura generis, licet non in natura ſpeciei. Et ratione huius conformitatis Chriſtus poteſt dici caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.

Ad ſecundum dicendum, quòd Eccleſia ſecundum ſtatum viæ eſt congregatio fidelium: ſed ſecundum ſtatum patriæ eſt congregatio comprehendentium. Chriſtus autem non ſolum fuit viator, ſed comprehenſor. Et ideo non ſolum fidelium, ſed etiam comprehendentium eſt caput: vt pote pleniſſimè habens gratiam & gloriam.

Ad tertium dicendum, quòd Aug.[*] ibi loquitur ſecundum quandam aſſimilationem cauſæ ad effectum: prout ſcilicet res corporalis agit in corpus, & res ſpirituales in res ſpirituales. Tamen humanitas Chriſti ex virtute ſpiritualis naturæ, ſcilicet diuinæ, poteſt aliquid cauſare, non ſolum in ſpiritibus hominum, ſed etiam in ſpiritibus Angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, ſcilicet ſecundum vnionem perſonalem.

tom. 9. circa med. ... marg.

ARTICVLVS V.

Vtrùm gratia Chriſti, ſecundum quam eſt caput Eccleſiæ ſit eadem cum gratia habituali eius, ſecundum quod eſt quidam homo ſingularis.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd non ſit eadem gratia, qua Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, cum gratia ſingulari illius hominis. Dicit enim Apoſt. Rom. 5. Si vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Sed aliud eſt peccatum actuale ipſius Adæ, & aliud peccatum originale, quod traduxit in poſteros. Ergo alia eſt gratia perſonalis quæ eſt propria ipſius Chriſti, & alia eſt gratia eius, inquantum eſt caput Eccleſiæ, quæ ab ipſo ad alios deriuatur. 60

¶ 2 Præterea, Habitus diſtinguuntur ſecundum actus. Sed ad alium actum ordinatur in Chriſto gratia eius perſonalis, ſcilicet ad ſanctificationem illius animæ, & ad alium actum ordinatur gratia capitis, ſcilicet ad ſanctificandum alios. Ergo alia eſt gratia perſonalis ipſius Chriſti, & alia eſt gratia eius, inquantum eſt caput Eccleſiæ.

¶ 3 Præterea, Sicut ſuper dictum eſt, † in Chriſto diſtinguitur triplex gratia, ſcilicet gratia vnionis, gratia capitis, & gratia ſingularis illius hominis, ſed gratia ſingularis Chriſti eſt alia à gratia vnionis. Ergo etiam eſt alia à gratia capitis.

q. 6. ar. 6.

Sed contra eſt, quod dicitur Ioan. primo, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Secundum hoc autem eſt caput noſtrum, quod ab eo accepimus. Ergo ſecundum hoc quod habet plenitudinem gratiæ eſt caput noſtrum, plenitudinem autem gratiæ habuit, ſecundum quod perfectè fuit in illo gratia perſonalis, vt ſupra dictum eſt.[*] Ergo ſecundum gratiam perſonalem eſt caput noſtrum, & ita non eſt alia gratia capitis, & alia gratia perſonalis.

q. 7. art. 9.

CONCLVSIO

Eadem ſecundum eſſentiam eſt gratia Chriſti perſonalis qua anima eius iuſtificata eſt, cum illa ſecundum quam ipſius Eccleſiæ caput eſt alios iuſtificans, quanquam ſecundum rationem diuerſa.

Respondeo dicendum, quòd quia vnumquodque agit, inquantum eſt ens actu, oportet quod idem ſit actus, quo aliquid eſt actu, & quo agit, ſicut idem eſt calor, quo ignis eſt calidus, & quo calefacit. Non tamen omnis actus, quo aliquid eſt actu, ſufficit ad hoc, quod ſit principium agendi in alia: cùm enim agens ſit præſtantius patiente (vt Aug. dicit 12. ſuper Geneſ. ad literam.[*] & Philoſophus in 3. de anima[*]) oportet quòd agens in alia, habeat actum ſecundum eminentiam quandam. Dictum eſt autem ſupra,[*] quod in anima Chriſti recepta eſt gratia ſecundum maximam eminentiam. Et ideo ex eminentia gratiæ, quam accepit, competit ſibi, quòd gratia illa ad alios deriuetur, quod pertinet ad rationem capitis: & ideo eadem eſt ſecundum eſſentiam gratia perſonalis qua anima Chriſti eſt iuſtificata, & gratia eius ſecundum quam eſt caput Eccleſiæ iuſtificans alios: differt tamen ſecundum rationem.

Aug. l. 12. c. 16. circ. med. t. 3. † Ari. de anima l. 3. tex. 19. * art. 9. huius q. & q. 7. art. 9.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum originale in Ada,

Adæ, quod eſt peccatũ naturæ, deriuatum eſt à peccato actuali ipſius, quod eſt peccatum perſonale: quia in eo perſona corrumpit naturam: qua corruptione mediante, peccatum primi hominis deriuatur ad poſteros, ſecundum quod natura corrupta corrumpit perſonam. Sed gratia non deriuatur à Chriſto in nos, mediante natura humana, ſed per ſolam perſonalem actionem ipſius Chriſti. Vnde non oportet in Chriſto diſtinguere duplicem gratiam, quarum vna reſpondeat naturæ, alia perſonæ, ſicut in Adam diſtinguitur peccatum naturæ, & perſonæ.

Ad ſecundum dicendum, quod diuerſi actus, quorum vnus eſt ratio, & cauſa alterius, non diuerſificant habitum: actus autem perſonalis gratiæ, qui eſt ſanctum facere formaliter habentem, eſt ratio iuſtificationis aliorum, quæ pertinet ad gratiam capitis. Et inde eſt, quod per huiuſmodi differentiam non diuerſificatur eſſentia habitus.

Ad tertium dicendum, quod gratia perſonalis & gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem vnionis non ordinatur ad actum, ſed ad eſſe perſonale. Et ideo gratia perſonalis, & gratia capitis conueniunt in eſſentia habitus, non autem gratia vnionis. Quamuis perſonalis gratia poſſit quodammodo dici gratia vnionis: prout facit congruitatem quandam ad vnionem. Et ſecundum hoc vna per eſſentiam eſt gratia vnionis, & gratia capitis, & gratia ſingularis perſonæ, ſed differens ſola ratione.

ARTICVLVS VI.

Vtrúm eſſe caput Eccleſiæ ſit proprium Chriſti.

61 AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quod eſſe caput Eccleſiæ non ſit proprium Chriſto. Dicitur enim 1. Reg. 15. Cum eſſes paruulus in oculis tuis caput in tribubus Iſrael factus es. Sed vna eſt Eccleſia in nouo & veteri Teſtamento. Ergo videtur, quod eadem ratione aliquis alius homo præter Chriſtum poterit eſſe caput Eccleſiæ.

¶ 2 Præterea, Ex hoc Chriſtus dicitur eſſe caput Eccleſiæ, quod gratiam influit Eccleſiæ membris. Sed etiam ad alios pertinet gratiam aliis præbere, ſecundum illud Eph. 4. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei vt det gratiam audientibus. Ergo videtur, quod etiam alij quam Chriſto competat eſſe Eccleſiæ caput.

¶ 3 Præterea: Chriſtus ex eo quod præeſt Eccleſiæ, non ſolum dicitur caput, ſed etiam Paſtor & fundamentum Eccleſiæ. Sed non ſibi ſolum Chriſtus retinuit nomen Paſtoris, ſecundum illud 1. Petri 5. Cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam. Nec etiam nomen fundamenti: ſecundum illud Apoc. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim. ergo videtur, quod nec etiam nomen capitis ſibi ſoli retinuerit.

Sed contra eſt, quod dicitur Coloſſ. 2. Caput Eccleſiæ eſt, ex quo corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Sed hoc ſoli Chriſto conuenit. ergo ſolus Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.

CONCLVSIO.

Eſſe caput Eccleſiæ ſecundùm interiorem influxum, proprium eſt Chriſti: ſecundùm gubernationem verò exteriorem, commune eſt Chriſto cum aliis eſſe caput Eccleſiæ.

RESPONDEO dicendum, quod caput in alia membra influit dupliciter. Vno modo, quodam intrinſeco influxu, prout ſcilicet virtus motiua & ſenſitiua, à capite deriuatur ad cætera membra. Alio modo ſecundum quandam exteriorem gubernationem, prout ſcilicet, ſecundum viſum & alios ſenſus qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiæ, non eſt ab aliquo, niſi à ſolo Chriſto: cuius humanitas ex hoc, quod eſt diuinitati adiuncta, habet virtutem iuſtificandi. Sed influxus in membra Eccleſiæ, quantum ad exteriorem gubernationem, poteſt aliis conuenire. Et ſecundum hoc aliqui alij poſſunt dici capita Eccleſiæ: ſecundum illud Amos 6. Optimates capita populorum, differenter tamen a Chriſto. primo quidem quantum ad hoc, quod Chriſtus eſt caput omnium eorum qui ad Eccleſiam pertinent, ſecundum omnem locum, & tempus, & ſtatum. alij autem homines dicuntur capita ſecundum quædam ſpecialia loca, ſicut Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum. vel etiam ſecundum determinatum tempus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſiæ, ſcilicet tempore ſui pontificatus: & ſecundum determinatum ſtatum, prout ſcilicet ſunt in ſtatu viatoris. Alio modo, quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ propria virtute, & authoritate. Alij vero dicuntur capita, inquantum vicem gerunt Chriſti: ſecundum illud 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti: & ſecundum illud ſecundæ ad Corinth. 5. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud intelligitur, ſecundum quod ratio capitis conſideratur ex exteriori gubernatione: prout dicitur Rex caput regni ſui.

Ad ſecundum dicendum, quod homo non dat gratiam interius influendo, ſed exterius perſuadendo ad ea quæ ſunt gratiæ.

Ad tertium dicendum, quòd ſicut Aug.* dicit ſuper Ioan. Si præpoſiti Eccleſiæ paſtores ſunt, quomodo vnus paſtor eſt, niſi quia ſunt illi omnes vnius membra paſtoris? Et ſimiliter alij poſſunt dici fundamenta & capita, inquantum ſunt vnius capitis & fundamenti membra. Et tamen ſicut Auguſt. ibidem dicit. † Paſtorem eſſe dedit membris ſuis, oſtium vero nemo noſtrum ſe dicit: hoc ſibi ipſe proprium tenuit. Et hoc ideo, quia in oſtio importatur principalis auctoritas, inquantum oſtium eſt, per quod omnes ingrediuntur in domum. & ipſe ſolus Chriſtus eſt per quem acceſſum habemus in gratiam iſtam, in qua ſtamus. Per alia vero nomina prædicta poteſt importari auctoritas, non ſolùm principalis, ſed etiam ſecundaria.

ARTICVLVS VII.

Vtrúm diabolus ſit caput omnium malorum. 62

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quod diabolus non ſit caput malorum. Ad rationem enim capitis pertinet, quod influat ſenſum & motum in membra: vt dicit quædam gloſ. ſuper illud ad Epheſ. 1, Ipſum dedit caput, &c. Sed diabolus non habet virtutem influendi malitiam peccati quod ex voluntate peccantis procedit. Ergo diabolus non poteſt dici caput malorum.

¶ 2 Præterea, Per quodlibet peccatum fit homo malus. Sed non omnia peccata ſunt a diabolo. Quod quidem manifeſtum eſt de peccatis dæmonum, qui non ex perſuaſione alterius peccauerunt. Similiter etiam nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit. dicitur enim in l. de Eccleſiaſticis dogmatibus:* Non omnes cogitationes noſtræ malæ, ſemper diaboli inſtinctu excitantur: ſed aliquoties ex motu arbitrij noſtri emergunt. Ergo diabolus non eſt caput omnium malorum.

¶ 3 Præterea, Vnum caput vni corpori præficitur. Sed tota multitudo malorum non videtur habere aliquid in quo vniatur: quia malum malo contingit eſſe contrarium. Contingit etiam ex diuerſis defectibus, vt Dionyſ. dicit 4. cap. de diuinis nominibus. Non ergo diabolus poteſt dici caput omnium malorum.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Iob 18. Memoria illius pereat de terra, dicit glo. † De vnoquoque iniquo dicitur, vt ad caput, id eſt diabolum reuertatur.

CONCLVSIO.

Diabolus caput eſt omnium malorum, quantum ad exteriorem gubernationem.

RESPONDEO dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt,* caput non ſolum interius influit membris, ſed etiam exterius gubernat, eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Sic ergo poteſt dici aliquis caput alicuius multitudinis, vel ſecundum vtrumque, ſcilicet ſecundum interiorem influxum & exteriorem gubernationem: & ſic eſt Chriſtus caput Eccleſiæ vt dictum eſt.* Vel ſecundum exteriorem gubernationem & ſic quilibet princeps, vel prælatus, eſt caput multitudinis ſibi ſubiectæ. Et per hunc modum dicitur diabolus caput omnium malorum vt dicitur Iob 41. Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Pertinet autem ad gubernatorem, vt eos quos gubernat, ad ſuum finem adducat: finis autem diaboli eſt auerſio rationalis creaturæ à Deo: vnde & à principio hominem ab obedientia diuini præcepti remouere tentauit. Ipſa autem auerſio a Deo habet rationem finis, inquantum appetitur ſub ſpecie libertatis: ſecundum illud Hier. 2. A ſæculo confregiſti iugum, rupiſti vincula, & dixiſti, non ſeruiam. Inquantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, qui ſub diaboli regimine & gubernatione cadunt: & ex hoc dicitur eorum caput.

Ad primum ergo dicendum, quod licèt diabolus interius non influat rationali menti: tamen ſuggerendo inducit ad malum.

Ad ſecundum dicendum, quod gubernator non ſemper ſuggerit ſingulis ſubiectis vt ſuæ voluntati obediant, ſed proponit omnibus ſignum ſuæ voluntatis: ad cuius ſequelam aliqui excitantur inducti, alij propria ſponte: Sicut patet in duce exercitus, cuius vexillum ſequuntur etiam milites, nullo perſuadente. Sic igitur primum peccatum diaboli (qui ab initio peccat, vt dicitur 1. Ioan. 3.) propoſitum eſt omnibus ad ſequendum. quod quidam imitantur per ſuggeſtionem ipſius, quidam propria ſponte abſque vlla ſuggeſtione. Et ſecundum hoc omnium malorum caput eſt diabolus, inquantum ipſum imitantur: ſecundum illud Sapien. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.

Ad tertium dicendum, quòd omnia peccata conueniunt in auerſione a Deo, licèt abinuicem differant, ſecundum conuerſionem ad diuerſa commutabilia bona.

ARTICVLVS VIII.

Vtrúm Antichriſtus poſſit etiam dici caput omnium malorum.

63 AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quod Antichriſtus non ſit caput malorum. Vnius enim corporis non ſunt diuerſa capita. Sed diabolus eſt caput multitudinis malorum. Non ergo Antichriſtus eſt eorum caput.

¶ 2 Præterea, Antichriſtus eſt membrum diaboli. Sed caput diſtinguitur à membris. Ergo Antichriſtus non eſt caput malorum.

¶ 3 Præterea, Caput habet influentiam in membra. Sed Antichriſtus nullam habet influentiam in malos qui eum præceſſerunt. Ergo Antichriſtus non eſt caput malorum.

Sed contra eſt, quod Iob 21. ſuper illud, Interrogate quemlibet de viatoribus, dicit glo.* Dum de omnium malorum corpore loqueretur, ſubito ad omnium iniquorum caput Antichriſtum verba conuertit.

CONCLVSIO.

Antichriſtus omnium malorum homo iniquus caput eſt: non quidem ſecundùm ordinem temporis, vel virtutem influendi, ſed ſecundùm malitiæ perfectionem.

RESPONDEO dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt,† in capite tria inueniuntur, ſcilicet ordo, perfectio & virtus influendi. Quantum igitur ad ordinem temporis, non dicitur Antichriſtus eſſe malorum caput, quaſi eius peccatum præceſſerit, ſicut præceſſit peccatum diaboli. Similiter etiam non dicitur eſſe caput malorum propter virtutem influendi: etſi enim aliquos ſui temporis ad malum ſit conuerſurus, ex-

L terius

terius inducendo: non tamen illi qui ante eum fuerunt, ab ipſo ſunt in malitiam inducti, nec etiam eius malitiam ſunt imitati, vnde ſecundum hoc non poſſet dici caput omnium malorum, ſed aliquorum. Relinquitur ergo, quod dicatur caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem. Vnde ſuper illud, ſecunda ad Theſſal. 2. Oſtendens ſe tanquam ſit Deus, dicit gl. * Sicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichriſto omnis malitiæ plenitudo: non quidem ita quod humanitas eius ſit aſſumpta à diabolo in vnitatem perſonæ, ſicut humanitas Chriſti à Filio Dei: ſed quia diabolus ſuam malitiam eminentius ei influet ſuggerendo, quam omnibus aliis. Et ſecundum hoc omnes alij mali qui præceſſerunt, ſunt quaſi quædam figura Antichriſti ſecundum illud: ad Theſſ. 2. Myſterium iam operatur iniquitatis.

Gl. or. ibid.

Ad primum ergo dicendum, quod diabolus & Antichriſtus non ſunt duo capita, ſed vnum, quia Antichriſtus dicitur eſſe caput, inquantum pleniſſimè inuenitur in eo impreſſa malitia diaboli. Vnde ſuper illud ſecunda ad Theſſ. 2. Oſtendens ſe tanquam ſit Deus: dicit gloſ. * In ipſo erit caput omnium malorum, ſcilicet diabolus, qui eſt Rex ſuper omnes Filios ſuperbiæ. Non autem dicitur in eo eſſe per vnionem perſonalem: nec per intrinſecam inhabitationem (quia ſola Trinitas menti illabitur, vt dicitur in lib. de Eccleſ. dogm. †) ſed per malitiæ effectum.

Gl. or. ib.

C. 83. inter opera Auguſt. tom. 3. Art. 1. & 6. huius quæſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut caput Chriſti eſt Deus, & tamen ipſe eſt caput Eccleſiæ (vt ſupra dictum eſt *) ita Antichriſtus eſt membrum diaboli, & tamen eſt caput malorum.

Ad tertium dicendum, quòd Antichriſtus non dicitur caput omnium malorum propter ſimilitudinem influentiæ, ſed propter ſimilitudinem perfectionis. In eo enim diabolus quaſi malitiam ſuam ducet ad caput, per modum, quo dicitur aliquis ad caput ſuum propoſitum ducere, cum illud perfecerit.

DISPVTATIO V.

De gratia Chriſti Domini, vt eſt ſingularis homo, & vt eſt caput Eccleſiæ

GRATIA habitualis Chriſti Domini conſummata: cùm ſimul fuerit comprehenſor & viator, fuit velut quædam proprietas gratiæ vnionis; vnde poſt conſiderationem gratiæ vnionis factæ Chriſto, de eius gratia habituali, ac virtutibus ab ea procedentibus, hîc agendũ eſt. Gratia autem habitualis dicit habitudinem ad Chriſtum; tam vt eſt ſingularis homo, ſanctificans eius humanitatem, & faciens vt aliquid ſibi mereatur; quàm vt eſt caput Eccleſiæ, per hanc enim nobis meretur, & influit in omnia ſua membra.

DVBIVM I.

Vtrùm gratia habitualis Chriſti Domini ſit eiuſdem ſpeciei, cum gratia habituali noſtra.

SVpponendum eſt ex D. Thom. hîc, q. 7. art. 1. in Chriſto Domino fuiſſe gratiam habitualem, vt ſæpe dicitur in Scripturis: maximè in Euangeliis: dicitur enim Ioannis 1. Plenus gratia: Lucæ 2. dicitur quòd proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Tres affert D. Thom. rationes. Prima eſt; quia anima eius propinquior fuit fonti gratiæ, vtpote Deo hypoſtaticè vnita. Secunda; quia in Chriſto debuerunt eſſe operationes intrinſecè ſupernaturales, quod ſine gratia habituali fieri non poteſt. Tertia; quia humanitas Chriſti debuit in alios gratiam refundere iuxta illud Ioannis 1. De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia; vnde debuit in ſe gratiam præhabere. Nec tamen ſequitur inde, quòd Chriſtus poſſit dici filius adoptiuus Dei: quia obſtat filiatio eius naturalis; licèt enim gratia habitualis ſit quædam participatio diuinæ naturæ formaliſſimè in ſe conſideratæ, ac proinde quantum eſt in ſe habeat efficere participantem filium Dei adoptiuum: tamen ſi perſona in qua eſt, fuerit filius naturalis, vt contingit in præſenti, non poterit habere hunc quaſi effectum formalem: vnde gratia habitualis non repugnat Chriſto; imò maximè ei conuenit: Et hoc ideo, quia immediatè recipitur in eſſentia eius animæ rationalis vt in ſubiecto: filiatio autem adoptiua ei repugnat, quia filiatio immediatè conuenit perſonæ: & cùm aliunde filiatio adoptiua repugnet naturali, vt patet; Chriſtus qui eſt filius Dei naturalis, non poteſt ſimul eſſe adoptiuus.

Prima opinio negat gratiam habitualem Chriſti eſſe eiuſdem ſpeciei cum gratia habituali noſtra. Hanc ſequuntur aliqui dicentes gratiam Chriſti ex vnione ad Verbum habere quandam infinitatem phyſicam. Probatur authoritate D. Thom. qui in hac q. art. 11. docet in gratia Chriſti habituali contineri eminenter omnem gratiam puri hominis, tanquam in cauſa vniuerſali; ſicut lux rerum inferiorum continetur eminenter in luce Solis: ſed cauſa vniuerſalis continens eminenter aliquem effectum, eſt diuerſæ rationis & ſpeciei ab illo, cùm ſit cauſa æquiuoca illius: ergo gratia Chriſti non eſt eiuſdem ſpeciei cum gratia habituali noſtra.

Secundò; gratia habitualis Chriſti Domini proprietates habet diuerſas à gratia noſtra; nam petit eſſe in ſuppoſito increato à quo habet infinitatem, ita vt gratia puræ creaturæ ad illam pertingere non poſſit: eſt inamiſſibilis in ipſo, non autem in pura creatura: & poteſt eſſe principium merendi, & ſatisfaciendi de totò rigore iuſtitiæ pro aliis, ſicut de facto fuit; quod non poteſt competere gratiæ habituali puræ creaturæ, vt patet: ſed diuerſæ proprietates manifeſtant diuerſas eſſentias, cùm ſint quoddam complementum ipſarum: ergo gratia habitualis Chriſti Domini non eſt eiuſdem ſpeciei cum gratia habituali noſtra.

Tertiò; virtutes infuſæ procedunt à gratia, quaſi proprietates ab eſſentia: vnde ſicut diuerſæ proprietates indicant diuerſas eſſentias, ſic diuerſæ virtutes indicant diuerſitatem in gratia quæ eſt principium ipſarum: ſed gratia habitualis Chriſti Domini eſt principium diuerſarum virtutum ab his quæ procedunt à gratia habituali noſtra: & gratia habitualis noſtra eſt principium aliarum virtutum, quarum non eſt principium gratia habitualis Chriſti: nam gratia Chriſti eſt principium iuſtitiæ commutatiuæ inter Chriſtum & Deum, quæ iuſtitia non reperitur in pura creatura: & è contra, gratia habitualis noſtra, eſt principium fidei, ſpei, & pœniten-

tiæ

tiæ; quæ virtutes non fuerunt in Christo: ergo gratia habitualis Christi non est eiusdem speciei cum gratia habituali nostra.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt gratia habitualis Christi considerata in genere moris, vt scilicet est gratia talis personæ, sit alterius & sublimioris speciei à nostra: 2. In esse tamen physico, siue secundùm suam naturam est eiusdem speciei cum nostra.

Probatur prima pars conclusionis. Gratia habitualis Christi, ratione suppositi diuini in quo est, habet infinitatem moralem, vnde est infinita in esse gratiæ, ita vt fuerit principium meriti infiniti, ac satisfactionis infinitæ: quam infinitatem non habet gratia habitualis puræ creaturæ, vt dictum est supra. Similiter habet alias conditiones sibi proprias; vt quòd sit inamissibilis; quòd influat in alios, vt infra dicetur; quod non competit gratiæ habituali nostræ: sed finitum, & infinitum, & similiter quæ habent diuersas proprietates, in genere moris differunt, vt patet: propterea enim gratia & charitas patriæ, licèt in esse physico sint eiusdem rationis cum gratia & charitate viæ; tamen in esse morali sunt alterius rationis, prout docet D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. iuxta illud Christi, Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo; quia maxima gratia viæ non potest pertingere ad perfectionem minimæ gratiæ quæ sit in patria: ergo gratia habitualis Christi Domini in genere moris est alterius & sublimioris speciei à nostra.

Probatur secunda pars conclusionis. Gratia habitualis est vna in specie infima, in quocumque reperiatur, cùm sit participatio diuinæ naturæ in se formalissimè consideratæ, iuxta illud S. Petri in sua prima Epistola cap. 1. Magna & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ efficiamus consortes naturæ: constat autem quòd participatio diuinæ naturæ formalissimè consideratæ est vnica in specie; sicut & ipsa diuina natura sic considerata est quid vnum simplicissimum, excludens omnem multiplicitatem etiã virtualem: ergo gratia habitualis Christi Domini in esse physico, siue secundùm suam naturam est eiusdem speciei cum nostra. Deinde, idem est subiectum gratiæ habitualis Christi, ac nostræ, scilicet ipsa essentia & substantia animæ rationalis; & eundem præstat effectum formalem, scilicet sanctificare, & facere quantum est in se filium adoptiuum Dei, quem effectum haberet in Christo, nisi impediretur à filiatione naturali incompossibili cum adoptiua: sed vbi est idem subiectum, & idem effectus formalis secundùm speciem, ibi etiam forma est eiusdem speciei physicæ, vt patet, cùm effectus formalis non sit omninò distinctus à forma, sed sit ipsamet forma vt informans: ergo gratia habitualis Christi est eiusdem speciei in esse physico cum nostra. Denique, gratia habitualis easdem specie emanat virtutes in Christo, & in nobis: nullus enim docet charitatem Christi esse diuersæ speciei in esse physico à nostra; alioquin essent quatuor virtutes Theologales: quod idem dicendum est de aliis virtutibus infusis communibus Christo & nobis: cùm habeant idem obiectum formale, & idem motiuum. Quòd si aliquæ sunt in nobis quæ non sunt in Christo, hoc non prouenit ex parte principij emanatiui scilicet gratiæ, sed ex parte subiecti receptiui incapacis talium virtutum: cùm enim Christus debuerit esse etiam comprehensor eius intellectus erat incapax fidei, & volũtas spei: & quia erat incapax peccati, etiam fuit incapax pœnitentiæ: ergo cùm virtutes sint velut proprietates gratiæ, ex vnitate specifica ipsarum colligitur vnitas etiam specifica gratiæ habitualis Christi cum gratia puræ creaturæ.

AD primum ergo dicendum, quòd D. Th. non ait gratiam habitualem Christi continere eminenter nostram: sed solùm quòd habet omnes effectus possibiles gratiæ in Christo, ita vt etiam sit principium morale gratiæ in aliis: constat autem quòd licèt hoc habeat, potest tamen esse eiusdem speciei cum nostra, ac principium eius vniuocum: & hoc patet exemplo lucis adducto à D. Thom. nam in Sole est principium vniuersale, sed vniuocum cuiuscumque lucis participatæ.

AD secundum dicendum, quòd gratia habitualis quæ fuit in Christo secundùm se considerata, non magis exigebat esse in ipso, quàm in alio: vnde accidentariæ sunt illi assignatæ proprietates, infinitatis moralis, inamissibilitatis, & principij, prouenientes ei ab extrinseco, scilicet supposito: vnde solùm in ea arguunt diuersam & sublimiorem rationem moralem, vt dictum est.

AD tertium dicendũ, quòd si non esset obex ex parte subiecti receptiui, gratia emanaret easdem virtutes in Christo, ac in nobis: sed hoc est accidentarium ipsi gratiæ. Quantum ad iustitiam commutatiuam Christi, iam dictum est esse eiusdem speciei cum nostra, quamuis non possit perfectè exerceri à nobis erga Deum, satisfaciendo pro peccatis, quia non possumus illi reddere æquales; benè autem Christus, vt patet ex dictis supra.

DVBIVM II.

Vtrùm gratia habitualis Christi Domini sit infinita simpliciter.

SVpponendum est, gratiam habitualem Christi Domini, si sit infinita, fore talem aliquo ex sequentibus modis. Primo, in ratione entis & qualitatis. Secundo, ratione alicuius modi physici infiniti aduenientis ei ex coniunctione ad Verbum. Tertio, in ratione gratiæ, inquantum

tum ſcilicet ſe extendit ad omnes effectus poſſibiles gratiæ. Quarto, in eſſe morali, inquantum dicit ordinem & habitudinem moralem ad perſonam Verbi infinitè dignam. Quinto, per extrinſecam tantùm Dei acceptationem, inquantum ſcilicet Deus acceptat opera Chriſti Domini elicita per gratiam, tanquam valoris infiniti. Sexto tandem, inquantum nulla alia poteſt dari maior ſecundùm ordinariam Dei potentiam.

Prima opinio aſſerit gratiam habitualem Chriſti Domini eſſe infinitam in ratione entis, ſiue eſſe qualitatem infinitè intenſam. Hanc ſequitur Maior, & probabilem tenet Almainus. Probatur; gratia Chriſti fuit ſumma & immenſa: nam Chriſtus habuit plenitudinem gratiæ, Ioannis 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: & recepit illam ſine menſura, Ioannis 3. Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum Filio: quod eſt autem ſummum & immenſum, eſt infinitum in his quæ ex natura ſua poſſunt creſcere in infinitum. Deinde, gratia habitualis Chriſti tanta eſt, quòd ad illam gratia puræ creaturæ, quantumcunque augeatur, non poſſit pertingere: ergo eſt actu infinita; nam finitum per additionem finiti poteſt pertingere ad quantitatem cuiuſcunque finiti. Denique, gratia habitualis Chriſti habet efficaciam infinitam, nam ſe extendit ad ſalutem totius generis humani: ergo eſt infinita.

Secunda opinio Scoti eſt in alio extremo: aſſerit enim gratiam habitualem Chriſti ſub nulla ratione eſſe infinitam ab intrinſeco; ſed tantum per extrinſecam Dei acceptationem. Probatur; ſi gratia Chriſti ab intrinſeco eſſet infinita: vel eſſet in ratione entis & qualitatis: vel ratione alicuius modi phyſici intrinſeci: vel in eſſe gratiæ: vel in eſſe morali per ordinem ad ſuppoſitum: vel quia tanta eſt, vt gratia puræ creaturæ ad illam pertingere non poſſit: ſed neutro ex his modis: non primo, nec ſecundo; quia nullum reale phyſicum datur infinitum præter Deum: Non tertio, quia eſſe gratiæ ſpecificum non diſtinguitur realiter ab eſſe qualitatis & entis in gratia, quæ ſunt gradus ſuperiores, vnde ſi gratia Chriſti eſt infinita in eſſe gratiæ, erit etiam infinita in eſſe qualitatis & entis: ſicut ſi in homine rationale eſſet infinitum, etiam animal eſſet infinitum; & è contra, cùm ratio qualitatis & entis in gratia Chriſti ſit finita, etiam ratio gratiæ erit finita: Non quarto, quia ſi ex coniunctione ad Verbum gratia habitualis dicenda eſſet infinita, etiam omnia accidentia quæ ſunt in Chriſto ob eandem vnionem dicenda eſſent infinita; quod tamē nullus admittit: Nec tandē quinto, cū enim gratia habitualis, ſicut & charitas ex D. Thom. 1.2. quæſt. 24. art. 7. poſſit augeri in infinitum; tum ex ratione ſua, cùm ſit participatio diuinæ naturæ in infinitum participabilis; tum ex parte Dei illam communicantis, cùm ſit omnipotens; tum ex parte potentiæ obedientialis paſſiuæ & receptiuæ, cùm ſubiectum poſſit magis ac magis in infinitum ſanctificari, gratia puræ creaturæ poterit pertingere ad quantitatem gratiæ finitæ Chriſti; imò poterit ſe extendere ad plures effectus, ad ſalutem ſcilicèt omnium damnatorum, ad obtinendam Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti: ergo gratia habitualis Chriſti nulla ratione ab intrinſeco eſt infinita, ſed tantùm per extrinſecam Dei acceptationem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd etſi gratia habitualis Chriſti non ſit in ratione entis, qualitatis, aut quocumque alio modo phyſico infinita ſimpliciter, & abſolutè: 2. Tamen eſt infinita phyſicè ſecundùm quid, inquantum ſcilicet ſe extendit ad omnes effectus poſſibiles gratiæ: propter quod nulla alia habitualis gratia poteſt dari maior de potentia ordinaria. 3. Eſt etiam ſimpliciter infinita in eſſe morali, ſecundùm habitudinem quam habet ad perſonam Verbi infinitè dignam. 4. Et ratione huius dicitur ſimpliciter & ſine addito infinita; non autem omnibus modis.

Probatur, & explicatur prima pars concluſionis: in ea enim intendimus, quòd in gratia Chriſti nulla ſit ratio phyſica, ſiue entis, ſiue accidentis, ſiue qualitatis, ſiue ſpecifica & indiuidualis talis gratiæ, imo nec intenſionis, quæ ſit infinita; ita d. Th. hîc art. 11. vbi ſic ait: Gratia habitualis Chriſti ſecundùm quod eſt quoddam ens, neceſſe eſt quòd ſit ens finitum; eſt enim in anima Chriſti ſicut in ſubiecto: anima autem Chriſti eſt creatura quædam, habens capacitatem finitam; vnde eſſe gratiæ, cùm non excedat ſuum ſubiectum, non poteſt eſſe infinitum. Vbi nota quòd D. Th. per, ens, aut per eſſe gratiæ intelligit quamcumque rationem eius phyſicam: nam probatio procedit de quacumque illa: quando autem ait, quòd capacitas etiam obedientialis creaturæ eſt finita, intellige ad actu habendum; nam ad habendum in potentia, ſiue ſyncategorematicè, eſt infinita; nam data quacumque intenſione actuali formæ in infinitum intenſibilis, poteſt illam magis intenſam habere; nunquam tamen poteſt illam habere actu infinitam. Deinde D. Th. 1. p. q. 7. negat abſolutè poſſe dari extra Deum aliquod infinitum, ſiue ſecundùm eſſentiam, ſiue ſecundùm magnitudinem, ſiue ſecundùm multitudinem, ſiue ſecundùm intenſionem: quòd de facto nullum detur, habetur Sap. 11. vbi Deus dicitur omnia feciſſe in numero, pondere, & menſura. Denique, gratiæ infinitæ correſpondet gloria infinita, cùm gratia ſit ſemen gloriæ: ſed in Chriſto non poteſt admitti gloria infinita inquantum eſt homo,

quia

quia si in eius intellectu esset lumen gloriæ infinitum, visio beatifica ei correspondens esset infinita simpliciter, & ita adæquaret infinitam Dei visibilitatem, ac Deum comprehenderet, quod nullus concedit, vt infra dicetur; ergo gratia habitualis Christi non est physicè infinita; maximè quia nulla operatio Christi inquantum est homo, radicaliter procedens à gratia, est physicè infinita.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione D. Th. hîc ar. 11. vbi sic ait: alio modo potest considerari gratia, secundùm propriam scilicet rationem gratiæ: & sic gratia Christi potest dici infinita, eo quòd non limitatur, quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundùm aliquam certam mensuram, id quod ad rationem gratiæ pertinet, eo quòd secundùm propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura, secūdùm illud Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto Filio suo: sicut si dicamus lucem Solis esse infinitam, non quidem secundùm suum esse, sed secundùm rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest: ecce quomodo D. Th. vocat gratiam Christi infinitam secundùm propriam rationem gratiæ; non quidem specificam constitutiuam gratiæ: hæc enim, cùm pertineat ad intrinsecam eius entitatem, si esset infinita, gratia, vt ens quoddam, esset dicenda simpliciter infinita; quod tamen prius negauit: sed secundùm rationem gratificandi, tam proprium subiectum animam scilicet Christi sanctissimam, quàm alios scilicet homines, & Angelos, est enim talis, quòd possit se extendere ad omnes tam actuales, quàm possibiles, si producerentur, & in eis causare omnes effectus possibiles gratiæ; quia est in Christo tanquam in vniuersali principio gratiæ, secundùm actualem Dei ordinationem, eo prope modo quo lux est in Sole vt in vniuersali principio, quod potest illuminare infinitos homines saltē successiuè, & habere oēs effectus lucis; propterea dicitur lux Solis in ratione lucis infinita: sed hoc est quid physicum in gratia Christi, vt patet: ergo gratia Christi est infinita physicè secundùm quid, in sensu explicato: quod indicat illud Ioannis 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio; quem locum D. Th. explicat etiam de gratia habituali.

Probatur tertia pars conclusionis in dictis supra. Gratia habitualis Christi Domini, propter habitudinem ad personam Verbi infinitè dignam, fuit principium, quo, operationum infiniti valoris, ratione cuius fuerunt meritoriæ præmij infiniti, satisfactoriæ etiam de toto rigore iustitiæ pro debito infinito generis humani: sed hoc non potuit esse, nisi gratia, quæ fuit principium harum operationum, fuisset simpliciter infinita in esse morali, scilicet infinitæ dignitatis ex coniunctione ad personam Verbi, nunquam enim effectus est perfectior causa, aut actus secundus excedit actum primum: ergo gratia habitualis Christi est simpliciter infinita in esse morali, secundùm habitudinem quam habet ad personam Verbi infinitè dignam. Hęc autem infinitas licèt sit realis, & in ratione entis moralis; non tamen est physica, aut in ratione entis physici, vt probatum est in prima parte conclusionis.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Aliquid potest dici simpliciter tale ex D.Thom. 1.2.q.58.art.10.ad 2. & infra quæst.50. artic.5. vel quia est tale absolutè & sine addito, vel quia est omnibus modis tale: sed licèt gratia habitualis Christi Domini non sit omnibus modis infinita, tamen in esse morali, & in esse gratiæ modo explicato est absolute & sine addito infinita, vt ostensum est: ergo gratia habitualis Christi Domini potest dici simpliciter infinita, id est sine addito, non autem omnibus modis. Sicut si daretur linea infinita secundùm longitudinem, diceretur linea simpliciter infinita, quamuis in ratione entis esset finita; & hoc consonat dictis sanctorum Patrum, qui gratiam Christi, sicut & eius meritum, ac satisfactionem, simpliciter, absolutè, & sine addito vocant infinitam.

Ad primum ergo dicendum, quòd gratia Christi fuit sine mensura, & habuit plenitudinem in ratione gratiæ, non autem in ratione entis, & sic intelligenda sunt loca Scripturæ. Ad aliud dicendum cum D. Thom. hîc ad 3. quòd minus per augmentum potest peruenire ad quantitatem maioris, in his quæ habent quantitatem vnius rationis, sed gratia puræ creaturæ comparatur ad gratiam Christi, sicut quædam virtus particularis ad vniuersalem, vnde quantumcumque crescat, non potest adæquare gratiam Christi, id est, in ratione gratiæ; benè tamen in ratione entis & qualitatis physicæ. Ad aliud dicendum cum D. Thom. ibidem ad 2. quòd gratia habitualis Christi habet illam efficaciam infinitam, tum propter infinitatem prædictam in esse gratiæ, tum propter infinitatem diuinæ personæ, cui anima Christi, quæ operatur per gratiam, coniuncta est.

Ad secundum dicendum, quòd gratia habitualis Christi Domini est infinita tertio, quarto, & quinto modo, vt dictum est. Ad probationes in contrarium dicendum, quantùm ad primam quòd per esse gratiæ, non intelligitur differentia specifica, constitutiua illius in determinata specie, intra genus qualitatis habitualis de qua procedit & conuincit obiectio: sed intelligitur ratio principij gratificādi vt dictum est. Quantùm ad secundum dicendum quòd est disparitas in gratia & aliis accidentibus quæ sunt in

Chriſto; nam gratia habitualis pertinet ad eſſe, conſtituit enim primò & per ſe animam in eſſe ſupernaturali & diuino; remotè autem & radicaliter tantum pertinet ad operari, ſed tamen extenditur ad omnem operationem ordinis ſupernaturalis, cùm ſit radix omnium virtutum, quæ ſunt principia formalia & proxima operationum; vnde non mirum ſi ex coniunctione tam intima ad gratiam vnionis infinitam, quam conſequitur vt quędam proprietas, habeat hanc infinitatem moralem; & dicenda ſit ſimpliciter infinita: cùm tamen alia accidentia non dicantur ſimpliciter infinita; quia vel non ordinantur primò & per ſe ad eſſe, ſed ad operationem, in ordine ad quam habent ſuum eſſe, & quantitatem; vel non habent hanc intimam vnionem cum perſona, vt albedo & alia accidentia Corporis Chriſti; propterea non habent hanc infinitatem moralem, quamuis ex hoc nonnihil dignitatis habeant. Quantum ad tertiam, dicendum quòd, vt dictum eſt ex D. Th. gratia puræ creaturæ quantumcumque creſceret, ſemper eſſet virtus particularis, ſtante conſtituta Dei ordinatione, gratia autem Chriſti eſt virtus vniuerſalis, ſe extendens ex Dei ordinatione ad omnes effectus gratiæ in aliis producendos: ſi autem Deus poſito nouo ordine conſtitueret gratiam puræ creaturæ, vt virtutem vniuerſalem; haberet quidem hanc infinitatem, nunquam tamen moralem illam prouenientem à ſuppoſito diuino, quæ infinitas à quibuſdã vocatur modus phyſicus, ſed immeritò, eſt enim quędam tantùm dignitas moralis, vt dictum eſt: nec enim Verbum diuinum poteſt eſſe modus phyſicus gratiæ, aut illum cauſare in gratia, cùm terminare humanitatem, in qua eſt gratia, non importet actionem phyſicam.

DVBIVM III.

Vtrùm gratia habitualis Chriſti Domini excedat in intenſione, omnem gratiam Angelorum, & hominum collectiuè ſumptam.

SVpponendum eſt, in Chriſto Domino fuiſſe plenitudinem gratiæ, iuxta illud Ioannis 1. Vidimus eum, quaſi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Plenitudo autem gratiæ, vel alterius formæ; poteſt attendi vel ſecundùm quantitatem eius intenſiuam, quando ſcilicet habetur, quantumcumque nata eſt haberi: vel ſecundùm quantitatem extenſiuam, ſiue ſecundùm virtutem, quando ſcilicet habetur, ita quòd ſe extendat ad omnes ſuos effectus & operationes: ita D. Th. hîc ar. 9. hîc autem duplex gratiæ plenitudo, vt docet idem D. Th. ar. 10. poteſt attendi, vel ex parte ipſius gratiæ, vel ex parte habentis gratiam: ex parte gratiæ tunc eſt plenitudo, quando ſcilicet habetur in maxima excellentia, qua abſolutè haberi poteſt intenſiuè, & in maxima extenſione ad omnes gratiæ effectus: ex parte verò habentis tunc eſt plenitudo, quando quis habet plenè gratiam ſecundùm ſuam conditionem, ſiue ſecundùm ſuum ſtatum, & officium ad quod à Deo eligitur, putà Matris Dei, Præcurſoris, Apoſtoli &c. tam intenſiuè, quàm extenſiuè in ordine ad operationes & effectus omnes, tali ſtatui & officio debitos.

Prima opinio aliquorum, etiam Thomiſtarum, negat gratiam habitualem Chriſti Domini excedere in intenſione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè ſumptam. Probatur; videtur quòd in Chriſto non fuit plenitudo gratiæ: & ſi fuit, communis fuit aliis. Prima pars patet, quia non fuit gratia Chriſti infinita, ſed potuit augeri: & ſimiliter non emanauit in ipſo omnes virtutes, quas ſolet in aliis emanare; non enim habuit fidem, ſpem, & pœnitentiam, & conſequenter non fuit plenitudo intenſiua, nec extenſiua. Secunda etiam pars patet; nam Beata Virgo, S. Stephanus, & alij habuerunt eandem gratiæ plenitudinem: Beatæ quippe Virgini dicitur ab Angelo; Aue gratia plena: de Sancto autem Stephano dicitur Actuum. 7. Stephanus plenus gratia & fortitudine: ergo gratia habitualis Chriſti Domini non excedit in intenſione omnem gratiam Angelorum & hominum ſimul ſumptam: cùm enim non fuerit infinita, nec plena; videtur ſine fundamento admitti tanta intenſio in illa.

Secundò; gratia habitualis fuit collata Chriſto Domino, à principio ſuæ conceptionis, iuxta diſpoſitionem liberi arbitrij per actum charitatis: ſed videtur impoſſibile quòd vnicus actus charitatis in illo inſtanti conceptionis elicitus, fuerit tam intenſus, vt excederet intenſionem omnium actuum charitatis Angelorum & hominum, ac ſic exigeret intenſiorem gratiam, quàm ſit in omnibus illis collectiuè ſumptis: ergo gratia habitualis Chriſti Domini non excedit in intenſione omnem gratiam Angelorum & hominum ſimul ſumptam.

Tertiò; ſi quid ſuaderet ponere tam intenſam gratiam in Chriſto: maximè eſſet quia eſt caput & Rex Angelorum & hominum, & ſic in ipſo tanquam in capite debet contineri omnis gratia in membra deriuanda: ſed Chriſtus non eſt caput Angelorum; non enim influit in ipſos gratiam, aut gloriam eſſentialem: & eſto, influeret vt caput, adhuc non ſequitur quòd Chriſtus debuerit eſſe maior in gratia Angelis & hominibus ſimul ſumptis: ſicut nec caput materiale debet eſſe maius in quantitate toto corpore, ſimul enim ſumpta membra excedunt magnitudine caput: conſtat autem quòd eſt proportio & analogia inter caput materiale, & morale. Deinde, ex hoc etiam ſequeretur quòd, quia Beatiſſima Virgo eſt Regina Angelorum

&

& hominum, & mediante ipsa omnis gratia creaturis communicatur, eius gratia excederet etiam in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè sumptam, quod non est dicendum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd in Christo Domino fuit plenitudo gratiæ, tam intensiua, quàm extensiua secundùm potentiam Dei ordinariam: 2. Non tantùm quæ se tenet ex parte subiecti habentis gratiam; sed etiam quæ se tenet ex parte ipsius gratiæ. 3. Et talis plenitudo fuit ipsi propria, & quasi debita tanquam proprietas gratiæ vnionis: 4. Propterea gratia habitualis Christi Domini excedit in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè sumptam.

Probatur prima pars conclusionis: tum authoritate Scripturæ Ioannis 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre; plenum gratiæ & veritatis. Item de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Et cap. 3. Non ad mensuram dat Deus spiritum Filio. Tum sequenti ratione: Tunc habetur plenitudo gratiæ tam intensiua, quàm extensiua secundùm potentiam Dei ordinariam, quando habetur in ea intensione, qua maior dari non potest ex diuina ordinatione, & se extendit ad omnes effectus gratiæ, iuxta eandem ordinationem possibiles: & hoc tam ex parte ipsius gratiæ, quàm ex parte subiecti illam habentis: sed talis est gratia Christi, vt statim dicetur: ergo in Christo Domino fuit plenitudo gratiæ tam intensiua, quàm extensiua secundùm potentiam Dei ordinariam.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum triplici ratione D. Thom. hîc art. 9. quantò aliquod receptiuum propinquius est causæ influenti, abundantius recipit: ergo anima Christi, quæ propinquius coniungitur inter omnes creaturas rationales, ratione vnionis hypostaticæ, maximam recipit influentiam gratiæ eius. Deinde, anima Christi gratiam recipiebat, vt ex ea quodammodo transfunderetur in alios: ergo oportuit quòd haberet maximam gratiam; sicut ignis qui est causa caloris in omnibus calidis, est maximè calidus. Denique, anima Christi habuit gratiam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ; quia conferebatur ei tanquam cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam; virtus autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis iuxta Dionysium 4. de *Diuinis Nominibus*, & Philosophum dicentem, quòd primum in vnoquoque genere est causa cæterorum illius generis: ergo in Christo est plenitudo gratiæ, tenens se ex parte ipsius, tam intensiua, quàm extensiua. Quòd autem sit plenitudo tenens se ex parte subiecti, patet tum ex illo ad Coloss. 1. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Tum etiam, quia Deus dat vnicuique gratiam iuxta exigentiam officij ad quod eligitur, putà Apostolatus, quia Deus eligendo officium, non supponit, sed reddit idoneum; propterea dicitur ad Ephes. 4. Vnicuique nostrûm gratia data est secundùm mensuram donationis Christi: ergo etiam dedit Christo gratiam exigitam ab ipso, iuxta suã dignitatem; & ita habuit plenitudinem gratiæ tenentem se ex parte subiecti.

Probatur tertia pars conclusionis. Tum authoritate Scripturæ loco citato ad Coloss. & Ioannis 1. vbi gratię plenitudo attribuitur Christo, quia est vnigenitus: & 3. vbi dicitur; Non ad mensuram dat Deus spiritum Filio; & tandem ad Ephesios 4. Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Ex quibus planè liquet plenitudinem gratiæ se tenentem ex parte ipsius gratiæ fuisse propriam Christo. Deinde, gratia vnionis hypostaticæ soli Christo communicata, exigit tanquam proprietatem quandam, summam gratiam, quæ iuxta Dei ordinationem, ac proinde iuxta potentiam Dei ordinariam concedi possit; nam esse Filium Dei naturalem trãscendit omnem aliam dignitatem & officium, vt patet; iuxta cuius diuersitatem dat Deus maiorem & minorem gratiam. Deinde, exigit gratiam tanquam in vniuersali principio, à quo transfundatur in alios, iuxta illud; De plenitudine eius nos omnes accepimus; vnde in solo Christo habuit plenitudinem intensiuam quantùm ad esse, & extensiuam quantùm ad virtutem & operationem: ergo plenitudo gratiæ tam intensiua, quàm extensiua tenens se ex parte ipsius gratiæ fuit propria Christo, vt docet D. Thom. art. 10.

Probatur quarta pars conclusionis, tum ex prædictis authoritatibus Scripturæ, ex quibus manifestè sequitur, vt statim dicetur: nam si de plenitudine eius omnes creaturæ rationales accipiunt quasdam tantùm particulas, nunquam adæquabunt etiam simul collectæ eius plenitudinem: & hoc quia est vnigenitus & Filius naturalis: propterea dicitur ad Hebræos 1. Tanto melior Angelis effectus (non solùm in gratia vnionis, sed etiam in gratia habituali) quanto differentius præ illis nomen hæreditauit; cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genuite. Et Cyrillus libr. 1. in Ioann. capit. 17. ait: Sancti veluti vernæ in domo sunt, filius autem in domo sua versatur: vnde concludit quòd alij Sancti habuerunt quædam gratiæ munera, Christus amplam & totam hæreditatem. Quod item confirmat illud; Non ad mensuram dat Deus spiritum Filio; & vnicuique nostrûm gratia data est

eſt ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Deinde D.Thom. 1.p.q.20.artic.4. ad 2. docet Deum plus amare naturam humanam aſſumptam à Dei Verbo in perſona Chriſti, quàm omnes Angelos, & eſſe illis meliorem, maximè ratione vnionis: ly, maximè, denotat, quòd non ſolùm ratione gratiæ vnionis, ſed etiam gratiæ habitualis & donorum ſupernaturalium, humanitas Chriſti ſit melior quàm omnes Angeli; imò quàm tota creaturarum vniuerſitas, vt ait S. Doctor in corpore articuli: nam in naturalibus eſt inferior Angelis iuxta illud Pſalmi: Minoratus paulominus ab Angelis. Denique, vt conſtat ex dictis, gratia habitualis fuit in Chriſto tanquam in vniuerſali principio, ſiue cauſa à qua transfunderetur in alias iuxta menſuram donationis, ita vt ſit quaſi cauſa æquiuoca: ſed omnis effectus debet præhaberi in virtute cauſæ, vt patet, vnumquodque enim agit inquantum eſt actu, & nemo dat quod non habet: & ſit cauſa quantùm ad aliquid æquiuoca, vt contingit in præſenti; nam gratia in Chriſto ſe extendit ad plura, ad quæ non ſe extendit in quocumque alio, nec in aliis collectim ſumptis; eſt talis forma eminentiori modo in ipſo, quàm in omnibus collectim ſumptis, ac proinde maior: ergo gratia habitualis Chriſti Domini excedit in intenſione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè ſumptam; & licèt humanitas Chriſti non ſit cauſa principalis phyſica, ſed tantùm inſtrumentalis gratiæ in aliis: eſt tamen inſtrumentum talis rationis, quòd habeat formaliter & completè formam quam in aliis cauſat, ad inſtar aquæ calefacientis, licèt hæc non ſit propriè inſtrumentum: quia de ratione inſtrumenti naturalis, quale eſſet aqua, eſt vt concurrat per propriam formam ad actionem principalis agentis præuiè diſponendo: calefactio autem repugnat propriæ formæ aquæ ſcilicet frigiditati, & ſolùm illi conuenit ratione caloris, qui eſt in illa violenter. Tale autem inſtrumentum debet habere formam quam cauſat, ad minus æquè intenſam ac eſt in omnibus aliis: & inſuper Chriſtus, vt homo, eſt cauſa principalis moralis totius gratiæ in omnibus, ſiue Angelis, ſiue hominibus cauſatæ, vt poſtea dicetur: ſaltem potuit eſſe etiam in infinitis poſſibilibus, ad quod requiritur exceſſus intenſionis gratiæ Chriſti ſupra gratiam omnium aliorum ex congruentia.

Ad primum ergo dicendum, quòd gratia Chriſti Domini licèt fuerit finita, tamen fuit ſumma quæ danda erat ex Dei ordinatione; vnde potuit excedere collectionem totius gratiæ omnibus aliis collatæ. Ad aliud dicendum cum D. Thom. hîc artic. 9. ad 1. quòd fides, ſpes, & pœnitentia nominant effectus gratiæ in quodam defectu, qui eſt ex parte recipientis gratiam, inquantum ſcilicet fides eſt de non viſis, ſpes de non habitis, pœnitentia de peccatis: vnde non oportet quòd in Chriſto, qui eſt author gratiæ, fuerint defectus quos important fides, ſpes, & pœnitentia: Sed quicquid eſt perfectionis in fide, ſpe, & pœnitentia in Chriſto eſt multo perfectius. Ad aliud dicendum cum D.Th. hîc art.10. ad 1. quòd Beata Virgo dicta eſt plena gratia: non ex parte ipſius gratiæ, quia non habuit gratiam in ſumma excellentia qua poteſt haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; ſed dicitur fuiſſe plena gratia per comparationem ad ipſam, quia ſcilicet habuit gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo, vt eſſet ſcilicet Mater Vnigeniti eius, & ſimiliter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam ſufficiẽtem, ad hoc quòd eſſet idoneus miniſter & teſtis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum eſt de aliis: harum tamen plenitudinum vna eſt plenior altera, ſecundùm quòd aliquis eſt diuinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem ſtatum.

Ad ſecundum dicendum, quòd tota gratia & gloria eſſentialis, quam habet Chriſtus Dominus, fuit illi data ab inſtanti conceptionis, tanquam proprietas quædam gratiæ vnionis; vnde illam non præceſſerunt merita, ſed omnia merita illam conſequuntur: & ſic actus intenſiſſimus charitatis, qui fuit in Chriſto ab inſtanti conceptionis ſuæ, non fuit cauſa, ſed effectus gratiæ: & eſto, potuerit eſſe cauſa, adhuc dicendum quòd fuit ita intenſus, tantùmque Deo placuit, vt excedat intenſionem omnium actuum charitatis puræ creaturæ ſimul ſumptorum; vnde meruiſſet gratiam habitualem intenſiorem tota collectione gratiæ quæ fuit in aliis.

Ad tertium dicendum, quòd Chriſtus Dominus eſt caput etiam Angelorum, quantùm ad gratiam habitualem, & gloriam eſſentialem, vt infra dicetur: Deinde ſufficit quòd potuerit eſſe. Nec analogia capitis myſtici ad naturale debet in omnibus tenere: ſed tenet in maiori nobilitate, maiori perfectione, quàm ſit in omnibus membris; maximè in influxu eius ad omnia membra; non autem in quantitate molis. Quantùm ad Beatiſſimam Virginem certiſſimum eſt in Eccleſia, quòd eius gratia habitualis multum excedit gratiam cuiuſcumque alterius puræ creaturæ, iuxta illud: Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna: vtrùm verò excedat collectionem totius gratiæ conceſſæ puris creaturis, aliqui piè credunt; alij negant, & aſſerunt diſcrimen inter gratiam eius, & gratiam Chriſti: quòd gratia eius fuit gratia ſingularis perſonæ, quæ non influit in alios niſi per modum impetrantis: gratia autem Chriſti fuit gratia capitis, & vniuerſalis principij moraliter in alios per meritum, & phyſicè etiam influentis.

DVBIVM

DVBIVM IV.

Vtrùm gratia habitualis Christi Domini potuerit augeri.

Svpponenda sunt tria certa apud omnes Catholicos. Primum est; quòd gratia vnionis in Christo non potuit augeri, quia nec meliori personæ, nec magis eius sanctissima humanitas potuit vniri; cùm fuerit vnita diuinæ Personæ in esse personali, & sic habet quandam infinitatem. Secundum est; quòd nec gratia habitualis Christi potuit augeri secundùm dignitatem moralem; hæc enim dignitas prouenit ei ex quadam vnione, ad diuinam personam, ratione subiecti in quo est eidem diuinæ personæ hypostaticè vniti, vnde cùm non possit dari persona dignior, cùm sit diuina; nec eius dignitas moralis potest esse maior. Tertium est, quòd gratia habitualis Christi nunquam in esse physico fuit aucta; nam in primo instanti conceptionis gratia & gloria fuerunt Christo collatæ in tota intensione quam habuerunt; tanquam proprietates vnionis hypostaticæ, nec proinde potuit augeri de potẽtia Dei ordinaria, quia ex Dei ordinatione talis gratia, vt pote dicens ordinem ad gratiam vnionis, fuit summa quæ cõmunicanda erat. Hoc probat D.Th. hîc art.12. Nec obstat quòd habetur Lucæ 2. Puer Iesus proficiebat sapiẽtia, & ætate, & gratia apud Deum & homines: quia vt docet ibidem D.Th. ad 3. hic profectus non fuit quantum ad habitus sapientiæ & gratiæ, sed quantum ad opera sapientiora & virtuosiora, quia secundùm processum ætatis perfectiora opera faciebat, vt se verum hominem demonstraret, & in his quæ sunt ad Deum, & in his quæ sunt ad homines. Vnde tota difficultas restat in ordine ad potentiam Dei absolutam.

Prima opinio, quæ attribuitur Scoto, Durando, & aliis; asserit gratiam habitualem Christi Domini, etiam de potentia Dei absoluta, non potuisse augeri. Probatur authoritate Magistri sententiarum in 3. d.13. & D.Thom. hîc art.9. & 10. vbi probat in Christo fuisse plenitudinem gratiæ: & art.12. vbi dicit quòd gratia Christi fuit in summo, secundùm perfectissimum gradum quo haberi potest. Ratio eius est, quia gratia sicut & quælibet res, habet suam mensuram ex fine ad quem ordinatur: constat autem quòd finis gratiæ sit vnire Deo: ergo cùm non possit esse, aut intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quàm quæ est in persona, gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ; & ita absolutè non potest augeri.

Secundò, *singulis qualitatibus* datur certus *terminus augmenti, vltra quem* augeri non *possunt, vt dicitur Sap.11. Omnia* in numero, *pondere & mensura disposuisti*: & hoc maximè in proprietatibus, quæ commensurantur suis principiis à quibus connaturaliter procedunt: ergo cùm gratia habitualis Christi sit proprietas vnionis hypostaticæ, quæ est maxima causa possibilis, debet esse in Christo summa quæ potuit esse; & ita non potuit augeri: maximè quia se extendit ad omnes effectus possibilis gratiæ, & reddit Christum summè gratum Deo.

Tertiò; ex opposito sequuntur duo inconuenientia. Primum est, quòd si gratia habitualis Christi potuit augeri, etiam potuit augeri gloria eiusdem Christi; gratiæ enim correspondet gloria vt semini: constat autem ex D.Th. 1.p. q.12. art.10. & communi consensu Theologorum, quòd gloria non potest augeri. Secundum est, quòd posset dari gratia alicuius puræ creaturæ maior gratia Christi; si enim hæc non est in summo, potest absolutè dari alia maior; ac proinde posset etiam dari maior gloria puræ creaturæ quàm gloria Christi, cùm gloria commensuretur gratiæ: quod tamen est absurdum, nam filius adoptiuus plus hæreditatis acciperet à Patre, quàm filius naturalis vnigenitus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd etsi secundùm potentiam Dei ordinariam gratia habitualis Christi Domini augeri non potuerit: 2. De potentia tamen absoluta potuit augeri in esse physico. Ita communiter Theologi.

Probatur secunda pars conclusionis, in qua sola est difficultas, authoritate D. Thom. hîc artic.11. vbi dicit, quòd gratia Christi secundùm quod est quoddam ens, est finita: ergo absolutè potest augeri: Consequentia statim probabitur. Et art. 12. ad 2. respondens huic obiectioni, augmentum gratiæ fit per virtutem diuinam: sed virtus diuina cùm sit infinita, nullo termino coarctatur: ergo videtur quòd gratia Christi potuerit esse maior. Sic habet; virtus diuina, licet possit facere aliquid maius & melius, quàm sit habitualis gratia Christi; non tamen posset facere quòd ordinaretur ad aliquid maius, quàm sit vnio personalis ad Filium vnigenitum à Patre, cui vnioni sufficienter correspondet talis mensura gratiæ, secundùm diffinitionem diuinæ Sapientiæ: ecce quomodo D.Thom. ponit tantùm gratiam Christi habitualem esse summam, ratione finis ad quem ordinabatur; & adhuc iuxta diffinitionem diuinæ Sapientiæ, cui talis & tanta mensura gratiæ visa est sufficiens: non autem summam absolutè & in se, quasi diuinitus non potuerit augeri; cùm fateatur Deum in genere gratiæ potuisse facere aliquid maius & melius, quàm sit habitualis gratia Christi.

Secundò; si gratia habitualis Christi Domini nòn potuisset augeri de potentia Dei absoluta: vel hæc impossibilitas se teneret ex parte principij productiui gratiæ: vel ex parte ipsius

gratiæ : vel ex parte ſubiecti receptiui : vel ex parte alicuius annexi, vt patet ex ſufficienti dinumeratione : ſed nullum iſtorum obſtat : Non primum, quia principium productiuum gratię eſt Deus ipſe omnipotens, cuius virtuti infinitæ nihil eſt impoſſibile, iuxta illud Archangeli Gabrielis ; Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum : vnde nullus Theologus in quacumque materia aſſignat implicantiam ex parte Dei. Non ſecundum, quia ex D.Thom.2.2. qu.24. art.7. charitas, cùm ſit quædam participatio infinitæ charitatis quæ eſt Spiritus Sanctus, ſecundùm rationem propriæ ſpeciei non habet aliquem terminum augmenti, ita vt data quacumque poſſit dari maior, ipſaque augeri: ergo idem dicendum de gratia habituali ; tum ex paritate rationis, quia eſt participatio quædam diuinæ naturæ formaliſſimè in ſe conſideratæ quæ eſt infinita ; tum quia charitas & aliæ virtutes emanant à gratia, vt quædam proprietates, vnde debent ei commenſurari ; tum quia charitas eſt ad operandum, gratia verò ad eſſendum, operari autem ſequitur eſſe, & ei proportionatur tam in ordine, quàm in intenſione ſiue dignitate ; tum denique quia ſicut lumen gloriæ & viſio beatifica correſpondent charitati, ſic & gratię : conſtat autem quòd lumen gloriæ & viſio beatifica Chriſti Domini potuerint augeri ; cùm enim vt homo Deum finitè videat, non enim comprehendit, vt infra dicetur, poteſt magis videre : ergo etiam gratia habitualis eius potuit augeri. Et radix huius eſt, quia diuina natura eſt infinitè participabilis ; & ſic data quacumque participatione eius per gratiam, poteſt dari in infinitum maior & maior. Non tertium, quia capacitas ſubiecti receptiui gratiæ, non eſt naturalis, ſed obedientialis : & hæc ſecundùm ſe non eſt limitata & finita, ſed eſt infinita, & commenſuratur Deo imperanti, & operanti : ergo cùm non ſit impoſſibilitas ex parte Dei, nec ex parte ſubiecti receptiui gratiæ : poterit recipere maiorem & maiorem in infinitum. Imò D. Thom. loco citato dicit excreſcente charitate, ſemper ſuperexcreſcere habilitatem ad vlterius augmentum: quod idem eſt de gratia. Non quartum, quia gratia habitualis in anima Chriſti nihil poteſt habere, quod impediat eius augmentum, cùm ex natura ſua ſit intenſibilis ; nihil enim habet aliud quàm dignitatem quandam moralem, ex mediata vnione ad Verbum : hæc autem vnio potius exigit maius eius augmentum, cùm non ſit infinita: & hæc vnio exigeret infinitam gratiam, ſi eſſet infinita actu poſſibilis ; ſaltem non repugnat eius augmento, & ratione illius data eſt Chriſto ſumma gratia quæ danda erat, imò excedens omnem aliam communicandam collectiuè ſumptam: ergo gratia habitualis Chriſti Domini de potentia Dei abſoluta potuit augeri in eſſe phyſico.

Ad primum ergo dicendum, quòd Magiſter ſententiarum & D. Th. dicunt in Chriſto fuiſſe plenitudinem gratiæ, ſiue gratiam in ſummo, attenta Dei potentia ordinaria ſiue ordinatione diuina, quâ ſtatutum eſt non fore dandam maiorem gratiam, quàm ſit gratia Chriſti. Ad rationem dicendum, quòd gratia habitualis non vnit Deo, niſi per ſimilitudinem participatam : vnio autem hypoſtatica non eſt effectus eius ; quia tamen conueniens fuit vt humanitas hypoſtaticè vnita Verbo, eſſet ſummè Deo grata præ aliis, ideo benè concludit Diuus Thomas quòd ſecundùm potentiam Dei ordinariam gratia Chriſti habitualis, ordinata ad gratiam vnionis, vt quædam eius proprietas, fuerit ſumma, ac proinde ſecundùm eandem potentiam non potuerit augeri.

Ad ſecundum dicendum, quòd qualitates naturales, quia reſpiciunt potentias naturales limitatas & finitas, habent terminum augmenti, proportionatum ipſis potentiis, quibus debēt commenſurari : & ſimiliter proprietates commenſurantur ſuis principiis, ſi veræ ſint proprietates, naturaliter & neceſſariò ab illis emanantes : quorum neutrum reperitur in gratia, quia non recipitur ſecundùm potentiam naturalem, ſed ſecundùm obedientialem infinitam; nec eſt proprietas propriè dicta gratiæ vnionis, cùm hæc potuerit eſſe ſine gratia habituali : vnde producitur per nouam actionem, & liberè ; vnde limitata producitur, ſufficiens tamen in ordine ad illum finem, quem tamen non adæquat : vnde non eſt maxima poſſibilis : & quamuis attingat omnes effectus gratiæ poſſibiles, non tamen perfectiſſimo modo poſſibili, quia habitus virtutum ab illa emanati potuerunt eſſe intenſiores. Nec obſtat ille locus Sapientiæ ; cùm ſolum dicat omnia de facto eſſe producta in numero, pondere, & menſura; quia ſunt actu finita in eſſentia, proprietatibus, & inclinatione : ſed non negat, quin aliqua intra ſuam ſpeciem finitam, poſſint magis intendi & eſſe perfectiora, vt hîc dicitur de gratia Chriſti.

Ad tertium dicendum, quòd nullum eſt inconueniens dicere, quòd gloria Chriſti de potentia Dei abſoluta potuit augeri : nec negant Theologi cum D. Thom. gloriam poſſe augeri & perfici ; ſed tantùm quòd de facto augeatur, vnde æternitas participata quæ eſt eius menſura, non excludit mutabilitatem, ſicut excludit æternitas per eſſentiam ; ſed tantùm excludit mutationem. Ad aliud dicendum, quòd non eſt incōueniens admittere, quòd Deus potuerit dare puræ creaturæ maiorem gratiam phyſicè, quàm Chriſto : tamen Chriſtus eſſet infinitè magis gratus Deo, ratione gratiæ vnionis. Quātum ad gloriam reſpondent aliqui, quòd Chriſto ſemper daretur maior propter gratiam vnionis : alij dicunt quòd ſicut modo gloria correſpondet gratiæ habituali ; ſic etiam, dato illo caſu,

casu, & ita esset maior gloria puræ creaturæ: nam si potuit Deus absolutè assumere humanam naturam, vel aliam, absque eo quòd vllam daret illi gratiam & gloriam, multò magis potest illi dare minorem gratiam & gloriam: licèt autem persona Christi subsistens in vtraque natura, diuina & humana, sit persona Filij Dei naturalis; hoc tamen non habet ratione vtriusque naturæ, sed solùm ratione diuinæ, siue inquantùm Deus reduplicatiuè: & vt sic necessarium est quòd in beatitudine excedat filios adoptiuos; quamuis sit conueniens vt etiam excedat inquantum homo, non autem est necessarium.

DVBIVM V.

Vtrùm virtutes morales acquisitæ, fuerint per accidens Christo infusæ.

SVpponendum est, virtutes diuidi in infusas & acquisitas: infusæ omnes dimanant à gratia habituali quasi proprietates, vnde reperiuntur in omni habenti gratiam, & iuxta modum gratiæ, ac proinde in Christo fuerunt in gradu heroïco omnes, exceptis illis quæ important, aut connotant imperfectionem, quales sunt fides quæ excludit visionem, spes quæ excludit possessionem, & pœnitentia quæ connotat peccatum. Virtutes infusæ, sic dictæ quia emanant à gratia habituali quæ infunditur, subdiuiduntur in Theologicas & Morales: Theologicæ sunt Fides, Spes & Charitas; sic dictæ quia immediatè respiciunt Deum: Morales sunt plurimæ, quæ tamen omnes reducuntur, vel vt partes subiectiuæ, vel vt partes potentiales, vel vt partes integrantes, ad quatuor Cardinales, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem & Temperantiam. Acquisitæ sunt illæ, quæ proprio studio & industria acquiruntur, & correspondent infusis, iisdémque nominibus appellantur: differũt autẽ specie ab illis ex diuerso motiuo tendendi in sua obiecta; nam virtutes infusæ tendunt ex motiuo supernaturali, acquisitæ verò ex motiuo naturali. Quòd autem præter virtutes infusas, dentur istæ acquisitæ, manifestè apparet in infidelibus, & peccatoribus, quia non habent infusas quæ sine gratia esse non possunt; (& quamuis Fides, & Spes recedente gratia remaneant, tamen infunduntur cum gratia,) & nihilominus videmus quòd exercent actus virtutum moralium facilè, constanter, & delectabiliter: quod sine habitibus fieri non potest; proprium enim est habitus dare hanc facilitatem, constantiam, & delectationem in operando: experimur enim difficultatem, inconstantiam, & fastidium in exercendis operibus virtuosis, antequam multis actibus acquisierimus tales habitus.

Prima opinio negat absolutè in Christo fuisse tales virtutes, quæ ex natura sua dicuntur acquisitæ. Probatur authoritate D. Thom. hîc art. 2. vbi attribuit tantùm Christo virtutes, quę fluunt à gratia habituali: tales autem sunt infusæ. Et in responsione ad 2. & 3. negat in Christo virtutes secundùm statum imperfectum: constat autem virtutes acquisitas esse valde imperfectas. Et in 3. D. 33. qu. 1. art. 4 dicit virtutes acquisitas non remanere in Beatis: ergo non fuerunt in Christo, qui ab instanti suæ conceptionis fuit beatus inter omnes perfectissimus, ac primus. Deinde, virtutes acquisitæ ponuntur à Philosophis & Theologis ad refrænandas & moderandas passiones appetitus sensitiui: sed in Christo non fuerunt immoderatæ passiones, sed moderati fuerunt & optimè ordinati actus appetitus sensitiui; qui propterea in ipso dicuntur propassiones: & hoc ideo quia in Christo non fuit fomes peccati, à quo istæ inordinationes oriuntur; ergo in Christo non fuerunt virtutes acquisitæ: maximè magnificentia, cuius actum propter voluntariam paupertatem exercere non potuit. Denique, tales virtutes vel fuissent superfluæ, quia habebat infusas eis correspondentes: vel potuisset mediis illis operari ex motiuo purè naturali, quod fuisset indecens Christo, qui debuit semper operari ex motiuo supernaturali perfectissimo: ergo in Christo non fuerunt tales virtutes acquisitæ.

Secunda opinio tenet in Christo fuisse tales virtutes, ipsásque acquisisse propriis actibus. Probatur; quod habetur ex propria industria & labore, habetur nobiliori modo, quàm si habeatur ex dono: nam primo modo habetur vt proprium: secundo autem habetur vt datum; constat autem quòd in Christo debent poni virtutes istæ nobiliori modo, quo haberi possunt. Deinde, prudentia cùm dependeat ex multis speciebus, esse non potuit in Christo ab instanti suæ conceptionis, sicut nec illæ species: ergo illam acquisiuit successu temporis, & consequenter etiam alias. Denique, non minus pertinet ad perfectionem Christi scientia acquisita, ac pertinent virtutes acquisitæ: sed ex D. Thom. infrà q. 9. ar. 4. Christus propria industria acquisiuit scientias, quæ non sunt per se infusæ: ergo & virtutes morales.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd virtutes ex genere suo acquisitæ, fuerunt in Christo in gradu heroïco: 2. Ab instanti suæ conceptionis per accidens infusæ, quæ tamen non pugnant cum perfectione status Christi. Ita communiter Thomistæ.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. hîc ar. 2. ad 3. vbi concedit Christo Temperantiam vt distinguitur ex Aristotele à Continentia: constat autem quòd Aristoteles, vt pote gentilis, non agnouit aliam

Tem

Temperantiam quàm acquisitam: Tum sequentibus rationibus; Omnis perfectio quæ est in Beatis, & non repugnat vnioni hypostaticæ, concedenda est Christo; cùm ipse sit caput Angelorum & hominum, omnem eorum continens perfectionem: sed virtutes ex genere suo acquisitæ sunt perfectiones quæ remanent in Beatis, vt indicat nomen & ratio virtutis, ac communiter docent Theologi cum S. August. lib. 14. de Trinitate, cap. 9. & D. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 1. ergo fuerunt in Christo: non enim repugnant vnioni hypostaticæ. Deinde, conceditur Christo scientia acquisita, vt postea dicetur ex Diuo Thom. quia debuit perfici Christi intellectus tam in ordine naturali, quàm in supernaturali, vt scilicet actus scientiæ tam acquisitæ, quàm infusæ connaturaliter eliceret, ac facilè: ergo cùm non sit minor difficultas in eliciendis actibus virtutum moralium acquisitarum; imò maior, vt patet: & non minus debeant perfici aliæ potentiæ humanitatis Christi, cùm inquantum homo sit subiectus legibus iuris naturalis, debuerunt in ipso esse virtutes morales, tam infusæ vt perficerentur in ordine supernaturali, quàm acquisitæ vt perficerentur etiam in ordine naturali; cùm sit maxima perfectio elicere actus virtutum ex omni motiuo honesto, & honestas naturalis multùm faciliter, & conducat ad honestatem supernaturalem, & vtraque simul plus efficaciç habeat, quæ necessaria est sæpe ob arduitatem operis, putà vt sanctissima eius humanitas tam afflicta in vigilia Passionis, acceptaret mortem quam refugiebat & horrebat: ergo virtutes ex genere suo acquisitæ fuerunt in Christo. Quòd autem fuerint in gradu heroico docet D.Thom. hîc art. 2. ad 2. dicens in ipso fuisse vltra gradum communem. Et infra quæst. 15. art. 2. docet virtutes fuisse in Christo in gradu perfectissimo: & ex hoc concludit in Christo non fuisse fomitem peccati; debet autem intelligi tam de virtutibus infusis, quàm acquisitis, cùm par sit ratio quantum ad hoc; & manifestatur ex summa moderatione quæ in omnibus Christi operibus sensitiuæ etiam partis eluxit.

Probatur secunda pars conclusionis, quam sequuntur Asturnensis quæst. 1. de gratia Christi, & Aluares in præsenti disp. 32. Christus Dominus fuit plenus gratia & virtute ab instanti suæ conceptionis: ergo sicut tunc accepit totam gratiam habitualem quam vnquam habuit, eámque maiorem tota collectione gratiæ hominum & Angelorum: sic accepit omnes virtutes tam infusas, quàm acquisitas non repugnantes ob suam imperfectionem cum vnione hypostatica; easque in summa intensione quam postea habuerunt: si enim virtutes ex genere suo acquisitas tunc non accepisset, vel non in summa intensione, non posset dici plenus virtute ex tunc; quod tamen debet affirmari, omnis enim perfectio communicata Christo ab instanti suæ conceptionis, quam habiturus erat, & tunc erat possibilis. Deinde, omnis maior perfectio debuit Christo attribui quantùm ad modum habendi: sed perfectior est modus habendi aliquid per modum proprietatis & quasi sibi debitum, quàm habere illud acquisitum suo labore & industria: primum enim denotat maiorem perfectionem habentis; propterea ponimus in Christo ab instanti suæ conceptionis gratiam habitualem infusam cum virtutibus ab ea profluentibus, per modum proprietatum gratiæ vnionis & quasi debitas: ergo idem dicendum de virtutibus ex genere suo acquisitis, quæ non important aut connotant imperfectionem Christo incompossibilem, quales sunt Pœnitentia de peccatis, ex honestate naturali, Continentia ab illicitis motibus appetitus concupiscibilis, & Perseuerantia contra motus irascibilis: quamuis vltimæ duæ deficiant à ratione perfectæ virtutis, quia non reddunt perfectum ipsum subiectum in propria materia, vt docet D. Thom. ex Philosopho hîc art. 1. ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. in primo loco attribuit Christo virtutes morales infusas: quia ibi agit de gratia habituali, vnde debebat etiam agere de illis virtutibus, quæ sunt proprietates & deriuationes ipsius gratiæ habitualis: non autem debebat agere de acquisitis, quæ ad gratiam non pertinent; illas tamen ibi non excludit à Christo. In secundo loco tantùm negat virtutes esse in Christo secundùm gradum imperfectum, siue sint ex genere suo acquisitæ, siue infusæ: sed hoc non est contra dicta; quia ponimus quascumque virtutes in Christo in gradu summo & heroïco. Tertium locum correxit D.Thom. vt dictum est. Ad aliud dicendum, quòd virtutes acquisitæ secundùm gradum communem, dantur ad moderandas passiones, & sic non fuerunt in Christo: secundùm autem gradum heroicum, qualiter fuerunt in Christo, dantur ad facilè, delectabiliter, & perfectè eliciendas operationes circa proprias materias, iuxta regulas rationis. Quantum ad magnificentiam, dicendum cum D.Thom. hîc art. 2. ad 3. quòd Christus illam exercuit in summo, quando omnes diuitias contempsit: deinde sufficit actus internus, cùm deest materia externi. Ad aliud dicendum, quòd virtutes infusæ facilitant, & eleuant potentiam in ordine tantùm ad actus supernaturales, & procedunt ex motiuo solo supernaturali: vnde non sunt superfluæ virtutes ex genere suo acquisitæ, quæ respiciant actus virtuosos naturales, & ex motiuo naturali. Nec est inconueniens quòd Christus operetur ex motiuo purè naturali, vt dictum est; dummodo non excludatur positiuè motiuum supernaturale

turale

turale, & actus ordinentur vel explicitè, vel saltem implicitè ad finem supernaturalem honoris Dei: vnde non debuit semper Christus operari ex motiuo supernaturali perfectissimo.

Ad secundum dicendum vt supra, quòd illud quod habetur per modum proprietatis, est magis proprium, & magis declarat perfectionem subiecti; quàm illud quod acquiritur proprio labore; & hoc contingit in præsenti. Ad aliud dicendum, quòd habitus Prudentiæ, sicut & alij, fuerunt Christo infusi ab instanti conceptionis; non autem omnes species, à quibus dependet tantùm in exercitio suorum actuum. Ad aliud dicendum, quòd est disparitas inter scientias acquisitas, & virtutes morales item acquisitas: quia ex infusione scientiarum acquisitarum, si facta fuisset in instanti conceptionis, saltem quoad omnimodam perfectionem tam intensiuam, quàm extensiuam quæ dependet à speciebus repræsentantibus obiecta, sequitur fore inutilem & superfluum intellectum agentem in Christo; cùm tamen debuerit esse, cùm sit de integritate naturæ humanæ: & ex alia parte Deus & natura nihil faciunt frustra, ex Arist. 1. de Cœlo; nullum enim habet aliud officium intellectus agens, quàm abstrahere species à phantasmatibus: & ita hæ scientiæ non debuerunt infundi: virtutes autem morales si infundantur, nullum tale afferunt inconueniens. Hæc solutio colligitur ex D.Thom. infra, q.9.art.6.

DVBIVM VI.

Vtrùm Christus Dominus sit caput mysticum Ecclesiæ, ex Angelis & hominibus constitutæ.

SVpponendum est ex D.Thom. hìc quæst.8. art.1.& q.29. de Veritate, art.4. quòd tota Ecclesia, vt includit militantem, & triumphantem adintegratam ex Angelis & Hominibus, dicitur vnum corpus mysticum, per similitudinem ad naturale corpus hominis: nam sicut hoc secundùm diuersa membra naturalia habet diuersos actus, quæ membra sunt ordinata; sic corpus mysticum Ecclesiæ continet multa & diuersa membra mystica, cùm sit multitudo ordinata in vnum, secundùm distinctos actus, & officia. Hoc docet S. Paulus ad Roman. 12. Item 1. ad Cor. 12. Et sicut corpus humanum esset monstruosum, nisi haberet caput; sic & corpus mysticum Ecclesiæ. Ad rationem autem capitis tria concurrunt, videlicet ordo, perfectio, & virtus. Ordo, quia caput est prima pars corporis naturalis, incipiendo à superiori, vnde omne principium dicitur caput. Perfectio autem, quia in capite vigent omnes sensus, & interiores & exteriores, cùm in cæteris membris sit solus tactus. Virtus denique, quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus est à capite, propter vim sensitiuam & motiuam ibi dominantem, mediis neruis qui omnes à capite originem ducunt. Et quia caput mysticum per transsumptionem à capite naturali dicitur, hæc tria enumerata debent in capite mystico reperiri: quòd sit primum inter membra: quòd sit dignius & perfectius cæteris, habens vnitè quicquid perfectionis est in illis dispersum: & tandem quòd in ipsa influat vitam, virtutem, & motum in omnibus dirigendo. Inuenitur etiam triplex conformitas capitis ad membra: Prima, secundùm naturam, nam caput & cætera membra sunt partes vnius naturæ. Secunda, ratione ordinis, inquantum membra omnia subseruiunt sibi inuicem ex Apost. 1.Cor.12. Tertia, ratione continuitatis, nam caput cæteris membris in corpore naturali continuatur: Et hæc quoque cum quadam proportione inter caput mysticum & eius membra debent reperiri.

Prima opinio potest esse, quòd Christus Dominus non sit verè & propriè caput mysticum Ecclesiæ. Probatur; Si Christus esset caput mysticum Ecclesiæ: vel hoc esset inquantum Deus, vel inquantum homo: non inquantum Deus, cùm non sit eiusdem naturæ cum membris reliquis, scilicet Angelis & hominibus; tum etiam quia caput est membrum, & pars corporis indigens aliis membris, quæ Deo non conueniunt: nec inquantum homo; tum quia ex August. 1. de Trinit. cap.12. Christus inquantum est homo, non dat Spiritum Sanctum; tum quia capitis non datur caput: ex Apost. autem 1.ad Corinth. cap. 11. caput Christi est Deus, tum quia Christo non veniente, adhuc fuisset Ecclesia, & habuisset caput: tum quia Angeli pertinent ad Ecclesiam, quorum caput non est Christus vt homo: tum quia non est membrum: ergo Christus non est verè & propriè caput Ecclesiæ.

Secunda opinio esse potest, quòd Christus non sit caput totius Ecclesiæ constitutæ ex hominibus: tum quia Christus non potuit influere (quod pertinet ad rationem capitis) in Sanctos Patres qui ipsum præcesserunt, nam operari sequitur esse: tum quia nihil influit in fideles peccatores, qui tamen pertinent ad Ecclesiam: tum quia Christus est tantùm caput fidelium, & tamen sunt aliqui homines iam beati, qui pertinent ad Ecclesiam, & nihil recipiunt à Christo: tum quia in capite debent esse omnes sensus qui sunt in corpore ex August. ad Dardanum: & tamen in Ecclesia est aliquis sensus spiritualis qui non est in Christo, scilicet Fides, & Spes: ergo Christus non est caput totius Ecclesiæ constitutæ ex hominibus.

Tertia opinio asserit Christum inquantum hominem non tam propriè esse caput Angelorū quàm hominum, nec eodem modo. Probatur, tum

tum authoritate expressa D. Thom. in 3. d. 13. quæst. 2. art. 1. tum quia non est eiusdem naturæ: tum quia de ratione capitis est, vt influat vitam, & motus omnes in membra; & tamen Christus non influit vitam spiritualem in Angelos, hæc enim consistit in gratia habituali, & gloria essentiali; quam tamen Angeli non habent à Christo, ex D.Thom. loco enim citato sic ait; Christus vt homo non influit in Angelis, remouendo, prohibens scilicet peccatum; aut infundendo gratiam. Et quæst.19. de Veritate art.4. ad 5. vbi ait; Influxus in Angelos non est vt finis Incarnationis, sed vt Incarnationem consequens. Ar. verò 7. ad 5. sicut & infra qu. 59. art. 6. docet Christum non meruisse Angelis præmium essentiale. Deinde, colligimus Sanctos Patres habuisse gloriam essentialem ex meritis Christi, quia non fuerunt glorificati ante Incarnationem; decuit enim Authorem gloriæ priùs aliis glorificari: ergo cùm Angeli fuerint priùs glorificati quàm Christus, non habuerunt gloriam essentialem dependenter ex meritis Christi. Denique, Christus non fuit præuisus ante peccatum Adami: illo enim non peccante, Christus non venisset, propterea gratia concessa Adamo in statu innocentiæ, cùm fuerit gratia hominis sani & integri, non infirmi & redempti, fuit illi data independenter à Christo: ergo etiam & Angelis data fuit gratia & gloria independenter à Christo; cùm eorum prædestinatio sit prior; quàm prædestinatio hominum.

Conclusio.

RESPONDEO dicendum, quòd totus Christus secundùm vtramque naturam, simul est caput totius Ecclesiæ ex Angelis & hominibus constitutæ, secundùm omnes conditiones supra assignatas; ac proinde cum omni rigore: 2. Est etiam caput inquantum homo, siue secundùm humanitatem Ecclesiæ totius: 3. Non solùm quantùm ad omnes homines: 4. Sed etiam quantùm ad Angelos, 5. Quibus influit non solùm gloriam accidentalem, sed etiam essentialem, gratiam sanctificantem, omniáque alia dona supernaturalia eis concessa. Ita tenent multi Thomistæ.

Probatur prima pars conclusionis expressa authoritate D.Thom. qu.29. de Veritate art. 4. in corpore, vbi eam tradit sub iisdem verbis, & sic probat authoritate Apostoli ad Coloss. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quoad gubernationem; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, quoad dignitatem: & per eum reconciliare omnia, quoad influentiam. Deinde, tres conditiones capitis mystici conueniunt Christo, inquantum Deus est, & homo, in ordine ad totam Ecclesiam ex Angelis & hominibus constitutam: nam est primogenitus omnis creaturæ, dignissimus vt pote Deus & homo simul, & tandem influit vitam & motum spiritualem, tam Angelis, quàm hominibus saltem vt Deus; & hoc tanquam causa principalis; instrumentaliter etiam vt homo siue secundùm humanitatem: ergo totus Christus secundùm vtramque naturam simul, est caput totius Ecclesiæ ex Angelis & hominibus constitutæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. tum loco citato, tum hîc art. 1. vbi probat ex illo ad Ephes. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Deinde hac ratione; Primò secundùm propinquitatem ad Deum, gratia eius altior est & prior, etsi non tempore, quia omnes alij receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius secundum illud Rom.8. Quos præsciuit hos & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundò verò perfectionem habet quantùm ad plenitudinem omnium gratiarum, secundùm illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Tertiò virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundùm illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus: & sic patet quòd Christus conuenienter dicitur Ecclesiæ caput. Quòd autem loquatur de Christo secundùm humanitatem siue inquantum homine, patet ex responsionibus argumentorum in contrarium: quando autem dicitur inquantum homo siue secundùm humanitatem, debet hoc accipi specificatiuè, & non reduplicatiuè, quia præcisa humanitas non fuit ratio cur sit caput, sed ex vnione ad Verbum, cuius virtute instrumentaliter influit gratiam in membra Ecclesiæ.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis: in ipsa enim volumus quòd Christus Dominus, etiam inquantum homo, sit de facto, & in actu secundo siue in exercitio caput omnium hominum, tam Beatorum, quàm existentium in Purgatorio, & omnium viatorum qui sunt in gratia: & hoc propriissimè; quia omnibus illis vt prior saltem in intētione existens & dignior influit, physicè posterioribus Incarnatione vitam animæ, scilicet gratiam habitualem, & gloriam essentialem, ac motus spirituales: prioribus verò moraliter. Hominum verò fidelium extra gratiam existentium, est caput in actu secundo, quantùm ad motus spirituales; non autem quantum ad vitam animæ: infidelium autem est etiam caput in actu quantùm ad aliquas motiones. In actu autem primo, siue in potentia, est caput omnium hominum absolutè, tam fidelium, quàm infidelium; tam actualium, quàm possibilium; & quantùm ad vitam spiritualem, & quantum ad omnes motus spirituales & supernaturales animæ. Hoc totum docet D.Thom. hîc p. 8. art. 3. vbi concludit quòd Christus est principaliori modo caput hominum,

num, secundùm quod ipsi magis vniuntur, & ponit diuersos gradus, scilicet per gratiam patriæ, per gratiam viæ, per fidem; vel actu, vel in potentia.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ: Ad Ephes. 1. Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Et ad Coloss. 2. Qui est caput omnis Principatus, & Potestatis: eadem autem est ratio de Angelis aliorum ordinum. Et Matthæi 5. legitur, quòd accesserunt Angeli & ministrabant. Denique id probat D.Thom. art. 4. ex conditionibus supra adductis: quia enim tam homines, quàm Angeli ordinantur ad vnum finem, qui est gloria diuinæ fruitionis, efficiunt vnum corpus Ecclesiæ mysticum, quod est vna multitudo ordinata in vnum, secundùm diuersos actus siue officia; & omne corpus debet habere caput: Christus etiam inquantum homo, quia propinquiùs se habet ad Deum, & perfectiùs participat dona ipsius, non solùm quàm homines, sed etiam quàm Angeli; & de eius influentia non solùm homines recipiunt, sed etiam Angeli, saltem quoad gloriam accidentalem, de quo nullus dubitat, est caput mysticum Ecclesiæ, etiam quantum ad Angelos.

Probatur quinta pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. ad Ephes. 1. habetur: Instaurare omnia in Christo, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Ad Coloss. 1. Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Ad Hebræos 2. Decebat eum, per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Authorem salutis eorum per Passionem consummari: filij autem, qui ante Passionem fuerant in gloriam adducti, non sunt alij quàm Angeli; nam homines post Passionem fuerunt glorificati: Et quamuis hæc loca possint alio modo exponi, melius tamen iuxta intentum intelliguntur. S.Bernardus serm. 1. de Circumcisione, loquens de Iesu, ait; Idem quippe & Angeli Saluator, & hominis: sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Sub nomine autem Iesu, intelligitur persona Christi vt subsistens sub vtraque natura, diuina & humana. Deinde D.Thom. hîc art. 4. eodem modo, & eodem ordine ponit Christum caput Angelorum ac hominum, absque vlla distinctione & limitatione: ergo sicut omnibus hominibus influit gratiam sanctificantem, & gloriam essentialem; his qui subsequuti sunt, vt causa physica; his autem qui præcesserunt, vt causa moralis: sic & Angelis influit, vt causa moralis, eadem dona supernaturalia. Denique gratia & gloria essentialis potuit dari Angelis dependenter ex meritis Christi præuisis, saluo decreto de executione Incarnationis post lapsum Adami, & in reparationem eius: quia vt supra dictum est, ordo hypostaticus in intentione præcessit absolutè ordines gratiæ & naturæ, & hi fuerunt propter primum. & quamuis hæc prioritas non admitteretur, sed quòd electio Angelorum quoad intentionem præcesserit ordinem hypostaticum; in executione tamen potuit ab illo dependere, inquantum Deus voluerit dependenter à Christo exequi, quod ante præuisionem eius decreuisset facere; quia hoc decretum non est omninò absolutum, sed connotat media quibus executioni mandabitur, quamuis in illo priori non sint in particulari præuisa & determinata: ergo de facto fuit data Angelis gratia, & gloria essentialis dependenter ex meritis Christi præuisis; ac proinde Christus influit illis moraliter, vt caput, gratiam sanctificantem, gloriam essentialem, aliáque omnia dona supernaturalia eis concessa: gloriam autem accidentalem, quam habent post Incarnationem, influit physicè. Patet consequentia; quia omnis perfectio possibilis, & superioritas in alios debet Christo concedi, vt pote Filio Dei naturali, à quo adoptiui debent dependere; dummodo sit compatibilis cum decreto Incarnationis, quod colligitur fuisse in Deo. Et ex hoc sequitur quòd Christus sit primus Prædestinatorum, non solùm dignitate, sed etiam causalitate; & quòd prædestinatio eius ad gloriam, sit causa nostræ: huius signum est quòd Christus fuerit reuelatus Angelis viatoribus, vt communiter docent Theologi cum D.Thom. 1.p.q.57.art.5.ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus est propriissimè caput totius Ecclesiæ, inquantum Deus homo, non diuidendo: est etiam propriè caput, & inquantum Deus, & inquantum homo specificatiuè. Ad rationes cõtra primam partem dicendum, quòd Deus est eiusdem naturæ intellectualis analogicæ cum Angelis & hominibus, nec hoc erat necessarium, si aliunde posset fieri quòd creaturæ essent participes influxus supernaturalis gratiæ & gloriæ: quia verò Deus præhabet in se omnem perfectionem creaturarum, vt pote prima causa ipsarum, ideo non indiget aliis membris: sicut ob contrariam rationem caput naturale indiget suis membris. Ad rationes contra secundam partem dicendum cum D.Thom. hîc art. 1. ad 1. quòd dare gratiam, aut Spiritum Sanctum conuenit Christo, secundùm quòd Deus authoritatiuè; sed instrumentaliter conuenit etiam ei secundùm quòd homo, inquantum scilicet eius humanitas instrumentum fuit diuinitatis eius: & sic intelligendus est Augustinus. Ad aliam dicendum, quòd in metaphoricis locutionibus non oportet attendere similitudinem quantum ad omnia

subordinata: sed talis præfectura est potestas quædam, vt patet inductione in omni regimine: & quia fuit gratuitò à Deo collata, siue quia consequitur ad gratiam vnionis, dicitur gratia capitis: ergo gratia capitis formalissimè sumpta est potestas à Deo data Christo Domino, ad influendum vitam & motus spirituales in membra Ecclesiæ: iuxta illud eiusdem Christi: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.

Probatur quinta pars cõclusionis. Omnis præfectura communicata ex ordinatione & deputatione Superioris, formalissimè & præcisè considerata, est aliquid morale importans ius quoddam morale exercendi aliquos actus in alios sibi subditos ex eadem ordinatione, vt patet inductione in præfectura Imperatoria, Regia, Ducis, Iudicis, &c. non enim potest fingi quòd sit aliquid reale physicum, quamuis fundetur in aliquo physico reddente ipsum subiectum idoneum ad talem præfecturam: sed gratia capitis in Christo importat similem præfecturam & potestatem, quam habet ex ordinatione & deputatione diuina, iuxta Sacram Scripturam, ad Ephes. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam: ad Hebræ. 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificauit; vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu. Psalmo 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: ergo gratia capitis in Christo non est aliquid reale physicum; sed quid morale.

Probatur sexta pars conclusionis authoritate, & ratione D. Thom. quæst. 29. de Veritate art. 5. vbi sic ait: Vnaquæque substantia tantò à Deo plenius bonitatem eius participat, quantò ad eius bonitatem appropinquat, vt patet per Dionysium 12. cap. cœlestis Hierarch. vnde & humanitas Christi, ex hoc ipso quòd præ aliis vicinius & specialius diuinitati erat coniuncta, excellentius bonitatem diuinam participauit per gratiæ donum, ex quo idoneitas in ea fuit, vt non solùm gratiam haberet, sed etiam per eam gratia in alios transfunderetur: sicut per corpora magis lucentia lumen Solis ad alia transit. Deinde, Christus per gratiam vnionis, simul & habitualem, habet adæquatè quòd influat perfectè in membra Ecclesiæ vitam & motus spirituales; per gratiam quidem habitualem, in quantum fuit principium merendi aliis, & satisfaciendi pro ipsis, per gratiam autem vnionis, inquantum influit in opera meritoria Christi valorem infinitum, ratione cuius perfectè meruit, & satisfecit, vt dictum est: vnde ratione gratiæ habitualis talia opera habent quòd sint ab intrinseco supernaturalia & meritoria: ratione verò gratiæ vnionis habent infinitam illam perfectionem & bonitatem moralem supra explicatam: ergo Christus Dominus ex gratia vnionis & gratia habituali adæquatè redditur idoneus, vt sit caput Ecclesiæ, & ad exercendos eius actus, ac proinde vtraque gratia requiritur. Quòd autem magis principaliter ex gratia vnionis, patet, quia dignitas Filij naturalis Dei, quæ prouenit in Christo ex gratia vnionis, exigit vt constituatur caput omnium filiorum adoptiuorum: nec hoc exigit gratia habitualis ratione sui, cùm sit eiusdem speciei in Christo ac in aliis: sed tantùm ex coniunctione ad gratiam vnionis; maximè quia sine gratia habituali potuisset Christus influere gratiam habitualem, & dona quæcumque supernaturalia in alios, vt dictum est.

Probatur septima pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc art. 6. quam sic probat: Sola humanitas Christi ex coniunctione ad Verbum habet virtutem authoritatiuam iustificandi, ac proinde habet influxum interiorem in omnia membra Ecclesiæ ex Angelis & hominibus constitutæ, tam militantis, quàm triumphantis: & si qui habent hanc virtutem, sed limitatam; vel est ad externam tantùm gubernationem, vel illam habent inquantum repræsentãt Christum, vt Pontifex, & Episcopi: & hoc applicando Sacramenta à Christo instituta: ergo solus Christus habuit gratiam capitis sibi propriam; quæ tamen diuinitus potuit communicari puræ creaturæ; non tamen cum ea perfectione, qua fuit in Christo.

Ad primum ergo dicendum, quòd in Christo intelligitur duplex plenitudo: vna diuinitatis secundùm quam Christus est plenus Deus: alia gratiæ secundùm quam dicitur plenus gratiæ & veritatis; & de hac plenitudine loquitur Apostolus ad Coloss. 1. de prima autem ad Coloss. 2. hæc autem secunda à prima deriuatur, & per eam gratia capitis completur: sed neutra est formaliter gratia capitis, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd Christus est mediator Dei & hominum, inquantum Deus homo, ac proinde etiam vt includens naturam humanam; quatenus cum hominibus habet possibilitatem; cum Deo verò iustitiam, quæ est in eo per gratiam: & ideo requiritur præter vnionem habitualis gratia in Christo, ad hoc quòd sit mediator & caput: licèt autem meritum Christi sit infinitum ex dignitate personæ, siue ob gratiam vnionis: tamen rationem meriti ab intrinseco habet ex gratia habituali, sine qua meritũ esse non potest de potẽtia ordinaria.

Ad tertium dicendum, quòd instrumentum inanimatum, quale est securis, habitu non indiget: instrumentum autem animatum, quale est seruus, indiget: & tale instrumentum diuinitatis est humana natura in Christo. Ad aliud dicendum, quòd est disparitas; nam ministri Ecclesiæ non agunt in Sacramentis, quasi ex propria virtute, sed ex virtute alterius, scilicet Christi; & ideo in eis non requiritur gratia

persona

personalis, sed solum authoritas ordinis, per quam, quasi Christi Vicarij constituuntur: Christus autem operatus est nostram salutem, quasi ex propria virtute; & ideo oportuit quòd in eo esset gratiæ plenitudo.

QVÆSTIO IX.

De scientia Christi in communi, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de scientia Christi. Circa quam duo consideranda sunt. Primo, quam scientiam Christus habuerit: secundo de vnaquaque scientiarum ipsius.

¶ Circa primum quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum Christus habuerit aliquam scientiam præter diuinam.

¶ Secundo, vtrum habuerit scientiam quam habent Beati, vel comprehensores.

¶ Tertio, vtrùm habuerit scientiam inditam vel infusam.

¶ Quartò, vtrùm habuerit aliquam scientiam acquisitam.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus habuerit aliquam scientiam præter diuinam.

64. Ad Primvm sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit aliqua scientia præter diuinam. Ad hoc enim necessaria est scientia, vt per eam aliqua cognoscantur. Sed Christus per scientiam diuinam cognoscebat omnia. Superfluum igitur fuisset quod in eo esset alia scientia.

¶ 2 Præterea, Lux minor per maiorem offuscatur. Sed omnis scientia creata comparatur ad scientiam Dei increatam, sicut lux minor ad maiorem. Ergo in Christo non refulsit alia scientia, quam diuina.

¶ 3 Præterea, Vnio humanæ naturæ ad diuinam, facta est in persona, vt ex supradictis patet. * Ponitur autem in Christo secundum quosdam quædam scientia vnionis: per quam scilicet Christus ea quæ ad mysterium Incarnationis pertinet, plenius sciuit, quàm aliquis alius. Cum ergo vnio personalis contineat duas naturas, videtur quod in Christo non sint duæ scientiæ, sed vna tantum scientia pertinens ad vtramque naturam.

Sed contra est, quod Ambrosius dicit in lib. de Incar. * Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis, sed non sensum carnis inflatum. Sed ad sensum hominis pertinet scientia creata. Ergo in Christo fuit scientia creata.

CONCLVSIO.

Necesse fuit, ratione humanæ naturæ quæ in Christo perfecta fuit, fuisse in eo aliquam aliam scientiam, præter scientiam diuinam.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supradictis patet, Filius Dei humanam naturam integram assumpsit, id est, non solum corpus, sed etiam animam non solum sensitiuam, sed etiam rationalem. Et ideo oportuit, quod haberet scientiam creatam propter tria. Primo quidem propter animæ perfectionem. Anima enim secundum se considerata est in potentia ad intelligibilia cognoscenda: est enim sicut tabula, in qua nihil est scriptum, & tamen possibile est in ea scribi per intellectum possibilem, in quo est omnia fieri, vt dicitur in tertio de Anim. * Quod autem est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Non autem fuit conueniens, quod Filius Dei humanam naturam imperfectam assumeret, sed perfectam, vtpote qua mediante, totum humanum genus ad perfectum erat reducendum. Et ideo oportuit, quod anima Christi esset perfecta per aliquam scientiam, quæ esset propria perfectio eius. Et ideo oportuit in Christo esse aliquam scientiam præter scientiam diuinam, alioquin anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum. Secundo, quia cum quælibet res sit propter suam operationem, vt dicitur in secundo de Cælo, * frustra haberet Christus animam intellectiuam, si non intelligeret secundum illam, quod pertinet ad scientiam creatam. Tertio, quia aliqua scientia creata pertinet ad animæ humanæ naturam, scilicet illa, per quam naturaliter cognoscimus prima principia: scientiam enim hic large accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani. Nihil autem naturalium Christo defuit: quia totam humanam naturam suscepit, vt supra dictum est. * Et ideo in sexta Synodo damnata est positio negantium, in Christo esse duas scientias, vel duas sapientias.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus cognouit omnia per scientiam diuinam operatione increata quæ est ipsa Dei essentia: Dei enim intelligere est sua substantia, vt probat * Philosophus 12 Meta. Vnde hic actus non potuit esse animæ humanæ Christi, cùm sit alterius naturæ. Si igitur non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia præter diuinam, nihil cognouisset: & ita fuisset frustra assumpta, cum omnis res sit propter suam operationem.

Ad secundum dicendum, quòd si duo lumina accipiantur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius, sicut lumen solis offuscat lumen candelæ, quorum vtrumque accipitur in ordine illuminantis. Si verò accipiantur duo lumina, ita quòd maius sit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus lumen non offuscatur per maius, sed magis augetur: sicut lumen aëris per lumen solis. Et hoc modo lumen scientiæ non offuscatur, sed magis clarescit in anima Christi per lumen scientiæ diuinæ, quæ est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, vt dicitur Ioan. 1.

Ad tertium dicendum, quod ex parte vnitorum ponitur scientia in Christo, & quantum ad naturam diuinam, & quantum ad humanam: ita quod propter vnionem, secundum quam est eadem hypostasis Dei & hominis, id quod est Dei, attribuitur homini: & id quod est hominis, attribuitur Deo, vt supra dictum est. * Sed ex parte ipsius vnionis non potest poni in Christo aliqua scientia: nam vnio illa est ad esse personale, scientia autem non conuenit personæ, nisi ratione alicuius naturæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus habuerit scientiam, quam habent Beati, vel comprehensores.

65. Ad Secvndvm sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit scientia Beatorum vel comprehensorum. Scientia enim Beatorum est per participationem diuini luminis: secundum illud Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Sed Christus non habuit lumen diuinum tanquam participatum, sed ipsam diuinitatem in se habuit substantialiter manentem, secundum illud Coloss. 2. In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ergo in Christo non fuit scientia Beatorum.

¶ 2. Præterea, Scientia Beatorum eos beatos facit secundum illud Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum: & quem misisti Iesum Christum. Sed homo ille fuit beatus ex hoc ipso, quod fuit Deo vnitus in persona, secundum illud Psalm. 64. Beatus quem elegisti & assumpsisti. Non ergo oportet ponere in ipso scientiam Beatorum.

¶ 3. Præterea, Scientia duplex homini competit, vna secundum suam naturam, alia supra naturam. Scientia autem Beatorum, quæ in diuina visione consistit, non est secundum naturam hominis, sed supra eius naturam. In Christo autem fuit alia supernaturalis scientia multo altior, scilicet scientia diuina. Non ergo oportuit in Christo esse scientiam Beatorum.

Sed contra, Scientia Beatorum in Dei cognitione consistit. Sed ipse plene cognouit Deum, etiam secundum quod homo: secundum illud Ioan. 8. Scio eum, & sermonem eius seruo. Ergo in Christo fuit scientia Beatorum.

CONCLVSIO.

Cùm homines per Christi humanitatem ad beatitudinis finem perducantur, oportuit beatam cognitionem, quæ in Dei visione consistit, excellentissimè homini Christo conuenire.

Respondeo dicendum, quod illud, quod est in potentia, reducitur in actum per id quod est actu: oportet enim esse calidum id, per quod alia calefiunt. Homo autem est in potentia ad scientiam Beatorum (quæ in Dei visione consistit), & ad eam ordinatur sicut ad finem. est enim creatura rationalis capax illius beatæ cognitionis, inquantum est ad imaginem Dei. Ad hunc autem finem beatitudinis homines reducuntur per Christi humanitatem, secundum illud Hebr. 2. Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos Filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Et ideo oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens excellentissimè Christo homini conueniret: quia semper causam oportet esse potiorem causato.

Ad primum ergo dicendum, quòd diuinitas vnita est humanitati Christi secundum personam non secundum essentiam vel naturam: sed cum vnitate personæ remanet distinctio naturarum. Et ideo anima Christi, quæ est pars humanæ naturæ, per aliquod lumen participatum à natura diuina, perfecta est ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam videtur.

Ad secundum dicendum, quòd ex ipsa vnione homo ille est beatus beatitudine increata, sicut ex vnione est Deus. Sed præter beatitudinem increatam oportuit in natura humana Christi esse quandam beatitudinem creatam, per quam anima eius in vltimo fine humanæ naturæ constitueretur.

Ad tertium dicendum, quòd visio, seu scientia beata est quodammodo supra naturam animæ rationalis, inquantum scilicet propria virtute ad eam peruenire non potest. Alio verò modo est secundum naturam ipsius, inquantum scilicet secundum naturam suam est capax eius, prout scilicet est ad imaginem Dei facta: vt supra dictum est. * Sed scientia increata, est omnibus modis supra naturam animæ humanæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.

66. Ad Tertivm sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fit alia scientia indita, vel infusa præter scientiam beatam. Omnis enim alia scientia comparatur ad scientiam beatam, sicut imperfectum ad perfectum. Sed præsente cognitione perfecta excluditur cognitio imperfecta: sicut manifesta visio faciei excludit ænigmaticam visionem fidei, vt patet prima ad Corinth. 13. Cum igitur in Christo fuerit scientia beata (vt dictum est *) videtur quòd non potuerit in eo esse alia scientia indita.

¶ 2 Præterea, Imperfectior modus cognitionis disponit ad perfectiorem: sicut opinio quæ est per syllogismum dialecticum, disponit ad scientiam, quæ est per syllogismum demonstratiuum. Habita autem perfectione, non est vlterius necessaria dispositio: sicut habito termino, non est necessarius motus. Cum ergo cognitio quæcumque alia creata comparetur ad cognitionem beatam, sicut imperfectum ad perfectum, & sicut dispositio ad terminum: videtur, quòd cùm Chri-

tum scilicet se extendit ad omnes effectus possibiles gratiæ. Quarto, in esse morali, inquantum dicit ordinem & habitudinem moralem ad personam Verbi infinitè dignam. Quinto, per extrinsecam tantùm Dei acceptationem, inquantum scilicet Deus acceptat opera Christi Domini elicita per gratiam, tanquam valoris infiniti. Sexto tandem, inquantum nulla alia potest dari maior secundùm ordinariam Dei potentiam.

Prima opinio asserit gratiam habitualem Christi Domini esse infinitam in ratione entis, siue esse qualitatem infinitè intensam. Hanc sequitur Maior, & probabilem tenet Almainus. Probatur; gratia Christi fuit summa & immensa: nam Christus habuit plenitudinem gratiæ, Ioannis 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: & recepit illam sine mensura, Ioannis 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio: quod est autem summum & immensum, est infinitum in his quæ ex natura sua possunt crescere in infinitum. Deinde, gratia habitualis Christi tanta est, quòd ad illam gratia puræ creaturæ, quantumcunque augeatur, non possit pertingere: ergo est actu infinita; nam finitum per additionem finiti potest pertingere ad quantitatem cuiuscunque finiti. Denique, gratia habitualis Christi habet efficaciam infinitam, nam se extendit ad salutem totius generis humani: ergo est infinita.

Secunda opinio Scoti est in alio extremo: asserit enim gratiam habitualem Christi sub nulla ratione esse infinitam ab intrinseco; sed tantum per extrinsecam Dei acceptationem. Probatur; si gratia Christi ab intrinseco esset infinita: vel esset in ratione entis & qualitatis: vel ratione alicuius modi physici intrinseci: vel in esse gratiæ: vel in esse morali per ordinem ad suppositum: vel quia tanta est, vt gratia puræ creaturæ ad illam pertingere non possit: sed neutro ex his modis: non primo, nec secundo; quia nullum reale physicum datur infinitum præter Deum: Non tertio, quia esse gratiæ specificum non distinguitur realiter ab esse qualitatis & entis in gratia, quæ sunt gradus superiores, vnde si gratia Christi est infinita in esse gratiæ, erit etiam infinita in esse qualitatis & entis: sicut si in homine rationale esset infinitum, etiam animal esset infinitum; & è contra, cùm ratio qualitatis & entis in gratia Christi sit finita, etiam ratio gratiæ erit finita: Non quarto, quia si ex coniunctione ad Verbum gratia habitualis dicenda esset infinita, etiam omnia accidentia quæ sunt in Christo ob eandem vnionem dicenda essent infinita; quod tamẽ nullus admittit: Nec tandẽ quintò, cũ enim gratia habitualis, sicut & charitas ex D. Thom. 2.2. quæst. 24. art. 7. possit augeri in infinitum, tum ex ratione sua, cùm sit participatio diuinæ naturæ in infinitum participabilis; tum ex parte Dei illam communicantis, cùm sit omnipotens; tum ex parte potentiæ obedientialis passiuæ & receptiuæ, cùm subiectum possit magis ac magis in infinitum sanctificari, gratia puræ creaturæ poterit pertingere ad quantitatem gratiæ finitæ Christi; imò poterit se extendere ad plures effectus, ad salutem scilicèt omnium damnatorum, ad obtinendam Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti: ergo gratia habitualis Christi nulla ratione ab intrinseco est infinita, sed tantùm per extrinsecam Dei acceptationem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd etsi gratia habitualis Christi non sit in ratione entis, qualitatis, aut quocumque alio modo physico infinita simpliciter, & absolutè: 2. Tamen est infinita physicè secundùm quid, inquantum scilicet se extendit ad omnes effectus possibiles gratiæ: propter quod nulla alia habitualis gratia potest dari maior de potentia ordinaria. 3. Est etiam simpliciter infinita in esse morali, secundùm habitudinem quam habet ad personam Verbi infinitè dignam. 4. Et ratione huius dicitur simpliciter & sine addito infinita; non autem omnibus modis.

Probatur, & explicatur prima pars conclusionis: in ea enim intendimus, quòd in gratia Christi nulla sit ratio physica, siue entis, siue accidentis, siue qualitatis, siue specifica & indiuidualis talis gratiæ, imo nec intensionis, quæ sit infinita; ita d. Th. hîc art. 11. vbi sic ait: Gratia habitualis Christi secundùm quod est quoddam ens, necesse est quòd sit ens finitum; est enim in anima Christi sicut in subiecto: anima autem Christi est creatura quædam, habens capacitatem finitam; vnde esse gratiæ, cùm non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Vbi nota quòd D. Th. per, ens, aut per esse gratiæ intelligit quamcumque rationem eius physicam: nam probatio procedit de quacumque illa: quando autem ait, quòd capacitas etiam obedientialis creaturæ est finita, intellige ad actu habendum; nam ad habendum in potentia, siue syncategorematicè, est infinita; nam data quacumque intensione actuali formæ in infinitum intensibilis, potest illam magis intensam habere; nunquam tamen potest illam habere actu infinitam. Deinde D. Th. 2. p. q. 7. negat absolutè posse dari extra Deum aliquod infinitum, siue secundùm essentiam, siue secundùm magnitudinem, siue secundùm multitudinem, siue secundùm intensionem: quòd de facto nullum detur, habetur Sap. 11. vbi Deus dicitur omnia fecisse in numero, pondere, & mensura. Denique, gratiæ infinitæ correspondet gloria infinita, cùm gratia sit semen gloriæ: sed in Christò non potest admitti gloria infinita inquantum est homo,

quia

quia si in eius intellectu esset lumen gloriæ infinitum, visio beatifica ei correspondens esset infinita simpliciter, & ita adæquaret infinitam Dei visibilitatem, ac Deum comprehenderet, quod nullus concedit, vt infra dicetur; ergo gratia habitualis Christi non est physicè infinita; maximè quia nulla operatio Christi inquantum est homo, radicaliter procedens à gratia, est physicè infinita.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione D. Th. hîc ar. 11. vbi sic ait: alio modo potest considerari gratia, secundùm propriam scilicet rationem gratiæ: & sic gratia Christi potest dici infinita, eo quòd non limitatur, quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundùm aliquam certam mensuram, id quod ad rationem gratiæ pertinet, eo quòd secundùm propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura, secũdum illud Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto Filio suo: sicut si dicamus lucem Solis esse infinitam, non quidem secundùm suum esse, sed secundùm rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest: ecce quomodo D. Th. vocat gratiam Christi infinitam secundùm propriam rationem gratiæ; non quidem specificam constitutiuam gratiæ: hæc enim, cùm pertineat ad intrinsecam eius entitatem, si esset infinita, gratia, vt ens quoddam, esset dicenda simpliciter infinita; quod tamen prius negauit: sed secundùm rationem gratificandi, tam proprium subiectum animam scilicet Christi sanctissimam, quàm alios scilicet homines, & Angelos, est enim talis, quòd possit se extendere ad omnes tam actuales, quàm possibiles, si producerentur, & in eis causare omnes effectus possibiles gratiæ; quia est in Christo tanquam in vniuersali principio gratiæ, secundùm actualem Dei ordinationem, eo prope modo quo lux est in Sole vt in vniuersali principio, quod potest illuminare infinitos homines saltē successiuè, & habere oēs effectus lucis; propterea dicitur lux Solis in ratione lucis infinita: sed hoc est quid physicum in gratia Christi, vt patet: ergo gratia Christi est infinita physicè secundùm quid, in sensu explicato: quod indicat illud Ioannis 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio; quem locum D. Th. explicat etiam de gratia habituali.

Probatur tertia pars conclusionis in dictis supra. Gratia habitualis Christi Domini, propter habitudinem ad personam Verbi infinitè dignam, fuit principium, quo, operationum infiniti valoris, ratione cuius fuerunt meritoriæ præmij infiniti, satisfactoriæ etiam de toto rigore iustitiæ pro debito infinito generis humani: sed hoc non potuit esse, nisi gratia, quæ fuit principium harum operationum, fuisset simpliciter infinita in esse morali, scilicet infinitæ dignitatis ex coniunctione ad personam Verbi, nunquam enim effectus est perfectior causa, aut actus secundus excedit actum primum: ergo gratia habitualis Christi est simpliciter infinita in esse morali, secundùm habitudinem quam habet ad personam Verbi infinitè dignam. Hęc autem infinitas licèt sit realis, & in ratione entis moralis; non tamen est physica, aut in ratione entis physici, vt probatum est in prima parte conclusionis.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Aliquid potest dici simpliciter tale ex D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 10. ad 2. & infra quæst. 50. artic. 5. vel quia est tale absolutè & sine addito, vel quia est omnibus modis tale: sed licèt gratia habitualis Christi Domini non sit omnibus modis infinita, tamen in esse morali, & in esse gratiæ modo explicato est absolutè & sine addito infinita, vt ostensum est: ergo gratia habitualis Christi Domini potest dici simpliciter infinita, id est sine addito, non autem omnibus modis. Sicut si daretur linea infinita secundùm longitudinem, diceretur linea simpliciter infinita, quamuis in ratione entis esset finita; & hoc consonat dictis sanctorum Patrum, qui gratiam Christi, sicut & eius meritum, ac satisfactionem, simpliciter, absolutè, & sine addito vocant infinitam.

Ad primum ergo dicendum, quòd gratia Christi fuit sine mensura, & habuit plenitudinem in ratione gratiæ, non autem in ratione entis, & sic intelligenda sunt loca Scripturæ. Ad aliud dicendum cum D. Thom. hîc ad 3. quòd minus per augmentum potest peruenire ad quantitatem maioris, in his quæ habent quantitatem vnius rationis, sed gratia puræ creaturæ comparatur ad gratiam Christi, sicut quædam virtus particularis ad vniuersalem, vnde quantumcumque crescat, non potest adæquare gratiam Christi, id est, in ratione gratiæ; benè tamen in ratione entis & qualitatis physicæ. Ad aliud dicendum cum D. Thom. ibidem ad 2. quòd gratia habitualis Christi habet illam efficaciam infinitam, tum propter infinitatem prædictam in esse gratiæ, tum propter infinitatem diuinæ personæ, cui anima Christi, quæ operatur per gratiam, coniuncta est.

Ad secundum dicendum, quòd gratia habitualis Christi Domini est infinita tertio, quarto, & quinto modo, vt dictum est. Ad probationes in contrarium dicendum, quantùm ad primam quòd per esse gratiæ, non intelligitur differentia specifica, constitutiua illius in determinata specie, intra genus qualitatis habitualis de qua procedit & conuincit obiectio: sed intelligitur ratio principij gratificādi vt dictum est. Quantùm ad secundùm dicendum quòd est disparitas in gratia & aliis accidentibus quæ sunt in

M Christo,

Christo; nam gratia habitualis pertinet ad esse, constituit enim primò & per se animam in esse supernaturali & diuino; remotè autem & radicaliter tantum pertinet ad operari, sed tamen extenditur ad omnem operationem ordinis supernaturalis, cùm sit radix omnium virtutum, quæ sunt principia formalia & proxima operationum; vnde non mirum si ex coniunctione tam intima ad gratiam vnionis infinitam, quam consequitur vt quędam proprietas, habeat hanc infinitatem moralem; & dicenda sit simpliciter infinita: cùm tamen alia accidentia non dicantur simpliciter infinita; quia vel non ordinantur primò & per se ad esse, sed ad operationem, in ordine ad quam habent suum esse, & quantitatem; vel non habent hanc intimam vnionem cum persona, vt albedo & alia accidentia Corporis Christi; propterea non habent hanc infinitatem moralem, quamuis ex hoc non nihil dignitatis habeant. Quantum ad tertium, dicendum quòd, vt dictum est ex D. Th. gratia puræ creaturæ quantumcumque cresceret, semper esset virtus particularis, stante constituta Dei ordinatione, gratia autem Christi est virtus vniuersalis, se extendens ex Dei ordinatione ad omnes effectus gratiæ in aliis producendos: si autem Deus posito nouo ordine constitueret gratiam puræ creaturæ, vt virtutem vniuersalem; haberet quidem hanc infinitatem, nunquam tamen moralem illam prouenientem à supposito diuino, quæ infinitas à quibusdã vocatur modus physicus, sed immeritò, est enim quędam tantùm dignitas moralis, vt dictum est: nec enim Verbum diuinum potest esse modus physicus gratiæ, aut illum causare in gratia, cùm terminare humanitatem, in qua est gratia, non importet actionem physicam.

DVBIVM III.

Vtrùm gratia habitualis Christi Domini excedat in intensione, omnem gratiam Angelorum, & hominum collectiuè sumptam.

SVpponendum est, in Christo Domino fuisse plenitudinem gratiæ, iuxta illud Ioannis 1. Vidimus eum, quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Plenitudo autem gratiæ, vel alterius formæ; potest attendi vel secundùm quantitatem eius intensiuam, quando scilicet habetur, quantumcumque nata est haberi: vel secundùm quantitatem extensiuam, siue secundùm virtutem, quando scilicet habetur, ita quòd se extendat ad omnes suos effectus & operationes: ita D. Th. hîc ar. 9. hîc autem duplex gratiæ plenitudo, vt docet idem D. Th. ar. 10. potest attendi, vel ex parte ipsius gratiæ, vel ex parte habentis gratiam: ex parte gratiæ tunc est plenitudo, quando scilicet habetur in maxima excellentia, qua absolutè haberi potest intensiuè, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus: ex parte verò habentis tunc est plenitudo, quando quis habet plenè gratiam secundùm suam conditionem, siue secundùm suum statum, & officium ad quod à Deo eligitur, putà Matris Dei, Præcursoris, Apostoli &c. tam intensiuè, quàm extensiuè in ordine ad operationes & effectus omnes, tali statui & officio debitos.

Prima opinio aliquorum, etiam Thomistarum, negat gratiam habitualem Christi Domini excedere in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè sumptam. Probatur; videtur quòd in Christo non fuit plenitudo gratiæ: & si fuit, communis fuit aliis. Prima pars patet, quia non fuit gratia Christi infinita, sed potuit augeri: & similiter non emanauit in ipso omnes virtutes, quas solet in aliis emanare; non enim habuit fidem, spem, & pœnitentiam, & consequenter non fuit plenitudo intensiua, nec extensiua. Secunda etiam pars patet; nam Beata Virgo, S. Stephanus, & alij habuerunt eandem gratiæ plenitudinem: Beatæ quippe Virgini dicitur ab Angelo; Aue gratia plena: de Sancto autem Stephano dicitur Actuum. 7. Stephanus plenus gratia & fortitudine: ergo gratia habitualis Christi Domini non excedit in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum simul sumptam: cùm enim non fuerit infinita, nec plena; videtur sine fundamento admitti tanta intensio in illa.

Secundò; gratia habitualis fuit collata Christo Domino, à principio suæ conceptionis, iuxta dispositionem liberi arbitrij per actum charitatis: sed videtur impossibile quòd vnicus actus charitatis in illo instanti conceptionis elicitus, fuerit tam intensus, vt excederet intensionem omnium actuum charitatis Angelorum & hominum, ac sic exigeret intensiorem gratiam, quàm sit in omnibus illis collectiuè sumptis: ergo gratia habitualis Christi Domini non excedit in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum simul sumptam.

Tertiò; si quid suaderet ponere tam intensam gratiam in Christo: maximè esset quia est caput & Rex Angelorum & hominum, & sic in ipso tanquam in capite debet contineri omnis gratia in membra deriuanda: sed Christus non est caput Angelorum; non enim influit in ipsos gratiam, aut gloriam essentialem: & esto, influeret vt caput, adhuc non sequitur quòd Christus debuerit esse maior in gratia Angelis & hominibus simul sumptis: sicut nec caput materiale debet esse maius in quantitate toto corpore, simul etiam sumpta membra excedunt magnitudine caput: constat autem quòd est proportio & analogia inter caput materiale, & morale. Deinde, ex hoc etiam sequeretur quòd, quia Beatissima Virgo est Regina Angelorum

&

& hominum, & mediante ipsa omnis gratia creaturis communicatur, eius gratia excederet etiam in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè sumptam, quod non est dicendum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd in Christo Domino fuit plenitudo gratiæ, tam intensiua, quàm extensiua secundùm potentiam Dei ordinariam: 2. Non tantùm quæ se tenet ex parte subiecti habentis gratiam; sed etiam quæ se tenet ex parte ipsius gratiæ. 3. Et talis plenitudo fuit ipsi propria, & quasi debita tanquam proprietas gratiæ vnionis: 4. Propterea gratia habitualis Christi Domini excedit in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè sumptam.

Probatur prima pars conclusionis: tum authoritate Scripturæ Ioannis 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis. Item de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Et cap. 3. Non ad mensuram dat Deus spiritum Filio. Tum sequenti ratione: Tunc habetur plenitudo gratiæ tam intensiua, quàm extensiua secundùm potentiam Dei ordinariam, quando habetur in ea intensione, qua maior dari non potest ex diuina ordinatione, & se extendit ad omnes effectus gratiæ, iuxta eandem ordinationem possibiles: & hoc tam ex parte ipsius gratiæ, quàm ex parte subiecti illam habentis: sed talis est gratia Christi, vt statim dicetur: ergo in Christo Domino fuit plenitudo gratiæ tam intensiua, quàm extensiua secundùm potentiam Dei ordinariam.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum triplici ratione D. Thom. hîc art. 9. quantò aliquod receptiuum propinquius est causæ influenti, abundantius recipit: ergo anima Christi, quæ propinquius coniungitur inter omnes creaturas rationales, ratione vnionis hypostaticæ, maximam recipit influentiam gratiæ eius. Deinde, anima Christi gratiam recipiebat, vt ex ea quodammodo transfunderetur in alios: ergo oportuit quòd haberet maximam gratiam; sicut ignis qui est causa caloris in omnibus calidis, est maximè calidus. Denique, anima Christi habuit gratiam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ; quia conferebatur ei tanquam cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam; virtus autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis iuxta Dionysium 4. de Diuinis Nominibus, & Philosophum dicentem, quòd primum in vnoquoque genere est causa cæterorum illius generis: ergo in Christo est plenitudo gratiæ, tenens se ex parte ipsius, tam intensiua, quàm extensiua. Quòd autem sit plenitudo tenens se ex parte subiecti, patet tum ex illo ad Coloss. 1. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Tum etiam, quia Deus dat vnicuique gratiam iuxta exigentiam officij ad quod eligitur, putà Apostolatus, quia Deus eligendo officium, non supponit, sed reddit idoneum; propterea dicitur ad Ephes. 4. Vnicuique nostrûm gratia data est secundùm mensuram donationis Christi: ergo etiam dedit Christo gratiam exigitam ab ipso, iuxta suã dignitatem; & ita habuit plenitudinem gratiæ tenentem se ex parte subiecti.

Probatur tertia pars conclusionis. Tum authoritate Scripturæ loco citato ad Coloss. & Ioannis 1. vbi gratię plenitudo attribuitur Christo, quia est vnigenitus: & 3. vbi dicitur; Non ad mensuram dat Deus spiritum Filio; & tandem ad Ephesios 4. Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Ex quibus planè liquet plenitudinem gratiæ se tenentem ex parte ipsius gratiæ fuisse propriam Christo. Deinde, gratia vnionis hypostaticæ soli Christo communicata, exigit tanquam proprietatem quandam, summam gratiam, quæ iuxta Dei ordinationem, ac proinde iuxta potentiam Dei ordinariam concedi possit; nam esse Filium Dei naturalem trãscendit omnem aliam dignitatem & officium, vt patet; iuxta cuius diuersitatem dat Deus maiorem & minorem gratiam. Deinde, exigit gratiam tanquam in vniuersali principio, à quo transfundatur in alios, iuxta illud; De plenitudine eius nos omnes accepimus; vnde in solo Christo habuit plenitudinem intensiuam quantùm ad esse, & extensiuam quantùm ad virtutem & operationem: ergo plenitudo gratiæ tam intensiua, quàm extensiua tenens se ex parte ipsius gratiæ fuit propria Christo, vt docet D. Thom. art. 10.

Probatur quarta pars conclusionis, tum ex prædictis authoritatibus Scripturæ, ex quibus manifestè sequitur, vt statim dicetur: nam si de plenitudine eius omnes creaturæ rationales accipiunt quasdam tantùm particulas, nunquam adæquabunt etiam simul collectæ eius plenitudinem: & hoc quia est vnigenitus & Filius naturalis: propterea dicitur ad Hebræos 1. Tanto melior Angelis effectus (non solùm in gratia vnionis, sed etiam in gratia habituali) quanto differentius præ illis nomen hæreditauit; cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et Cyrillus libr. 1. in Ioann. capit. 17. ait: Sancti veluti vernæ in domo sunt, filius autem in domo sua versatur: vnde concludit quòd alij Sancti habuerunt quædam gratiæ munera, Christus amplam & totam hæreditatem. Quod item confirmat illud; Non ad mensuram dat Deus spiritum Filio; & vnicuique nostrûm gratia data est

est secundùm mensuram donationis Christi. Deinde D.Thom. 1.p.q.20.artic.4. ad 1. docet Deum plus amare naturam humanam assumptam à Dei Verbo in persona Christi, quàm omnes Angelos, & esse illis meliorem, maximè ratione vnionis: ly, maximè, denotat, quòd non solùm ratione gratiæ vnionis, sed etiam gratiæ habitualis & donorum supernaturalium, humanitas Christi sit melior quàm omnes Angeli; imò quàm tota creaturarum vniuersitas, vt ait S. Doctor in corpore articuli: nam in naturalibus est inferior Angelis iuxta illud Psalmi: Minoratus paulominus ab Angelis. Denique, vt constat ex dictis, gratia habitualis fuit in Christo tanquam in vniuersali principio, siue causa à qua transfunderetur in alias iuxta mensuram donationis, ita vt sit quasi causa æquiuoca: sed omnis effectus debet præhaberi in virtute causæ, vt patet, vnumquodque enim agit inquantum est actu, & nemo dat quod non habet: & sit causa quantùm ad aliquid æquiuoca, vt contingit in præsenti; nam gratia in Christo se extendit ad plura, ad quæ non se extendit in quocumque alio, nec in aliis collectim sumptis; est talis forma eminentiori modo in ipso, quàm in omnibus collectim sumptis, ac proinde maior: ergo gratia habitualis Christi Domini excedit in intensione omnem gratiam Angelorum & hominum collectiuè sumptam; & licèt humanitas Christi non sit causa principalis physica, sed tantùm instrumentalis gratiæ in aliis: est tamen instrumentum talis rationis, quòd habeat formaliter & completè formam quam in aliis causat, ad instar aquæ calefacientis, licèt hæc non sit propriè instrumentum: quia de ratione instrumenti naturalis, quale esset aqua, est vt concurrat per propriam formam ad actionem principalis agentis præuiè disponendo: calefactio autem repugnat propriæ formæ aquæ scilicet frigiditati, & solùm illi conuenit ratione caloris, qui est in illa violenter. Tale autem instrumentum debet habere formam quam causat, ad minus æquè intensam ac est in omnibus aliis: & insuper Christus, vt homo, est causa principalis moralis totius gratiæ in omnibus, siue Angelis, siue hominibus causatæ, vt postea dicetur: saltem potuit esse etiam in infinitis possibilibus, ad quod requiritur excessus intensionis gratiæ Christi supra gratiam omnium aliorum ex congruentia.

AD primum ergo dicendum, quòd gratia Christi Domini licèt fuerit finita, tamen fuit summa quæ danda erat ex Dei ordinatione; vnde potuit excedere collectionem totius gratiæ omnibus aliis collatæ. Ad aliud dicendum cum D. Thom. hîc artic. 9. ad 1. quòd fides, spes, & pœnitentia nominant effectus gratiæ in quodam defectu, qui est ex parte recipientis gratiam, inquantum scilicet fides est de non visis, spes de non habitis, pœnitentia de peccatis: vnde non oportet quòd in Christo, qui est author gratiæ, fuerint defectus, quos important fides, spes, & pœnitentia: Sed quicquid est perfectionis in fide, spe, & pœnitentia in Christo est multo perfectius. Ad aliud dicendum cum D.Th. hîc art. 10. ad 1. quòd Beata Virgo dicta est plena gratia: non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam, quia scilicet habuit gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa à Deo, vt esset scilicet Mater Vnigeniti eius, & similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem, ad hoc quòd esset idoneus minister & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de aliis: harum tamen plenitudinum vna est plenior altera, secundùm quòd aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum.

AD secundum dicendum, quòd tota gratia & gloria essentialis, quam habet Christus Dominus, fuit illi data ab instanti conceptionis, tanquam proprietas quædam gratiæ vnionis, vnde illam non præcesserunt merita, sed omnia merita illam consequuntur: & sic actus intensissimus charitatis, qui fuit in Christo ab instanti conceptionis suæ, non fuit causa, sed effectus gratiæ: & esto, potuerit esse causa, adhuc dicendum quòd fuit ita intensus, tantùmque Deo placuit, vt excedat intensionem omnium actuum charitatis puræ creaturæ simul sumptorum; vnde meruisset gratiam habitualem intensiorem tota collectione gratiæ quæ fuit in aliis.

AD tertium dicendum, quòd Christus Dominus est caput etiam Angelorum, quantùm ad gratiam habitualem, & gloriam essentialem, vt infra dicetur: Deinde sufficit quòd potuerit esse. Nec analogia capitis mystici ad naturale debet in omnibus tenere: sed tenet in maiori nobilitate, maiori perfectione, quàm sit in omnibus membris; maximè in influxu eius ad omnia membra; non autem in quantitate molis. Quantùm ad Beatissimam Virginem certissimum est in Ecclesia, quòd eius gratia habitualis multùm excedit gratiam cuiuscumque alterius puræ creaturæ, iuxta illud: Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna: vtrùm verò excedat collectionem totius gratiæ concessæ puris creaturis, aliqui piè credunt; alij negant, & asserunt discrimen inter gratiam eius, & gratiam Christi: quòd gratia eius fuit gratia singularis personæ, quæ non influit in alios nisi per modum impetrantis: gratia autem Christi fuit gratia capitis, & vniuersalis principij moraliter in alios per meritum, & physicè etiam influentis.

DVBIVM

DVBIVM IV.

Vtrum gratia habitualis Christi Domini potuerit augeri.

SVpponenda sunt tria certa apud omnes Catholicos. Primum est; quòd gratia vnionis in Christo non potuit augeri, quia nec meliori personæ, nec magis eius sanctissima humanitas potuit vniri; cùm fuerit vnita diuinæ Personæ in esse personali,& sic habet quandam infinitatem. Secundum est; quòd nec gratia habitualis Christi potuit augeri secundùm dignitatem moralem; hæc enim dignitas prouenit ei ex quadam vnione ad diuinam personam, ratione subiecti in quo est eidem diuinæ personæ hypostaticè vniti, vnde cùm non possit dari persona dignior, cùm sit diuina; nec eius dignitas moralis potest esse maior. Tertium est, quòd gratia habitualis Christi nunquam in esse physico fuit aucta; nam in primo instanti conceptionis gratia & gloria fuerunt Christo collatæ in tota intensione quam habuerunt; tanquam proprietates vnionis hypostaticæ, nec proinde potuit augeri de potētia Dei ordinaria, quia ex Dei ordinatione talis gratia,vt pote dicens ordinem ad gratiam vnionis, fuit summa quæ cōmunicanda erat. Hoc probat D.Th. hîc art.12.Nec obstat quòd habetur Lucæ 2. Puer Iesus proficiebat sapiētia,& ætate,& gratia apud Deum & homines:quia vt docet ibidem D.Th. ad 3. hic profectus non fuit quantum ad habitus sapientiæ & gratiæ, sed quantum ad opera sapientiora & virtuosi ora, quia secundùm processum ætatis perfectiora opera faciebat, vt se verum hominem demonstraret, & in his quæ sunt ad Deum, & in his quæ sunt ad homines. Vnde tota difficultas restat in ordine ad potentiam Dei absolutam.

Prima opinio, quæ attribuitur Scoto, Durando, & aliis;asserit gratiam habitualem Christi Domini, etiam de potentia Dei absoluta, non potuisse augeri. Probatur authoritate Magistri sententiarum in 3. d.13. & D.Thom. hîc art.9. & 10. vbi probat in Christo fuisse plenitudinem gratiæ: & art.12.vbi dicit quòd gratia Christi fuit in summo, secundùm perfectissimum gradum quo haberi potest. Ratio eius est, quia gratia sicut & quælibet res, habet suam mensuram ex fine ad quem ordinatur: constat autem quòd finis gratiæ sit vnire Deo: ergo cùm non possit esse, aut intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quàm quæ est in persona, gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ; & ita absolutè non potest augeri.

Secundò, singulis qualitatibus datur certus terminus augmenti, vltra quem augeri non possunt, vt dicitur Sap.11. Omnia in numero, pondere & mensura disposuisti: & hoc maximè in proprietatibus, quæ commensurantur suis principiis à quibus connaturaliter procedunt: ergo cùm gratia habitualis Christi sit proprietas vnionis hypostaticæ, quæ est maxima causa possibilis, debet esse in Christo summa quæ potuit esse; & ita non potuit augeri: maximè quia se extendit ad omnes effectus possibilis gratiæ, & reddit Christum summè gratum Deo.

Tertiò; ex opposito sequuntur duo inconuenientia. Primum est, quòd si gratia habitualis Christi potuit augeri, etiam potuit augeri gloria eiusdem Christi;gratiæ enim correspondet gloria vt semini: constat autem ex D.Th. 1.p. q.12. art. 10. & communi consensu Theologorum, quòd gloria non potest augeri.Secundum est, quòd posset dari gratia alicuius puræ creaturæ maior gratia Christi; si enim hæc non est in summo, potest absolutè dari alia maior; ac proinde posset etiam dari maior gloria puræ creaturæ quàm gloria Christi,cùm gloria commensuretur gratiæ: quod tamen est absurdum, nam filius adoptiuus plus hæreditatis acciperet à Patre, quàm filius naturalis vnigenitus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum,quòd etsi secundùm potentiam Dei ordinariam gratia habitualis Christi Domini augeri non potuerit: 2.De potentia tamen absoluta potuit augeri in esse physico. Ita communiter Theologi.

Probatur secunda pars conclusionis, in qua sola est difficultas, authoritate D. Thom. hîc artic.11. vbi dicit, quòd gratia Christi secundùm quod est quoddam ens, est finita: ergo absolutè potest augeri: Consequentia statim probabitur. Et art. 12.ad 2.respondens huic obiectioni, augmentum gratiæ fit per virtutem diuinam: sed virtus diuina cùm sit infinita, nullo termino coarctatur: ergo videtur quòd gratia Christi potuerit esse maior.Sic habet;virtus diuina, licèt possit facere aliquid maius & melius,quàm sit habitualis gratia Christi; non tamen posset facere quòd ordinaretur ad aliquid maius, quàm sit vnio personalis ad Filium vnigenitum à Patre,cui vnioni sufficienter correspondet talis mensura gratiæ, secundùm diffinitionem diuinæ Sapientiæ: ecce quomodo D.Thom. ponit tantùm gratiam Christi habitualem esse summam, ratione finis ad quem ordinabatur; & adhuc iuxta diffinitionem diuinæ Sapientiæ, cui talis & tanta mensura gratiæ visa est sufficiens: non autem summam absolutè & in se, quasi diuinitus non potuerit augeri; cùm fateatur Deum in genere gratiæ potuisse facere aliquid maius & melius, quàm sit habitualis gratia Christi.

Secundò; si gratia habitualis Christi Domini nōn potuisset augeri de potentia Dei absoluta: vel hæc impossibilitas se teneret ex parte principij productiui gratiæ: vel ex parte ipsius

gratiæ: vel ex parte subiecti receptiui: vel ex parte alicuius annexi, vt patet ex sufficienti dinumeratione: sed nullum istorum obstat: Non primum, quia principium productiuum gratiæ est Deus ipse omnipotens, cuius virtuti infinitæ nihil est impossibile, iuxta illud Archangeli Gabrielis; Non est impossibile apud Deum omne verbum: vnde nullus Theologus in quacumque materia assignat implicantiam ex parte Dei. Non secundum, quia ex D. Thom. 2. 2. qu. 24. art. 7. charitas, cùm sit quædam participatio infinitæ charitatis quæ est Spiritus Sanctus, secundùm rationem propriæ speciei non habet aliquem terminum augmenti, ita vt data quacumque possit dari maior, ipsáque augeri: ergo idem dicendum de gratia habituali; tum ex paritate rationis, quia est participatio quædam diuinæ naturæ formalissimè in se consideratæ quæ est infinita; tum quia charitas & aliæ virtutes emanant à gratia, vt quædam proprietates, vnde debent ei commensurari; tum quia charitas est ad operandum, gratia verò ad essendum, operari autem sequitur esse, & ei proportionatur tam in ordine, quàm in intensione siue dignitate; tum denique quia sicut lumen gloriæ & visio beatifica correspondent charitati, sic & gratię: constat autem quòd lumen gloriæ & visio beatifica Christi Domini potuerint augeri; cùm enim vt homo Deum finitè videat, non enim comprehendit, vt infra dicetur, potest magis videre: ergo etiam gratia habitualis eius potuit augeri. Et radix huius est, quia diuina natura est infinitè participabilis; & sic data quacumque participatione eius per gratiam, potest dari in infinitum maior & maior. Non tertium, quia capacitas subiecti receptiui gratiæ, non est naturalis, sed obedientialis: & hæc secundùm se non est limitata & finita, sed est infinita, & commensuratur Deo imperanti, & operanti: ergo cùm non sit impossibilitas ex parte Dei, nec ex parte subiecti receptiui gratiæ: poterit recipere maiorem & maiorem in infinitum. Imò D. Thom. loco citato dicit excrescente charitate, semper superexcrescere habilitatem ad vlterius augmentum: quod idem est de gratia. Non quartum, quia gratia habitualis in anima Christi nihil potest habere, quod impediat eius augmentum, cùm ex natura sua sit intensibilis; nihil enim habet aliud quàm dignitatem quandam moralem, ex mediata vnione ad Verbum: hæc autem vnio potius exigit maius eius augmentum, cùm non sit infinita: & hæc vnio exigeret infinitam gratiam, si esset infinita actu possibilis; saltem non repugnat eius augmento, & ratione illius data est Christo summa gratia quæ danda erat, imò excedens omnem aliam communicandam collectiuè sumptam: ergo gratia habitualis Christi Domini de potentia Dei absoluta potuit augeri in esse physico.

Ad primum ergo dicendum, quòd Magister sententiarum & D. Th. dicunt in Christo fuisse plenitudinem gratiæ, siue gratiam in summo, attenta Dei potentia ordinaria siue ordinatione diuina, quâ statutum est non fore dandam maiorem gratiam, quàm sit gratia Christi. Ad rationem dicendum, quòd gratia habitualis non vnit Deo, nisi per similitudinem participatam: vnio autem hypostatica non est effectus eius; quia tamen conueniens fuit vt humanitas hypostaticè vnita Verbo, esset summè Deo grata præ aliis, ideo benè concludit Diuus Thomas quòd secundùm potentiam Dei ordinariam gratia Christi habitualis, ordinata ad gratiam vnionis, vt quædam eius proprietas, fuerit summa, ac proinde secundùm eandem potentiam non potuerit augeri.

Ad secundum dicendum, quòd qualitates naturales, quia respiciunt potentias naturales limitatas & finitas, habent terminum augmenti, proportionatum ipsis potentiis, quibus debēt commensurari: & similiter proprietates commensurantur suis principiis, si veræ sint proprietates, naturaliter & necessariò ab illis emanantes: quorum neutrum reperitur in gratia, quia non recipitur secundùm potentiam naturalem, sed secundùm obedientialem infinitam; nec est proprietas propriè dicta gratiæ vnionis, cùm hæc potuerit esse sine gratia habituali: vnde producitur per nouam actionem, & liberè; vnde limitata producitur, sufficiens tamen in ordine ad illum finem, quem tamen non adæquat: vnde non est maxima possibilis: & quamuis attingat omnes effectus gratiæ possibiles, non tamen perfectissimo modo possibili, quia habitus virtutum ab illa emanati potuerunt esse intensiores. Nec obstat ille locus Sapientiæ; cùm solum dicat omnia de facto esse producta in numero, pondere, & mensura; quia sunt actu finita in essentia, proprietatibus, & inclinatione: sed non negat, quin aliqua intra suam speciem finitam, possint magis intendi & esse perfectiora, vt hîc dicitur de gratia Christi.

Ad tertium dicendum, quòd nullum est inconueniens dicere, quòd gloria Christi de potentia Dei absoluta potuit augeri: nec negant Theologi cum D. Thom. gloriam posse augeri & perfici; sed tantùm quòd de facto augeatur, vnde æternitas participata quæ est eius mensura, non excludit mutabilitatem, sicut excludit æternitas per essentiam; sed tantùm excludit mutationem. Ad aliud dicendum, quòd non est incōueniens admittere, quòd Deus potuerit dare puræ creaturæ maiorem gratiam physicè, quàm Christo: tamen Christus esset infinitè magis gratus Deo, ratione gratiæ vnionis. Quātum ad gloriam respondent aliqui, quòd Christo semper daretur maior propter gratiam vnionis: alij dicunt quòd sicut modo gloria correspondet gratiæ habituali; sic etiam, dato illo

casu,

casu, & ita esset maior gloria puræ creaturæ: nam si potuit Deus absolutè assumere humanam naturam, vel aliam, absque eo quòd vllam daret illi gratiam & gloriam, multò magis potest illi dare minorem gratiam & gloriam: licèt autem persona Christi subsistens in vtraque natura, diuina & humana, sit persona Filij Dei naturalis; hoc tamen non habet ratione vtriusque naturæ, sed solùm ratione diuinæ, siue inquantùm Deus reduplicatiuè: & vt sic necessarium est quòd in beatitudine excedat filios adoptiuos; quamuis sit conueniens vt etiam excedat inquantum homo, non autem est necessarium.

DVBIVM V.

Vtrùm virtutes morales acquisitæ, fuerint per accidens Christo infusæ.

SVpponendum est, virtutes diuidi in infusas & acquisitas: infusæ omnes dimanant à gratia habituali quasi proprietates, vnde repetiuntur in omni habenti gratiam, & iuxta modum gratiæ, ac proinde in Christo fuerunt in gradu heroïco omnes, exceptis illis quæ important, aut connotant imperfectionem, quales sunt fides quæ excludit visionem, spes quæ excludit possessionem, & pœnitentia quæ connotat peccatum. Virtutes infusæ, sic dictæ quia emanant à gratia habituali quæ infunditur, subdiuiduntur in Theologicas & Morales: Theologicæ sunt Fides, Spes & Charitas; sic dictæ quia immediatè respiciunt Deum: Morales sunt plurimæ, quæ tamen omnes reducuntur, vel vt partes subiectiuæ, vel vt partes potentiales, vel vt partes integrantes, ad quatuor Cardinales, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem & Temperantiam. Acquisitæ sunt illæ, quæ proprio studio & industria acquiruntur, & correspondent infusis, iisdémque nominibus appellantur: differũt autẽ specie ab illis ex diuerso motiuo tendendi in sua obiecta; nam virtutes infusæ tendunt ex motiuo supernaturali, acquisitæ verò ex motiuo naturali. Quòd autem præter virtutes infusas, dentur istæ acquisitæ, manifestè apparet in infidelibus, & peccatoribus, quia non habent infusas quæ sine gratia esse non possunt; (& quamuis Fides, & Spes recedente gratia remaneant, tamen infunduntur cum gratia,) & nihilominus videmus quòd exercent actus virtutum moralium facilè, constanter, & delectabiliter: quod sine habitibus fieri non potest; proprium enim est habitus dare hanc facilitatem, constantiam, & delectationem in operando: experimur enim difficultatem, inconstantiam, & fastidium in exercendis operibus virtuosis, antequam multis actibus acquisierimus tales habitus.

Prima opinio negat absolutè in Christo fuisse tales virtutes, quæ ex natura sua dicuntur acquisitæ. Probatur authoritate D. Thom. hîc art. 2. vbi attribuit tantum Christo virtutes, quę fluunt à gratia habituali: tales autem sunt infusæ. Et in responsione ad 2. & 3. negat in Christo virtutes secundùm statum imperfectum: constat autem virtutes acquisitas esse valde imperfectas. Et in 3. D. 33. qu. 1. art. 4. dicit virtutes acquisitas non remanere in Beatis: ergo non fuerunt in Christo, qui ab instanti suæ conceptionis fuit beatus inter omnes perfectissimus, ac primus. Deinde, virtutes acquisitæ ponuntur à Philosophis & Theologis ad refrænandas & moderandas passiones appetitus sensitiui: sed in Christo non fuerunt immoderatæ passiones, sed moderati fuerunt & optimè ordinati actus appetitus sensitiui; qui propterea in ipso dicuntur propassiones: & hoc ideo quia in Christo non fuit fomes peccati, à quo istæ inordinationes oriuntur; ergo in Christo non fuerunt virtutes acquisitæ: maximè magnificentia, cuius actum propter voluntariam paupertatem exercere non potuit. Denique, tales virtutes vel fuissent superfluæ, quia habebat infusas eis correspondentes: vel potuisset mediis illis operari ex motiuo purè naturali, quod fuisset indecens Christo, qui debuit semper operari ex motiuo supernaturali perfectissimo: ergo in Christo non fuerunt tales virtutes acquisitæ.

Secunda opinio tenet in Christo fuisse tales virtutes, ipsásque acquisisse propriis actibus. Probatur, quod habetur ex propria industria & labore, habetur nobiliori modo, quàm si habeatur ex dono: nam primo modo habetur vt proprium: secundo autem habetur vt datum; constat autem quòd in Christo debent poni virtutes istæ nobiliori modo, quo haberi possunt. Deinde, prudentia cùm dependeat ex multis speciebus, esse non potuit in Christo ab instanti suæ conceptionis, sicut nec illæ species: ergo illam acquisiuit successu temporis, & consequenter etiam alias. Denique, non minus pertinet ad perfectionem Christi scientia acquisita, ac pertinent virtutes acquisitæ: sed ex D. Thom. infrà q. 9. ar. 4. Christus propria industria acquisiuit scientias, quæ non sunt per se infusæ: ergo & virtutes morales.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd virtutes ex genere suo acquisitæ, fuerunt in Christo in gradu heroïco: 2. Ab instanti suæ conceptionis per accidens infusæ, quæ tamen non pugnant cum perfectione status Christi. Ita communiter Thomistæ.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. hîc ar. 2. ad 3. vbi concedit Christo Temperantiam vt distinguitur ex Aristotele à Continentia: constat autem quòd Aristoteles, vt pote gentilis, non agnouit aliam

Tem

Temperantiam quàm acquisitam: Tum sequentibus rationibus; Omnis perfectio quæ est in Beatis, & non repugnat vnioni hypostaticæ, concedenda est Christo; cùm ipse sit caput Angelorum & hominum, omnem eorum continens perfectionem: sed virtutes ex genere suo acquisitæ sunt perfectiones quæ remanent in Beatis, vt indicat nomen & ratio virtutis, ac communiter docent Theologi cum S. August. lib. 14. de Trinitate, cap. 9. & D. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 1. ergo fuerunt in Christo: non enim repugnant vnioni hypostaticæ. Deinde, conceditur Christo scientia acquisita, vt postea dicetur ex Diuo Thom. quia debuit perfici Christi intellectus tam in ordine naturali, quàm in supernaturali, vt scilicet actus scientiæ tam acquisitæ, quàm infusæ connaturaliter eliceret, ac facilè: ergo cùm non sit minor difficultas in eliciendis actibus virtutum moralium acquisitarum; imò maior, vt patet: & non minus debeant perfici aliæ potentiæ humanitatis Christi, cùm inquantum homo sit subiectus legibus iuris naturalis, debuerunt in ipso esse virtutes morales, tam infusæ vt perficerentur in ordine supernaturali, quàm acquisitæ vt perficerentur etiam in ordine naturali; cùm sit maxima perfectio elicere actus virtutum ex omni motiuo honesto, & honestas naturalis multùm facilitet, & conducat ad honestatem supernaturalem, & vtraque simul plus efficaciæ habeat, quæ necessaria est sæpe ob arduitatem operis, putà vt sanctissima eius humanitas tam afflicta in vigilia Passionis, acceptaret mortem quam refugiebat & horrebat: ergo virtutes ex genere suo acquisitæ fuerunt in Christo. Quòd autem fuerint in gradu heroïco docet D. Thom. hîc art. 2. ad 2. dicens in ipso fuisse vltra gradum communem. Et infra quæst. 15. art. 2. docet virtutes fuisse in Christo in gradu perfectissimo: & ex hoc concludit in Christo non fuisse fomitem peccati; debet autem intelligi tam de virtutibus infusis, quàm acquisitis, cùm par sit ratio quantum ad hoc; & manifestatur ex summa moderatione quæ in omnibus Christi operibus sensitiuæ etiam partis eluxit.

Probatur secunda pars conclusionis, quam sequuntur Asturnensis quæst. 1. de gratia Christi, & Aluares in præsenti disp. 32. Christus Dominus fuit plenus gratia & virtute ab instanti suæ conceptionis: ergo sicut tunc accepit totam gratiam habitualem quam vnquam habuit, eámque maiorem tota collectione gratiæ hominum & Angelorum: sic accepit omnes virtutes tam infusas, quàm acquisitas non repugnãtes ob suam imperfectionem cum vnione hypostatica, easque in summa intensione: si enim virtutes ex genere suo acquisitas tunc non accepisset, vel non in summa intensione, non posset dici plenus virtute ex tunc; quod tamen debet affirmari, omnis enim perfectio fuit communicata Christo ab instanti suæ conceptionis, quam habiturus erat, & tunc erat possibilis. Deinde, omnis maior perfectio debuit Christo attribui quantùm ad modum habendi: sed perfectior est modus habendi aliquid, per modum proprietatis & quasi sibi debitum, quàm habere illud acquisitum suo labore & industria: primum enim denotat maiorem perfectionem habentis; propterea ponimus in Christo ab instanti suæ conceptionis gratiam habitualem infusam cum virtutibus ab ea profluentibus, per modum proprietatum gratiæ vnionis & quasi debitas: ergo idem dicendum de virtutibus ex genere suo acquisitis, quæ non important aut connotant imperfectionem Christo incompossibilem, quales sunt Pœnitentia de peccatis, ex honestate naturali, Continentia ab illicitis motibus appetitus concupiscibilis, & Perseuerantia contra motus irascibilis: quamuis vltimæ duæ deficiant à ratione perfectæ virtutis, quia non reddunt perfectum ipsum subiectum in propria materia, vt docet D. Thom. ex Philosopho hîc art. 2. ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. in primo loco attribuit Christo virtutes morales infusas: quia ibi agit de gratia habituali; vnde debebat etiam agere de illis virtutibus, quæ sunt proprietates & deriuationes ipsius gratiæ habitualis: non autem debebat agere de acquisitis, quæ ad gratiam non pertinent; illas tamen ibi non excludit à Christo. In secundo loco tantùm negat virtutes esse in Christo secundùm gradum imperfectum, siue sint ex genere suo acquisitæ, siue infusæ: sed hoc non est contra dicta; quia ponimus quascumque virtutes in Christo in gradu summo & heroïco. Tertium locum correxit D. Thom. vt dictum est. Ad aliud dicendum, quòd virtutes acquisitæ secundùm gradum communem, dantur ad moderandas passiones, & sic non fuerunt in Christo: secundùm autem gradum heroïcum, qualiter fuerunt in Christo, dantur ad facilè, delectabiliter, & perfectè eliciendas operationes circa proprias materias, iuxta regulas rationis. Quantum ad magnificentiam, dicendum cum D. Thom. hîc art. 2. ad 3. quòd Christus illam exercuit in summo, quando omnes diuitias contempsit: deinde sufficit actus internus, cùm deest materia externi. Ad aliud dicendum, quòd virtutes infusæ facilitant, & eleuant potentiam in ordine tantùm ad actus supernaturales, & procedunt ex motiuo solo supernaturali: vnde non sunt superfluæ virtutes ex genere suo acquisitæ, quæ respiciant actus virtuosos naturales, & ex motiuo naturali. Nec est inconueniens quòd Christus operetur ex motiuo purè naturali, vt dictum est; dummodo non excludatur positiuè motiuum superna-

turale

turale, & actus ordinentur vel explicitè, vel saltem implicitè ad finem supernaturalem honoris Dei: vnde non debuit semper Christus operari ex motiuo supernaturali perfectissimo.

Ad secundum dicendum vt supra, quòd illud quod habetur per modum proprietatis, est magis proprium, & magis declarat perfectionem subiecti; quàm illud quod acquiritur proprio labore; & hoc contingit in præsenti. Ad aliud dicendum, quòd habitus Prudentiæ, sicut & alij, fuerunt Christo infusi ab instanti conceptionis; non autem omnes species, à quibus dependet tantùm in exercitio suorum actuum. Ad aliud dicendum, quòd est disparitas inter scientias acquisitas, & virtutes morales item acquisitas: quia ex infusione scientiarum acquisitarum, si facta fuisset in instanti conceptionis, saltem quoad omnimodam perfectionem tam intensiuam, quàm extensiuam quæ dependet à speciebus repræsentantibus obiecta, sequitur fore inutilem & superfluum intellectum agentem in Christo; cùm tamen debuerit esse, cùm sit de integritate naturæ humanæ: & ex alia parte Deus & natura nihil faciunt frustra, ex Arist. 1. de Cœlo; nullum enim habet aliud officium intellectus agens, quàm abstrahere species à phantasmatibus: & ita hæ scientiæ non debuerunt infundi: virtutes autem morales si infundantur, nullum tale afferunt inconueniens. Hæc solutio colligitur ex D.Thom. infra, q.9.art.6.

DVBIVM VI.

Vtrùm Christus Dominus sit caput mysticum Ecclesiæ, ex Angelis & hominibus constitutæ.

SVpponendum est ex D.Thom. hic quæst. 8. art. 1. & q. 29. de Veritate, art. 4. quòd tota Ecclesia, vt includit militantem, & triumphantem adintegratam ex Angelis & Hominibus, dicitur vnum corpus mysticum, per similitudinem ad naturale corpus hominis: nam sicut hoc secundùm diuersa membra naturalia habet diuersos actus, quæ membra sunt ordinata; sic corpus mysticum Ecclesiæ continet multa & diuersa membra mystica, cùm sit multitudo ordinata in vnum, secundùm distinctos actus, & officia. Hoc docet S. Paulus ad Roman. 12. Item 1. ad Cor. 11. Et sicut corpus humanum esset monstruosum, nisi haberet caput; sic & corpus mysticum Ecclesiæ. Ad rationem autem capitis tria concurrunt, videlicet ordo, perfectio, & virtus. Ordo, quia caput est prima pars corporis naturalis, incipiendo à superiori, vnde omne principium dicitur caput. Perfectio autem, quia in capite vigent omnes sensus, & interiores & exteriores, cùm in cæteris membris sit solus tactus. Virtus denique, quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus est à capite, propter vim sensitiuam & motiuam ibi dominantem, mediis neruis qui omnes à capite originem ducunt. Et quia caput mysticum per transsumptionem à capite naturali dicitur, hæc tria enumerata debent in capite mystico reperiri: quòd sit primum inter membra: quòd sit dignius & perfectius cæteris, habens vnitè quicquid perfectionis est in illis dispersum: & tandem quòd in ipsa influat vitam, virtutem, & motum in omnibus dirigendo. Inuenitur etiam triplex conformitas capitis ad membra: Prima, secundùm naturam, nam caput & cætera membra sunt partes vnius naturæ. Secunda, ratione ordinis, inquantum membra omnia subseruiunt sibi inuicem ex Apost. 1. Cor. 12. Tertia, ratione continuitatis, nam caput cæteris membris in corpore naturali continuatur: Et hæc quoque cum quadam proportione inter caput mysticum & eius membra debent reperiri.

Prima opinio potest esse, quòd Christus Dominus non sit verè & propriè caput mysticum Ecclesiæ. Probatur; Si Christus esset caput mysticum Ecclesiæ: vel hoc esset inquantum Deus, vel inquantum homo: non inquantum Deus, cùm non sit eiusdem naturæ cum membris reliquis, scilicet Angelis & hominibus; tum etiam quia caput est membrum, & pars corporis indigens aliis membris, quæ Deo non conueniunt: nec inquantum homo; tum quia ex August. 1. de Trinit. cap. 12. Christus inquantum est homo, non dat Spiritum Sanctum; tum quia capitis non datur caput: ex Apost. autem 1 ad Corinth. cap. 11. caput Christi est Deus, tum quia Christo non veniente, adhuc fuisset Ecclesia, & habuisset caput: tum quia Angeli pertinent ad Ecclesiam, quorum caput non est Christus vt homo: tum quia non est membrum: ergo Christus non est verè & propriè caput Ecclesiæ.

Secunda opinio esse potest, quòd Christus non sit caput totius Ecclesiæ constitutæ ex hominibus: tum quia Christus non potuit influere (quod pertinet ad rationem capitis) in Sanctos Patres qui ipsum præcesserunt, nam operari sequitur esse: tum quia nihil influit in fideles peccatores, qui tamen pertinent ad Ecclesiam: tum quia Christus est tantùm caput fidelium, & tamen sunt aliqui homines iam beati, qui pertinent ad Ecclesiam, & nihil recipiunt à Christo: tum quia in capite debent esse omnes sensus qui sunt in corpore ex August. ad Dardanum: & tamen in Ecclesia est aliquis sensus spiritualis qui non est in Christo, scilicet Fides, & Spes: ergo Christus non est caput totius Ecclesiæ constitutæ ex hominibus.

Tertia opinio asserit Christum inquantum hominem non tam propriè esse caput Angelorũ quàm hominum, nec eodem modo. Probatur,

tum authoritate expressa D. Thom. in 3. d. 13. quæst. 2. art. 2. tum quia non est eiusdem naturæ: tum quia de ratione capitis est, vt influat vitam, & motus omnes in membra; & tamen Christus non influit vitam spiritualem in Angelos, hæc enim consistit in gratia habituali, & gloria essentiali; quam tamen Angeli non habent à Christo, ex D. Thom. loco enim citato sic ait; Christus vt homo non influit in Angelis, remouendo, prohibens scilicet peccatum; aut infundendo gratiam. Et quæst. 29. de Veritate art. 4. ad 5. vbi ait; Influxus in Angelos non est vt finis Incarnationis, sed vt Incarnationem consequens. Ar. verò 7. ad 5. sicut & infra. q. 59. art. 6. docet Christum non meruisse Angelis premium essentiale. Deinde, colligimus Sanctos Patres habuisse gloriam essentialem ex meritis Christi, quia non fuerunt glorificati ante Incarnationem; decuit enim Authorem gloriæ priùs aliis glorificari: ergo cùm Angeli fuerint priùs glorificati quàm Christus, non habuerunt gloriam essentialem dependenter ex meritis Christi. Denique, Christus non fuit præuisus ante peccatum Adami: illo enim non peccante, Christus non venisset, propterea gratia concessa Adamo in statu innocentiæ, cùm fuerit gratia hominis sani & integri, non infirmi & redempti, fuit illi data independenter à Christo: ergo etiam & Angelis data fuit gratia & gloria independenter à Christo; cùm eorum prædestinatio sit prior; quàm prædestinatio hominum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd totus Christus secundùm vtramque naturam, simul est caput totius Ecclesiæ ex Angelis & hominibus constitutæ, secundùm omnes conditiones supra assignatas; ac proinde cum omni rigore: 2. Est etiam caput inquantum homo, siue secundùm humanitatem Ecclesiæ totius: 3. Non solùm quantùm ad omnes homines: 4. Sed etiam quantùm ad Angelos, 5. Quibus influit non solùm gloriam accidentalem, sed etiam essentialem, gratiam sanctificantem, omniáque alia dona supernaturalia eis concessa. Ita tenent multi Thomistæ.

Probatur prima pars conclusionis expressa authoritate D. Thom. qu. 29. de Veritate art. 4. in corpore, vbi eam tradit sub iisdem verbis, & sic probat authoritate Apostoli ad Coloss. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quoad gubernationem; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, quoad dignitatem: & per eum reconciliare omnia, quoad influentiam. Deinde, tres conditiones capitis mystici conueniunt Christo, inquantum Deus est, & homo, in ordine ad totam Ecclesiam ex Angelis & hominibus constitutam: nam est primogenitus omnis creaturæ, dignissimus vt pote Deus & homo simul, & tandem influit vitam & motum spiritualem, tam Angelis, quàm hominibus saltem vt Deus, & hoc tanquam causa principalis; instrumentaliter etiam vt homo siue secundùm humanitatem: ergo totus Christus secundùm vtramque naturam simul, est caput totius Ecclesiæ ex Angelis & hominibus constitutæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. tum loco citato, tum hîc art. 1. vbi probat ex illo ad Ephes. 1. Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Deinde hac ratione; Primò secundùm propinquitatem ad Deum, gratia eius altior est & prior, etsi non tempore, quia omnes alij receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius secundum illud Rom. 8. Quos præsciuit hos & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundò verò perfectionem habet quantùm ad plenitudinem omnium gratiarum, secundùm illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Tertiò virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundùm illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus: & sic patet quòd Christus conuenienter dicitur Ecclesiæ caput. Quòd autem loquatur de Christo secundùm humanitatem siue inquantum homine, patet ex responsionibus argumentorum in contrarium: quando autem dicitur inquantum homo siue secundùm humanitatem, debet hoc accipi specificatiuè, & non reduplicatiuè, quia præcisa humanitas non fuit ratio cur sit caput, sed ex vnione ad Verbum, cuius virtute instrumentaliter influit gratiam in membra Ecclesiæ.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis: in ipsa enim volumus quòd Christus Dominus, etiam inquantum homo, sit de facto, & in actu secundo siue in exercitio caput omnium hominum, tam Beatorum, quàm existentium in Purgatorio, & omnium viatorum qui sunt in gratia; & hoc propriissimè; quia omnibus illis vt prior saltem in intentione existens & dignior influit, physicè posterioribus Incarnatione vitam animæ, scilicet gratiam habitualem, & gloriam essentialem, ac motus spirituales; prioribus verò moraliter. Hominum verò fidelium extra gratiam existentium, est caput in actu secundo, quantùm ad motus spirituales; non autem quantum ad vitam animæ: infidelium autem est etiam caput in actu quantùm ad aliquas motiones. In actu autem primo, siue in potentia, est caput omnium hominum absolutè, tam fidelium, quàm infidelium; tam actualium, quàm possibilium; & quantum ad vitam spiritualem, & quantum ad omnes motus spirituales & supernaturales animæ. Hoc totum docet D. Thom. hîc q. 8. art. 3. vbi concludit quòd Christus est principaliori modo caput hominum,

num, secundùm quod ipsi magis vniuntur, & ponit diuersos gradus, scilicet per gratiam patriæ, per gratiam viæ, per fidem, vel actu, vel in potentia.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ: Ad Ephes. 1. Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Et ad Coloss. 2. Qui est caput omnis Principatus, & Potestatis: eadem autem est ratio de Angelis aliorum ordinum. Et Matthæi 5. legitur, quòd accesserunt Angeli & ministrabant. Denique id probat D. Thom. art. 4. ex conditionibus supra adductis: quia enim tam homines, quàm Angeli ordinantur ad vnum finem, qui est gloria diuinæ fruitionis, efficiunt vnum corpus Ecclesiæ mysticum, quod est vna multitudo ordinata in vnum, secundùm diuersos actus siue officia; & omne corpus debet habere caput: Christus etiam inquantum homo, quia propinquiùs se habet ad Deum, & perfectiùs participat dona ipsius, non solùm quàm homines, sed etiam quàm Angeli; & de eius influentia non solùm homines recipiunt, sed etiam Angeli, saltem quoad gloriam accidentalem, de quo nullus dubitat, est caput mysticum Ecclesiæ, etiam quantum ad Angelos.

Probatur quinta pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. ad Ephes. 1. habetur: Instaurare omnia in Christo, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Ad Coloss. 1. Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Ad Hebræos 2. Decebat eum, per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis eorum per Passionem consummari: filij autem, qui ante Passionem fuerant in gloriam adducti, non sunt alij quàm Angeli; nam homines post Passionem fuerunt glorificati: Et quamuis hæc loca possint alio modo exponi, melius tamen iuxta intentum intelliguntur. S. Bernardus serm. 1. de Circumcisione, loquens de Iesu, ait; Idem quippe & Angeli Saluator, & hominis: sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Sub nomine autem Iesu, intelligitur persona Christi vt subsistens sub vtraque natura, diuina & humana. Deinde D. Thom. hîc art. 4. eodem modo, & eodem ordine ponit Christum caput Angelorum ac hominum, absque vlla distinctione & limitatione; ergo sicut omnibus hominibus influit gratiam sanctificantem, & gloriam essentialem; his qui subsequuti sunt, vt causa physica; his autem qui præcesserunt, vt causa moralis: sic & Angelis influit, vt causa moralis, eadem dona supernaturalia. Denique gratia & gloria essentialis potuit dari Angelis dependenter ex meritis Christi præuisis, saluo decreto de executione Incarnationis post lapsum Adami, & in reparationem eius: quia vt supra dictum est, ordo hypostaticus in intentione præcessit absolutè ordines gratiæ & naturæ, & hi fuerunt propter primum. & quamuis hæc prioritas non admitteretur, sed quòd electio Angelorum quoad intentionem præcesserit ordinem hypostaticum; in executione tamen potuit ab illo dependere, inquantum Deus voluerit dependenter à Christo exequi, quod ante præuisionem eius decreuisset facere; quia hoc decretum non est omninò absolutum, sed connotat media quibus executioni mandabitur, quamuis in illo priori non sint in particulari præuisa & determinata: ergo de facto fuit data Angelis gratia, & gloria essentialis dependenter ex meritis Christi præuisis; ac proinde Christus influit illis moraliter, vt caput, gratiam sanctificantem, gloriam essentialem, aliáque omnia dona supernaturalia eis concessa: gloriam autem accidentalem, quam habent post Incarnationem, influit physice. Patet consequentia; quia omnis perfectio possibilis, & superioritas in alios debet Christo concedi, vt pote Filio Dei naturali, à quo adoptiui debent dependere; dummodo sit compatibilis cum decreto Incarnationis, quod colligitur fuisse in Deo. Et ex hoc sequitur quòd Christus sit primus Prædestinatorum, non solum dignitate, sed etiam causalitate; & quòd prædestinatio eius ad gloriam, sit causa nostræ: huius signum est quòd Christus fuerit reuelatus Angelis viatoribus, vt communiter docent Theologi cum D. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus est propriissimè caput totius Ecclesiæ, inquantum Deus homo, non diuidendo: est etiam propriè caput, & inquantum Deus, & inquantum homo specificatiuè. Ad rationes cõtra primam partem dicendum, quòd Deus est eiusdem naturæ intellectualis analogicæ cum Angelis & hominibus, nec hoc erat necessarium, si aliunde posset fieri quòd creaturæ essent participes influxus supernaturalis gratiæ & gloriæ: quia verò Deus præhabet in se omnem perfectionem creaturarum, vt pote prima causa ipsarum, ideo non indiget aliis membris: sicut ob contrariam rationem caput naturale indiget suis membris. Ad rationes contra secundam partem dicendum cum D. Thom. hîc art. 1. ad 1. quòd dare gratiam, aut Spiritum Sanctum conuenit Christo, secundùm quòd Deus authoritatiuè; sed instrumentaliter conuenit etiam ei secundùm quòd homo, inquantum scilicet eius humanitas instrumentum fuit diuinitatis eius: & sic intelligendus est Augustinus. Ad aliam dicendum, quòd in metaphoricis locutionibus non oportet attendere similitudinem quantum ad omnia

omnia, vt ait D.Thom. hic ad 2. Capitis igitur naturalis, non est caput aliud; quia corpus humanum non est pars alterius corporis: sed corpus similitudinariè dictum, id est, aliqua multitudo ordinata, est pars alterius multitudinis; sicut multitudo domestica est pars ciuilis: vnde pater familiàs qui est caput multitudinis domesticæ, habet supra se caput Rectorem Ciuitatis: & per hunc modũ nihil prohibet caput Christi esse Deum; cùm tamen ipse Christus sit caput Ecclesiæ. Tertia ratio probat tantùm de possibili, quòd si Christus non venisset, non fuisset caput Ecclesiæ. Quarta iam manet soluta ex dictis. Ad quintam dicendum quòd Christus vt homo, est Ecclesiæ membrum, ex illo ad Cor. 12. Vos estis corpus Christi, & membrum de membro: est tamen nobilissimum membrum, id est caput. Ita D.Thom. quæst. 29. de veritate art. 4. ad 6.

Ad secundum dicendum, quòd Christus Dominus influxit in Sanctos Patres, tam qui subsequuti sunt, quàm qui præcesserunt Incarnationem, cum hac differentia, quòd in præcedentes influxit tantùm moraliter, & hic influxus moralis non supponit influentem existere in executione, sed tantùm in intentione; Christus autem in intentione præcessit omnes creaturas: in subsequentes autem influit physicè, vt infra dicetur, quia ad esse exercitum potest subsequi operari physicè. In fideles autem peccatores influit fidem, & multa auxilia supernaturalia; vnde est caput, quamuis non tam propriè, sicut iustorum quibus influit vitam spiritualem. Beati autem perceperunt ex meritis Christi beatitudinem, vnde moraliter censetur semper illam influere: deinde influit etiam gloriam accidentalem. Nec Christus dicitur tantùm caput fidelium, sed omnium iustorum, siue sint fideles, siue comprehensores. Ad aliud dicendum quòd in Christo reperitur quicquid est perfectionis in Fide, & Spe: solùm autem quantum ad id quod imperfectionis est, de ipso negatur: melius est enim habere visionem, & possessionem summi boni, vt habet Christus, quàm habere fidem, & spem vt habẽt viatores.

Ad tertium dicendum, quòd D. Th. loco citato non habet aliud, quàm authoritates statim soluendas. Ad aliud dicendum cum D.Th. hic art. 4. ad 1. quòd Christus inquantum homo, conuenit in natura intellectuali generica cum Angelis, & hoc sufficit vt influat in illos tanquam caput. Ad aliud patet ex dictis, quòd Christus influit gratiam sanctificantem, & gloriam essentialem Angelis: nec contrarium sentit D. Thom. In primo enim loco solùm vult quòd Christus non influit eodem modo Angelis, & hominibus; nam hominibus influit remouendo peccatum, & de nouo infundendo gratiam: sic autem non influit Angelis, qui statim ac se perfectè conuerterunt in Deum, fuerunt beati, nec amplius creuerunt in gratia & gloria; illi autem qui peccarũt, nunquam receperunt de nouo gratiam. In secundo autem loco nihil contra conclusionem dicit, fatemur enim quod Verbum non est Incarnatum propter Angelos primariò; vnde influxus in ipsos non est finis primarius Incarnationis; sicut est redemptio humana: sed est de secundaria intentione post decretum Incarnationis. In tertio loco solùm negat quòd Christus actu viuens & operans meruerit gloriam essentialem Angelis, quia tunc non erant viatores; meruit autem præmium accidentale eis, quia aliquo modo sunt viatores inquantum nobis ministrant: non autem negat quòd gloria essentialis fuerit data Angelis ex meritis Christi præuisis: aliud est enim Christum meruisse actu aliquid, & aliquid fuisse datum propter merita Christi præuisa. In quarto autem loco nihil tale habetur. Ad aliud dicendum quòd si quid conuinceret, conuinceret etiam nullum fuisse sanctificatum ante Christum, vel quòd Christus non fuerit author gratiæ sanctorũ Patrum, qui Christum præcesserunt. Ratio igitur cur Angeli fuerunt glorificati ante Christum, non autem homines, est quia Christus factus est homo, & Redemptor hominum; vnde conueniens fuit, vt primus omnium hominum glorificaretur: non autem fuit Angelus, aut Redemptor Angelorum. Ad aliud dicendum, quòd Christus fuit præuisus ante lapsum Adami, sed incompletè, vt supra dictum est, vnde non venisset Adamo non peccante; in illo autem priori non fuit præuisus vt Redemptor: vnde omnis gratia tam Angelorum, quàm status innocentiæ dependenter ab illo data fuit: prædestinatio autem hominum & Angelorum fuit simul conclusa, ac dependenter ex meritis Christi.

DVBIVM VII.

Vtrùm in Christo requiratur aliqua habitualis gratia, vt sit caput Ecclesiæ.

Prima opinio negat requiri in Christo gratiam habitualem, vt sit caput Ecclesiæ. Probatur authoritate Scripturæ Sacræ: Ad Coloss. 1. Apostolus dicit Christum esse caput Ecclesiæ, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo scilicet diuinitatis, quod fit per gratiam vnionis: ergo gratia habitualis non requiritur in Christo, vt sit caput Ecclesiæ.

Secundò, Christus in tantum est caput Ecclesiæ, in quantum est mediator Dei & hominum, scilicet homo Deus, & inquantum influit in omnia membra Ecclesiæ ratione sui meriti infiniti: sed vtrumque habet Christus ex gratia vnionis, & non ex gratia habituali: ergo non requiritur in Christo gratia habitualis vt sit caput Ecclesiæ.

Tertiò

Tertiò, si requireretur gratia habitualis in Christo: maximè esset quia influit in membra Ecclesiæ secundùm humanitatem: sed ad hunc influxum non requiritur gratia habitualis; tum quia humanitas est tantùm instrumentum diuinitatis, in instrumento autem non requiritur aliquis habitus, sed tantum in principali agente: tum quia ministri Ecclesiæ influunt etiam instrumentaliter gratiam in alios, dum administrant Sacramenta, & tamen sæpe non habent gratiam habitualem: ergo in Christo non requiritur aliqua habitualis gratia, vt sit caput Ecclesiæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd nec gratia vnionis præcisè & formaliter sumpta, est ipsa gratia capitis in Christo: 2. Sicut nec gratia habitualis etiam præcisè sumpta, est formaliter gratia capitis, siue id per quod Christus constituitur formaliter caput Ecclesiæ: 3. Nec vtraque simul; 4. Sed gratia capitis formalissimè sumpta est potestas à Deo data Christo Domino, ad influendum vitam, & motus spirituales in membra Ecclesiæ. 5. Quæ potestas non est aliquid reale physicum; sed est quid morale proueniens ex diuina ordinatione: 6. Ad quam Christus redditur idoneus adæquatè ex gratia vnionis, & gratia habituali: sicut & ad exercendos eius actus; vnde vtraque requiritur in Christo vt sit caput Ecclesiæ; magis tamen principaliter gratia vnionis. 7. Vnde gratia capitis est propria solius Christi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc qu. 8. art. 5. ad 3. vbi sic ait: Gratia personalis, & gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem vnionis non ordinatur ad actum, sed ad esse personale; & ideo gratia personalis & gratia capitis conueniunt in essentia habitus, non autem gratia vnionis, & secundùm hoc vna per essentiam est gratia capitis & gratia singularis personæ, sed differens sola ratione: quia ratio D. Thom. sic debet expendi; gratia vnionis ordinatur tantùm per se primò ad esse personale; gratia autem capitis debet ordinari ad actum per se primò: nam de ratione capitis est quòd influat vitam, & motus in sua membra, ac proinde illud quod constituit in ratione capitis, debet esse illi principium influendi: ergo gratia vnionis præcisè & formaliter sumpta, non est formaliter ipsa gratia capitis in Christo.

Probatur secunda pars conclusionis: Si gratia habitualis præcisè sumpta, esset in Christo gratia capitis, vel hoc haberet ex sua ratione specifica gratiæ, vel ex maximo augmento quod habet, vel ex coniunctione cum gratia vnionis: sed ex nullo capite dicto hoc habet. Non ex primo; nam aliàs in quocumque iusto esset gratia habitualis, esset etiam gratia capitis, quod falsum est. Nec ex secundo, quia vt dictum esse supra, potest dari maior gratia habitualis intensiuè in pura creatura, quàm sit gratia habitualis Christi; & tamen in illa non erit gratia capitis vt patet. Nec ex tertio; quia sublata à Christo gratia habituali (poterat enim de potentia absoluta assumere naturam humanam in puris naturalibus) adhuc poterat fieri quòd Christus influeret gratiam in alios secundùm humanitatem instrumentaliter, sicut influunt Sacramenta; ac proinde fuisset caput: ergo gratia habitualis præcisè sumpta non est in Christo gratia capitis. Nec contrarium docet D. Thom. hîc toto art. 5. dum probat gratiam personalem siue habitualem Christi Domini esse vnam cum gratia capitis per essentiam, & solum ratione differre: Nam S. Doctor solum intendit quòd gratia habitualis Christi, quæ est personalis sanctificans eius humanitatem, sit in Christo principium influendi in alios per modum capitis, tum ratione sui, tum ratione habituum quos emanat, quod est verissimum. Nec contrario D. Thom. potest aliud probare, quia gratia habitualis ex natura sua non est producta alterius gratiæ, sicut vnus calor est productiuus alterius caloris, sed hoc habet ex ordinatione diuina.

Probatur tertia pars conclusionis. Stante gratia vnionis, & gratia habituali simul in Christo, potuit fieri absolutè quòd non ordinaretur ad influendum in alios gratiā & alia dona supernaturalia; sicut de facto cōtigit quòd non fuit ordinatus ad influendum illa ad Angelos qui peccarunt; imò secundùm alios habuit limitationē in ordine ad Angelos bonos, quibus, vt aiunt, non influit gratiam & gloriam essentialem; vnde sicut habuit ex diuina ordinatione quòd limitatè influeret; sic potuit habere quòd absolutè non influeret, sed esset tantùm in vniuerso ad decorem ipsius: tunc autem non fuisset caput, vt patet; cùm de ratione capitis sit influere: ergo gratia vnionis & gratia habitualis in Christo simul non sunt gratia capitis. Si dicatur quòd ex gratia vnionis Christus habet quòd sit Deus & ex gratia habituali quòd possit influere in alios, ac proinde ex his simul habet quòd sit caput: Dicendum est quòd solùm probat ex his Christum reddi idoneum & potentem vt influat, si Deus ordinauerit, vt dictum est; non autem seclusa ordinatione: vnde ex illa ordinatione habet proximè hanc potestatem moralem influendi in alios, quæ ex eadem ordinatione potuit alteri communicari: hîc autem non loquimur de Christo vt est Deus reduplicatiuè; sic enim habet naturaliter quòd sit caput omnium; sed inquantum est homo, siue ratione humanitatis.

Probatur quarta pars conclusionis. Esse caput Ecclesiæ est quædam præfectura Christo secundùm humanitatem collata, ratione cuius potest influere in omnia Ecclesiæ membra sibi subordi

ſubordinata: ſed talis præfectura eſt poteſtas quædam, vt patet inductione in omni regimine: & quia fuit gratuitò à Deo collata, ſiue quia conſequitur ad gratiam vnionis, dicitur gratia capitis: ergo gratia capitis formaliſſimè ſumpta eſt poteſtas à Deo data Chriſto Domino, ad influendum vitam & motus ſpirituales in membra Eccleſiæ: iuxta illud eiuſdem Chriſti: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.

Probatur quinta pars cõcluſionis. Omnis præfectura communicata ex ordinatione & deputatione Superioris, formaliſſimè & præciſè conſiderata, eſt aliquid morale importans ius quoddam morale exercendi aliquos actus in alios ſibi ſubditos ex eadem ordinatione, vt patet inductione in præfectura Imperatoria, Regia, Ducis, Iudicis, &c. non enim poteſt fingi quòd ſit aliquid reale phyſicum, quamuis fundetur in aliquo phyſico reddente ipſum ſubiectum idoneum ad talem præfecturam: ſed gratia capitis in Chriſto importat ſimilem præfecturam & poteſtatem, quam habet ex ordinatione & deputatione diuina, iuxta Sacram Scripturam, ad Epheſ. 1. Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam: ad Hebræ. 5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit; vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu. Pſalmo 2. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: ergo gratia capitis in Chriſto non eſt aliquid reale phyſicum; ſed quid morale.

Probatur ſexta pars concluſionis authoritate, & ratione D.Thom. quæſt. 29. de Veritate art. 5. vbi ſic ait: Vnaquæque ſubſtantia tantò à Deo plenius bonitatem eius participat, quantò ad eius bonitatem appropinquat, vt patet per Dionyſium 12. cap. cœleſtis Hierarch. vnde & humanitas Chriſti, ex hoc ipſo quòd præ aliis vicinius & ſpecialius diuinitati erat coniuncta, excellentius bonitatem diuinam participauit per gratiæ donum, ex quo idoneitas in ea fuit, vt non ſolùm gratiam haberet, ſed etiam per eam gratia in alios transfunderetur: ſicut per corpora magis lucentia lumen Solis ad alia tranſit. Deinde, Chriſtus per gratiam vnionis, ſimul & habitualem, habet adæquatè quòd influat perfectè in membra Eccleſiæ vitam & motus ſpirituales; per gratiam quidem habitualem, in quantum fuit principium merendi aliis, & ſatisfaciendi pro ipſis, per gratiam autem vnionis, inquantum influit in opera meritoria Chriſti valorem infinitum, ratione cuius perfectè meruit, & ſatisfecit, vt dictum eſt: vnde ratione gratiæ habitualis talia opera habent quòd ſint ab intrinſeco ſupernaturalia & meritoria: ratione verò gratiæ vnionis habent infinitam illam perfectionem & bonitatem moralem ſupra explicatam: ergo Chriſtus Dominus ex gratia vnionis & gratia habituali adæquatè redditur idoneus, vt ſit caput Eccleſiæ, & ad exercendos eius actus, ac proinde vtraque gratia requiritur. Quòd autem magis principaliter ex gratia vnionis, patet, quia dignitas Filij naturalis Dei, quæ prouenit in Chriſto ex gratia vnionis, exigit vt conſtituatur caput omnium filiorum adoptiuorum: nec hoc exigit gratia habitualis ratione ſui, cùm ſit eiuſdem ſpeciei in Chriſto ac in aliis: ſed tantùm ex coniunctione ad gratiam vnionis; maximè quia ſine gratia habituali potuiſſet Chriſtus influere gratiam habitualem, & dona quæcumque ſupernaturalia in alios, vt dictum eſt.

Probatur ſeptima pars concluſionis authoritate D.Thom. hic art. 6. quam ſic probat: Sola humanitas Chriſti ex coniūctione ad Verbum habet virtutem authoritatiuam iuſtificandi, ac proinde habet influxum interiorem in omnia membra Eccleſiæ ex Angelis & hominibus conſtitutæ, tam militantis, quàm triumphantis: & ſi qui habent hanc virtutem, ſed limitatam; vel eſt ad externam tantùm gubernationem, vel illam habent inquantum repræſentãt Chriſtum, vt Pontifex, & Epiſcopi: & hoc applicando Sacramenta à Chriſto inſtituta: ergo ſolus Chriſtus habuit gratiam capitis ſibi propriam; quæ tamen diuinitus potuit communicari puræ creaturæ; non tamen cum ea perfectione, qua fuit in Chriſto.

Ad primum ergo dicendum, quòd in Chriſto intelligitur duplex plenitudo: vna diuinitatis ſecundùm quam Chriſtus eſt plenus Deus: alia gratiæ ſecundùm quam dicitur plenus gratiæ & veritatis; & de hac plenitudine loquitur Apoſtolus ad Coloſſ. 1. de prima autem ad Coloſſ. 2. hæc autem ſecunda à prima deriuatur, & per eam gratia capitis completur: ſed neutra eſt formaliter gratia capitis, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd Chriſtus eſt mediator Dei & hominum, inquantum Deus homo, ac proinde etiam vt includens naturam humanam; quatenus cum hominibus habet poſſibilitatem; cum Deo verò iuſtitiam, quæ eſt in eo per gratiam: & ideo requiritur præter vnionem habitualis gratia in Chriſto, ad hoc quòd ſit mediator & caput: licèt autem meritum Chriſti ſit infinitum ex dignitate perſonæ, ſiue ob gratiam vnionis: tamen rationem meriti ab intrinſeco habet ex gratia habituali, ſine qua meritũ eſſe non poteſt de potẽtia ordinaria.

Ad tertium dicendum, quòd inſtrumentum inanimatum, quale eſt ſecuris, habitu non indiget: inſtrumentum autem animatum, quale eſt ſeruus, indiget: & tale inſtrumentum diuinitatis eſt humana natura in Chriſto. Ad aliud dicendum, quòd eſt diſparitas; nam miniſtri Eccleſiæ non agunt in Sacramentis, quaſi ex propria virtute, ſed ex virtute alterius, ſcilicet Chriſti; & ideo in eis non requiritur gratia

personalis, sed solum authoritas ordinis, per quam quasi Christi Vicarij constituuntur: Christus autem operatus est nostram salutem, quasi ex propria virtute; & ideo oportuit quòd in eo esset gratiæ plenitudo.

QVÆSTIO IX.

De scientia Christi in communi, in quatuor articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de scientia Christi. Circa quam duo consideranda sunt. Primo, quam scientiam Christus habuerit: secundo de vnaquaque scientiarum ipsius.

¶ Circa primum quæruntur quatuor.
¶ Primo, vtrum Christus habuerit aliquam scientiam præter diuinam.
¶ Secundo, vtrum habuerit scientiam quam habent Beati, vel comprehensores.
¶ Tertio, vtrum habuerit scientiam inditam vel infusam.
¶ Quartò, vtrum habuerit aliquam scientiam acquisitam.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus habuerit aliquam scientiam præter diuinam.

64. AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fuerit aliqua scientia præter diuinam. Ad hoc enim necessaria est scientia, vt per eam aliqua cognoscantur. Sed Christus per scientiam diuinam cognoscebat omnia. superfluum igitur fuisset quod in eo esset alia scientia.

2. di. 14. a. 1. q. 1. & ve. q. 20. a. 2. & q. 3. c. 228.

¶ 2 Præterea, Lux minor per maiorem offuscatur. Sed omnis scientia creata comparatur ad scientiam Dei increatam, sicut lux minor ad maiorem. Ergo in Christo non refulsit alia scientia, quam diuina.

q. 2. a. 2.

¶ 3 Præterea, Vnio humanæ naturæ ad diuinam, facta est in persona: vt ex supradictis patet. * Ponitur autem in Christo secundum quosdam quædam scientia vnionis: per quam scilicet Christus ea quæ ad mysterium Incarnationis pertinet, plenius sciuit, quam aliquis alius. Cum ergo vnio personalis contineat duas naturas, videtur quòd in Christo non sint duæ scientiæ, sed vna tantum scientiæ pertinens ad vtramque naturam.

In lib. de incarn. dom. sacr. c. 7. a med. tom. 2.

SED contra est, quod Ambrosius dicit in lib. de Incar.* Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis, sed non sensum carnis inflatum. Sed ad sensum hominis pertinet scientia creata. Ergo in Christo fuit scientia creata.

CONCLVSIO.

Necesse fuit, ratione humanæ naturæ quæ in Christo perfecta fuit, fuisse in eo aliquam aliam scientiam, præter scientiam diuinam.

quæst. 5.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex supradictis patet, Filius Dei humanam naturam integram assumpsit, id est, non solum corpus, sed etiam animam non solum sensitiuam, sed etiam rationalem. Et ideo oportuit, quod haberet scientiam creatam propter tria. Primo quidem propter animæ perfectionem. Anima enim secundum se considerata est in potentia ad intelligibilia cognoscenda: est enim sicut tabula, in qua nihil est scriptum, & tamen possibile est in ea scribi per intellectum possibilem, in quo est omnia fieri, vt dicitur in tertio de Anim. * Quod autem est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Non autem fuit conueniens, quod Filius Dei humanam naturam imperfectam assumeret, sed perfectam, vtpote qua mediante, totum humanum genus ad perfectum erat reducendum. Et ideo oportuit, quòd anima Christi esset perfecta per aliquam scientiam, quæ esset propria perfectio eius. Et ideo oportuit in Christo esse aliquam scientiam præter scientiam diuinam, alioquin anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum. Secundo, quia cùm quælibet res sit propter suam operationem, vt dicitur in secundo de Cælo, * frustra haberet Christus animam intellectiuam, si non intelligeret secundum illam, quod pertinet ad scientiam creatam. Tertio, quia aliqua scientia creata pertinet ad animæ humanæ naturam, scilicet illa, per quam naturaliter cognoscimus prima principia: scientiam enim hic large accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani. Nihil autem naturalium Christo defuit: quia totam humanam naturam suscepit, vt supra dictum est. * Et ideo in sexta Synodo damnata est positio negantium, in Christo esse duas scientias, vel duas sapientias.

Lib. 3. de Anim. tex. 18. Lib. 2. de cæl. tex. 17. q. 5. & 6. 1.

AD primum ergo dicendum, quòd Christus cognouit omnia per scientiam diuinam operatione increata quæ est ipsa Dei essentia. Dei enim intelligere est sua substantia, vt probat Philosophus 12. Meta. Vnde hic actus non potuit esse animæ humanæ Christi, cùm sit alterius naturæ. Si igitur non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia præter diuinam, nihil cognouisset: & ita fuisset frustra assumpta, cum omnis res sit propter suam operationem.

Lib. 12. Metaph. tex. 51.

AD secundum dicendum, quòd si duo lumina accipiantur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius, sicut lumen solis offuscat lumen candelæ, quorum vtrumque accipitur in ordine illuminantis. Si vero accipiantur duo lumina, ita quòd maius sit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus lumen non offuscatur per maius, sed magis augetur: sicut lumen aëris per lumen solis. Et hoc modo lumen scientiæ non offuscatur, sed magis clarescit in anima Christi per lumen scientiæ diuinæ, quæ est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, vt dicitur Ioan. 1.

AD tertium dicendum, quòd ex parte vnitorum ponitur scientia in Christo, & quantum ad naturam diuinam, & quantum ad humanam: ita quòd propter vnionem, secundum quam est eadem hypostasis Dei & hominis, id quod est Dei, attribuitur homini: & id quod est hominis, attribuitur Deo, vt supra dictum est. * Sed ex parte ipsius vnionis non potest poni in Christo aliqua scientia: nam vnio illa est ad esse personale, scientiæ autem non conuenit personæ, nisi ratione alicuius naturæ.

q. 2. a. 1. in arg. & respon.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus habuerit scientiam, quam habent Beati, vel comprehensores.

65. AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fuerit scientia Beatorum vel comprehensorum. Scientia enim Beatorum est per participationem diuini luminis: secundum illud Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Sed Christus non habuit lumen diuinum tanquam participatum, sed ipsam diuinitatem in se habuit substantialiter manentem, secundum illud Coloss. 2. In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ergo in Christo non fuit scientia Beatorum.

Inf. ar. 4. et & opus. 3. c. 216.

¶ Præterea, Scientia Beatorum eos beatos facit secundum illud Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum: & quem misisti Iesum Christum. Sed homo ille fuit beatus ex hoc ipso, quòd fuit Deo vnitus in persona: secundum illud Psalm. 64. Beatus quem elegisti & assumpsisti. Non ergo oportet ponere in ipso scientiam Beatorum.

¶ Præterea, Scientia duplex homini competit, vna secundum suam naturam, alia supra naturam. Scientia autem Beatorum, quæ in diuina visione consistit, non est secundum naturam hominis, sed supra eius naturam. In Christo autem fuit alia supernaturalis scientia multò altior, scilicet scientia diuina. Non ergo oportuit in Christo esse scientiam Beatorum.

SED contra, Scientia Beatorum in Dei cognitione consistit. Sed ipse plenè cognouit Deum, etiam secundum quòd homo: secundum illud Ioan. 8. Scio eum, & sermonem eius seruo. Ergo in Christo fuit scientia Beatorum.

CONCLVSIO.

Cùm homines per Christi humanitatem ad beatitudinem finem reducantur, oportuit beatam cognitionem, quæ in Dei visione consistit, excellentissimè homini Christo conuenire.

RESPONDEO dicendum, quòd illud, quod est in potentia, reducitur in actum per id quod est actu: oportet enim esse calidum id, per quod alia calefiunt. Homo autem est in potentia ad scientiam Beatorum (quæ in Dei visione consistit) & ad eam ordinatur sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax illius beatæ cognitionis, inquantum est ad imaginem Dei. Ad hunc autem finem beatitudinis homines reducuntur per Christi humanitatem, secundum illud Hebr. 2. Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos Filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Et ideo oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens excellentissimè Christo homini conueniret: quia semper causam oportet esse potiorem causato.

AD primum ergo dicendum, quòd diuinitas vnita est humanitati Christi secundum personam, non secundum essentiam vel naturam: sed cum vnitate personæ remanet distinctio naturarum. Et ideo anima Christi, quæ est pars humanæ naturæ, per aliquod lumen participatum à natura diuina, perfecta est ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam videtur.

AD secundum dicendum, quòd ex ipsa vnione homo ille est beatus beatitudine increata, sicut ex vnione est Deus. Sed præter beatitudinem increatam oportuit in natura humana Christi esse quandam beatitudinem creatam, per quam anima eius in vltimo fine humanæ naturæ constitueretur.

AD tertium dicendum, quòd visio, seu scientia beata est quodammodo supra naturam animæ rationalis, inquantum scilicet propria virtute ad eam peruenire non potest. Alio verò modo est secundum naturam ipsius, inquantum scilicet est ad eam secundum naturam suam est capax eius, prout scilicet est ad imaginem Dei facta: vt supra dictum est. * Sed scientia increata, est omnibus modis supra naturam animæ humanæ.

In col. art.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.

66. AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non sit alia scientia indita, vel infusa præter scientiam beatam. Omnis enim alia scientia comparatur ad scientiam beatam, sicut imperfectum ad perfectum. Sed præsente cognitione perfecta excluditur cognitio imperfecta: sicut manifesta visio faciei excludit ænigmaticam visionem fidei, vt patet primæ ad Corinth. 13. Cum igitur in Christo fuerit scientia beata (vt dictum est *) videtur quòd non potuerit in eo esse alia scientia indita.

Inf. q. 10. a 1. cor. & 3. dist. 14. a. 1. qu. 5. & vero. q. 20. a. 2. c. & a. 3. & opus. 9. c. 223. & quæst. 2. qu. 8t. Art. præc.

¶ 2 Præterea, Imperfectior modus cognitionis disponit ad perfectiorem: sicut opinio quæ est per syllogismum dialecticum, disponit ad scientiam, quæ est per syllogismum demonstratiuum. Habita autem perfectione, non est vlterius necessaria dispositio: sicut habito termino, non est necessarius motus. Cùm ergo cognitio quæcumque alia creata comparetur ad cognitionem beatam, sicut imperfectum ad perfectum, & sicut dispositio ad terminum: videtur, quòd cùm Chri

Christus habuerit cognitionem beatam, quòd non fuerit ei necessarium habere aliam cognitionem.

¶ 3 Præterea, Sicut materia corporalis est in potentia ad formam sensibilem, ita intellectus possibilis, est in potentia ad formam intelligibilem. Sed materia corporalis non potest simul recipere duas formas sensibiles, vnam perfectiorem, & aliam minus perfectam, ergo neque anima potest simul recipere duplicem scientiam, vnam perfectiorem, & aliam minus perfectam: & sic idem quod prius.

Sed contra est, quod dicitur Coloss. 2. quòd in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.

CONCLVSIO.

Cùm anima Christi perfecta fuerit, præter diuinam & increatam scientiam quæ fuit, in Christo necessarium fuit, esse scientiam inditam, vel infusam animæ eius, qua res ipsi notæ fierent, vt sunt in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas, hoc enim ad perfectissimam animæ Christi pertinet.

Art. 2. huius quæst. RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est,* decebat vt natura humana assumpta à Verbo Dei, imperfecta non esset. Omne autem quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus, est in potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autem in actum per species intelligibiles, quæ sunt quædam formæ completiuæ ipsius, vt patet ex his, quæ dicuntur in tertio de anima.* Et ideo oportet in Christo ponere scientiam inditam, inquantum per Verbum Dei, animæ Christi sibi personaliter vnitæ, impressæ sunt species intelligibiles ad omnia ad quæ intellectus possibilis est in potentia. Sicut etiam per Verbum Dei impressæ sunt species intelligibiles menti Angelicæ in principio creationis rerum: vt patet per Aug.* 2. super Gen. ad literam. Et ideo sicut in Angelis secundum eundem Aug. † ponitur duplex cognitio (vna scilicet matutina, per quam cognoscunt res in Verbo & alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas) ita præter scientiam diuinam & increatam, est in Christo secundum eius animam, scientia beata, qua cognoscit Verbum & res in Verbo: & scientia infusa, siue indita per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas.

Lib. 3. tex. 38. & 18. tom. 2. — Lib. 2. c. 8. tom 3. — † Lib. cc. dist. ciui. Dei c. 7. & mod. 10. 5. & lib. 4. su. Gr. sup. 24 tom. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd visio imperfecta fidei, in sui ratione includit oppositum manifestæ visionis, eo quod de ratione fidei est, vt sit de non visis, vt in secunda parte dictum est.* Sed cognitio, quæ est per species inditas non includit aliquid oppositum cognitioni beatæ. Et ideo non est eadem ratio vtrobique.

2. 2. qu. 1. art. 4.

Ad secundum dicendum, quòd dispositio se habet ad perfectionem dupliciter. Vno modo sicut via ducens ad perfectionem, alio modo sicut effectus à perfectione procedens. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adueniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. Et similiter opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam. Quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Et similiter in Christo, simul cum scientia beatitudinis manet scientia indita, non quasi via ad beatitudinem, sed quasi per beatitudinem confirmata.

Ad tertium dicendum, quòd cognitio beata non fit per speciem, quæ sit similitudo diuinæ essentiæ, vel eorum quæ in diuina essentia cognoscuntur: vt patet ex his quæ in prima parte dicta sunt*: sed talis cognitio est ipsius diuinæ essentiæ immediatè, per hoc quòd ipsa essentia diuina vnitur menti beatæ, sicut intelligibile intelligenti, quæ quidem essentia diuina est forma excedens proportionem cuiuslibet creaturæ. Vnde nihil prohibet, quin cum hac forma supereccedente, simul insint rationali menti species intelligibiles proportionatæ suæ naturæ.

p. p. q. 12. art. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.

67. AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fuerit aliqua scientia experimentalis acquisita. Quicquid enim Christo conueniens fuit, excellentissimè habuit. Sed Christus non habuit excellentissimè scientiam acquisitam: non enim insuit studio literarum, quo perfectissimè scientia acquiritur: dicitur enim Ioan. 7. Mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Ergo videtur quod in Christo non fuerit aliqua scientia acquisita.

Inf. q. 12. art. 12. & q. 15. art. 8. & opusc. 3. c. 215. & 3. dist. 14. q. 3. & 5. ad 3. & dist. 18. a. 3. 5. & ver. q. 20. art 3. 1. Art. præ.

¶ 2 Præterea, Ei quod est plenum non potest aliquid superaddi. Sed potentia animæ Christi fuit impleta per species intelligibiles diuinitus inditas, vt dictum est.* Ergo non potuerunt superuenire eius animæ aliquæ species acquisitæ.

¶ 3 Præterea, In eo qui iam habet habitum scientiæ, per ea quæ à sensu accipit, non acquiritur nouus habitus (quia sic duæ formæ eiusdem speciei simul essent in eodem) sed habitus qui prius inerat, confirmatur & augetur. Ergo cum Christus haberet habitum scientiæ inditæ, non videtur, quòd per ea quæ sensu percepit, aliquam aliam scientiam acquisierit.

Sed contra est, quòd Heb. 5. dicitur: Cùm esset Filius Dei didicit ex his quæ passus est obedientiam. Gloss.* idest, expertus est. Fuit ergo in Christo aliqua experimentalis scientia, quæ est scientia acquisita.

gl. interlin. ibid.

CONCLVSIO.

Cùm in anima Christi fuerit intellectus agens, cuius propria operatio est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus, præter scientiam inditam, vel infusam animæ Christi, fuit etiam in illo scientia acquisita lumine naturalis intellectus agentis per abstractionem specierum à phantasmatibus.

RESPONDEO dicendum, quod, vt ex supra dictis* patet, nihil eorum, quæ Deus in nostra natura plantauit, defuit humanæ naturæ assumptæ à Dei Verbo. Manifestum est autem, quod in humana natura Deus plantauit non solum intellectum possibilem: sed etiam intellectum agentem. Vnde necesse est dicere, quod in anima Christi fuit non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens. Si autem in aliis Deus & natura nihil frustra faciunt (vt Philo. dicit in 1. de cœlo,*) multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra. Frustra autem est quod non habet propriam operationem, cum omnis res sit propter suam operationem: vt dicitur in 2. de cœl.* Propria autem operatio intellectus agentis, est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus, vnde dicitur in † 3. de Ani. quod intellectus agens est, quo est omnia facere. Sic igitur necesse est dicere, quod in Christo fuerint aliquæ species intelligibiles, per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptæ: quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant.

a. 1. huius q. & q. 5. — Lib. 1. de cœ. tex. 32. & lib. 2. tex. 59. tom. 2. — * Lib. 2. de cœl. tx 17. tom. 2. — † Lib. 3. de a. tex. 18. tom. 2.

Et ideo quamuis aliter alibi scripserim* dicendum est, in Christo fuisse scientiam acquisitam: quæ propriè est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte subiecti recipientis, sed etiam ex parte causæ agentis. Nam talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis: quod est animæ humanæ connaturale. Scientia autem infusa attribuitur animæ humanæ secundum lumen desuper infusum, qui modus cognoscendi est proportionatus naturæ Angelicæ. Scientia vero beata, per quam ipsa Dei essentia videtur, est propria & connaturalis soli Deo, vt in prima parte dictum est.*

3. sent. dist. 14. q. 3. a. 3. — p. p. q. 12. art. 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd cùm duplex sit modus acquirendi scientiam, scilicet inueniendo & addiscendo, modus qui est per inuentionem, est præcipuus, modus autem, qui est per disciplinam, est secundarius. Vnde dicitur in 1. Ethicor.* Ille quidem est optimus, qui omnia per se ipsum intelligit: bonus autem rursus est ille qui bene dicenti obedit. Et ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inuentionem, quàm per disciplinam, præsertim cùm ipse daretur à Deo omnibus in doctorem: secundum illud Ioel. 2. Lætamini in domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ.

Lib. 1 Eth. in fi. to. 5

Ad secundum dicendum, quòd humana mens duplicem habet respectum. Vnum quidem ad superiora. & secundum hunc respectum, anima Christi fuit plena per scientiam inditam. Alius autem respectus eius est ad inferiora, idest, ad phantasmata, quæ sunt nata mouere mentem humanam per virtutem intellectus agentis: oportuit autem, quòd etiam secundum hunc respectum anima Christi, scientia impleretur. non quia prima plenitudo menti humanæ sufficeret secundùm seipsam: sed oportebat eam perfici etiam secundum comparationem ad phantasmata.

Ad tertium dicendum, quòd alia ratio est de habitu acquisito, & de habitu infuso. Nam habitus scientiæ acquiritur per comparationem humanæ mentis ad phantasmata: vnde secundum eandem rationem non potest alius habitus iterum acquiri. Sed habitus scientiæ infusæ est alterius rationis: vtpote à superiori descendens in animam non secundum proportionem phantasmatum. Et ideo non est eadem ratio de vtroque habitu.

QVÆSTIO X.

De scientia beata animæ Christi, in quatuor articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de qualibet prædictarum scientiarum. Sed quia de scientia diuina dictum est* in prima parte, restat nunc dicendum de aliis tribus: primo de scientia beata; secundo de scientia indita: tertiò de scientia acquisita.

quæst. 14.

Sed quia etiam de scientia beata, quæ in Dei visione consistit, plura dicta sunt in prima parte*: hic illa sola videntur dicenda, quæ propriè pertinent ad animam Christi.

* quæst. 12.

¶ Circa hoc ergo quæruntur quatuor.
¶ Primò, vtrùm anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.
¶ Secundo, vtrùm in Verbo cognouerit omnia.
¶ Tertiò, vtrùm anima Christi in Verbo cognouerit infinita.
¶ Quarto, vtrùm videat Verbum siue diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura.

ARTICVLVS I.

Vtrùm anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam naturam.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd anima Christi comprehenderit & comprehendat Verbum, siue diuinam essentiam. Dicit enim Isidor.* quod Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto. Igitur homo assumptus communicat cum sancta Trinitate in illa notitia sui, quæ est sanctæ Trinitatis propria. Huiusmodi autem est notitia comprehensionis. Ergo anima Christi, comprehendit diuinam essentiam. 68.

3. dist. 14. art. 2. q. 1. & 2. & ver. q. 20. a. 4. & 5. & quo. 3. q. 2. a. 2. & op. 3. c. 215. & 1. Timo. 6. lect. 3. col. 2.

¶ 2 Præterea, Magis est vniri Deo secundum esse personale, quàm secundum visionem. Sed sicut Damasc. † dicit in 3. lib. tota diuinitas in vna personarum est vnita humanæ naturæ in Christo. Multo ergo magis tota natura diuina videtur ab anima Christi: & ita videtur, quod anima Christi comprehenderit diuinam essentiam.

* lib. 3. de summ. bo. c. 3. — † l. 3. orth. fid. c. 6.

¶ 3 Præ

¶ 3 Praeterea, Illud quod conuenit Filio Dei per naturam, conuenit Filio hominis per gratiam: vt Aug.* dicit in primo de Trin. Sed comprehendere diuinam essentiam, competit Filio Dei per naturam. Ergo filio hominis competit per gratiam. Et ita videtur, quod anima Christi per gratiam Verbum comprehenderit.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. 83. q.* Quod se comprehendit, finitum est sibi. Sed essentia diuina non est finita in comparatione ad animam Christi, cum in infinitum eam excedat. Ergo anima Christi non comprehendit Verbum.

CONCLVSIO.

Anima Christi, cum creatura fuerit atque finita, nullo modo comprehendit Verbum, cui diuinam essentiam increatam atque infinitam.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supra* dictis patet, sic facta est vnio naturarum in persona Christi, quod tamen proprietas vtriusque naturae inconfusa permanserit, vt scilicet quod increatum, mansisset increatum, & creatum mansisset infra limites creaturae: sicut Damas.* dicit in 3. lib. Est autem impossibile, quod aliqua creatura comprehendat diuinam essentiam (sicut in prima parte ostensum est †) eo quod infinitum non comprehenditur à finito. Et ideo dicendum, quod anima Christi nullo modo comprehendit diuinam essentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod homo assumptus connumeratur diuinae Trinitati in sui cognitione, non ratione comprehensionis, sed ratione cuiusdam excellentissimae cognitionis prae caeteris creaturis.

Ad secundum dicendum, quod nec etiam in vnione quae est secundum esse personale, natura humana comprehendit Dei verbum, siue naturam diuinam. Quae quamuis tota vnita fuerit humanae naturae in vna persona Filij, non tamen fuit tota virtus diuinitatis ob humana natura quasi circumscripta. Vnde Aug.* dicit in Epistola ad Volusianum, Scire te volo, non hoc Christianam habere doctrinam quod ita Deus infusus sit carni, vt curam gubernanda vniuersitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam collectamque transtulerit. Et similiter anima Christi totam Dei essentiam videt, non tamen eam comprehendit: quia non totaliter eam videt, idest non ita perfecte sicut visibilis est: vt in prima parte* expositum est.

Ad tertium dicendum, quod verbum illud Aug. est intelligendum de gratia vnionis, secundum quam omnia, quae dicuntur de filio Dei secundum diuinam naturam, etiam dicuntur de Filio hominis, propter identitatem suppositi. Et secundum hoc vere potest dici, quod Filius hominis est comprehensor diuinae essentiae: non quidem secundum animam sed secundum diuinam naturam. Per quem etiam modum potest dici quod Filius hominis est creator.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima Christi in Verbo cognouerit omnia.

69 AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod anima Christi in Verbo non cognoscat omnia. Dicitur enim Marci 13. De die autem illa nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater. Non ergo omnia scit in Verbo.

¶ 2 Praeterea, Quanto aliquis perfectius cognoscit aliquod principium, tanto plura in illo principio cognoscit. Sed Deus perfectius videt essentiam suam, quàm anima Christi. Ergo plura cognoscit in Verbo, quam anima Christi. Non ergo anima Christi in Verbo cognoscit omnia.

¶ 3 Praeterea, Quantitas scientiae attenditur secundum quantitatem scibilium. Si ergo anima Christi sciret in Verbo omnia, quae scit Verbum, sequeretur quod scientia animae Christi aequaretur scientiae diuinae, creatum videlicet increato: quod est impossibile.

Sed contra est, quod super illud Apoc. 5. Dignus est agnus qui occisus est, accipere diuinitatem & sapientiam: Glo.* dicit, id est, omnium cognitionem.

CONCLVSIO.

Anima Christi omnia nouit in Verbo propriè, quae quocunque modo sunt, fuerunt, vel erunt, & quaecunque sunt in potentia creaturae; non tamen omnia in eo cognouit, quae sunt in potentia Dei creantis: hoc enim esset comprehendere diuinam virtutem atque essentiam.

Respondeo dicendum, quòd cum quaeritur, an Christus cognoscat omnia in Verbo, ly, omnia, potest dupliciter accipi. Vno modo propriè, vt distribuat pro omnibus, quae quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocunque, secundum quodcunque tempus. Et sic dicendum est, quod anima Christi in Verbo cognoscit omnia. Vnusquisque enim intellectus creatus, in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt Verbum. Nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quae ad ipsum spectant. Ad Christum autem & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, inquantum ei subiecta sunt omnia. Ipse etiam est omnium iudex constitutus à Deo, quia Filius hominis est: vt dicitur Io. 5. Et ideo anima Christi in verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcunque tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum est iudex: ita vt quod de eo dicitur Ioan. 2. Ipse sciebat quid esset in homine, potest intelligi non solum quantum ad scientiam diuinam, sed etiam quantum ad scientiam animae eius, quam habet in Verbo. Alio modo ly omnia, potest accipi magis large, vt extendatur non solum ad omnia, quae sunt acta secundum quodcunque tempus, sed etiam ad omnia quaecunque sunt in potentia numquam reducenda vel reducta ad actum. Horum autem quaedam sunt in sola potentia diuina: & huiusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima Christi. Hoc enim esset comprehendere omnia quae Deus potest facere: quod esset comprehendere diuinam virtutem: & per consequens diuinam essentiam: virtus enim

[illegible] libet cognoscitur per cognitionem omnium, in quae potest.

[illegible] Quaedam vero sunt non solum in potentia diuina, [illegible] in potentia creaturae: & huiusmodi omnia scit anima [illegible] in Verbo. Comprehendit enim in Verbo omnis [illegible] essentiam, & per consequens potentiam & virtutem, & [illegible] quae sunt in potentia creaturae.

[illegible] primum ergo dicendum, quod illud verbum intellexerunt Arius & Eunomius, non quantum ad scientiam animae, [illegible] in Christo non ponebant (vt supra dictum est*) sed [illegible] ad diuinam cognitionem filij, quem ponebant esse [illegible] Patre, quantum ad scientiam: Sed illud stare non [illegible]: quia per Verbum Dei facta sunt omnia, vt dicitur Io. [illegible] inter alia facta sunt etiam per ipsum omnia tempora. [illegible] autem per ipsum factum est, quod ab eo ignoretur. [illegible] ergo nescire diem & horam iudicij, quia non facit [illegible]: Interrogatus enim super hoc ab Apostolis Act. 1. hoc [illegible] noluit reuelare. Sicut è contrario legitur Gen. 22. Nunc [illegible], quod times Deum, idest nunc cognoscere feci. [illegible] autem Pater scire: quia huiusmodi cognitionem tradidit Filio. Vnde in hoc ipso, quod dicitur, Nisi Pater, datur [illegible] quod filius cognoscit, & non solum quantum ad [illegible] naturam, sed etiam quantum ad humanam: quia vt [illegible] Chrysostomus* argumentatur, si Christo homini datum est, [illegible], qualiter oporteat iudicare quod est maius, multo [illegible] datum est ei scire quod minus est, scilicet tempus iudicij. Origenes tamen † hoc exponit de Christo secundum [illegible] eius, quod est Ecclesia, quae hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt hoc esse intelligendum de Filio Dei adoptiuo, non de Filio naturali.

[illegible] secundum dicendum, quòd Deus in tantum perfectius [illegible] scit suam essentiam, quam anima Christi, quod eam [illegible] comprehendit. Et ideo cognoscit omnia non solum quae sunt [illegible], secundum quodcunque tempus, quae dicitur cognitio [illegible] scientia visionis: sed etiam omnia quaecunque ipse facere potest, quae dicitur cognoscere per simplicem intelligentiam, vt in primo habitum est.* Scit ergo anima Christi [illegible], quae Deus in seipso cognoscit per scientiam visionis: [illegible] tamen omnia, quae Deus in seipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentiae, & ita plura scit Deus in seipso [illegible] anima Christi.

[illegible] tertium dicendum, quòd quantitas scientiae non solum [illegible] secundum numerum scibilium, sed etiam secundum [illegible] cognitionis. Quamuis igitur scientia animae Christi [illegible] habet in Verbo par sit scientiae visionis, quam Deus [illegible] in seipso, quantum ad numerum scibilium: scientia tamen [illegible] excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis [illegible] animae Christi: quia lumen increatum diuini intellectus in infinitum excedit lumen creatum, quodcunque [illegible] in anima Christi. Licet absolute loquendo, scientia [illegible] excedat scientiam animae Christi, non solum quantum ad [illegible] cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum [illegible], vt dictum est.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima Christi in Verbo cognouerit infinita.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd anima Christi non possit cognoscere infinita in Verbo. Quod enim infinitum cognoscatur, repugnat definitioni infiniti, prout dicitur in 3. Phys.† quod infinitum est, cuius quantitatem accipientibus, semper est aliquid extra accipere. Impossibile autem est definitionem à definito separari: quia hoc esset contradictoria esse simul. Ergo impossibile est, quòd anima Christi sciat infinita. 70

¶ 2 Praeterea infinitorum scientia est infinita. Sed scientia animae Christi non potest esse infinita est enim capacitas animae Christi finita, cum sit creata. Non ergo anima Christi potest cognoscere infinita.

¶ 3 Praeterea, Infinito non potest esse aliquid maius. Sed plura continentur in scientia diuina absolutè loquendo, quàm in scientia animae Christi, vt dictum est.* Ergo anima Christi non cognoscit infinita.

Sed contra, Anima Christi cognoscit totam suam potentiam, & omnia in quae potest. Potest autem in emundationem infinitorum peccatorum: secundum illud primae Ioa. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Ergo anima Christi cognoscit infinita.

CONCLVSIO.

Anima Christi non cognoscit infinita in actu, cum ea non sint: scit autem in Verbo infinita in potentia, quasi quadam scientia simplicis intelligentiae, non autem scientia visionis.

Respondeo dicendum, quod scientia non est nisi entis; eo quòd ens & verum conuertuntur. Dupliciter autem dicitur aliquid ens. Vno modo simpliciter, quod scilicet est ens actu. Alio modo secundum quid, quod. s. est ens in potentia. Et quia, vt dicitur in 9. Met.* vnumquodque cognoscitur, secundum quod est actu, non autem, secundum quod est in potentia, scientia primo & principaliter respicit ens actu. Secundario autem respicit ens in potentia, quod quidem non secundum seipsum cognoscibile est, sed secundum quod cognoscitur illud, in cuius potentia existit. Quantum igitur ad primum modum scientiae, anima Christi non scit infinita: quia non sunt infinita in actu, etiam si accipiantur omnia quaecunque sunt in actu, secundum quodcunque tempus, eo quòd status generationis & corruptionis non durat in infinitum. Vnde est certus numerus non solum entium, quae sunt absque generatione & corruptione, sed etiam generabilium & corruptibilium. Quantum vero ad alium modum sciendi, anima Christi in Verbo scit infinita: scit enim, vt dictum est,* omnia quae sunt in potentia creaturae. Vnde cum in potentia creaturae sint infinita

infinita, per hunc modum scit infinite, quasi quadam scientia simplicis intelligentiæ, non autem scientia visionis.

P. p. q. 7. ar. 1. Ad primum ergo dicendum, quod infinitum (sicut in Prima parte dictum est) dupliciter dicitur. Vno modo secundum rationem formæ, & sic dicitur infinitum negatiue, scilicet id quod est forma vel actus non limitatus per materiam vel subiectum in quo recipiatur. Et huiusmodi infinitum, quantum est de se, est maxime cognoscibile, propter perfectionem actus, licet non sit comprehensibile a potentia finita creaturæ; sic enim dicitur Deus infinitus. Et tale infinitum anima Christi cognoscit, licet non comprehendat. Alio modo dicitur infinitum secundum rationem materiæ: quod quidem dicitur priuatiue, ex hoc scilicet, quod non habet formam quam natum est habere: & per hunc modum dicitur infinitum in quantitate. Tale autem infinitum ex sui ratione est ignotum: quia scilicet est quasi materia cum priuatione formæ (vt dicitur 3. Phys.*) omnis autem cognitio est per formam vel actum. Sic ergo si huiusmodi infinitum cognosci debeat secundum modum ipsius cogniti, impossibile est quod cognoscatur: est enim modus ipsius vt accipiatur pars eius post partem, vt dicitur in 3. Physicor.* Et hoc modo verum est, quod eius quantitatem accipientibus, scilicet parte accepta post partem, semper est aliquid extra accipere. Sed sicut materialia possunt accipi ab intellectu immaterialiter & multa vnite: ita infinita possunt accipi ab intellectu non per modum infiniti, sed quasi finite: vt sic ea quæ sunt in seipsis infinita, sint in intellectu cognoscentis finita. Et hoc modo anima Christi scit infinita: inquantum scilicet scit ea non discurrendo per singula, sed in aliquo vno, puta in aliqua creatura, in cuius potentia existunt infinita, & principaliter in ipso Verbo.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse infinitum vno modo, quod est alio modo finitum: sicut si imaginemur in quantitatibus superficiem, quæ sit secundum longitudinem infinita, secundum latitudinem autem finita. Sic igitur si essent infiniti homines numero, haberent quidem infinitatem secundum aliquid, scilicet secundum multitudinem; secundum tamen essentiæ rationem haberent finitatem, eo quod omnium essentia esset limitata sub ratione vnius speciei. Sed id quod est simpliciter infinitum secundum essentiæ rationem, est Deus; vt in Prima parte dictum est.* Proprium autem obiectum intellectus est quod quid est (vt dicitur 3. de Ani.) ad quod pertinet ratio speciei. Sic igitur anima Christi propter hoc, quod habet capacitatem finitam, id quod est simpliciter infinitum secundum essentiam, scilicet Deum attingit quidem: sed non comprehendit, vt dictum est.* Id autem infinitum, quod in creaturis est in potentia, potest comprehendi ab anima Christi: quia comparatur ad ipsam secundum essentiæ rationem: ex qua parte infinitatem non habet. Nam etiam intellectus noster intelligit vniuersale, puta naturam generis vel speciei: quod quodammodo habet infinitatem, inquantum potest de infinitis prædicari.

Ad tertium dicendum, quod id quod est infinitum omnibus modis, non potest esse nisi vnum. Vnde & Philosophus dicit in primo de cælo,* quod quia corpus est ad omnem partem dimensionatum, impossibile est esse plura corpora infinita. Si tamen aliquid esset infinitum vno modo tantum, nihil prohiberet esse plura talia infinita: sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem protractas in aliqua superficie finita secundum latitudinem.

Quia igitur infinitum non est substantia quædam, sed accidit rebus, quæ dicuntur infinitæ (vt dicitur in 3. Phys.*) sicut infinitum multiplicatur secundum diuersa subiecta, ita necesse est, quod proprietas infiniti multiplicetur, ita quod conueniat vnicuique illorum, secundum illud subiectum. Est autem quædam proprietas infiniti, quod infinito non sit aliquid maius. Sic igitur si accipiamus vnam lineam infinitam, in illa non est aliquid maius infinito. Et similiter si accipiamus quamcumque aliarum linearum infinitarum, manifestum est quod vniuscuiusque earum partes sunt infinitæ, oportet ergo quod omnibus illis partibus infinitis nõ sit aliquid maius in illa linea, tamẽ in alia linea & in tertia erunt plures partes etiam infinitæ præter istas. Et hoc etiã videmus in numeris accidere. nam species numerorum parium sunt infinitæ, & similiter species numerorum imparium, & tamen numeri pares & impares sunt plures quã pares. Sic igitur dicendum est, quod infinito simpliciter quoad omnia simpliciter nihil est maius. infinito autem secundum aliquid determinatum, non est aliquid maius in illo ordine. potest tamen accipi aliquid aliud maius extra illum ordinem. Per hunc igitur modum infinita sunt in potentia creaturæ, & tamen plura sunt in potentia Dei quàm in potentia creaturæ: & similiter anima Christi scit infinita scientia simplicis intelligentiæ: plura tamen scit Deus secundum hunc scientiæ modum.

Lib. 1. tex. 8. com. 8. — Lib. 3. tx. 37. & 38. com. 8.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Christi videat Verbum, siue diuinam essentiam, clarius qualibet alia creatura.

71 AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd animæ Christi non perfectius videat Verbum quam qualibet alia creatura. Perfectio enim cognitionis est secundum medium cognoscendi: sicut perfectior est cognitio, quæ habetur per medium syllogismi demonstratiui, quàm quæ habetur per medium syllogismi dialectici. Sed omnes Beati vident Verbum immediate per ipsam diuinam essentiam, vt in Prima parte dictum est.* Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum, quàm qualibet alia creatura.

¶ 2 Præterea, Perfectio visionis non excedit potentiam visiuam. Sed potentia rationalis animæ, qualis est anima Christi, est infra potentiam intellectiuam Angeli: vt patet per Dion.* 4. c. cal. hier. Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum, quam Angeli.

Sup. q. 9. art. 2. & inf. q. 11. & 4. ad 1. — P. p. q. 12. art. 2. — Cap. 4. de cæl. hier.

¶ 3 Præterea, Deus in infinitum perfectius videt Verbum suum quam anima Christi. Sunt ergo infiniti gradus medij possibiles, inter modum, quo Deus videt Verbum suum, & inter modum, quo anima Christi videt ipsum. Ergo non est asserendum, quod anima Christi perfectius videat Verbum vel essentiam diuinam, quam qualibet alia creatura.

Sed contra est quod Apost. dicit ad Ephes. 1. quod Deus constituit Christum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Sed in illa cœlesti gloria tanto aliquis est superior, quanto perfectius cognoscit Deum. Ergo anima Christi perfectius videt Deum, quam quæuis alia creatura.

CONCLVSIO.

Anima Christi, cum perfectissimè coniuncta fuerit Verbo Dei, scilicet in persona, cæteris quoque creaturis diuinam essentiam perfectius & clarius intuetur.

RESPONDEO dicendum, quòd visio diuinæ essentiæ conuenit omnibus beatis, secundum participationem luminis deriuati in eos à fonte Verbi Dei secundum illud Eccl. 1. Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis. Huic autem verbo Dei propinquius coniungitur anima Christi, quæ est vnita Verbo in persona, quam quæuis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quàm quæcunque alia creatura. Et ideo præ cæteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia. Vnde dicitur Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum non solum gratiæ, sed etiam veritatis.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio cognitionis, quantum est ex parte cogniti, attenditur secundum medium: sed quantum est ex parte cognoscentis, attenditur secundum potentiam vel habitum. Et inde est, quod etiam inter homines per vnum medium vnus perfectius cognoscit aliquam conclusionem, quàm alius. Et per hunc modum, anima Christi, quæ abundantiori repletur lumine, perfectius cognoscit diuinam essentiam quam alij Beati, licet omnes ipsam Dei essentiam videant per seipsam.

Ad secundum dicendum, quòd visio diuinæ essentiæ excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturæ: vt in prima parte dictum est.* Et ideo gradus in ipsa attenduntur magis secundum ordinem gratiæ, in quo Christus est excellentissimus, quam secundum ordinem naturæ, secundum quem natura Angelica præfertur humanæ. P. p. q. 12. art. 4.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est* de gratia: quod non potest esse maior gratia, quàm gratia Christi, per respectum ad vnionem Verbi: idem etiam dicendum est, & de perfectione diuinæ visionis, licet absolute considerando, possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem diuinæ potentiæ. q. 7. a. 12.

QVÆSTIO XI.

De scientia indita, vel infusa animæ Christi, in sex articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de scientia indita vel infusa animæ Christi.

¶ Et circa hoc quæruntur sex.

¶ Primo, vtrùm secundum hanc scientiam Christus sciat omnia.

¶ Secundo, vtrum hac scientia vti potuerit non conuertendo se ad phantasmata.

¶ Tertio: vtrùm hæc scientia fuerit collatiua.

¶ Quarto de comparatione huius scientiæ ad scientiam Angelicam.

¶ Quinto, vtrùm fuerit scientia habitualis.

¶ Sexto, vtrùm fuerit distincta per diuersos habitus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm secundum scientiam inditam vel infusam Christus omnia sciat.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd secundum hanc scientiam Christus non cognouerit omnia. Hæc enim scientia indita est Christo ad perfectionem possibilis intellectus eius. Sed intellectus possibilis animæ humanæ non videtur esse in potentia ad omnia simpliciter, sed ad illa sola, in quæ potest reduci in actum per intellectum agentem, qui est proprium actiuum ipsius, quæ quidem sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem. Ergo secundum hanc scientiam non cognouit Christus ea, quæ naturalem rationem excedunt. 72

Inf. q. 12. a. 1. co. ad 3. & 3. dis. 14. art. 1. q. 1. & q. 4. co. & q. 5. ad 2. & ver. q. co. ar. 6. & opu. 3. ca. 215.

¶ 2 Præterea, Phantasmata se habent ad intellectum humanum sicut colores ad visum: vt dicitur tertio de Ani.* Sed non pertinet ad perfectionem visiuæ potentiæ cognoscere ea quæ sunt omnino absque colore. Ergo neque ad perfectionem intellectus humani pertinet cognoscere ea quorum non possunt esse phantasmata, sicut sunt substantiæ separatæ. Sic ergo cum huiusmodi scientia fuerit in Christo ad perfectionem animæ intellectiuæ ipsius, videtur quod per huiusmodi scientiam non cognouerit substantias separatas.

Lib. 3. tex. 18. & 38. co. 2.

¶ 3 Præterea, Ad perfectionem intellectus non pertinet cognoscere singularia. Videtur ergo quod per huiusmodi scientiam anima Christi singularia non cognouerit.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 11. quod repleuit eum Spiritus sapientiæ & intellectus, scientiæ & consilij. Sub quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia: nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium diuinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad scientiam autem

...tem pertinet cognitio omnium conclusionum: ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur quod Christus secundum scientiam inditam sibi per Spiritum sanctum, habuerit omnium cognitionem.

CONCLVSIO.

Cùm deceret animam Christi verbo Dei unitam, omnino perfectam esse per scientiam inditam, vel infusam, omnia ex sua necessaria cognouit excepta diuina essentia.

q.9.a.1. RESPONDEO dicendum, quod sicut prius dictum est, conueniens fuit ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiua. Vna quidem per comparationem ad agens naturale. Alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem, in quem reducitur per agens naturale: & hæc consueuit vocari potentia obedientiæ in creatura. Vtraque autem potentia animæ Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam diuinitus inditam. Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognouit quæcunque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt: siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus sancti. Omnia enim ista abundantius & plenius cæteris cognouit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solum per primam, de qua supra dictum est.

qu. praeced. art. 2. AD primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de potentia naturali animæ intellectiuæ, quæ scilicet est per comparationem ad agens naturale, quod est intellectus agens.

AD secundum dicendum, quod humana anima in statu huius vitæ, quia quodammodo est ad corpus obligata, ut sine phantasmate intelligere non possit, non potest intelligere substantias separatas. Sed post statum huius vitæ, anima separata poterit aliqualiter substantias separatas per seipsam

p.p. q. 89. a. 2. cognoscere: ut in prima parte dictum est, *. Et hoc præcipue manifestum est, circa animas Beatorum. Christus autem ante passionem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor: unde anima eius poterat cognoscere substantias separatas per modum quo cognoscit anima separata.

AD tertium dicendum, quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectiuæ secundum cognitionem speculatiuam. Pertinet tamen ad perfectionem eius secundum cognitionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio: ut dicitur

lib. 6. c. 7. in sexto Ethico. * Vnde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & prouidentia futurorum: ut Tullius dicit in sua Rhetorica *. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ secundum donum consilij, consequens est quod cognouerit omnia singularia præsentia, præterita, & futura.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus hac scientia uti potuerit, non conuertendo se ad phantasmata.

73. AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod anima Christi non potuerit intelligere secundum hanc scientiam, nisi conuertendo se ad phantasmata. Quia, ut dicitur in 3. de Anima, phantasmata comparantur ad animam intellectiuam humanam sicut colores ad uisum. Sed potentia uisiua Christi non potuit exire in actum, nisi conuertendo se ad colores. Ergo etiam neque anima intellectiua eius potuit aliquid intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata.

¶ 2 Præterea, Anima Christi est eiusdem naturæ cum animabus nostris: alioquin ipse non esset eiusdem speciei nobiscum: contra id quod Apost. dicit Phil. 2 quod est in similitudinem hominum factus. Sed anima nostra non potest intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata: Ergo etiam neque anima Christi.

¶ 3 Præterea, Sensus dati sunt homini, ut deseruiant intellectui. Si igitur anima Christi intelligere potuit absque conuersione ad phantasmata, quæ per sensus accipiuntur, sequitur quod sensus frustra fuissent in anima Christi: quod est inconueniens: Videtur igitur quod anima Christi non potuit intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata.

Sed contra est, quod anima Christi cognouit quædam quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substantias separatas. Potuit igitur intelligere non conuertendo se ad phantasmata.

CONCLVSIO.

Cùm Christus fuerit viator & comprehensor per scientiam inditam, potuit intelligere etiam sine conuersione ad phantasmata.

q.15.a.10 RESPONDEO dicendum, quod Christus in statu ante passionem, fuit simul viator & comprehensor, ut infra magis patebit. * Et præcipue quidem conditiones viatoris habebat ex parte corporis, quantum fuit passibile: conditiones vero comprehensoris maximè habuit ex parte animæ intellectiuæ. Est autem hæc conditio animæ comprehensoris, ut nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Vnde & post resurrectionem, ex anima gloria redundabit ad corpus. Et hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata conuerti, quod est corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens. Et ideo animæ beatæ, & ante resurrectionem, & post, intelligere possunt absque conuersione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris.

R. P. Philippi Carm. discal. Disp. Theologica in 3. p.

AD primum ergo dicendum, quod similitudo illa, quam Philosophus ponit, non attenditur quantum ad omnia. Manifestum est enim, quod finis potentiæ visiuæ est cognoscere colores: finis autem potentiæ intellectiuæ non est cognoscere phantasmata, sed cognoscere species intelligibiles, quas apprehendit e phantasmatibus & in phantasmatibus secundum statum præsentis vitæ. Est igitur similitudo, quantum ad hoc, ad quod aspicit vtraque potentia: non autem quantum ad hoc, in quod vtriusque potentiæ conditio terminatur. Nihil autem prohibet, secundum diuersos status, ex diuersis rem aliquam ad suum finem tendere: finis tamen proprius alicuius rei semper est unus. Et ideo licet visus nihil cognoscat absque colore, intellectus tamen secundum aliquem statum potest cognoscere absque phantasmate, sed non absque specie intelligibili.

AD secundum dicendum, quod licet anima Christi fuerit eiusdem naturæ cum animabus nostris, habuit tamen aliquem statum, quem animæ nostræ non habent nunc in re, sed solum in spe, scilicet statum comprehensoris.

AD tertium dicendum, quod licet anima Christi potuerit intelligere, non conuertendo se ad phantasmata: poterat tamen intelligere, se ad phantasmata conuertendo. Et ideo sensus non fuerunt frustra in ipsa, præsertim cum sensus non dentur homini solum ad scientiam intellectiuam, sed etiam ad necessitatem vitæ animalis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc scientia fuerit collatiua.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod animæ Christi hanc scientiam non habuerit per modum collatiuum. Dicit enim Damasc. in 3. lib. * In Christo non dicimus consilium neque electionem. Non autem remouentur hæc à Christo, nisi inquantum important collationem & discursum. Ergo videtur quod in Christo non fuerit scientia collatiua vel discursiua. 74

¶ 2 Præterea, Homo indiget collatione & discursu rationis, ad inquirenda ea, quæ ignorat. Sed anima Christi cognouit omnia, ut supra dictum est. * Non ergo in ea fuit scientia discursiua vel collatiua.

¶ 3 Præterea, Scientia animæ Christi se habuit per modum comprehensorum, qui Angelis conformantur: ut dicitur Matth. 22. Sed in Angelis non est scientia discursiua, seu collatiua: ut patet per * Dionys. 7. cap. de diuin. nomin. Ergo nec etiam in anima Christi fuit scientia discursiua seu collatiua.

Sed contra est, quod Christus habuit animam rationalem, ut supra habitum est. * Propria autem operatio animæ rationalis est conferre & discurrere de uno in aliud. Ergo in Christo fuit scientia discursiua vel collatiua.

CONCLVSIO.

Scientia infusa animæ Christi quoad eius acquisitionem, collatiua, siue discursiua non fuit, sed tantum quantum ad usum.

RESPONDEO dicendum, quod aliqua scientia potest esse discursiua, vel collatiua dupliciter. Vno modo, quantum ad scientiæ acquisitionem, sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum per aliud, sicut effectus per causas, vel è conuerso. Et hoc modo scientia animæ Christi non fuit discursiua vel collatiua: quia hæc scientia, de qua nunc loquimur, fuit sibi diuinitus indita, non per inuestigationem rationis acquisita. Alio modo potest dici aliqua scientia discursiua, vel collatiua, quantum ad usum: sicut interdum scientes, ex causis concludunt effectus: non ut de nouo addiscant, sed volentes uti scientia, quam iam habent. Et hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collatiua & discursiua: poterat enim ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat. Sicut Matth. 17. cum Dominus quæsisset à Petro, à quibus Reges terræ tributum acciperent, à filiis suis, an ab alienis: Petro respondente, quod ab alienis: conclusit: Ergo liberi sunt filij.

AD primum ergo dicendum, quod à Christo excluditur consilium, quod est cum dubitatione: & per consequens electio, quæ in sui ratione tale consilium includit. Non autem à Christo excluditur vsus consiliandi.

AD secundum dicendum, quod ratio illa procedit de discursu & collatione, prout ordinantur ad scientiam acquirendam.

AD tertium dicendum, quod Beati conformantur Angelis, quantum ad dona gratiarum: manet tamen differentia, quæ est secundum naturam. Et ideo uti collatione & discursu, est connaturale animabus Beatorum, non autem Angelis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hæc scientia in Christo fuerit maior scientia Angelorum.

75. AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod huiusmodi scientia in Christo fuerit minor, quàm in Angelis. Perfectio enim proportionatur perfectibili. Sed anima humana secundum ordinem naturæ est infra naturam Angelicam. Cum igitur scientia, de qua nunc loquimur, sit indita animæ Christi ad perfectionem ipsius, videtur quod huiusmodi scientia fuerit infra scientiam qua perficitur natura Angelica.

¶ 2 Præterea, Scientia animæ Christi fuit aliquo modo collatiua & discursiua: quod non potest dici de scientia Angelica. Ergo scientia animæ Christi fuit inferior scientia Angelorum.

¶ 3 Præterea, Quanto aliqua scientia est magis immaterialis, tanto est potior. Sed scientia Angelorum est immaterialior, quàm scientia animæ Christi, quia anima Christi est actus

verr. quæst. 20. art. 3. c. & art. 4. c. & 2. ad opusc. 3. c. 223. actus corporis, & habet conuersionem ad phantasmata: quod de Angelis dici non potest. Ergo scientia Angelorum est potior, quàm scientia animæ Christi.

Sed contra est, quod Apost. dicit Hebr. 2. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Ex quo apparet, quod propter solam passionem mortis dicitur Christus ab Angelis minoratus: non ergo propter scientiam.

CONCLVSIO.

Scientia indita vel infusa animæ Christi, excedit Angelorum scientiam quantum ad id quod in ea consideratur ex parte Dei influentis: est tamen infra eam quantum ad modum recipientis.

Respondeo dicendum, quod scientia indita animæ Christi, potest dupliciter considerari. Vno modo secundum illud, quod habuit à causa influente: alio modo secundum id, quod habuit ex subiecto recipiente. Quantum igitur ad primum, scientia indita animæ Christi, fuit multo excellentior quàm Angelorum scientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiæ certitudinem: quia lumen spirituale gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius, quàm lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam. Quantum autem ad secundum, scientia indita animæ Christi, est infra scientiam Angelicam, scilicet quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ humanæ: qui scilicet est per conuersionem ad phantasmata, & per collationem & discursum. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hæc scientia fuerit habitualis.

76. 3. dist. 14. a. 1. q. 2. & 3. & ver. q. 20. art. 2. AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit habitualis scientia. Dictum est * enim, quod animam Christi decuit maxima perfectio scientiæ. Sed maior est perfectio scientiæ existentis in actu, quam existentis in potentia vel habitu. Ergo conueniens fuisse videtur, quod omnia sciret in actu. Non ergo habuit habitualem scientiam.

* q. 9. a. 1. ¶ 2 Præterea, Cum habitus ordinetur ad actum, frustra videtur esse habitualis scientia, quæ nunquam in actum reducitur. Cum autem Christus sciuerit omnia (sicut iam dictum q. 10. a. 2. est) * non potuisset actu omnia illa considerare, vnum post aliud cogitando: quia infinita non est enumerando pertransire. Frustra igitur fuisset in eo quorumdam scientia habitualis: quod est inconueniens. Habuit ergo actualem scientiam omnium, quæ sciuit, & non habitualem.

¶ 3 Præterea, Scientia habitualis est quædam perfectio scientis. Perfectio autem est nobilior perfectibili. Si igitur in anima Christi fuisset aliquis habitus scientiæ creatus, sequeretur quod aliquid creatum esset nobilius, quàm anima Christi. Non igitur in anima Christi fuit scientia habitualis.

Sed contra, Scientia Christi de qua nunc loquimur, vniuoca fuit scientiæ nostræ: sicut & anima eius fuit vnius speciei cum anima nostra. Sed scientia nostra est in genere habitus. Ergo & scientia Christi fuit habitualis.

CONCLVSIO.

Cùm scientia Christi fuerit vnius rationis cum scientia nostra, & ea vti poterat cum volebat, necessario fuit habitualis.

Art. præc. Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, modus huius scientiæ inditæ animæ Christi fuit conueniens ipsi subiecto recipienti: nam receptum est in recipiente per modum recipientis. Est autem hic modus connaturalis animæ humanæ, vt quandóque sit intelligens actu, quandóque in potentia: medium autem inter puram potentiam & actum completum, est habitus: eiusdem autem generis est medium & extrema: & sic patet quod modus connaturalis animæ humanæ est, vt recipiat scientiam per modum habitus. Et ideo dicendum est, quod scientia indita animæ Christi fuit habitualis, & poterat ea vti quando volebat.

Ad primum ergo dicendum, quod in anima Christi fuit duplex cognitio, & vtraque suo modo perfectissima. Vna quidem excedens modum naturæ humanæ, quia scilicet vidit Dei essentiam, & alia in ipsa: & hæc fuit perfectissima simpliciter: & talis cognitio non fuit habitualis, sed actualis respectu omnium, quæ hoc modo cognouit. Alia autem cognitio fuit in Christo secundum modum proportionatum humanæ naturæ, prout scilicet cognouit res per species sibi diuinitus inditas, de qua cognitione nunc loquimur. Et hæc cognitio non fuit simpliciter perfectissima: sed perfectissima in genere humanæ cognitionis: vnde non oportuit, quod esset semper in actu.

Ad secundum dicendum, quod habitus reducitur in actum ad imperium voluntatis: nam habitus est, quo quis agit, cum voluerit. Voluntas autem indeterminate se habet ad infinita. Nec tamen hoc est frustra, licèt non in omnia actualiter tendat, dummodo tendat actualiter in id, quod conuenit loco & tempori. Et ideo etiam habitus non est frustra, licet non omnia reducantur in actum, quæ habitui subiacent, dummodo reducatur in actum id, quod congruit ad debitum finem voluntatis, secundum exigentiam negotiorum & temporis.

Ad tertium dicendum, quod bonum, sicut & ens, dupliciter dicitur. Vno modo simpliciter: & sic bonum & ens dicitur substantia, quæ in suo esse & in sua bonitate subsistit. Alio modo dicitur ens & bonum secundum quid: & hoc modo dicitur ens & bonum accidens: non quia ipsum habeat esse & bonitatem, sed quia eius subiectum est ens & bonum. Sic igitur scientia habitualis non est simpliciter melior, aut dignior, quàm anima Christi, sed secundum quid: cum tota bonitas habitualis scientiæ cedat in bonitatem subiecti.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm hæc scientia fuerit distincta per diuersos habitus.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quòd in anima Christi non fuerit nisi vnus habitus scientiæ. Quanto enim scientia est perfectior, tanto est magis vna: vnde & Angeli superiores per formas magis vniuersales cognoscunt: vt in Prima parte dictum est. * Sed scientia Christi fuit perfectissima: ergo fuit maximè vna. Non ergo fuit distincta per plures habitus. 77. 3. dist. 14. art. 3. q. 3. * Pa. q. 55. art. 3.

¶ 2 Præterea, Fides nostra deriuatur à scientia Christi, vnde dicitur Heb. 12. Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum. Sed vnus est habitus fidei de omnibus credibilibus vt in Secunda parte dictum est. * Ergo multò magis in Christo non fuit nisi vnus habitus scientiæ. 2. 2. qu. 4. art. 6.

¶ 3 Præterea, Scientiæ distinguuntur secundum diuersas rationes scibilium. Sed anima Christi omnia sciuit secundum vnam rationem, scilicet secundum lumen diuinitus infusum. Ergo in Christo fuit tantum vnus habitus scientiæ.

Sed contra est, quod Zachariæ 3. dicitur quod super lapidem vnum, id est Christum, sunt septem oculi. Per oculum autem scientia intelligitur. Ergo videtur, quod in Christo fuerint plures habitus scientiæ.

CONCLVSIO.

Scientia indita animæ Christi distincta fuit in diuersos habitus, secundum varia scibilium genera, hic enim modus est humanæ animæ connaturalis.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est * scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalem animæ humanæ. Est autem connaturale animæ humanæ, vt recipiat species in minori vniuersalitate quàm Angeli: ita scilicet, quod diuersas naturas specificas, per diuersas species intelligibiles cognoscat. Ex hoc autem contingit quod in nobis sunt diuersi habitus scientiarum, quia sunt diuersa scibilium genera: inquantum scilicet, ea quæ reducuntur in vnum genus, eodem habitu scientiæ cognoscuntur. Sicut dicitur in primo Poste. * quod vna scientia est, quæ est vnius generis subiecti. Et ideo scientia indita animæ Christi, fuit distincta secundum diuersos habitus. Art. 4. huius quæst. Lib. 1. cap. 1. tex. 43. tom. 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut supra dictum est, * scientia animæ Christi est perfectissima, & excedens Angelorum scientiam, quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis: est tamen infra scientiam Angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad huiusmodi modum pertinet, quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particulares existens. Art. 4. huius quæst.

Ad secundum dicendum, quod fides nostra innititur primæ veritati: & ideo Christus est auctor fidei nostræ secundum diuinam scientiam, quæ est simpliciter vna.

Ad tertium dicendum, quod lumen diuinitus infusum, est communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur: sicut & lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoscuntur. Et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularum rerum, ad cognoscendum cognitione propria vnumquodque. Et secundum hoc oportuit esse diuersos habitus scientiæ in anima Christi: vt dictum est. * In cor.

QVÆSTIO XII.

De scientia animæ Christi acquisita, in quatuor articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de scientia animæ Christi acquisita vel experimentali.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrùm secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

¶ Secundo, vtrùm in hac scientia profecerit.

¶ Tertiò, vtrùm aliquid ab homine didicerit.

¶ Quartò, vtrùm acceperit aliquid ab Angelis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd secundum hanc scientiam Christus non omnia cognouerit. Huiusmodi enim scientia per experientiam acquiritur. Sed Christus non omnia expertus est. Non igitur omnia secundum hanc scientiam sciuit. 78.

¶ 2 Præterea, Homo scientiam per sensum acquirit. Sed non omnia sensibilia sensibus corporalibus Christi fuerunt subiecta. Non igitur secundum hanc scientiam omnia cognouit Christus.

¶ 3 Præterea, Quantitas scientiæ attenditur secundum scibilia. Si igitur secundum hanc scientiam Christus omnia sciuisset, esset in eo scientia acquisita æqualis scientiæ infusæ, & scientiæ beatæ: quod est inconueniens. Non ergo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

Sed contra est, quod nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam. Fuisset autem imperfecta hæc eius scientia, si secundum eam non sciuisset omnia: quia imperfectum est, cui potest fieri additio. Ergo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

CONCLVSIO.

Sicut per scientiam inditam omnia cognouit, ad quæ quocumque modo intellectus possibilis est in potentia: ita per scientiam acquisitam omnia cognouit, ad quæ se extendit virtus intellectus agentis.

RESPON

q. 9. art. 4. RESPONDEO dicendum, quod scientia acquisita ponitur in anima Christi (ut supra dictum est) propter convenientiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, quæ facit intelligibilia in actu: sicut & scientia indita, vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis. Sicut autem intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, ita intellectus agens est, quo est omnia facere, ut dicitur in tertio de anima. Et ideo sicut per scientiam inditam scivit anima Christi omnia illa, ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia: ita per scientiam acquisitam scivit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis.

3. de anima tex. 18. tom. 2.

AD primum ergo dicendum, quod scientia rerum acquiri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarundam aliarum rerum: cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria. Sic igitur licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen, quæ expertus est, in omnium devenit notitiam.

AD secundum dicendum, quod licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia: fuerunt tamen sensibus eius aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis eius potuit in aliorum notitiam devenire, per modum prædictum: sicut videndo corpora cælestia, potuit comprehendere eorum virtutes & effectus, quos habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non subiacebant. Et eadem ratione ex quibuscumque aliis in aliorum notitiam devenire potuit.

In cor. art.

AD tertium dicendum, quod secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognovit omnia, sed illa omnia, quæ per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia. Unde per hanc scientiam non cognovit essentias substantiarum separatarum, nec etiam singularia præterita, præsentia, & futura, quæ tamen cognovit per scientiam inditam, ut supra dictum est.

In cor. art. & q. præc. & q. 9. art. 3. & 4.

ARTICULUS II.

Utrum Christus in hac scientia profecerit.

79. AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non profecerit. Sicut enim secundum scientiam beatitudinis, & secundum scientiam infusam Christus cognovit omnia: ita & secundum hanc scientiam acquisitam, ut ex dictis patet. Sed secundum illas scientias non profecit: ergo nec secundum istam.

Sup. q. 7. a. 11. ad 3. & 10. art. 3. 1. & q. 11. a. 6. & 3. dist. 13. dist. 14. art. 3. quæst. 3. & ver. q. 20. art. 6. ad 3. & opusc. 2. c. 216. & Io. 2. lect. 6. & Heb. 3. col. 2.

¶ 2 Præterea, Proficere est imperfecti: quia perfectum additionem non recipit. Sed in Christo non est ponere scientiam imperfectam. Ergo secundum hanc scientiam Christus non profecit.

¶ 3 Præterea, Damasc. dicit: Qui proficere dicunt Christum sapientia & gratia, ut additamentum sensus suscipientem, non venerantur unionem, quæ est secundum hypostasim. Sed impium est illam unionem non venerari. Ergo impium est dicere, quod scientia eius, additamentum acceperit.

† Lib. 3. c. 22. & lib. 3. orth. fid. paulo a princ.

SED contra est, quod dicitur Lucæ 2. quod Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines. Et Ambros. † dicit, quod proficiebat secundum sapientiam humanam. Humana autem sapientia est, quæ humano modo acquiritur, scilicet per lumen intellectus agentis. Ergo Christus secundum hanc scientiam profecit.

lib. de incar. dom. sacr. c. 7. à med. tom. 2.

CONCLUSIO.

Profecisse sapientia, ætate, & gratia Christus dicitur, non quod scientiæ habitus in eo postea perfectior fuerit, sed quod secundum augmentum ætatis opera faciebat, quæ maiorem scientiam & gratiam demonstrabant.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est profectus scientiæ: unus quidem secundum essentiam, prout scilicet habitus scientiæ augetur. Alius autem secundum effectum, puta si aliquis secundum eundem & æqualem scientiæ habitum, primo minora aliis demonstret, & postea maiora & subtiliora. Hoc autem secundo modo manifestum est, quod Christus in scientia & gratia profecit, sicut & in ætate: quia scilicet secundum augmentum ætatis opera maiora faciebat, quæ scilicet maiorem scientiam & gratiam demonstrabant. Sed quantum ad ipsum habitum scientiæ, manifestum est, quod habitus scientiæ infusæ in eo non est augmentatus, cum à principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa, & multo minus scientia beata in eo augeri potuit. De scientia enim divina, quod non possit augeri, supra in prima parte dictum est. Si igitur præter habitum scientiæ infusum non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisitæ, (ut quibusdam videtur †, & mihi aliquando visum est) nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, sed solum per experientiam, id est conversionem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata. Et secundum hoc dicunt, quod scientia Christi profecit secundum experientiam convertendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea, quæ de novo per sensum accepit. Sed quia inconveniens videtur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles à phantasmatibus, sit quædam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conveniens videtur hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, qui per huiusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari: ex hoc scilicet, quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus, poterat etiam alias abstrahere.

p. 1. q. 14. art. 15. † Sent. dist. 14. q. 3. art. 3.

AD primum ergo dicendum, quod tam scientia infusa animæ Christi, quam scientia beata, fuit effectus agentis infinitæ virtutis, qui potest simul totum operari, & ita in neutra scientia Christus profecit: sed à principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive. Et ideo secundum hanc scientiam Christus non à principio scivit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet in perfecta ætate. Quod patet ex hoc, quod Euangelista simul dicit eum profecisse scientia & ætate.

AD secundum dicendum, quod hæc etiam scientia in Christo semper fuit perfecta secundum tempus: licet non semper fuerit perfecta simpliciter, & secundum naturam. Et ideo potuit habere augmentum.

AD tertium dicendum, quod verbum Damascen. intelligitur quantum ad illos, qui dicunt simpliciter fuisse factam additionem scientiæ Christi, scilicet secundum quamcumque eius scientiam: & præcipue secundum infusam, quæ causatur in anima Christi ex unione ad Verbum. Non autem intelligitur de augmento scientiæ, quæ ex naturali agente causatur.

lib. 3. c. 22.

ARTICULUS III.

Utrum Christus aliquid ab homine didicerit.

80. AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod Christus aliquid ab hominibus didicerit. Dicitur enim Luc. 2. quod invenerunt eum in templo in medio Doctorum interrogantem illos, & respondentem. Interrogare vero & respondere est addiscentis. Ergo Christus aliquid didicit ab hominibus.

¶ 2 Præterea, Acquirere scientiam ab homine docente, videtur esse nobilius, quam acquirere à rebus sensibilibus: quia in anima hominis docentis sunt species intelligibiles in actu, in rebus autem sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia. Sed Christus accipiebat scientiam experimentalem ex rebus sensibilibus, ut dictum est. Ergo multo magis poterat accipere scientiam, addiscendo ab hominibus.

art. præc.

¶ 3 Præterea, Christus secundum scientiam experimentalem non omnia à principio scivit, sed in ea profecit, ut dictum est. Sed quilibet audiens sermonem significativum alicuius, potest addiscere quod nescit. Ergo Christus potuit ab hominibus aliqua addiscere, quæ secundum hanc scientiam nesciebat.

art. præc.

SED contra est, quod dicitur Isaiæ 55. Ecce testem populis dedi eum, ducem et præceptorem Gentibus. Præceptorem autem non est doceri, sed docere. Ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicuius hominis.

CONCLUSIO.

Cum Christus à Deo constitutus fuerit, ut ab eo doctrinam veritatis reciperent omnes; minime conveniebat eum ab alio quocumque doceri.

RESPONDEO dicendum, quod in quolibet genere id quod est primum movens non movetur secundum illam speciem motus: sicut primum alterans non alteratur. Christus autem constitutus est à Deo caput Ecclesiæ, quinimmo omnium hominum (ut supra dictum est) ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent: sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Unde ipse dicit Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Et ideo non fuit conveniens eius dignitati, ut à quocumque homine doceretur.

q. 8. art. 3.

AD primum ergo dicendum, quod sicut Origen. dicit super Luc. Dominus interrogabat, non ut aliquid addisceret: sed ut interrogatus erudiret. Ex uno quippe doctrinæ fonte manat, & interrogare & respondere sapienter: Unde & ibidem in Euangelio sequitur quod stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.

Hom. 19. in fi. tom. 2.

AD secundum ergo dicendum, quod ille qui addiscit ab homine, non accipit immediate scientiam à speciebus intelligibilibus, quæ sunt in mente ipsius, sed mediantibus vocibus sensibilibus, tanquam signis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatæ sunt signa intellectualis scientiæ ipsius, ita creaturæ à Deo conditæ, sunt signa sapientiæ eius. Unde dicitur Eccles. 1. quod Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Sicut igitur dignius est doceri à Deo, quàm ab homine: ita dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quàm per hominis doctrinam.

AD tertium dicendum, quod Iesus proficiebat in scientia experimentali, sicut & in ætate, ut dictum est. Sicut autem ætas opportuna requiritur ad hoc, quod homo accipiat scientiam per inventionem: ita etiam ad hoc, quod accipiat scientiam per disciplinam. Dominus autem nihil fecit quod non congrueret eius ætati: & ideo audiendis doctrinæ sermonibus non accommodavit auditum nisi illo tempore, quo poterat etiam per viam experientiæ talem scientiæ gradum attigisse. Unde Greg. dicit super Ezech. Duodecimo anno ætatis suæ interrogare dignatus est homines in terra, quia iuxta rationis usum, doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta.

art. præc.

Homil. 2. parum à princ.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.

81. AD QUARTUM sic proceditur. Videtur, quod Christus ab Angelis scientiam acceperit. Dicitur enim Luc. 22. quod apparuit Christo Angelus de cælo, confortans eum. Sed confortatio fit per verba confortantia docentis: secundum illud Iob. 4. Ecce docuisti plurimos, & manus lassas roborasti: vacillantes confirmaverunt sermones tui. Ergo Christus ab Angelis edoctus est.

Inf. q. 13. a. 1. ad 3. & q. 3. art. 3. & 14. quæst. 4. potest.

¶ 2 Præterea, Dionys. dicit 4. Cælest. Hierarch. Video enim quod & ipse Iesus, supercælestium substantiarum supersubstantialis substantia ad nostram intransmutabiliter veniens, obedienter subiicitur patris & Dei per Angelos formationibus. Videtur igitur, quod ipse Christus ordinationi legis divinæ subiici voluerit per quam homines mediantibus Angelis erudiuntur.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, sicut corpus humanum naturali ordine subjicitur corporibus cœlestibus, ita etiam humana mens angelicis mentibus. Sed corpus Christi subjectum fuit impressionibus cœlestium corporum: passus est enim calorem in æstate, & in hyeme frigus, sicut & alias humanas passiones. Ergo etiam eius mens humana subiacebat illuminationibus supercælestium spirituum.

** cap. 7. post med. illius*

Sed contra est, quod Dionys. * dicit 7. cap. Cœlest. Hier. quod supremi Angeli ad ipsum Iesum quæstionem faciunt, diuinique illius operis, & pro nobis assumptæ carnis scientiam discunt, & eos ipse Iesus sine medio docet. Non est autem eiusdem docere & doceri. Ergo Christus non accepit scientiam ab Angelis.

CONCLVSIO.

Anima Christi perfecta fuit experimentali scientia, absque aliquo Angelorum ministerio, seu lumine & scientia diuina; solo lumine illuminatis, quo fuit repleta.

Respondeo dicendum, quod sicut anima humana media inter spirituales substantias & res corporales: ita duobus modis nata est perfici. Vno quidem modo per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus: alio modo per scientiam inditam, siue impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Vtroque autem modo anima Christi fuit perfecta: ex sensibilibus quidem secundum scientiam experimentalem, ad quam quidem non requiritur lumen Angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis: ex impressione vero superiori secundum scientiam infusam: quam est immediatè adeptus à Deo. Sicut enim supra communem modum creaturæ anima illa vnita est verbo in vnitate personæ: ita supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei verbo repleta est scientia & gratia. Non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentia verbi, rerum scientiam in sui principio acceperunt, sicut in 2. super Gen. ad lit. Aug.* dicit.

Lib. 2. c. 8. tom. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod illa confortatio Angeli non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandam proprietatem humanæ naturæ. Vnde Beda dicit super Luc.* In documento vtriusque naturæ, & Angeli ei ministrasse, & eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturæ suæ non eguit præsidio: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur, vt scilicet in nobis fides incarnationis ipsius confirmetur.

Lib. 6. in Luc. c. 92. secundum ordin. Beda ante medium tom. 5.

Ad secundum dicendum, quod Dionys. dicit Christum fuisse formationibus Angelicis subiectum, non ratione suipsius, sed ratione eorum, quæ circa eius incarnationem agebantur & circa ministrationem eius in infantili ætate, constituti. Vnde ibidem subdit, quod per medios Angelos nunciatur Ioseph à patre, dispensata Iesu ad Ægyptum recessio, & rursum ad Iudæam de Ægypto traductio.

q. 14. a. 1.

Ad tertium dicendum, quòd Filius Dei assumpsit corpus passibile (vt infra dicetur *) sed animam perfectã scientiam & gratia. Et ideo corpus eius conuenienter fuit subiectum impressioni cælestium corporum: anima vero eius non fuit subiecta impressioni cælestium spirituum.

DISPVTATIO VI.

De Scientia Christi.

Agit D. Thomas quæst. 9. de Scientia Christi in communi, quam diuidit in beatam, inditam, & acquisitam: de beata in particulari agit quæst. 10. de indita verò, quæst. 11. & tandem de acquisita, quæst. 12. quæ omnia expendentur præsenti disputatione.

DVBIVM I.

Vtrùm in Christo Domino fuerit scientia creata.

Svpponendum est, nomine Scientiæ hîc intelligi cognitionem aliquam creatam intellectualem, siue sit actualis, siue habitualis; dummodo sit certa & euidens, quia in Christo Domino nulla fuit cognitio incerta & ineuidens, sicut nec vllus error, aut ignorantia. Quòd non fuerit in ipso cognitio incerta, patebit ex infra dicẽdis, quia nouit omnia naturalia actualia per scientiam inditam, & multa ipsorum per scientiam acquisitam: supernaturalia verò per scientiam beatam, & inditam: constat autem quòd scientia est cognitio certa: & quamuis cognouerit per media probabilia, quæ ab aliis sic cognoscuntur; tamen hæc media non causabant in ipso cognitionem opinatiuam siue incertam; quia intellectus eius erat firmatus aliis mediis demonstratiuis & certissimis. Quòd etiam non fuerit cognitio ineuidens, patet; quia scientia beata, & scientia indita omnia cognouit, quæ potuerunt ei proponi: constat autem quòd scientia beata est euidentissima; propterea dicitur visio beata & intuitiua rerum in Verbo: scientia etiam indita habet euidentiam in attestante: & licèt præberet assensum his quæ ab aliis dicebantur, hic tamen assensus non innitebatur fidei humanæ, sed euidentiæ rerum quam habebat: vnde authoritas dicentium, aut probabilitas rationum non erant ipsi motiuum assentiendi, sed tantum occasio. Quòd non fuerit error, patet; quia nihil fuit propositum Christo, quod priùs non sciuerit saltem scientia beata, vt dicetur postea; vnde illa dirigebatur ne erraret circa illud, si forte defectibilibus mediis proponeretur, vnde impossibile fuit quòd erraret: maximè quia erat Doctor veritatis, iuxta illud Ioan. 18. In hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati: error etiam cùm sit defectus & causa peccandi, non potest ordinari ad Deum vltimum finem, vnde est malum pertinens ad genus moris, & consequenter debet excludi à Christo; aliàs attribueretur Personæ diuinæ cuius erat dirigere humanitatem assumptam, eiúsque potentias ne deficerent in suis operationibus. Quòd denique non fuerit ignorantia, patebit ex modo dicendis; quia sciuit omnia quæ ad ipsum pertinebant; & licèt multa possibilia nesciuerit, dicitur habuisse nescientiam, & non ignorantiam.

Prima opinio, sed hæretica, fuit Monothelitarum, quorum author fuit quidam Macharius Archiepiscopus Anthiochensis: qui cùm ponerent in Christo vnam tantùm voluntatem; & similiter vnum tantùm intellectum: sic tantùm ponebant vnam volitionem, & vnam intellectionem; vel purè diuinam, vt aliqui volunt; vel partim diuinam, partim humanam, vt alij dicunt: vnde hi hæretici negabant scientiam creatam purè in Christo. Probatur authoritate S. Dionysij cap. 2. de diuinis nominibus, & in epist. ad Caium, vbi vocat operationes Christi Theandricas, idest Dei-viriles, seu Dei-humanas: ergo in ipso omnis operatio est simul diuina & humana. Maximè quia instrumentum operatur eadem actione qua causa principalis: humanitas autem est instrumentum diuinitatis.

Secundò, fuit possibile & conueniens, intellectum humanum Christi cognoscere per intellectionem Verbi increatam: Possibile quidem, quia essentia diuina essentialiter habet rationem

tionem speciei intelligibilis & intellectionis; vnde sicut vnitur de facto in ratione speciei intelligibilis cum intellectu Beatorum, sic poterit vniri in ratione intellectionis cum intellectu Christi: maximè quia intelligere nihil est aliud quàm recipere speciem intelligibilem: Conueniens autem; quia omnis perfectio possibilis, & compossibilis fini Incarnationis, debet Christo attribui: constat autem quòd attribuitur maxima perfectio Christo; si dicatur quòd intelligit tantùm intellectione diuina: ergo in Christo non est scientia creata; nam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquè benè.

Tertiò, humanitas Christi Domini subsistit formaliter per subsistentiam diuinam Verbi, vt fides docet: ergo etiam intelligit per scientiam eius increatam, vt patet ex paritate rationis: maximè quia scientia creata non est compossibilis cum increata, quia maius lumen offuscat minus; vt constat experientia.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd anima Christi Domini non cognouit per scientiam Verbi increatam: 2. Imò nec cognoscere potuit: 3. Vnde fuit in ipsa scientia creata, 4. Perfectissima.

Probatur prima pars conclusionis. Intellectus Verbi increatus non dat humanitati posse intelligere: ergo nec intellectio increata Verbi dat ipsi actu & formaliter intelligere, vt patet ex paritate rationis. Tota hæc ratio desumitur ex Concilio Lateranensi sub Martino I. vbi diffinitur collat. 5. Omnia in Christo Domino esse duplicia, duas esse naturas, duas voluntates, duas item operationes: quod etiam intelligitur quantùm ad intellectus, & ad intellectiones. Idem etiam definitur in 6. Synodo generali, Actione 6. & aliis sequentibus, videlicet in Christo esse duas connaturales operationes, vnam diuinam, & alteram humanam.

Probatur secunda pars conclusionis. Cognoscere siue intelligere, est viuere in actu secundo, siue dicit actionem vitalem in concreto: sed actus secundus vitalis necessariò & indispensabiliter exigit procedere ab actu primo vitali; actus enim secundus debet correspondere actui primo; nec potest esse rei magis intimus, quàm actus primus: ergo anima Christi non potuit cognoscere per scientiam increatam Verbi. Deinde, non potest quis viuere formaliter vita alterius: nam viuere est seipsum mouere ab intrinseco, per primum principium sibi inexistens, aut per identitatem vt in Deo, aut per informationem vt in creaturis: ergo cùm cognoscere sit viuere, vt patet; non potest anima Christi cognoscere per cognitionem aut scientiam Verbi increatam. Ratio autem cur actio vitalis non possit suppleri à Deo, sicut aliæ actiones, est quia principium actionis vitalis ita est effectiuum ipsius; vt supponatur esse forma, & concurrere ad actionem vt forma intrinseca, cùm actio sit immanens: Deus autem potest quidem supplere principium effectiuum, sed non formale.

Probatur tertia pars conclusionis quæ est de fide, tum adductis authoritatibus Conciliorum, tum triplici ratione D. Thom. hîc art. 1. Primò, quia anima Christi debuit habere perfectionem sibi connaturalem, vt scilicet de potentia intelligendi reducatur in actum per scientiam sibi propriam, alioquin esset imperfectior aliis animabus, quæ habent scientiam. Deinde, quia cùm quælibet res sit propter suam operationem, vt dicitur in 2. de cœlo, frustra haberet Christus animam intellectiuam, si non intelligeret secundùm illam, quod pertinet ad scientiam creatam. Denique, quia aliqua scientia creata pertinet ad animæ humanæ naturam, scilicet illa per quam naturaliter cognoscimus prima principia (scientiam enim hîc largè accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani) nihil autem naturalium Christo defuit; quia totam humanam naturam suscepit: ergo cùm anima Christi non cognouerit scientiâ Dei increatâ, habuit creatam sibi proportionatam & propriam.

Probatur quarta pars conclusionis. Illa scientia creata est perfectissima, tum in se, tum in ordine ad habentem, quæ attingit omnia scibilia respectu creaturæ secundùm potentiam Dei ordinariam, & quæ pertinent ad statum habentis (nam omnimoda perfectio intensiua & extensiua, qua maior dari non possit, est propria scientiæ diuinæ actu infinitæ, nec conuenire potest scientiæ creatæ, quæ ex generali ratione & conditione creaturæ ab intrinseco petit esse limitatam actu:) sed scientia creata animæ Christi attingit omnia scibilia respectu creaturæ secundùm potentiam Dei ordinariam, & omnia quæ pertinent ad statum Christi habentis, vt constabit ex infra dicendis: ergo scientia creata animæ Christi fuit perfectissima.

AD primum ergo dicendum cum D. Thom. infra quæst. 19. art. 1. ad 1. quòd Dionysius ponit in Christo operationem Theandricam, id est diuinam-virilem, vel diuinam-humanam, non per aliquam confusionem operationum seu virtutum vtriusque naturæ, sed per hoc quòd diuina operatio eius vtitur humana, & humana eius operatio participat virtutem diuinæ operationis: quòd autem hæc sit mens Dionysij colligitur ex 2. capite de diuinis nominibus, vbi dicit quòd Pater & Spiritus Sanctus, in his quæ pertinent ad humanam operationem Christi, non communicant nisi secundùm benignissimam & misericordem voluntatem, in quantum scilicet ex sua misericordia voluerunt Christum agere, & pati humana: si autem on-

nis operatio Chriſti eſſet diuina,Pater & Spiritus Sanctus propriè in illa communicârent;quia omnis operatio ad extra eſt indiuiſa, & communis toti Trinitati, ex axiomate Theologico. Ad aliud dicendum ex D. Thom. ibidem ad ſecundum, quòd operatio, quæ eſt humanæ naturæ in Chriſto, inquantum eſt inſtrumentum diuinitatis, non eſt alia ab operatione diuinitatis: non enim eſt alia ſaluatio, qua ſaluat humanitas Chriſti, & diuinitas eius; habet tamen humana natura in Chriſto,inquantum eſt natura quædam, quandam propriam operationem præter diuinam.

Ad ſecundum dicendum,quòd nec fuit poſſibile,nec conueniens animam Chriſti cognoſcere per intellectionem Verbi increatam. Quòd non fuerit poſſibile; patet ex dictis. Quòd autem non fuerit conueniens,etiamſi fuiſſet poſſibile, probant rationes D. Thom. adductæ pro tertia parte concluſionis: vnde ad primam impugnationem dicendum, eſſe latum diſcrimen inter ſpeciem intelligibilem, & actum intellectionis: quia ſpecies,cùm ſe teneat ex parte obiecti, vt vicaria ipſius, ſufficit quòd vniatur cum potentia vitaliter, idest vt comprincipium operationis vitalis; complet enim potentiam: quia ex Aug. Ex obiecto & potentia paritur notitia: ibi autem nulla eſt dependentia ſpeciei à potentia(ſi non inhæreat) ambo enim concurrunt adæquatè in ſuo genere;vnde poteſt ſuppleri à diuina eſſentia. Actus autem intellectionis,cùm ſit actus vitalis, debet elici à principio vitali, & intrinſeco illi, qui denominatur intelligens ſiue viuens in actu ſecundo: ex quo patet quòd eſt falſum, intelligere nihil eſſe aliud, quàm recipere ſpeciem intelligibilem, aut ipſam intellectionem: nam formaliter eſt operari, ſiue elicere intellectionem; præcedit autem receptio ſpeciei intelligibilis, aut vnio immediata obiecti; conſequitur autem receptio intellectionis in intelligente, cùm ſit actio immanens. Ad ſecundam impugnationem dicendum, quòd ſi tolleretur humana operatio ab humanitate Chriſti, ſequerentur inconuenientia adducta à D.Thom. & poſſet dubitari de veritate humanæ naturæ, ſi non appareret per ſuas proprietates,& operationes: vnde talis perfectio,quamuis abſolutè eſſet poſſibilis, tamen eſſet incompoſſibilis fini Incarnationis, inquantum Deus voluit manifeſtè demonſtrare veritatem humanitatis aſſumptæ.

Ad tertium dicendum, quòd eſt diſparitas inter ſubſiſtentiam & intellectionem: nam ſubſiſtentia eſt terminus naturæ ipſam actuans; aut informando ſi ſit creata, omnis enim actus creatus petit eſſe in ſubiecto; quia vel non ſubſiſtit per ſe, vel ſubſiſtit vt pars: aut intimè ſaltem adhærendo. Nec eſt neceſſe quòd procedat effectiuè à natura, cùm non ſit operatio eius, ſed complementum ſubſtantiale; vnde poteſt aduenire ab extrinſeco; ſi non ſit connaturale: propterea ſubſiſtentia diuina poteſt ſupplere creatam in humanitate aſſumpta. Intellectio autem, quia eſſentialiter eſt operatio vitalis, petit indiſpenſabiliter elici à principio per illam intelligente: vnde cum intellectio diuina non poſſit elici ab intellectu creato, cùm ſit improducibilis in ſe, non poteſt ſupplere intellectionem creatam animæ Chriſti,ita vt per illam intelligat. Ad aliud dicendum quòd maius lumen offuſcat minus in eodem medio tantùm: ſcientia autem increata & creata ſunt in diuerſis mediis; increata quidem in intellectu diuino; creata verò in humano animæ Chriſti. Deinde dicendum cum D.Thom. hîc art. 1. ad 2. quòd ſi duo lumina accipiantur eiuſdem ordinis minus offuſcatur per maius, ſicut lumen Solis offuſcat lumen Candelæ,quorum vtrumque accipitur in ordine illuminantis: ſi verò accipiantur duo lumina, ita quòd maius ſit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus lumen non offuſcatur per maius, ſed magis augetur,ſicut lumen aëris per lumen Solis: & hoc modo lumen ſcientiæ non offuſcatur, ſed magis clareſcit in anima Chriſti,per lumen ſcientiæ diuinæ, quæ eſt lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, vt dicitur Ioannis 1.

DVBIVM II.

Vtrùm ſcientia creata animæ Chriſti diuidatur in Beatam, Inditam,& Acquiſitam.

Svpponendum eſt, in Chriſto Domino præter ſcientiam creatam, eſſe increatam quæ competit ipſi inquantum eſt Deus: de illa agitur 1.p.quæſt. 14. à D.Thom.& aliis Theologis. Hæc eſt infinita tam intenſiuè, quàm extenſiuè; quia omne ſcibile attingit & comprehendit: vnde omnia, quæ ibi dicuntur de ſcientia Dei,conueniunt ſcientiæ increatæ Chriſti;cùm ſit vna & eadem communis tribus diuinis Perſonis. Vnde præſens difficultas, & ſequentes erunt de ſcientia creata animæ Chriſti: quandiu fuit in vita mortali.

Prima opinio poteſt eſſe quòd ſcientia creata animæ Chriſti non diuidatur in Beatam, Inditam,& Acquiſitam. Probatur; Non ſunt in Chriſto membra iſta diuidentia: ergo nec ſciẽtia in iſta membra diuiſa. Probatur Antecedens ſigillatim quoad omnes partes:& primò quoad Beatam; quia ex Scripturis habetur Chriſtum meruiſſe ſibi gloriam, & in ipſam intraſſe tantùm poſt Paſſionem, ex illo Lucæ 24. Nonne hæc oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam: ac proinde non habuit ſcientiam Beatam ante Paſſionem. Deinde, Beatus non proficit in ſcientia, nec ignorat quæ pertinent ad ſuum ſtatum: ſed Chriſtus profecit in ſcientia,

scientia, vt habetur Lucæ 2. Iesus autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines: & etiam nesciebat diem iudicij, iuxta eius dictum Marci 13. De die autem illa vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater: & tamen ad eius statum pertinebat hoc scire, cùm sit constitutus iudex viuorum & mortuorum: ac ita non fuit in Christo scientia Beata. Denique, cum scientia beata, siue visione beatifica, non potest esse meritum, & tristitia: meritum quidem, quia est viatoris, & non beati: tristitia autem; quia fruitio & delectatio summa, quæ est complementum beatitudinis, non compatitur aliquam tristitiam, vtpote sibi oppositam: & tamen secundùm fidem Christus Dominus meruit, vt infra dicetur, quandiu fuit in vita mortali; & habuit maximam tristitiam tempore Passionis, vt ipsemet fatetur Matthæi 26. his verbis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: & indicant verba eius prolata in Cruce: Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: ergo in Christo non fuit scientia Beata, quandiu fuit in carne mortali.

Secundò probatur; quoad scientiam Infusam siue Inditam, cognitio imperfecta non potest esse cum perfecta, iuxta illud Apostoli: Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: sicut non potest esse lumen minus cum lumine maiori; nam maius offuscat minus: constat autem quòd quæcumque scientia Indita est cognitio imperfecta, & lumen minus, comparata scientiæ Beatæ: ergo si in Christo fuit scientia Beata, non fuit scientia Indita. Deinde, si vtraque scientia fuit in Christo, non debuit esse otiosa, ac ita habuit suum actum, & speciem in actu sibi correspondentem; vtrumque autem est impossibile, nam ex D. Thom. sicut implicat idem corpus simul terminari pluribus figuris, ita eundem intellectum terminari pluribus speciebus in actu; & similiter est impossibile eandem potentiam habere simul plures actus. Denique, non videtur ad quid sit necessaria talis scientia infusa: non ad sciendum, quia perfectiori modo Christus sciuit per scientiam Beatam; frustra autem fit per plura quod potest fieri per pauciora, quando æquè benè: nec ad merendum, quia alij sine scientia infusa merentur: ergo non fuit in Christo scientia infusa; maximè quia potuit acquiri.

Tertiò probatur quoad scientiam acquisitam, siue experimentalem. Omnis perfectio aliis concessa & compossibilis Christo, debet ei attribui: sed omnes scientiæ fuerunt per accidens infusæ primo Parenti, ita vt nullam acquisiuerit: ergo multo magis Christo: propterea etiam habuit per accidens infusas virtutes morales ex genere suo acquisitas. Deinde, scientia acquisita non potest esse cum scientia beata, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 13. siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur: & hoc quia scientia acquisita dependet à phantasmatibus, & à corpore, quam dependentiam non habet anima beata: vnde cùm in Christo fuerit scientia beata, non fuit alia acquisita: Vnde D. Thom. nullam fecit mentionem de illa in 3. dist. 14. qu. vnica art. 3. Denique, habenti iam scientiam, per studium non aduenit alia, sed augetur præcedens; quia duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto: ergo cùm Christus ab instanti suæ conceptionis habuerit scientiam infusam, non acquisiuit aliam: maximè quia non studuit.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd scientia creata animæ Christi diuiditur in Beatam, Inditam, siue infusam, & Acquisitam siue experimentalem. 1. Beatam & Inditam habuit ab instanti suæ conceptionis: 3. Experimentalem autem successu temporis acquisiuit. 4. Hæ tres scientiæ specie distinguntur.

Probatur prima pars sigillatim: & primò de Scientia Beata, authoritate Scripturæ. Ioannis 1. dicitur: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Ioannis 3. Qui de cœlo venit, super omnes: & quod vidit & audiuit, hoc testatur. Item; Ego quod vidi apud patrem, loquor. Deinde; gloria coporis est signum gloriæ animæ: ex August. epist. 56. siue scientiæ beatæ ipsius; gloria enim corporis est quædam redundantia gloriæ animæ; sed secundùm fidem in Christo fuit gloria corporis, vt patet ex gloriosa eius Transfiguratione: ergo etiam habuit gloriam animæ. Denique; Christus adhuc existens in carne mortali fuit causa efficiens beatitudinis aliorum, & fuit Doctor vniuersalis, ac author fidei: ergo debuit esse beatus, quia causa debet præhabere actu perfectionem quam causat; & primus Doctor & auctor fidei debet euidenter scire quæ docet: propterea ex S. August. & D. Thom. Moyses, & S. Paulus viderunt adhuc mortales diuinam essentiam, quia ille electus fuerat Doctor & Legislator Iudæorum; hic verò Doctor Gentium. Et hoc maximè, quia Christus etiam vt homo, erat Filius Dei naturalis, vt definitur in Concilio Francofor. & probat S. Paulus ad Hebr. 1. Quòd si Filius, & hæres; vt dicit idem Apostolus: hæreditas autem ista non potest consistere, nisi in visione beatifica siue scientia beata, qua possidet omne bonum.

Secundò probatur de scientia Indita, vel infusa: Tum authoritate Sacræ Scripturæ ad Colosß. 2. vbi dicitur quòd in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: ergo cùm in aliis, maximè Beatis, detur scientia infusa, per quam cognoscunt res extra Verbum, vt modò dicetur, etiam fuit in Christo. Tum authoritate & ratione D. Thom. hic art. 3. quia

3. quia intellectus Christi debuit esse perfectus omni possibili perfectione, congrua suo statui secundùm potentiam Dei ordinariam: si enim hæc perfectio conceditur aliis, multo magis Christo: sed habere scientiam inditam vel infusam congruit statui Christi, tam ratione beatitudinis; quàm ratione personæ; ratione quidem beatitudinis, quia alij omnes Beati hanc habent; vt fatentur communiter Theologi cum S. August. ponunt enim in Beatis cognitionem matutinam & vespertinam: Matutina est ipsa scientia beata, qua vident res in Verbo: Vespertina est actus scientiæ infusæ, qua cognoscunt res extra Verbum per proprias species: ratione autem personæ, quia eius infinitæ dignitati congruebat, & debebatur, quòd anima ab ipsa assumpta, non solùm cognosceret omnia suo statui congrua; sed etiam omnibus modis perfectis, est enim non parua perfectio idem cognoscere pluribus viis; vnde D. Thom. infra q.14. art.4. ad 2. ait quòd plenitudo omnis gratiæ & scientiæ animæ Christi secundùm se debebatur; ex hoc ipso quòd erat à Verbo Dei assumpta: & ideo Christus habuit absolutè omnem plenitudinem sapientiæ & gratiæ. Tum denique, quia ex Scripturis constat Christum Dominum habuisse vsum scientiæ infusæ; vt cùm dicitur quòd incœpit cognoscere cogitationes cordium, & alia quæ per scientiam naturalem non possunt cognosci, vt dicitur in tractatu de Angelis: de nouo autem cognoscere, non potest esse scientiæ beatæ omninò immutabilis, ac ita pertinebat ad scientiam infusam: ergo illam habuit Christus; vsus enim rei supponit rem, imò illam habuit quasi titulo connaturalitatis.

Tertiò probatur de scientia Acquisita siue Experimentali (hic enim nomine scientiæ comprehendimus tam habitus scientificos, quàm aliquam cognitionem certam & euidentem) authoritate Sacræ Scripturæ, ad Coloss. 2. iam citato: nam scientia acquisita est aliqua perfectio vt patet, compossibilis cum scientia beata & infusa, vt dicitur 1. par. qu. 1. ergo non est neganda Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Ad Hebr. 6. Cùm esset Filius Dei didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines: quod non potest intelligi nisi de scientia acquisita; nam scientiæ beata & infusa fuerunt in ipso perfectæ, ab instanti suæ conceptionis, vt statim dicetur. Deinde, authoritate & ratione D.Th. hîc ar. 4. Christus Dominus habuit naturam humanam completam & perfectam, quantum ad perfectionem essentiæ, & potentiarum ab ipsa dimanantium; cùm sint proprietates eius, inter quas est intellectus agens: sed nulla potentia potuit in Christo esse frustra; frustra autem fuisset intellectus agens, si non habuisset propriam operationem, quæ est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus: hæc enim est vnica, vel saltem principalis & primaria eius operatio: sicut autem tollitur habitus sublato obiecto primario, & actu principali, quia ab his specificatur: sic & potentia tollitur, actu eius principali, & obiecto primario sublato ob eandem rationem: abstrahere autem species intelligibiles à phantasmatibus, est acquirere scientiam experimentalem, tunc enim scitur aliquid de nouo ratione experientiæ: ergo in Christo fuit scientia aliqua Acquisita & Experimentalis.

Probatur secunda pars conclusionis, tanquam certa apud omnes, authoritate Sacræ Scripturæ: & quidem de scientia Beata Psalm. 65. Beatus quem elegisti & assumpsisti: qui locus ab Aug. intelligitur de Christo, quasi beata fuerit eius anima per visionem beatificam, statim ac assumpta, & ex hoc quòd electa. Psalmo 21. In te proiectus sunt ex vtero, de ventre matris meæ Deus meus es tu: quem locum sic exponit Eusebius lib. 10. cap. 8. Cùm adhuc intra cellam gestantis me in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam: & hoc docent communiter alij sancti Patres, & maximè D. Thom. infra qu. 34. art. 4. de scientia autem Indita habetur Lucæ 2. Quòd Iesus annorum duodecim factus interrogabat Legis Doctores, ita vt mirarentur; ac proinde aliqua quæ non poterat didicisse, vnde per infusionem acceperat. Ratio vtriusque est desumpta à D. Thom. Anima Christi ab instanti suæ conceptionis fuit eleuata ad esse personale Verbi, vt fides docet: ergo etiam debuit eleuari ad perfectissimam operationem possibilem; vt ita operari proportionetur, quantum possibile est, esse personali diuino infinitè perfecto; vnde habuit ab instanti conceptionis scientiam beatam: & quia debuit simul esse viator ob finem Incarnationis, qui est redemptio humana per sacratissimam eius Passionem, debuit etiam perfici ex tunc in ordine ad operationem perfectissimam, conuenientem statui viæ, quæ est actus scientiæ Inditæ. Deinde, Christus ab instanti suæ conceptionis fuit caput tam hominum, quàm Angelorum; ita vt receperint ab ipso, saltem moraliter influente, omnem perfectionem supernaturalem quam habuerunt: ergo cùm Angeli & homines beati, habeant scientiam beatam, & scientiam inditam, vtramque habuit Christus ab instanti suæ conceptionis; quia inconueniens esset, quòd caput careret eâ perfectione, quam influit aliis. Quòd autem Christus sit caput Angelorum & hominum ab instanti conceptionis, patet: quia hanc dignitatem habet, quia est Deus & homo, vt supra dictum est: constat autem quòd ab instanti cōceptionis est Deus & homo perfectus, & hoc indicat illud ad Hebræos 1. Et cùm iterum

terum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli eius: hunc locum intelligunt communiter sancti Patres Chrysostomus, Theodoretus, D. Thom. & alij de introductione per Incarnationem: prima enim introductio, est manifestatio Christi Incarnandi facta Angelis, vt ipsum adorarent: alij referunt ly, iterum, non ad, introducit, sed ad, dicit; vnde esset transpositio verborum.

Probatur tertia pars conclusionis ex dictis prima parte circa scientiam acquisitam. Quarta pars autem probatur; scientiæ specificantur principaliter à ratione formalí, sub qua tendunt in sua obiecta, vt patet ex Logicis: ad rationem autem sub qua pertinet lumen sub quo procedunt; vnde concurrit ad specificationem, & similiter ad distinctionem: constitutiuum enim absolutum, & specificatiuum, est simul distinctiuum; quia constitutiuũ specificatiuum facit vnum; vnum autem importat quòd sit in se indiuisum, & diuisum à quolibet alio: ergo cùm hæ tres scientiæ procedant diuerso lumine; Beata quidem, lumine gloriæ; Indita autem, lumine supernaturali diuinæ reuelationis; Acquisita denique, lumine naturali intellectus, quæ lumina differunt specie subalterna; imò sunt in diuerso ordine, etiam ipsæ scientiæ differunt specie subalterna, & sunt in diuerso ordine; compossibiles tamen, quia subordinatæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus non meruit gloriam essentialem animæ, vt dicetur infra: bene autem gloriam sui corporis, de qua intelligitur ille locus Lucæ 24. Ad illud Lucæ 2. dicendum, quòd intelligitur tantùm de scientia acquisita & experimentali, in qua profecit Christus; non autem de aliis. Illud autem Marci 13. sic debet intelligi, quòd solus Pater scit à seipso diem iudicij, filius autem nescit à se, sed tantùm per reuelationem ipsi factam; vnde scit, sed non vt reuelet: ita D. Thom. hic qu. 10. art. 2. ad 1. Ad aliud dicendum, quòd Christus dum fuit in carne mortali, fuit simul comprehensor, & viator, inquantum viator & per opera viatoris potuit mereri, vt dicetur infra: solus autem Beatus, qui nihil habet viatoris, excluditur à merito, cum sit perfectè in termino, meritum autem sit tendentia ad terminum: constat verò quòd cessat motus acquisito termino. In Christo tamen dem fuit summum gaudium de Deo clarè viso, & simul summa tristitia de aliis: gaudium autem & tristitia possunt esse simul, si non sint de eodem, vel circa idem, quia sic non contrariantur:

Ad secundum dicendum cum D. Thom. hîc quæst. 9. art. 3. ad 1. quòd adueniente perfecta cognitione euacuatur imperfecta, si sit ei opposita, sicut perit cognitio fidei obscura, adueniente clara visione: cognitio autem, quæ est per species inditas, non includit aliquid oppositum cognitioni beatæ. Similiter lumen maius offuscat minus, si sint eiusdem ordinis: si autem sint diuersi ordinis, ita vt minus sit subordinatum maiori, vt contingit in præsenti, tunc maius confortat minus. Ad aliud dicendum, quòd quando species sunt diuersi ordinis & subordinatæ, possunt esse simul in actu respectu eiusdem intellectus: solæ species eiusdem ordinis disparatæ repugnant vt sint simul in actu: species autem quæ his scientiis deseruiunt sunt diuersi ordinis & subordinatæ, nam species quæ deseruit scientiæ beatæ, est essentia diuina superexcedēs omnia creata; quæ deseruit scientiæ inditæ, est multiplex species supernaturaliter infusa, excedens quidem abstractas à phantasmatibus deseruientes scientiæ acquisitæ, multo autem inferior ad essentiam diuinam. Quando autem possunt esse simul plures species in actu, possunt etiam esse simul plures operationes eiusdem potentiæ: tunc enim vnaquæque terminat inadæquatè tantùm potentiam: hoc contingit de facto in Angelis & Beatis, qui absque interruptione scientiæ beatæ vtuntur aliis scientiis ad libitum: figuræ autem quibus potest figurari corpus, sunt omnes eiusdem rationis, vnde non possunt simul esse in eodem corpore. Ad aliud dicendum, quòd scientia indita, fuit necessaria in Christo; tum ad sciendum, non quidem quantùm ad substantiam, sed quantùm ad specialem modum, qui non debuit denegari Christo: tum ad merendum actibus supernaturalibus, quia vt infra dicetur, Charitas non fuit principium meriti in Christo vt regulata scientiâ beatâ, sed vt regulata scientiâ supernaturali status viæ, quæ in Christo fuit scientia indita: in aliis verò est fides, & hæc sufficit: sed in Christo esse non potuit, vt pote ineuidens & opposita scientiæ beatæ.

Ad tertium dicendum, quòd Adam non habuit à principio, nec scientiam beatam, nec scientiam supernaturalem inditam, sicut illas habuit Christus: vnde si non habuisset per accidens infusas sciētias naturales, ex genere suo acquisitas, non fuisset aptus esse Doctor generis humani. Cur autem Christus habuerit infusas per accidens virtutes morales, ex genere suo acquisitas, dictum est supra. Ad aliud dicendum, quòd Apostolus loquitur non absolutè sed hypotheticè: & licèt absolutè loqueretur debet intelligi non de destructione scientiarum quoad substantiam, at tantùm quoad modum imperfectum quem hîc habent: poterit autem Beatus vti illis, vel cum conuersione ad phantasmata, vel sine tali conuersione: quia tunc anima habebit perfectum dominium super corpus. Quamuis autem D. Thom. loco ci[illegible] nullam mentionem fecerit de scientia acqu[illegible] Christi: hîc amplam & expressam facit v[illegible]

tractat quæ ibi ſcripſerat. Ad aliud dicendum, quòd ſcientiæ iſtæ diſtinguntur ſpecie, quia procedunt diuerſo lumine; vnde non mirum quòd per cognitionem naturalem non intendatur ſcientia beata & indita, ſed acquiratur noua.

DVBIVM III.

Vtrùm ſcientia beata animæ Chriſti ſit infinita, ita vt adæquet ſcientiam diuinam.

SVpponendum eſt, ſcientiam beatam, ſiue viſionem beatificam animæ Chriſti Domini, eſſe eiuſdem rationis cum viſione beatifica aliorum, ſolùm differt accidentaliter ratione maioris intenſionis & extenſionis: vnde quæ conueniunt viſioni beatificæ vt ſic, conueniunt viſioni beatificæ animæ Chriſti: vnde elicitur ab intellectu eius eleuato & confortato lumine gloriæ, tanquam totali virtute proxima agendi, concurrente diuina eſſentia, immediatè ſeipſa vnita per modum ſpeciei intelligibilis & intellectæ; & in ipſa ſiue in Verbo (idem enim eſt) videt omnia myſteria fidei, & omnia quæ ſunt formaliter & neceſſario in Deo, omnes ſpecies rerum actualium, aliquas res poſſibiles: ex indiuiduis verò iuxta exigentiam ſui ſtatus, & in his conuenit cum aliis Beatis: ſolùm reſtat examinandum, an ſcientia beata animæ Chriſti ſic excedat in perfectione alias, vt ſit infinita, & adæquet ſcientiam diuinam.

Prima opinio, ſed damnata in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 22. Auguſtini de Roma, quam ſecutus eſt Arnobius de Villa noua, aſſerit animam Chriſti tam clarè & tam intensè videre Deum, quàm clarè & intensè Deus videt ſeipſum; quod non eſſet, ſi viſio beatifica animæ Chriſti non adæquaret ſcientiam diuinam, ac eſſet ſimpliciter infinita. Probatur; ſcientia comprehenſiua Dei eſt ſimpliciter infinita, & adæquat ſcientiam diuinam; ad comprehenſionem enim requiritur, quòd modus obiecti ſit modus cognitionis, ſiue quòd tanta ſit cognitio, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti: vnde cùm Deus ſit infinitè cognoſcibilis, quia infinitè verus, & infinitum ens, cùm ſit ipſum ens, ſiue eſſe per ſe ſubſiſtens: etiam cognitio comprehenſiua illius eſt ſimpliciter infinita, ac proinde adæquans diuinã, quæ non poteſt eſſe maior quàm ſimpliciter infinita: ſed ſcientia beata animæ Chriſti eſt comprehenſiua Dei, vt aſſerit S. Iſidorus cap. 42. in Exodum, ait enim, Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & humanitati aſſumptæ: loquitur autem de notitia comprehenſiua, vt cõſtat ex immediatè præcedentibus; ſic enim habet: Videre etiam eius eſſentiam planè non valet, quam nec ipſa perfectio Angelica attingit in totum: & ratio eſt manifeſta, quia ex Aug. epiſt. 112. cap. 8. illud comprehenditur, cuius nihil latet videntem: conſtat autem quòd tota diuinitas fuit vnita cum anima Chriſti in eſſe cognito, cum fuerit vnita ipſi in eſſe perſonali filij; hoc enim maius eſt quàm aliud, & qui dat maius, dat & minus; ac proinde nihil eius latet animam Chriſti: ergo ſcientia beata animæ Chriſti fuit ſimpliciter infinita, & adæquans diuinam.

Secundò, ſcientia beata animæ Chriſti attingit infinita, non ſolùm in potentia, quatenus cognoſcit Chriſtus quicquid poteſt, & quicquid poſſunt aliæ creaturæ, quod eſt infinitum in potentia, ipſe enim poteſt emundare ab infinitis peccatis, iuxta illud 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi; ſed etiam attingit infinita actu, quatenus videt actu & ſimul, omnes cogitationes & volitiones v.g. Beatorum, quæ licèt ſucceſſiuè aduenient per totam æternitatem, & ſic non ſint multitudo actualis infinita ſecundùm propriam menſuram, ſunt tamen multitudo infinita ſecundùm menſuram æternitatis, in qua ſimul actu exiſtunt ex D.Thom. 1.p.quæſt. 14.art. 13. & S. Auguſt. 4. de Trinitate cap. 17. vbi ait, Apud Deum præterita & futura ſtant. Et lib. 51. Apud Deũ nec præterita tranſierunt, & futura iam facta ſunt: conſtat autem quòd ſcientia beata, quia menſuratur æternitate, attingit res vt ſunt in æternitate: ergo cùm ad attingenda infinita, requiratur ſciẽtia infinita: ſicut & ad producenda infinita requiritur virtus infinita (debet enim eſſe proportio inter actum & obiectum) ſcientia beata animæ Chriſti eſt infinita, & adæquans diuinam.

Tertiò, ſi quid obſtaret, quin ſcientia beata animæ Chriſti non eſſet dicenda infinita, nec æqualis diuinæ: maximè eſſet quia non penetrat diuinam omnipotentiam, vnde plura poſſibilia ipſã latent: ſed hoc non poteſt dici, tum quia diuina omnipotentia eſt quid ſimplex, vnde clarè ipſam videntes, totam & totaliter vident ac proinde vident omnia quæ in ipſa ſunt; tũ quia eſto non videatur totaliter ab aliis, debuit tamen hæc adæquata viſio cõcedi per gratiam animæ Chriſti, quia vt ait Aug. 1. de Trinitate cap. 13. illud quod conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam: & meritò, nam ſacra humanitas Chriſti debet perfectè cognoſcere perſonã filij Dei, cui eſt hypoſtaticè vnita, omnéſque eius perfectiones: ergo ſcientia beata animæ Chriſti eſt infinita, & æqualis diuinæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd ſcientia beata animæ Chriſti non attingit omnia quæ ſunt in Deo eminenter: 2. Nec omnia poſſibilia contenta in eius virtute, & omnipotentia. 3. Vnde non eſt comprehenſiua Dei, ac proinde nec ſimpliciter infinita intenſiuè, aut extenſiuè: 4. Benè tamen ſecundùm quid, quia videt omnia actualia:

actualia: Et consequenter non adæquat scientiam Dei, etiam quantùm ad extensionem, sed tantùm scientiam visionis.

Probatur prima & secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione D. Thom. hîc quæst. 10. art. 2. quia si anima Christi attingeret omnia quæ sunt in Deo eminenter, & omnia possibilia contenta in eius virtute & omnipotentia, comprehenderet Deum; directè quidem attingendo in diuina essentia, quæ sunt in ipsa eminenter; attingeret enim & penetraret omnes modos diuinæ essentiæ, siue totam & totaliter; nihil enim eius lateret: indirectè autem attingendo omnia possibilia contenta in eius virtute, nam hæc cognitio supponeret omnimodam penetrationem diuinæ potentiæ, siue secundùm omnes suos sinus; est enim implicantia cognoscere omnes effectus possibiles alicuius potentiæ, in ipsa potentia priùs naturâ cognita, & ipsam omninò non penetrare: si enim ex cognitione omnium effectuum possibilium in seipsis, deuenitur arguitiuè in comprehensionem potentiæ productiuæ ipsorum; scitur enim quid & quantum possit, ac proinde quid & quanta sit, cùm posse sit esse potentiæ, multo magis ex cognitione omnium effectuum possibilium in ipsa potentia productiua, deuenitur in comprehensionem ipsius potentiæ; imò supponitur: comprehensâ autem omnipotentia, comprehenditur ipse Deus, cùm omnipotentia sit eius proprietas, includens per modum transcendentis omnia quæ sunt in Deo; vnde est impossibile ipsam comprehendi, non comprehensis omnibus in ipsa inclusis per modum transcendentis, pertinent enim ad eius entitatem; imò ratione ipsorum habet quòd sit omnipotentia: sed est impossibile quòd anima Christi domini comprehendat Deum, vt statim dicetur: ergo scientia beata animæ Christi non attingit omnia quæ sunt in Deo eminenter, nec omnia possibilia contenta in eius virtute & omnipotentia.

Probatur tertia pars conclusionis tanquam de fide, authoritate Scripturæ, & Conciliorum. Hieremiæ 32. Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi: magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. In Concilio Lateran. cap. firmiter, de summa Trinitate & fide Catholica, dicitur; Firmiter credimus, & simpliciter confitemur; quòd vnus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis. In Concilio etiam Basiliensi sess. 22. fuit condemnata opinio Augustini de Roma Archiep. Nazareni supra adducta, vt erronea in fide. Deinde, vt aliqua cognitio sit alicuius comprehensiua, debet esse adæquatio inter principium cognoscitiuum & obiectum cognitum, quia tantùm debet illud cognoscere, quantùm est cognoscibile; aliàs non omninò penetraret, sed aliquid eius lateret cognoscentem, & ita propriè non comprehenderet iuxta Aug. epist. 112. cap. 18. & communem consensum Theologorum (hîc autem agitur de comprehensione propriè & rigorosè sumpta, non de communiter dicta prout idem est ac apprehensio, iuxta illud Apostoli; Curro si quomodo comprehendam, id est, apprehendam:) sed inter principium cognoscitiuum animæ Christi per scientiam beatam, & Deum cognitum qui est obiectum scientiæ beatæ, non est adæquatio; quia Deus in ratione cognoscibilis & visibilis est simpliciter infinitus, vt dictum est, & fatentur omnes; nam cognoscibilitas obiectiua fundatur in veritate, & proportionatur ipsi, cùm sit obiectum intellectus; veritas autem diuina, vt pote adæquata diuinæ entitati infinitæ per modum proprietatis, est infinita: principium autem cognoscitiuum animæ Christi constitutum ex eius intellectu vt virtute remota, & lumine gloriæ, vt totali virtute proxima, non est infinitum; nullum enim creatum est infinitum actu: ergo scientia beata animæ Christi non est comprehensiua Dei. Quòd autem non sit simpliciter infinita intensiuè, aut extensiuè, constat ex dictis: nam si attingens obiectum infinitum clarè & adæquatè propositum quantum est ex parte sui, vt est Deus per suam essentiam immediatè vnitus intellectui animæ Christi, non omnino penetrat, nec videt omnia simpliciter visibilia in ipso contenta; signum est quòd non est infinita intensiuè; hæc enim infinitas consisteret in penetratione obiecti infiniti. Nec est infinita extensiuè; hæc enim infinitas consistit in ingentia infinitorum simpliciter scibilium, ac in extensione ad illa omnia: vnde cùm anima Christi per scientiam beatam non penetret omninò Deum infinitum, nec attingat omnia scibilia, in ipso non est infinita intensiuè, nec extensiuè.

Probatur quarta pars conclusionis; tum authoritate, tum ratione D. Thom. hîc q. 10. art. 2: vbi ait; Vnusquisque intellectus creatus in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tantò plura, quantò perfectiùs videt Verbum: nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quæ ad ipsum spectant, vt dicitur 1. p. q. 12. quia beatitudo perfectè satiat appetitum rationabilem, cùm inducat summam pacem, & perfectam fruitionem; non autem esset perfectè satiatus talis appetitus, si deesset aliquid pertinens ad proprium statum ipsius beati: naturali enim & ordinato appetitu exiguntur quasi debita, quæ sunt proprij status: ad Christum autem & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subiecta sunt omnia, scilicet actualia in aliqua temporis differentia, ipse etiam est omniũ iudex constitutus à Deo, quia Filius hominis est, vt dicitur Ioan. 5. & ideo anima Chr

sti in Verbo cognoscit omnia existentia secun-
dùm quodcumque tempus,& etiam hominum
cogitationes, quorum est, iudex: cogitationes
autem quæ præcedent iudicium, sunt quidem
actu finitæ: illæ verò quæ per totam æternita-
tem elicientur, siue ab electis, siue à reprobis,&
ab vnoquoque ipsorum; semper erunt quidem
numero finito in propria mensura, erunt ta-
men infinita simul in mensura æternitatis: sicut
& actus voluntatis, & similia; in qua mensura
illas attingit anima Christi per scientiam bea-
tam, quæ mensuratur ipsa æternitate participa-
ta. Hæc verò omnia pertinent ad statum Chri-
sti iudicis; non quidem vt iudicanda, sed vt
consequentia iudicium per modum præmij in
Beatis, & per modum pœnæ in damnatis: ad
dignitatem autem iudicis pertinet scire perfe-
ctè & præmium & pœnam, quæ consequun-
tur iudicium: vnde scientia beata animæ Chri-
sti se extendit ad ista infinita actualia, sed suc-
cessiua. Insuper ex eodem D.Thom. loco citato,
Christus per hanc scientiam beatam compre-
hendit in Verbo omnis creaturæ essentiam, &
per consequens potentiam & virtutem,& con-
sequenter videt omnia quæ sunt in potentia
creaturæ: si hoc enim conceditur Angelis etiam
quoad scientiã naturalem, multò magis Chri-
sto qui est caput Angelorum, saltem quoad
scientiam beatam: quod debet intelligi de his
quæ sunt in potentia naturali, non autem de
his quæ sunt in potentia obedientiali, cùm hæc
enim commensuretur diuinæ omnipotentiæ,
non potest comprehendi, nisi comprehendatur
diuina omnipotentia: ergo cùm illa actualia, &
hæc possibilia sint infinita, sed in genere deter-
minato, scientia beata animæ Christi omnia
simul attingens, est infinita secundùm quid in-
tensiuè, & extensiuè.

Probatur quinta pars conclusionis ex dictis. Scientia Dei attingit omnia possibilia in virtute diuina: quæ tamen non attingit scientia beata animæ Christi. Ex alia verò parte scientia visionis Dei attingit tantùm actualia in æternitate: & hæc omnia attingit scientia beata animæ Christi, vt ostensum est: Ergo scientia beata animæ Christi non adæquat scientiam Dei absolutè, etiam quantum ad extensionem; sed tantùm scientiam visionis, quæ est pars obiectiua scientiæ Dei. Nec tamen ex dictis sequitur quòd Christus videns ab instanti suæ conceptionis in Verbo, omnia quæ acturus erat, cogeretur illa agere: quia siue viderit in decretis, siue in æternitate (vtroque enim modo vidit, primo scilicet in decretis vt futura: secundo scilicet in æternitate vt præsentia:) nulla sequitur coactio aut necessitas: quia licèt decreta Dei sint causa futuritionis, sunt etiam causa modi talis futuritionis; scilicet vel liberæ, vel necessariæ: vnde vidit in decretis quæ acturus erat, & quæ liberè acturus erat; propterea suo tempore liberè, infallibiliter tamen, siue necessariò necessitate non absoluta, sed ex suppositione, operabatur: quia decreta Dei sunt efficaciæ infinitæ, vnde non solùm faciunt facere quoad substantiam, verùm etiam quoad modum, & omnes circunstantias: visio autem rerum in æternitate est dependens ab existentia ipsarum in propria mensura: sicut & positio ipsarum in æternitate; ideo enim res sunt actu in æternitate, quia sunt aliquando in propria mensura, & consequenter Christus videbat in æternitate se operantem liberè, quia aliquando erat operaturus liberè: vnde ex visione illa non sequitur necessariò futuram operationem, sed potius ex futuritione operationis sequitur necessariò illa visio eiusdem operationis præsentis in æternitate. Nec iterum sequitur, quòd anima Christi comprehendat aliquod attributum Dei, scilicet scientiæ visionis, cùm videat adæquatum eius obiectum: Nam primò, scientia visionis non est attributum distinctum, cùm sit pars obiectiua scientiæ Dei, quæ adæquatè sumpta constituit vnum attributum. Deinde non videt modum, quo scientia visionis attingit suum obiectum, cùm sit infinitè perfectior; vnde videt extensionem eius, & non intensionem: quod tamen requiritur ad comprehensionem. Nec denique potest dici quòd Christus non debeat videre omnia pertinentia ad Angelos, cùm non sit futurus iudex ipsorum quoad gloriam essentialem, ex D.Thom. infra quæst.59. art.6. cùm eos iudicauerit à principio mundi vt Verbum: nam D.Thom. solùm loquitur de iudicio priuato facto in vltimo instanti sui meriti: vnde non primò illos iudicabit quoad illam gloriam essentialem; benè tamen quoad gloriam accidentalem: quod idem dicendum est de pœna essentiali & accidentali dæmonum.

Ad primum ergo dicendum cum D.Thom. hìc q.10.art.1.ad 1. quòd homo assumptus, siue humanitas assumpta conformatur diuinæ Trinitati in sui cognitione, non ratione comprehensionis, sed ratione cuiusdam excellentissimæ cognitionis præ cæteris creaturis. Ad aliud dicendum cum D. Thom. ibidem ad 2. quòd nec in vnione personali natura humana comprehendit Dei Verbum siue naturam diuinam: quæ quamuis tota vnita fuerit humanæ naturæ in vna persona filij; non tamen fuit tota virtus diuinitatis ab humana natura quasi circunscripta, quia potuit terminare alias in infinitum: vnde similiter anima Christi totam Dei essentiam videt, non tamen eam comprehendit, quia non totaliter eam videt, id est non ita perfectè, sicut visibilis est.

Ad secundum dicendum, quòd illa sunt tantùm infinita secundùm quid, & non simpliciter & absolutè, siue in omni genere, sicut sunt omnia possibilia Deo: vnde vt clarè, & distinctè,

distinctè, ac simul cognoscantur in essentia diuina simul repræsentata, non est necessaria sciētia, siue visio infinita intensiuè: sed tantùm valde excellens: requiratur autem visio: infinita intensiuè ad attingendum infinita simpliciter, & in omni genere.

Ad tertium dicendum, quòd diuina omnipotentia videtur quidem tota à Christo, & aliis Beatis, non tamen totaliter, idest non ita perfectè, ac visibilis est. Ad aliud dicendum cum D.Thom. loco citato ad 3. quòd illud Aug. est intelligendum de gratia vnionis, secundùm quam omnia quæ dicuntur de Filio Dei secundùm diuinam naturam, etiam dicuntur de Filio hominis propter identitatem suppositi: & secundùm hoc, verè potest dici quòd Filius hominis est comprehensor diuinæ essentiæ; non quidem secundùm animam, sed secundùm diuinam naturam. Sufficit autem humanitati habere valde perfectam cognitionem intuitiuam Filij Dei, cui est vnita hypostaticè, citra tamen comprehensionem, cùm sit impossibilis.

DVBIVM IV.

Vtrùm scientia indita animæ Christi sit vnus simplex habitus.

Supponendum est, hanc scientiam non consistere in vno actu continuato simul, & immutabiliter attingente adæquatum suum obiectum: hoc enim est proprium scientiæ beatæ; quia lumen gloriæ necessitat intellectum, vt contempletur continuò diuinam essentiam, & in ipsa omnia pertinentia ad statum Beati. Hæc igitur scientia indita est habitus supernaturalis, quo facilis & delectabilis reddebatur Christo actualis cognitio obiectorum ipsius, quæ excedit naturalem virtutem intellectus humani: nunquam tamen fuit otiosus hic habitus: nam modo hoc, modo illud obiectum successiuè diuersis actibus considerabat, secundùm quod vtebatur diuersis speciebus ad hoc infusis, quas aliqui vt Medina dicunt esse ordinis naturalis; alij, vt Caietanus & Aluares, ordinis supernaturalis: sed dicēdæ sunt naturales quoad substantiam, cùm sint eiusdem rationis ac illæ quę infunduntur animabus separatis in instanti separationis, etsi plura & magis distinctè & clarè repræsentent; vt futura contingentia, cogitationes cordium, & similia: hæc autem maior distinctio & extensio non indicant esse supernaturalis ordinis, nam inter species Angelicas eiusdem ordinis naturalis inueniuntur: maximè quia non est necesse, quòd species sint eiusdem ordinis cum habitu qui vtitur illis, vt patet in fide quæ est habitus supernaturalis; species autem quibus vtitur, sunt naturales. Sunt tamen hæ species infusæ Christo supernaturales quoad modum, quia anima vnita corpori mortali non solet recipere per infusionem suas species, sicut recepit Christus; sed eas abstrahit à phantasmatibus: vnde quòd eas sic recipiat, est supernaturale ipsi consideratæ in statu vnionis, non autem absolutè, quia ei conuenit in statu separationis: vnde meliùs dicendæ sunt præternaturales; quod nomen vtrumque indicat, & quòd sint naturales quoad substantiam, & supernaturales quoad modum. Si obiiciatur quòd omnis habitus per se infusus, est supernaturalis quoad substantiam: ergo & species per se infusæ, quales sunt istæ animæ Christi. Dicendum, esse disparitatem, quia nulli habitus per se infunduntur, nisi in ordine ad obiecta supernaturalia, & vt eleuent potentiam ad talem ordinem, cùm sint ipsi tota virtus proxima agendi; propterea ipsi habitus debent esse ordinis supernaturalis: species autem se tenent ex parte obiectorum, ipsa repræsentantes, & nihil addunt potentiæ, sed tātùm funt eius complementum extrinsecum: propterea licèt sint ordinis naturalis, possunt repræsentare obiecta supernaturalia, vt constat in speciebus quæ deseruiunt fidei: & similiter licèt sint per se infusæ, non tollit quin sint ordinis naturalis, vt patet in speciebus Angelicis, & in illis quæ infunduntur animabus separatis.

Prima opinio Valquis hîc disp.54. cap. 2. & aliorum asserit scientiam inditam animæ Christi non esse vnum simplicem habitum; sed solùm esse collectionem omnium specierum intelligibilium cuiuslibet scientiæ, & contendit hanc esse mentem D.Thom. Probatur authoritate ipsius hîc quæst. 11. art. 6. vbi ex professo probat scientiam inditam animæ Christi esse distinctam per diuersos habitus, quos habitus dicit esse ipsas species infusas: quod magis confirmat ad 2. nam cùm sibi obiecisset, fidem esse vnum habitum: respondit fidem nostram inniti diuinæ veritati: & ideo Christus est author fidei nostræ secundùm diuinam scientiam quæ est simpliciter vna; & consequenter supponit quòd scientia indita non est vnus habitus. Et supra quæst. 9. art. 3. dicit ideo poni in Christo scientiam infusam; quia anima eius reducitur in actum sciendi omnia, per species infusas. Deinde, dicit Christum habere cognitionem creaturarum per habitum, quæ est collectio specierum ordinatarum ad cognoscendum: ergo scientia indita animæ Christi non est vnus simplex habitus.

Secundò, ad actus huius scientiæ nihil requiritur, præter intellectum Christi, & species infusas: nam illi actus siue sint apprehensio, siue iudicium obiectorum, etiam supernaturalium, sufficienter eliciuntur ab intellectu actuato & eleuato per species talium obiectorum: nam intellectus habet ex se virtutem intelligendi, recipit autem ab speciebus proportionatis determinationem, & connaturalitatem actuum

actuum in ordine ad obiecta, quæ repræſentantur in ſpeciebus: ergo ſcientia indita animæ Chriſti, vltra ſpecies infuſas, non eſt aliquis ſimplex habitus; nihil enim fruſtra datur, maximè in Chriſto.

Tertiò, ſi in Chriſto fuit vnus ſimplex habitus ſcientiæ inditæ, etiam debuit eſſe vnica ſpecies intelligibilis tali habitui deſeruiens; vt ſic eſſet proportio vnitatis inter ſcientiam & obiectum: & hoc maximè quia hoc conducit ad dignitatem Chriſti, qui etiam vt homo eſt iudex futurus viuorum & mortuorum: vnde conueniens eſt, vt ſimul & ſemel videat omnia quæ in extremo iudicio iudicabit; quod fieri non poteſt, ſi non videat hæc in vnica ſpecie, non enim intellectus poteſt ſimul actu terminari pluribus ſpeciebus eiuſdem ordinis: imò eſſet impoſſibile, quòd etiam ſucceſſiuè illa omnia videret: cùm enim illæ ſpecies multiplicatæ deberent eſſe penè infinitæ, repugnat quòd tam breui tempore illas omnes percurrat intellectus, cùm nec plures anni ad hoc ſufficiant: ergo cùm non ſit vnica ſpecies, ſcientia indita animæ Chriſti non eſt vnus ſimplex habitus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt ſcientia indita animæ Chriſti Domini, requirat ad ſuos actus eliciendos, plures ſpecies intelligibiles infuſas: 2. Ipſa tamen eſſentialiter eſt vnus ſimplex habitus ſupernaturalis, 3. Perfectior omni alio habitu ſcientifico.

Probatur prima pars concluſionis, tum authoritate, tum ratione D.Thom. hîc quæſt. 11. art. 6. vbi ſic eam probat: Scientia indita animæ Chriſti habuit modum connaturalem animæ humanæ: eſt autem connaturale animæ humanæ vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate quàm Angeli, ita ſcilicet quòd diuerſas naturas ſpecificas per diuerſas ſpecies intelligibiles cognoſcat: ergo ſcientia indita animæ Chriſti Domini requirit ad ſuos actus eliciendos, plures ſpecies intelligibiles infuſas.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D.Thom. in 3. d. 14. art. 3. quæſtiuncula 4. vbi ait, quòd anima Chriſti vno habitu omnia cognouit, quæ ad hanc ſcientiam pertinent, quamuis diuerſis ſpeciebus. Idem dixerat quæſtiuncula 2. Et hîc quæſt. 9. art. 3. diſtinguit ſcientiam inditam Chriſti ab ipſis ſpeciebus, ait enim; eſt in Chriſto ſcientia infuſa ſiue indita, per quam cognoſcit res in propria natura, per ſpecies intelligibiles humanæ menti proportionatas. Hîc etiam quæſt. 11. art. 4. ait lumen huius ſcientiæ eſſe excellentius lumine Angelorum, quod non poteſt intelligi, niſi de habitu huius ſcientiæ, ſpecies enim deſeruientes huic ſcientiæ, ſunt imperfectiores Angelicis, quia magis limitatæ, vt docet ibidem art. 6. item eadem quæſt. 11. art. 6. vbi ad 3. diſtinguit habitum huius ſcientiæ ab ſpeciebus, quibus vtitur: ait enim lumen diuinitus infuſum eſt communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur: ſicut & lumen intellectus agentis eorum quæ naturaliter cognoſcuntur: & ideo oportuit eſſe in anima Chriſti proprias ſpecies ſingularum rerum, ad cognoſcendum cognitione propria vnumquodque. Deinde, ſi ſcientia indita animæ Chriſti vltra ſpecies non importaret habitum ſupernaturalem, qui vtatur illis ſpeciebus, ſequitur quòd non ſit quid diſtinctum à donis ſapientiæ & ſcientiæ Spiritus Sancti; quia eædem ſpecies ſupernaturales ſufficiunt, proportionantur, & deſeruiunt illis donis & aliis; nam ad multiplicationem donorum & aliorum habituum, non eſt neceſſe multiplicare ſpecies: conſtat autem quòd hæc ſcientia indita animæ Chriſti Domini, diſtinguitur realiter & eſſentialiter à donis Spiritus Sancti. Denique, omnis ſcientia præter collectionem ſpecierum repræſentantium obiecta, importat habitum ſe tenentem ex parte potentiæ, ipſámque diſponentem, & inclinantem ad facilè, conſtanter, & delectabiliter operandum circa proprium obiectum, vt dictum eſt in Logicis: ergo etiam hæc ſcientia indita animæ Chriſti, cùm ſit perfectiſſima, & habeat annexam facilitatem, & delectationem in exercitio actus, eſt vnus ſimplex habitus & ſupernaturalis; vt colligitur à poſteriori, quia per ſe infuſus; & conſtat à priori, quia principaliter attingit obiecta ſupernaturalia, vt poſtea dicetur, & lumine ſupernaturali diuinæ reuelationis.

Probatur tertia pars concluſionis, tum authoritate, tum ratione duplici D. Thom. hîc quæſt. 11. art. 4. vbi ſic ait; Scientia indita animæ Chriſti fuit multò excellentior; quàm Angelorum ſcientia, & quantùm ad multitudinem cognitorum, & quantùm ad ſcientiæ certitudinem; quia lumen ſpiritualis gratiæ, quod eſt inditum animæ Chriſti, eſt multo excellentius, quàm lumen quod pertinet ad naturam Angelicam: quòd ſi eſt perfectior ſcientiâ Angelicâ, multò magis quâcumque aliâ humanâ. Et ratio conuenientiæ, eſt dignitas perſonæ Chriſti, quæ exigit habere in ſummo gradu ſecundùm potentiam Dei ordinariam, omnia dona ſupernaturalia eius humanitati conceſſa; eſt tamen imperfectior, vt ibidem ſubdit D.Thom. ex parte modi cognoſcendi ſcientiâ Angelicâ; quia potuit eſſe per conuerſionem ad phantaſmata, & per collationem & diſcurſum, quæ imperfectiones ſunt propriæ naturæ humanæ, & non Angelicæ.

AD primum ergo dicendum, quòd D.Th. in illo articulo non agit expreſsè de ſcientia indita ſecundùm lumen ſcientificum, quod de formali importat, de quo iam ſæpe fecerat mentionem: ſed de ſpeciebus ipſi deſeruientibus, quas importat de materiali, vocat tamé habitus, quia

quia habitualiter manent & immobiliter: in illa respõsione autem solùm negat, fidem nostram originari à scientia indita Christi, & asserit originari à diuina quæ est vna. Vel potest dici quòd fides dicitur quid vnum, etiam quoad species, quia omnia alia obiecta, vt cadunt sub fide, ordinantur ad Deum: obiecta autem scientiæ inditæ materialiter disparatè se habent in ordine ad scientiam. Vel tandem vult, quòd id quod est infusum in fide, est tantùm vnum, scilicet habitus fidei qui est participatio scientiæ diuinæ; illud autem quod est infusum in scientia indita animæ Christi, non est vnum, sed multiplex, scilicet species ipsi deseruientes. In alio loco, D.Thom. benè probat à posteriori in Christo esse habitum infusum huius scientiæ, quia in ipso sunt species infusæ; quandoquidem species infusæ per se non possunt, connaturaliter saltem, deseruire nisi lumini & habitui supernaturali. In alio loco D.Thom. loquitur de scientia non formaliter, sed fundamentaliter & originaliter, acquiritur enim mediis speciebus, quibus eliciuntur actus scientifici.

Ad secundum dicendum, quòd cùm actus eliciti à scientia indita sint entitatiuè supernaturales, vltra species repræsentantes obiectum, quamuis essent supernaturales, requiritur habitus entitatiuè supernaturalis, tenens se ex parte potentiæ, qui sit tota virtus proxima agendi, intellectui per ipsum eleuato; species enim, vt dictum est, non est complementum intrinsecum potentiæ, siue virtutis eius, at tantùm extrinsecum, cùm se teneat ex parte obiecti, quod concurrit per modum concausæ cum intellectu, iuxta illud Aug. Ex obiecto & potentia paritur notitia.

Ad tertium dicendum, quòd est conditio naturæ humanæ, quòd exigat multiplicationem specierum intelligibilium, quia petit eas minus vniuersales, quàm natura Angelica: vnde proportio habitus & specierum non consistit in vnitate, sed in pluribus aliis. Ad aliud dicendum, quòd sufficit Christo iudici, vt actu simul per scientiam beatam cognoscat omnia quæ iudicabit.

DVBIVM V.

Vtrùm omnia, ad quæ intellectus possibilis est in potentia, pertineant ad obiectum scientiæ inditæ Christi.

Svpponendum est, obiectum formale huius scientiæ esse ens reuelabile reuelatione euidenti, sed in attestante tantùm; vnde quicquid potest cadere sub tali reuelatione, pertinet ad obiectum illius: quia tamen potest esse difficultas, quænam possint sic à Deo reuelari, ideo in præsenti sunt plures opiniones.

Prima opinio asserit entia naturalia non pertinere ad obiectum huius scientiæ. Probatur; est proportio inter scientiam & obiectum, ita vt sint in eodem ordine: ergo cùm scientia indita animæ Christi sit habitus supernaturalis, non habet pro obiecto entia naturalia, sicut nec donum sapientiæ, lumen propheticum, & habitus fidei ob eandem rationem habent ea pro obiecto; quia potentia naturalis intra proprium ordinem potest attingere omnia naturalia. Deinde, si cognitio huius scientiæ attingat naturalia, debet se extendere ad omnia indiuidua sub ente naturali contenta; quod dici non potest: tum quia scientia perfecta non est de indiuiduis & singularibus: tum quia cognitio singularium non perficit intellectum ex D.Th. 1. part. q. 12. art. 8. tum quia requirerentur infinitæ species intelligibiles ad omnia indiuidua repræsentanda, non enim in Christo sunt species vniuersales, plura per modum vnius repræsentantes, sicut sunt in Angelis: est autem inconueniens ponere illam infinitam multitudinem specierum, quam non posset percurrere: ergo entia naturalia non pertinent ad obiectum scientiæ inditæ Christi.

Secunda opinio negat ad tale obiectum pertinere cogitationes cordium, & futura contingentia. Probatur, Psal. 7. & Hier. 17. dicitur quòd solus Deus est scrutator cordium. Et Isaiæ 41. dicitur; Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciamus quia Dij estis vos. Deinde. D.Thom. q. 10. de Veritate art. 6. expressè docet animam Christi non cognoscere per scientiam inditam cogitationes cordium, sed solùm per scientiam beatam. Et in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ait, non cognouisse per scientiam inditam gesta particularium hominum, & huiusmodi; quæ tamen omnia cognouit in Verbo. Et ratio est; quia cogitationes cordium, vt sunt in ipso intellectu, sicut & affectiones vt sunt in secreto voluntatis, nec relucent in aliquo suo effectu, soli Deo subiacent, sicut & ipse intellectus & voluntas quantùm ad sui immutationem physicam, ex D.Th. 1. p. q. 57. art. 4. propterea latent Angelos: ergo non pertinent ad obiectum scientiæ inditæ Christi. Denique, species quæ deseruiunt huic scientiæ inditæ Christi, non possunt repræsentare futura contingentia: tum quia sunt minus perfectæ quàm Angelicæ, quæ tamen non repræsentant futura contingentia ex D.Thom. 1. p. q. 57. art. 3. tum quia futura contingentia non sunt determinata; nec in seipsis, vt patet, quia omnia non existunt; nec in suis causis, quia omnis causa cõtingens est indeterminata in ordine ad suos effectus, ac proinde effectus etiam in ipsa: vnde quòd Deus cognoscat futura contingentia, prouenit quia videt ipsa vt existentia actu in æternitate, aut determinata in suo decreto efficaci vt in prima causa: ergo cùm scientia indita Christi non mensuretur æternitate, nec

nec attingat diuina decreta, non cognoscit futura contingentia.

Tertia opinio negat obiecta supernaturalia, vt sunt mysteria gratiæ: & maximè mysterium Sanctissimæ Trinitatis, pertinere ad obiectum scientiæ inditæ Christi. Probatur ex D.Thom. 1.p.q.57. art.5. Angeli per species inditas non cognoscunt mysteria gratiæ, quia ex pura Dei voluntate dependent: ergo nec Christus per species infusas quæ huic scientiæ inditæ deseruiunt. Deinde, sequentia mysteria per hanc scientiam non possunt cognosci: videlicet gratia habitualis, cùm sit participatio diuinæ naturæ formalissimè in se consideratæ; participatio autem non potest cognosci nisi etiam cognoscatur in se diuina natura, cuius est participatio: item visio beatifica, cùm non possit cognosci, non cognito eius termino scilicet diuina essentia: item Incarnatio, aut Eucharistiæ Sacramentum, quæ non possunt cognosci, non cognita persona Verbi, quæ est extremum vnionis hypostaticæ: constat autem quòd essentia diuina,& diuinæ personæ non possunt cognosci vt sunt in se, per scientiam inditam, quia non possunt repræsentari per species tali scientiæ deseruientes. Denique mysterium sanctissimæ Trinitatis, vt docet D.Thom. hic q.11. art.1. vbi agens de scientia indita Christi ait; Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solùm per primam, id est per scientiam beatam: & eadem de mysterio Trinitatis est ratio,imò maior; quia est impossibile dari speciem creatam, siue abstractam à phantasmatibus, siue infusam, quæ repræsentet hoc mysterium, scilicet Deum vnum in essentia & trinum in personis: ergo obiecta supernaturalia non pertinent ad obiectum scientiæ inditæ Christi.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd obiectum scientiæ inditæ Christi complectitur omnia obiecta naturalia, non solum secundùm rationem communem & vniuersalem, sed etiam secundùm proprias & particulares singulorum: 2. Cogitationes cordium, & omnes actus liberos, tam internos, quàm externos: 3. Futura contingentia, etiam libera: 4. Et denique omnia obiecta supernaturalia, siue omnia mysteria gratiæ, vt Trinitatis, Incarnationis, &c. 5.Hæc tamen omnia non simul, sed successiuè cognoscit.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D.Thom. hic q.11. art.1. vbi ait; secundùm scientiam inditam animæ Christi, primò quidem cognouit quæcumque ab homine cognosci possunt, per virtutem luminis intellectûs agentis, sicut sunt quæcumque pertinent ad scientias humanas. Et ratio est, quia anima Christi fuit perfectè reducta de potentia ad actum, propter vnionem hypostaticam exigentem in Christo omnem perfectionem possibilem secundùm legem ordinariam: ergo cùm sit in potentia ad omnia obiecta naturalia cognoscenda, non solùm secundùm rationem communem, sed etiam particularem cuiuscumque, fuit reducta ad illum actum per species diuinitus infusas, & distinctissimè ac clarissimè omnia repræsentantes, quæ deseruiunt huic scientiæ, loco obiectorum, ad cognitionem concurrentes: maximè cùm ex doctrina communi Theologorum cum D.Thom.1.part. q.55. & 56. hoc concedatur Angelis, quòd per species sibi infusas ab initio suæ creationis cognoscant, imò comprehendant omnes res naturales, non solum in communi, sed etiam in particulari.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Thom.hic q.11.art.1.vbi subiungit; Secundò verò per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcumque donum Spiritus sancti; omnia enim ista abundantius & plenius cæteris cognouit anima Christi: constat autem quòd ad hæc pertinent cogitationes cordis,actus omnes liberi, futura contingentia etiam libera, & mysteria gratiæ;nam de facto hæc innotescunt hominibus per diuinam reuelationem: ergo ex D. Thom. hæc omnia pertinent ad obiectum scientiæ inditæ Christi. Deinde, Christus Dominus non solùm debuit omnia scire,quæ pertinent ad statum suum iudicis vniuersalis, quales sunt cogitationes cordis:& hæ maximè quæ à nullo alio iudicantur, si non appareant in aliquo signo externo; dicitur enim Ioan.5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Et 2.Corinth.5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum: sed etiam debuit scire omni modo perfecto possibili:nam si propterea ponitur triplex scientia in Christo, Beata, Indita, & Acquisita: ita debet poni quòd hæ se extendant ad omnia quæ sub ipsis cadere possunt: constat autem quòd sub scientia indita cadunt cogitationes cordis, & omnes actus liberi tam interni, quàm externi; nam etiam plures Sancti penetrarunt ex diuina reuelatione cogitationes cordis: ergo obiectum scientiæ inditæ Christi complectitur cogitationes cordium, & omnes actus liberos tam internos, quàm externos:vnde illud Matthæi 19. Cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus vestris, debet referri non solùm ad scientiam diuinam Christi, & beatam animæ eius, sed etiam ad scientiam inditam.

Probatur tertia pars conclusionis,tum prædicta authoritate D.Thom. & ratione, quæ æquè applicari possunt ad futura contingentia quæ-

cumque

cumque, ac ad cogitationes cordium; vnde omnia quæ prædixit Christus, vt de futura trina negatione Sancti Petri, de excidio Hierusalem Lucæ 19. & alia, cognouit etiam hac scientia indita: sicut & per prophetiam, & aliis modis: inquantum enim immediatè & subito lumine prophetali applicabatur ad hæc cognoscenda, pertinebant ad prophetiam: inquantum verò seipsum applicabat ordinariè medio discursu & collatione ad hæc contemplanda, pertinebant ad hanc scientiam.

Probatur quarta pars conclusionis: tum prædicta authoritate & ratione D. Thom. Tum quia vt dicetur infra Christus meruit per actum dilectionis regulatum hac scientia, qui actus debuit ordinari ad Deum finem supernaturalem, ac proinde cognitum hac scientia: eadem autem est ratio de aliis mysteriis. Tum quia Christus, vt viator, ac proinde secundùm hanc sciẽtiam inditam, est causa iustificationis, glorificationis, imò prædestinationis omnium, aliorúmque mysteriorum gratiæ, hæc enim omnia meruit, vt dicetur infra: ergo illa sciuit per hanc scientiam inditam: vnde hæc omnia cognouit euidenter in attestante, non in seipsis; quia multa continent, vel connotant aliquid increatum, quod euidenter & quidditatiuè repræsentari non potest per species creatas. Hæc autem debent intelligi de mysteriis actualibus gratiæ, non autem de omnibus possibilibus, quia ex penetratione omnium ipsorum comprehẽderetur diuina omnipotentia. Deinde probatur specialiter de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis; quia Christus cognouit per hanc scientiam subiectionem suam ad personam Patris; hoc enim cognouit vt viator, quia ex hac cognitione elicuit actus humilitatis meritorios, qui debent regulari scientia propria viatori. Maximè quia ex opposito sequuntur multa inconuenientia: Primum, quòd Christus vt viator non habuerit notitiam mysterij Trinitatis & Incarnationis. Secundum, quòd Christus vt viator non potuerit orare Patrem æternum, quia vt viator non cognouisset, si per scientiam inditam non cognouisset mysterium Trinitatis: ergo obiectum scientiæ inditæ Christi complectitur omnia obiecta supernaturalia, siue omnia mysteria gratiæ, vt Trinitatis, & Incarnationis.

Probatur quinta pars conclusionis. Hæc scientia indita animæ Christi non mensuratur æternitate, nec considerat sua obiecta in essentia diuina, vnita per modum speciei intelligibilis, sed mensuratur tempore successiuo, & vtitur variis speciebus magis particularibus quàm sint Angelicæ ex D. Thom. etsi sint perfectiores in repræsentando: & hoc maximè quia hanc scientiam cognoscit, non solùm obiecta naturalia, sed etiam supernaturalia, vt dictum est; quæ omnia simul repræsentari non possunt vnica specie creata, vt patet in Angelicis magis vniuersalibus: ergo cùm intellectus Christi humanus non possit simul esse in actu secundùm diuersas species infusas, cùm sint eiusdem ordinis, non cognoscit simul, sed successiuè obiecta scientiæ inditæ, secundum quod actu repræsentantur in speciebus, secundùm quas est in actu, cùm ad cognitionem simul concurrant tam intellectus, quàm species loco obiecti: propterea ex D. Thom. 1. p. q. 58. art. 1. Angeli non cognoscunt plura vt plura, sed per modum vnius, inquantum attingunt illa vt repræsentata in vna specie: & è contra Beati per scientiam beatam omnia vident simul, quia vident in vna essentia diuina vnita per modum speciei intelligibilis: non est autem possibile determinare numerum specierum infusarum, deseruientium scientiæ inditæ Christi, solùm certum est ex D. Thom. hic quæst. 11. art. 4. esse plures, & magis particulares quàm Angelicæ; hoc enim exigit natura humana inferior Angelicâ: & ita quantùm ad modum cognoscendi hæc scientia Christi est inferior Angelicâ: sed quantùm ad habitum, & claritatem cognitionis est multo excellentior scientiâ cuiuscumque Angeli, etiam supremi Seraphini.

Ad primum ergo dicendum, quòd debet esse proportio inter scientiam, & obiectum formale: obiectum autem formale huius scientiæ inditæ Christi, est ens reuelatum per se, quæ reuelatio est ordinis supernaturalis, ac proinde etiam ens vt sic reuelatum. Deinde ad summum est proportio inter scientiam & obiectum materiale præcipuum, non autem inter ipsam & obiecta minus principalia: obiectum præcipuum huius scientiæ sunt mysteria gratiæ supernaturalia: minus principalia & secundaria sunt entia naturalia. Ratio huius est, quia scientia specificatur à suo obiecto formali, vnde debet ei proportionari, non autem ab obiecto materiali: & obiectum materiale præcipuum proportionatur formali, quia per se primò participat illud: minus autem principale participat tantùm secundariò, & ex consequenti. Deinde esto, ratio valeret in scientiis inferioribus limitatis, non autem in scientia hac superioris ordinis, quæ sub vniuersaliori ratione diuinæ reuelationis respicit suum obiectum, vnde complectitur omne illud quod cadit sub diuina reuelatione, siue sit in se naturalis, siue supernaturalis ordinis, sicut fides; primariò tamen supernaturalia, secundariò autem naturalia: & hoc quia quæ sunt dispersa in inferioribus ob eorum limitationem, sunt vnita in superioribus ob eorum maiorem amplitudinem. Et idem dicendum est de dono sapientiæ, lumine prophetico, & habitu fidei; nam attingunt secundariò obiecta naturalia. Ad aliud dicendum, quòd anima Christi per hanc scientiam attingit omnia indiuidua & singularia; imò cum omnibus circumstantiis,

cunstantiis, & hoc pertinet ad perfectionem scientiæ, quòd non solùm attingat rationes vniuersales, sed etiam singulares, vt patet in scientia diuina, & visione beatifica: maximè si attingat vt substant lumini certo & infallibili diuinæ reuelationis, vt contingit in præsenti, quia tunc induunt eandem certitudinem & immutabilitatem, ac naturæ vniuersales; defectu cuius non sunt obiectum scientiæ naturalis: & licèt primariò singularia non pertineant ad perfectionem intellectus speculatiui, benè tamen secundariò, & primariò ad perfectionem intellectus practici, vel inquantum sunt agibilia, vel inquantum subduntur gubernationi & dominio Christi. Species autem intelligibiles, in quibus cognoscuntur, licèt non sint tam vniuersales ac Angelicæ; non sunt tamen tam particulares, ac illæ quæ abstrahuntur à phantasmatibus; vnde eadem species repræsentat clarè & distinctè naturam specificam, & omnia indiuidua ipsius cum eius circunstantiis, quod conuenit speciebus Angelicis magis particularibus: & hoc quia sunt quædam similitudines deriuatæ à diuina essentia.

Ad secundum dicendum, quòd est proprium solius Dei naturaliter cognoscere futura contingentia, & cogitationes cordium, vt dicit Scriptura: hanc tamen cognitionem potest aliis reuelare. Ad aliud dicendum quòd D.Thom. hîc q.11. art.1. docet contrarium, vnde mutauit sententiam, vt dicunt Caietanus, Aluarez, & alij Thomistæ in præsenti: quamuis igitur cogitationes cordis soli Deo naturaliter pateant, quia ipsi soli intellectus & voluntas subiacent, possunt tamen patere aliis per diuinam reuelationem, & conueniens fuit quòd sic Christo paterent. Ad aliud dicendum, quòd non prouenit ex defectu vniuersalitatis quòd species Angelicæ non repræsentent futura contingentia, cùm species valde limitatæ Prophetis inditæ illa repræsentent: sed hoc prouenit quia futura contingentia vt talia, non pertinent ad vniuersum; vnde non repræsentantur per species deseruientes cognitioni naturali, quales sunt Angelicæ; cognitio enim naturalis attingit tantùm illa quæ sunt in rerum natura; possunt tamen repræsentari per species præternaturales deseruientes cognitioni supernaturali. Ad aliud dicendum, quòd istæ species infusæ animæ Christi sunt quædam deriuationes ab essentia diuina, vnde repræsentant futura contingentia secundùm eam determinationem quam habent in seipsis in mensura æternitatis, & in suis causis ratione decreti diuini, quæ omnia repræsentantur in ipsa essentia diuina.

Ad tertium dicendum, quòd species Angelis infusæ in principio creationis, deseruiunt cognitioni naturali; vnde non mirum si per eas non cognoscunt mysteria supernaturalia: species autem infusæ Christo deseruiunt scientiæ supernaturali, vnde repræsentant mysteria supernaturalia. Ad aliud dicendum, quòd istæ species infusæ Christo ob sui perfectionem, repræsentabant clarè & distinctè omnia illa mysteria, essentiam diuinam, Sanctissimam Trinitatem; non tamen quidditatiuè; hæc enim repræsentatio soli essentiæ diuinæ competit, vt est vnita per modum speciei intelligibilis: D.Thom. autem solùm vult, quòd essentia diuina, ac proinde mysterium sanctissimæ Trinitatis non cognoscatur quidditatiuè & omninò intuitiuè per hanc scientiam inditam, sed tantùm per beatam.

DVBIVM VI.

Vtrùm Scientia indita animæ Christi Domini sit intuitiua.

Svpponendum est, hanc scientiam inditam in multis deficere à perfectione scientiæ beatæ animæ Christi. Primò quia indita est habitualis, beata autem actualis; vnde hæc totum suum obiectum simul & immutabiliter attingit, illa verò successiuè per partes & mutabiliter. Secundò, beata habet pro medio diuinam essentiam; indita autem habet species infusas, quæ sunt quædam diminutæ participationes diuinæ essentiæ. Tertiò, quia scientia beata nullum habet commercium cum parte inferiori, vnde non est conuersiua ad phantasmata; scientia autem indita, quamuis necessariò non importet conuersionem ad phantasmata, vt docet D.Thom. hîc q.11. art.2. (propter statum comprehensoris animæ Christi, ratione cuius non subdebatur corpori, sed potiùs dominabatur) potuit tamen compati hanc conuersionem, quia Christus secundùm hanc scientiam erat viator. Quartò, scientia beata cùm consistat in vnico actu, non potest esse formaliter collatiua & discursiua, siue proprio discursu qui importat illationem vnius actus ab alio, siue improprio qui importat successionem actuum sine illatione: indita autem fuit collatiua & discursiua vtroque discursu ex D.Thom. hîc q.11. art.3. inquantum vnum ex alio concludebat, & nullos successiuè habebat actus. Quintò, scientia beata habet omnimodam certitudinem, & euidentiam rerum in seipsis: indita autem habet tantùm euidentiam in attestante. Difficultas tamen remanet, vtrùm sit dicenda intuitiua scientia indita, propter illam euidentiam in attestante.

Prima opinio Scoti in 3. dist.14. q.3. asserit scientiam inditam animæ Christi nec perfectè, nec imperfectè esse intuitiuam respectu futurorum contingentium, sed respectu horum esse omninò abstractiuam, quamuis sit imperfectè intuitiua respectu aliarum. Probatur authoritate S.August. & D.Thomæ. S.Augustinus lib.12. confess.

confess.cap.17.& 18. inter alia hæc habet: cùm ergo videri dicuntur futura; non ipsa, quæ nondum sunt, idest quæ futura sunt, sed eorum causæ, vel signa forsitan videntur: quæ iam sunt, ideo non futura, sed præsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta. D.Thom. autem 1.p. q.14. art.9. probat Deum non habere scientiam intuitiuam, at tantùm abstractiuam non-entium, quia hæc non existunt: vnde ex S.August. ad scientiam intuitiuam, requiritur præsentia: ex D.Thom. autem requiritur ad minus existentia: sed futura contingentia vt talia, sic enim cadunt sub scientia indita Christi, non habent existentiam, & multò minus præsentiam realem, cùm non sint in seipsis in propria mēsura, nec attingantur vt sunt in mensura æternitatis, cùm hæc scientia non mensuretur æternitate: ergo hæc scientia non est intuitiua futurorum contingentium.

Secundò, scientia aliqua dicitur intuitiua translatiuè ex visione corporea, secundùm quod ea quæ videntur, habent esse distinctum extra videntem ex D.Thom. 1. p.qu.14.art.9. & q.2. de veritate art.9. ad 2. vbi ait, dicitur scientia visionis in Deo, ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur: sed futura contingentia non habent esse extra videntem, & implicat quòd videantur visu corporali: ergo & quòd videantur visu intellectuali, ac proinde scientia quæ ad ipsa terminatur, non est intuitiua, licèt sit diuina.

Tertiò, ad perfectam cognitionem intuitiuam, requiritur quòd obiectum sit præsens in se, vel in aliquo, in quo habeat esse perfectius quàm in se: ad imperfectam verò requiritur ad minus, quòd obiectum fuerit aliquid præsens cognoscenti: sed neutrum horum competit futuris contingentibus; cùm non sint, nec fuerint, at tantùm futura sunt: ergo scientia hæc indita Christi non est intuitiua respectu futurorum contingentium.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd scientia indita animæ Christi, respectu futurorum contingentium non fuit quidem perfectè intuitiua: 2. Benè tamen imperfectè. Ita Caietanus, Aluares, & alij in præsenti.

Probatur prima pars conclusionis argumentis primæ opinionis, quæ hanc tantùm conuincunt. Deinde D.Thom. 1. p.q.14. art. 13. & cum eo eius Discipuli, vt ponant in Deo scientiam perfectè intuitiuam, siue visionis, respectu omnium creatorum, prout complectuntur præterita, præsentia, & futura; afferunt hæc omnia esse actu realiter, & physicè præsentia Deo, ac existentia in mensura æternitatis: ergo cùm scientia indita animæ Christi, non attingat res vt sunt in mensura æternitatis, cùm ipsa non mensuretur tali mensura, (debet enim esse proportio inter scientiam & scibile, quantùm ad ordinem, & mensuram vtriusque) sequitur quòd respectu futurorum contingentium, & præteritorum non sit perfectè intuitiua.

Probatur secunda pars conclusionis: tum authoritate Sacræ Scripturæ, vbi Prophetę vocantur Videntes, ex illo 1. Regum 9. Vbi est domus Videntis; quia eis manifestantur clarè ac distinctè, quæ multùm ab eis distant, siue secundùm locum, siue secundùm tempus; & hæc maximè: & tamen non habent maiorem & clariorem eorum notitiam per reuelationem propheticam, quàm Christus per hanc scientiā: debet enim admitti quòd omnis perfectio cognitionis possibilis extra Verbum sit communicata Christo per hanc scientiam, hoc enim exigit eius dignitas: ergo debet vocari Videns secundùm hanc scientiam, respectu futurorum contingentium, vnde est intuitiua. Tum sequenti ratione, species infusæ deseruientes huic scientiæ inditæ animæ Christi, vt potè deriuationes perfectæ participatæ ab essentia diuina, vt est species intelligibilis, clarè & distinctè repræsentant; non solùm quantùm ad rationes vniuersales, sed etiam quantùm ad singulares & indiuiduas; imò quoad omnes circunstantias loci, & temporis secundùm tres eius differentias, ita vt non minus clarè & distinctè repræsentent rem aliquam, vel actum sub statu futuritionis, ac repræsentant sub statu præterito, & præsenti: hæc enim perfectio repræsentandi est possibilis, ac proinde concessa Christo, cùm ad ipsum pertineat esse in actu primo cognitionis respectu omnium actualium pro aliqua duratione, vt dictum est: ergo cùm per species infusas clarè & distinctè repræsentantes præterita & præsentia, scientia indita sit & dicatur esse intuitiua præteritorum & præsentium, eodem modo dicetur & erit intuitiua futurorum contingentium, cùm æquè clarè & distinctè in suis speciebus repræsententur, & attingantur à tali scientia. Hæc tamen cognitio intuitiua dicitur imperfecta comparatiuè ad illam, quæ immediatè siue nulla media specie intelligibili, attingit suum obiectum: vnde ad hanc cognitionem intuitiuam imperfectam solùm requiritur existentia & præsentia obiecti, quando fit necessariò per conuersionem ad phantasmata: cùm enim ipsa phantasmata solùm repræsentent perfectè obiecta dum existunt & sunt præsentia, (experimur enim quòd paulatim deficiunt ab hac perfectione repræsentandi, imò sæpe pereunt) consequenter species intelligibiles à phantasmatibus dependentes, tam in suo fieri, quàm in suo conseruari, & repręsentari, solùm perfectè repręsentant obiecta existentia & præsentia, & paulatim deficiunt ab hac perfectione repræsentandi, nisi per conuersionem ad phantasmata renouentur; ac proinde non possunt deseruire cognitioni intuitiuæ: secus quando

quando species sunt per se infusę, ac proinde independentes à phantasmatibus; tunc enim eodem modo in repræsentando se habent ad præterita, præsentia, & futura; siue ad existentia, & non-existentia: tales autem sunt species deseruientes scientiæ inditæ Christi Domini.

Ad primum ergo dicendum, quòd August. loquitur de cognitione, quæ naturaliter habetur de futuris contingentibus: hæc enim cognitio non attingit ipsa futura contingentia in seipsis; vnde non est intuitiua ipsorum, sed tantùm causarum, vel signorum in quibus illa præuidet: scientia autem indita animæ Christi attingebat futura contingentia, non solùm in determinatione suarum causarum, sed etiam in seipsis per species infusas clarè & distinctè illa repræsentantes. Ad illud D.Thom. dicendum, quòd non-entia, de quibus loquitur D.Thom. siue pura possibilia, nunquam habitura sunt existentiam; propterea non cadunt sub scientia visionis, at simplicis tantùm intelligentiæ: sed futura contingentia habitura sunt existentiam suo tempore, & sub illo repræsentantur distinctè; vnde se habent respectu intellectus, ac si de facto existerent.

Ad secundum dicendum, quòd ad intuitiuam cognitionem alicuius, requiritur præsentia obiectiua, & realis existentia: non quidem pro tempore quo cognoscitur, sed pro aliqua temporis differentia, in qua clarè & distinctè repræsentetur. Ad illud de potentia visiua dicendum, quòd ob suam limitationem non abstrahit à tempore præsenti, cùm feratur circa rem singularem, vnde non potest intueri nisi existentia & præsentia; quamuis præsentia localis diuinitus possit dispensari per adductionem specierum à longinquo; existentia autem non potest dispensari, si species debeat procedere ab obiecto; quia operari, etiam intentionaliter, supponit esse: intellectus autem abstrahit ab hic, & nunc: & maximè quando vtitur speciebus infusis, vt contingit in præsenti.

Ad tertium dicendum, quòd ex perfectione speciei repræsentantis clarè & distinctè, suppleatur existentia & præsentia obiecti, vt dictum est.

DVBIVM VII.

Vtrùm Christus Dominus acquisierit per seipsum omnes scientias naturales.

Svpponendum est ex Logicis, scientias naturales diuidi in speculatiuas & practicas. Speculatiuæ sunt illæ, quarum finis est contemplatio sui obiecti: Practicæ verò quarum finis est opus: ad has possunt reduci artes. Hæ scientię differunt genere: quodlibet membrum subdiuiditur in alia vt videre est in Logicis. Et de his omnibus procedit præsens difficultas, vtrùm scilicet Christus Dominus acquisierit omnes scientias & artes naturales, ex cognitione obiectorum singularum: & hoc per seipsum nullius magisterio vsus.

Prima opinio negat Christum Dominum acquisisse omnes scientias, & artes naturales. Probatur; in Christo non fuit Magia naturalis: nam aliàs tali Magiæ attribuerentur plura opera miraculosa Christi. Deinde, in Christo non fuit Theologia nostra, quia importat obscuritatem oppositam visioni beatæ; & tamen est scientia naturalis, cùm acquiratur studio humano, & non habeatur per infusionem. Denique, Christus non exercuit actus omnium scientiarum; imò nullam vnquam exercuit artem: ergo Christus Dominus non acquisiuit omnes scientias, & artes naturales.

Secunda opinio potest esse, quòd Christus Dominus non acquisierit per seipsum omnes scientias: sed aliquid didicerit ab Angelis & hominibus. Probatur; Christus non omnia sciuit per hanc scientiam, sed in ea profecit: ergo potuit illi proponi aliquid de nouo ab Angelis & hominibus: vnde fuit ab illis edoctus; maximè ab illo qui missus est ad illum confortandum in nocte Passionis. Deinde, Christus fuit subditus ordinationi Legis antiquæ; dicitur enim ad Galat.4. Factus sub Lege: ergo etiam fuit subditus Angelicæ Hierarchiæ, cùm per Angelos facta sit ordinatio Legalis, vt dicitur Act.7. & ad Gal.3. & minus sit subdi Angelis, quàm Legi; primum enim est conditionis humanæ inferioris Angelicæ, secundum est defectibilitatis naturæ, quæ ne deficiat, debet per Legem dirigi. Denique, nobilius est instrui à creatura intellectuali, scilicet Angelo, vel homine, quàm à sensibilibus: quia ex D.Thom.1.p. q.61.art.1. scientia status innocentiæ, cui assimilatur ista Christi Domini, non dependebat à rebus corporeis: ergo Christus non acquisiuit scientias naturales ministerio rerum sensibilium per seipsum; sed magisterio Angelorum, vel hominum.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Christus Dominus acquisiuit per seipsum omnes scientias naturales, in ipso distinctas per diuersos habitus, sicut in nobis. 2. Cognouit etiam omnia obiecta artium naturalium: 3. Non quidem magisterio humano, vel Angelico; sed lumine naturali intellectus agentis, vtentis rebus sensibilibus. 4. Profecit Christus in scientia acquisita & experimentali.

Probatur prima pars conclusionis. Christus etiam in cognitione rerum naturalium, debuit esse perfectior Adamo & Salomone; non solùm in cognitione illarum supernaturali, quam habet per scientias superioris ordinis, sed etiam in cognitione naturali, ipsis proportionata; omnis quippe perfectio possibilis secundùm poten-

tiam

tiam ordinariam Christo debetur; alioquin virtus naturalis intellectus agentis non fuisset in eo perfectior; quàm in Adamo & Salomone: vnde cùm in ipsis fuerit cognitio omnium rerum naturalium; de Adamo constat Eccles. 7. & D.Thom.1.p.quæst.49. art.3. De Salomone 3.Reg.4. & Sap.7.& in hoc consentiunt communiter Theologi; multo magis in Christo: ergo cùm Christus non habuerit per accidens infusos habitus scientiarum naturalium, correspondentes multiplici huic cognitioni, vt dictum est, per illam eos acquisiuit & perfecit: maximè quia quæ Christus cognouit per scientiam inditam, si sint ordinis naturalis, potuit attingere virtute naturali intellectus agentis; motus prima illa cognitione ad applicandum intellectum agentem, in ordine ad cognitionem naturalem: constat autem quòd per scientiam inditam cognouit omnia obiecta naturalia vt dictum est: quod indicat D.Thom. hic quæst. 12. art.1. vbi sic ait; Et ideo sicut per scientiam inditam sciuit anima Christi omnia illa, ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia, ita per scientiam acquisitam sciuit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis. Quòd verò scientia acquisita Christi sit distincta in plures habitus, patet; quia cùm virtus naturalis intellectus agentis Christi Domini sit limitata ad eandem speciem infimam, ad quam limitantur alij intellectus agentes humani, influet hanc limitationem in scientias quas acquirit, ita vt sicut in aliis hominibus scientia acquisita est distincta in plures & diuersos habitus, iuxta diuersitatem formalem obiectorum; sic & in Christo.

Probatur secunda pars conclusionis: tum prædicta authoritate D. Thom. dicentis, quòd per scientiam acquisitam Christus sciuit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis: constat autem quòd ad hæc pertinent omnia obiecta artium naturalium. Tum quia Christus hæc omnia cognouit per scientiam inditam, vt dictum est: ergo etiam per scientiam acquisitam, mediis speciebus ad hoc formatis, virtute intellectus agentis: est enim ordinarium, quòd applicemus potentias naturales ad cognoscendum ea, quæ nobis diuinitus reuelantur, vt patet in fide: nàm deperdita fide supernaturali per hæresim, adhuc remanet quidam habitus fidei naturalis circa aliqua mysteria, quem experiuntur hæretici; dum facilè, promptè, & delectabiliter illa credunt: hæc enim facilitas, promptitudo, & delectatio supponunt habitum; cùm sint effectus ipsius, & consequenter talis habitus fuit acquisitus virtute naturali.

Probatur tertia pars conclusionis: tum authoritate, tum ratione D. Th. hîc qu. 12. art. 3. & 4. Christus fuit constitutus caput Ecclesiæ, non solùm ad influendum gratiam, sed etiam ad proponendum doctrinam veritatis iuxta illud Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: vnde fuit magister omnium hominum: ergo non fuit conueniens eius dignitati, vt à quocumque homine doceretur: quod enim in quolibet genere est primum mouens, non mouetur secundùm illam speciem motus. De Angelis etiam patet, quia anima Christi Domini, quod sciuit per infusionem & illuminationem, hoc habuit immediatè à Verbo, cui hypostaticè est vnita, ex cuius influentia Angeli rerum scientiam in sui principio acceperunt; fuisset enim inconueniens à creatura instrui & illuminari anima pertinens ad Creatorem: in his autem, quæ naturali virtute intellectus agentis sciuntur, sufficientissima fuit virtus intellectus ipsius, inter omnes humanos nobilissimi: vnde sequitur Christum Dominum non habuisse Angelum custodem, cuius est illuminare animam quam custodit, & docere illam: sed multos habuit ministros.

Probatur quarta pars conclusionis, de scientia acquisita secundùm diuersos habitus quos includit, expressa authoritate D.Thom. hîc qu. 12. art. 2. vbi ait: Ex hoc sequitur quòd in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, qui per huiusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari, ex hoc scilicet quòd intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus, potuerit etiam alias, & alias abstrahere: & ita hæc scientia ad plura se extendit, ad hoc autem deseruit cognitio experimentalis. De scientia autem experimentali, lato modo dicta scientia; quia propriè solùm est respectu singularium; est enim in potentia cogitatiua hominis ex Arist. 2. Poster. cap. vltimo, & in prologo Metaph. & D.Thom. ibidem; ex hac tamen scientia vniuersalium originata, vocatur experimentalis. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ: ad Hebræos 5. Didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Item Lucæ 2. Puer crescebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines.

Ad primum ergo dicendum ex D. Thom. quòd Magia naturalis est vera scientia, & laudabilis: & hanc habuit Christus; sed hæc non facit vera miracula, sed tantùm mira, quia miracula vera sunt supra naturam: est autem prohibita, quia facilè inducit ad Magiam diabolicam: vnde vera Christi miracula, quæ fuerunt multa, & omnibus euidentissima, vt resuscitatio mortuorum & similia, non possunt attribui Magiæ naturali; sed virtuti diuinæ. Ad aliud dicendum, quòd Theologia nostra secundùm se abstrahit ab euidentia & ineuidentia, vnde neutram ex se petit, aut excludit: propterea remanet in patria, quamuis secundùm diuersum statum vel viæ, vel patriæ accidentaliter habeat coniunctam euidentiam vel ineuidentiam; vnde

de Christus Dominus habet habitum Theologicum naturaliter acquisitum. Ad aliud dicendum, quòd non potest ostendi Christum non habuisse actus interiores omnium scientiarum; imò contrarium dicere conueniens est propter dicta. De actibus etiam internis omnium artium idem dicendum, scilicet illos habuisse, non solùm speculatiuo, sed etiam practico modo. Quantùm ad externos non est ita certum: aliqui tamen asserunt vt Iustinus martyr, quantùm ad actus fabri lignarij. Alij quantùm ad alios actus nauigandi, medendi, &c.

Ad secundum dicendum, quòd non sufficit simplex propositio alicuius veritatis, ad hoc vt aliquis dicatur alium docere & illuminare: sed requiritur vt tradat ei medium quo possit cognoscere aliquid, quod prius non poterat: & hoc non habuit Christus Dominus ab Angelis & hominibus. Deinde illa omnia quæ proponebantur, iam nota erant Christo per scientiam beatam & inditam: vnde illa confortatio Angeli non fuit per modum instructionis, sed ad ostendendam proprietatem humanæ naturæ, ex D.Thom. hic quæst. 12. art. 4. ad 1. Ad aliud dicendum, quòd subijci legi, est subijci Deo qui eam posuit, & non Angelis, qui tantùm fuerunt ministri: Christus autem vt homo est subditus Legi, non quia necessaria erat ei Lex ne deficeret, sed in obsequium quod debet Deo natura humana, quam assumpserat. Ad aliud dicendum, quòd instrui rebus sensibilibus propositis per modum obiecti, est instrui à Deo qui eas creauit: & hoc non fuit incongruum Christo vt homini, qui sic subditus erat Deo: fuisset autem incongruum eius dignitati, quòd ab Angelis & hominibus ipso inferioribus instrueretur: vnde res sensibiles sunt quædam voces ipsius Dei docentis, & sub hac ratione induunt quandam nobilitatem & superioritatem ad mentes nostras: sicut & voces Magistri, vt sunt expressiuæ sapientiæ & conceptuum eius. D.Thom autem solùm vult; quòd in statu innocentiæ scientiæ fuerunt infusæ primo Parenti, & ita non dependebant ex rebus sensibilibus: hæc autem infusio fuit necessaria primo Parenti, qui non habuit alias scientias superioris ordinis, nempe beatam, & per se infusam; vnde fuisset valde ignorans, si non habuisset scientias naturales per accidens infusas. Christus autem ab instanti conceptionis habuit scientiam beatam, & scientiam inditam; & ita conueniens fuit vt naturales scientias propria virtute intellectus agentis acquireret.

QVÆSTIO XIII.

De potentia animæ Christi, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de potentia animæ Christi.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum habuerit omnipotentiam simpliciter.

¶ Secundo, vtrum habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

¶ Tertiò, vtrum habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis.

¶ Quarto, vtrum habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.

Ad Primvm sic proceditur. Videtur, quod animæ Christi habuerit omnipotentiam. Dicit enim Amb. super Luc.[a] Potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus. Sed hoc præcipue videtur esse secundum animam, quæ est potior pars hominis. Cum ergo Filius Dei ab æterno omnipotentiam habuerit, videtur quod anima Christi ex tempore omnipotentiam acceperit. 82. *Inf. q. art. ... q. 21. ar. ... ad 41 ... ad 3. ... 14. ... glo. ord. ... Luc. ... propter ... q. 10. ar. 8.*

¶ 2 Præterea, sicut potentia Dei est infinita, ita etiam & eius scientia. Sed anima Christi habet omnium scientiam, quæ scit Deus, quodammodo vt supra dictum est.[b] Ergo etiam habet omnium potentiam, & ita est omnipotens.

¶ 3 Præterea, Anima Christi, habet omnem scientiam. Sed scientiarum quædam est practica, quædam speculatiua. Ergo habet eorum, quæ scit, scientiam practicam, vt scilicet sciat facere ea, quæ scit. Et sic videtur, quod omnia facere possit.

Sed contra illud, quod est proprium Dei non potest alicui creaturæ conuenire. Sed proprium est Dei esse omnipotentem: secundum illud Exod. 15. Iste Deus meus, & glorificabo eum. Et postea subditur, Omnipotens nomen eius. Ergo anima Christi cum sit creatura, non habet omnipotentiam.

CONCLVSIO.

Cùm anima Christi sit pars humanæ naturæ, impossibile est eam omnipotentia esse præditam.

Respondeo dicendũ, quod sicut supra dictum est,[c] in mysterio incarnationis, ita facta est vnio in persona, quod tamen remansit distinctio naturarum, vtraque scilicet natura retinente id quod sibi est proprium. Potentia autem actiua cuiuslibet rei, sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi. Forma autem vel est ipsa natura rei, sicut in simplicibus: vel est constituens ipsam rei naturam, in his scilicet, quæ sunt composita ex materia & forma. Vnde manifestum est, quod potentia actiua cuiuslibet rei, consequitur naturam ipsius. Et per hunc modum, omnipotentia consequenter se habet ad diuinam naturam. Quia enim natura diuina est ipsum esse Dei incircumscriptum, (vt patet per Dion.[d] 5 cap. de diui. nomi.) inde est, quod habet potentiam actiuam respectu omnium quæ possunt habere rationem entis: quod est habere omnipotentiam. Sicut & quælibet alia res habet potentiam actiuam respectu eorum, ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ, sicut calidum ad calefaciendum. Cum igitur anima Christi sit pars humanæ naturæ, impossibile est, quod omnipotentiam habeat. *q. 2. ar. 1. & 2.* *c. 5. ante med.*

Ad primum ergo dicendum, quod homo accepit ex tempore omnipotentiam, quam Filius Dei habuit ab æterno per ipsam vnionem personæ: ex qua factum est, vt sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens. Non quasi sit alia omnipotentia hominis, quam Filij Dei, sicut nec alia deitas: sed eo quod est vna persona Dei, & hominis.

Ad secundum dicendum, quod alia ratio est de scientia & de potentia actiua: sicut quidam dicunt. Nam potentia actiua consequitur ipsam naturam rei, eo quod actio consideratur vt egrediens ab agente: Scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam, vel formam scientis, sed potest haberi per assimilationem scientis ad res scitas, secundum similitudines susceptas. Sed hæc ratio non videtur sufficere: quia sicut aliquis potest cognoscere per similitudinem susceptam ab alio, ita etiã potest agere per formam ab alio susceptam: sicut aqua vel ferrum calefacit per calorem susceptum ab igne. Non ergo prohiberet, quin sicut anima Christi per similitudines omnium rerum sibi à Deo inditas potest omnia cognoscere, ita per easdem similitudines possit ea facere.

Est igitur vlterius considerandum quòd id quod à superiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum, non enim calor in eadem perfectione & virtute recipitur ab aqua, qua est in igne. Quia igitur anima Christi inferioris naturæ est, quam natura diuina, similitudines rerum non recipiuntur in ipsa anima Christi, secundum eandem perfectionẽ & virtutem, secundum quam sunt in natura diuina. Et inde est, quod scientia animæ Christi est inferior scientia diuina, quantũ ad modum cognoscẽdi, quia Deus perfectius cognoscit res, quàm anima Christi & quantũ etiam ad numerum scitorũ, quia anima Christi non cognoscit omnia, quæ Deus potest facere quę tamẽ Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ, licet cognoscat omnia præsentia, præterita & futura, quæ Deus cognoscit scientia visionis. Et similiter similitudines rerũ animæ Christi inditæ, non adæquant virtutem diuinam in agendo, vt scilicet possint omnia agere, quæ Deus potest, vel etiam eo modo agere, sicut Deus agit: qui agit infinita virtute, cuius creatura non est capax. Nulla autem res est, ad cuius cognitionem aliqualiter habendam requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoscendi sit virtutis infinitæ: quædam tamen sunt, quæ non possunt fieri nisi à virtute infinita, sicut creatio, & alia huiusmodi: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt.[e] Et ideo anima Christi, quæ cum sit creatura, est virtutis finitæ, potest quidem omnia cognoscere, sed non per omnem modum: non autem potest omnia facere quod pertinet ad rationem omnipotentiæ: Et inter cætera manifestum est, quod non potest creare seipsam. *p. p. q. 45.*

Ad tertium dicendum, quòd anima Christi habuit & scientiam practicam & speculatiuam: non tamen oportet, quòd omnium illorum habeat scientiam practicam, quorum habuit scientiam speculatiuam. Ad scientiam enim speculatiuam habendam sufficit sola conformitas vel assimilatio scientis ad rem scitam: ad scientiam autem practicam requiritur, quod formæ rerum, quæ sunt in intellectu, sint factiuæ. Plus autem

est

eſt habere formam, & imprimere formam habitam in alterum, quàm ſolum habere formam; ſicut plus eſt lucere & illuminare, quàm ſolum lucere. Et inde eſt, quod anima Chriſti habet quidem ſpeculatiuam ſcientiam creandi (ſcit enim qualiter Deus creat) ſed non habet huius rei ſcientiam practicam: quia non habet ſcientiam creationis factiuam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

83 AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd anima Chriſti habeat omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum. Dicit enim ipſa, Matth. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. ſed nomine cæli & terræ intelliguntur omnes creaturæ, vt patet cum dicitur Gen. 1. In principio creauit Deus cælum & terram. Ergo videtur quod anima Chriſti habeat omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

¶ 2 Præterea, Anima Chriſti eſt perfectior qualibet creatura: ſed qualibet creatura poteſt moueri ab aliqua creatura: dicit enim Auguſt.* in 3. de trin. quod ſicut corpora craſſiora & inferiora, per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis, per ſpiritum vitæ rationalem, & ſpiritus vitæ rationalis deſertor, atque peccator, per ſpiritum vitæ rationalem, pium & iuſtum. Anima autem Chriſti etiam ipſos ſupremos ſpiritus mouet illuminando eos: vt dicit Dion.* 7. c. cæleſt. hierar. Ergo videtur quod anima Chriſti habeat omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

lib. 3. c. 4. non procul à princip. tom. 3. cap. 7 post med.

¶ 3 Præterea, Anima Chriſti habuit pleniſſimè gratiam miraculorum ſeu virtutum, ſicut & cæteras gratias: ſed omnis immutatio creaturæ poteſt ad gratiam miraculorum pertinere, cum etiam miraculoſè cæleſtia corpora à ſuo ordine immutata fuerint ſicut Dionyſius probat in epiſtola ad Polycarpum.* Ergo anima Chriſti habuit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

per totam epiſt.

Sed contra eſt, quod eiuſdem eſt transmutare creaturas, cuius eſt eas conſeruare. Sed hoc eſt ſolius Dei, ſecundum illud Hebr. 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Ergo ſolius Dei eſt habere omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc conuenit animæ Chriſti.

CONCLVSIO.

Anima Chriſti ad gubernandum corpus, & ad diſponendos humanos actus, ſecundum propriam naturam & virtutem, potentiam habuit: ſed præter conſuetum naturæ ordinem creaturas immutare non potuit, niſi quatenus fuit diuinitatis inſtrumentum.

RESPONDEO dicendum, quòd hic duplici diſtinctione eſt opus. Quarum prima eſt ex parte transmutationis creaturarum: quæ triplex eſt. Vna quidem eſt naturalis, quæ ſcilicet fit à proprio agente ſecundum ordinem naturæ. Alia verò eſt miraculoſa: quæ fit ab agente ſupernaturali, ſupra conſuetum ordinem & curſum naturæ; ſicut reſuſcitatio mortuorum. Tertia autem eſt ſecundum quod omnis creatura vertibilis eſt in nihil. Secunda autem diſtinctio eſt accipienda ex parte animæ Chriſti, quæ dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ſecundum propriam naturam & virtutem, alio modo prout eſt inſtrumentum Verbi Dei, ſibi perſonaliter vniti. Si ergo loquamur de anima Chriſti ſecundum propriam naturam & virtutem, ſiue naturalem, ſiue gratuitam potentiam, habuit ad illos effectus faciendos qui ſunt animæ conuenientes: puta ad gubernandum corpus, & ad diſponendos humanos actus, & etiã ad illuminandum per gratiæ & ſcientiæ plenitudinem, omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes, per modum, quo hoc eſt conueniens creaturæ rationali. Si autem loquamur de anima Chriſti ſecundum quod eſt inſtrumentum verbi ſibi vniti, ſic habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem: qui eſt inſtaurare omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt. Immutationes verò creaturarum ſecundum quod ſunt vertibiles in nihil, correſpondent creationi rerum: prout ſcilicet producuntur ex nihilo. Et ideo ſicut ſolus Deus poteſt creare, ita ſolus poteſt creaturas in nihilum redigere: qui etiam ſolus eas in eſſe conſeruat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum eſt, quod anima Chriſti non habet omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

ſuper illud Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas tom. 9. art. præ. ad 1.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ſicut Hier.* dicit, Illi poteſtas data eſt, qui paulo ante Crucifixus, qui ſepultus in tumulo, qui poſtea reſurrexit, id eſt Chriſto, ſecundum quod homo. Dicitur autem ſibi omnis poteſtas data, ratione vnionis: per quam factum eſt, vt homo eſſet omnipotens: vt ſupra dictum eſt. † Et quamuis hoc ante reſurrectionem innotuerit Angelis, poſt reſurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus, vt Remigius dicit. Tunc autem dicuntur res fieri, quando innoteſcunt: Et ideo poſt reſurrectionem dicit Dominus ſibi datam omnem poteſtatem in cælo & in terra.

AD SECVNDVM dicendum, quòd licèt omnis creatura ſit mutabilis ab alia creatura præter ſupremum Angelum, qui tamen poteſt illuminari ab anima Chriſti, non tamen immutatio omnis, quæ poteſt fieri circa creaturam poteſt fieri à creatura: ſed quædam immutationes poſſunt fieri à ſolo Deo. Quæcunque tamen immutationes poſſunt fieri per creaturas, poſſunt etiam fieri per animam Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum Verbi: non autem ſecundum propriam naturam & virtutem: quia quædam huiuſmodi immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturæ, neque quantum ad ordinem gratiæ.

p. 2. quæſt. 111. ar. 1.

AD TERTIVM dicendum, quòd (ſicut dictum eſt* in ſecunda parte) gratia virtutum ſeu miraculorum datur animæ alicuius ſancti, non vt propria virtute ei conueniat miracula facere, ſed

R. P. Philippi Carm. deſcal. Diſſ. Theologicæ to. 3. p.

vt per virtutem diuinam huiuſmodi miracula fiant. Et hæc quidem gratia excellentiſſimè data eſt animæ Chriſti, vt ſcilicet non ſolum ipſe miracula faceret, ſed etiam vt hanc gratiam in alios transfunderet. Vnde dicitur Matth. 10. quod conuocatis duodecim Diſcipulis, dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu proprij corporis.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu proprij corporis. Dicit enim Damaſcenus in 3. libro, quod omnia naturalia fuerunt Chriſto voluntaria: volens enim eſuriuit, volens ſitiuit, volens timuit, volens mortuus eſt, &c. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia quæcunque voluit fecit. Ergo videtur, quod anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu naturalium operationum proprij corporis. 84

Lib. 3. orthod. fid. c. 20. & 23.

¶ 2 Præterea, In Chriſto fuit perfectius humana natura quam in Adam, in quo ſecundum originalem iuſtitiam, quam habuit in innocentiæ ſtatu, corpus habebat omnino ſubiectũ animæ, vt nihil in corpore poſſet accidere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Chriſti habuit omnipotentiam reſpectu ſui corporis.

¶ 3 Præterea, Ad imaginationem animæ naturaliter corpus immutatur, & tanto magis, quanto magis anima fuerit fortem imaginationem, vt in prima parte habitum eſt. Sed anima Chriſti habuit virtutem perfectiſſimam, & quantum ad imaginationem, & quantum ad alias vires. ergo anima Chriſti fuit omnipotens in reſpectu ad corpus proprium.

Sed contra eſt, quod dicitur Heb. 2. quod debuit per omnia fratribus aſſimilari, & præcipuè in his quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ. Sed ad conditionem humanæ naturæ pertinet quod valetudo corporis & eius nutritio & augmentum, imperio rationis, ſeu voluntatis, non ſubduntur: quia naturalia ſoli Deo qui eſt auctor naturæ, ſubduntur. Ergo nec in Chriſto ſubdebantur. Non igitur anima Chriſti fuit omnipotens reſpectu proprij corporis.

CONCLVSIO.

Sicut non poterat exteriora corpora immutare à curſu & ordine naturæ, ſic nec ſecundum propriam virtutem reſpectu proprij corporis omnipotentiam habuit niſi quatenus Verbi Dei inſtrumentum.

RESPONDEO dicendum, quod ſicut dictum eſt,* anima Chriſti poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum propriam naturam & virtutem. Et hoc modo, ſicut non poterat immutare exteriora corpora à curſu & ordine naturæ: ita etiam non poterat immutare proprium corpus à naturali diſpoſitione: quia anima Chriſti ſecundum propriam naturam, habet determinatam proportionem ad ſuum corpus. Alio modo poteſt conſiderari anima Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum vnitum Verbo Dei in perſona. Et ſic ſubdebatur eius poteſtati totaliter omnis diſpoſitio proprij corporis. Quia tamen virtus actionis non propriè attribuitur inſtrumento, ſed principali agenti: talis omnipotentia magis attribuitur ipſi Verbo Dei quàm animæ Chriſti.

Art. præ. *citatum in art. 1. 3. c. 15. 3. & c. 14.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quod Verbum Damaſc.* eſt intelligendum quantum ad voluntatem Chriſti diuinam: quia ſicut ipſe in præcedenti c. dicit, beneplacito diuinæ voluntatis permittebatur carni, pati, & operari quæ propria.

AD SECVNDVM dicendum, quòd non pertinebat hoc ad originalem iuſtitiam, quam Adam habuit in ſtatu innocentiæ, quod anima hominis haberet virtutem transmutandi proprium corpus in quancunque formam: ſed quod poſſet ipſum conſeruare abſque omni nocumento. Et hanc etiam virtutem Chriſtus aſſumere potuiſſet, ſi voluiſſet. Sed cum ſint tres ſtatus hominum, ſcilicet innocentiæ, culpæ & gloriæ: ſicut de ſtatu gloriæ aſſumpſit comprehenſionem; & de ſtatu innocentiæ immunitatem à peccato, ita & de ſtatu culpæ aſſumpſit neceſſitatem ſubiacendi pœnalitatibus huius vitæ vt infra* dicetur.

q. 14. a. 2.

AD TERTIVM dicendum, quod imaginationi, ſi fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua: puta quantum ad caſum de trabe in alto poſita: quia imaginatio nata eſt eſſe principium motus localis: vt dicitur 3 de Anima.* Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ eſt ſecundum calorem & frigus, & alia conſequentia, eo quod ex imaginatione conſequuntur natæ ſunt conſequi animæ paſſiones, ſecundum quas mouetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratum. Aliæ verò diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcunque ſit fortis: puta figura manus, vel pedis, vel aliquid ſimile.

lib. 3. de anima text. 48 & ſeq. tom.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu executionis ſuæ voluntatis.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd anima Chriſti non habuerit omnipotentiam reſpectu executionis propriæ voluntatis. Dicitur enim Matth. 7. quod ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere. Non ergo potuit in omnibus exequi propoſitum ſuæ voluntatis. 85

¶ 2 Præterea, Præceptum eſt ſignum voluntatis, vt in prima parte dictum eſt.* Sed Dominus quædam facienda præcepit, quorum contrarium acciderunt: dicitur enim Matth. 9. quod cæcis illuminatis comminatus eſt Ieſus dicens. Videte ne quis ſciat: illi autem exeuntes, diffamauerunt illum per totam terram illam. Non ergo in omnibus potuit exequi propoſitum ſuæ voluntatis.

p. q. 19. art. 12.

¶ 3 Præterea,

¶ 3 Præterea, id quod potest aliquis facere, non petit ab alio. Sed Dominus petiuit à Patre, orando illud quod fieri volebat: dicitur enim Luc. 6. quod exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Ergo non potuit exequi in omnibus propositum suæ voluntatis.

In lib. q. veteris & noui testa. q. 77. in princip. tom. 4.

Sed contra est, quod dicit Aug. * in li. de Quæstionibus veteris & noui Testamenti: Impossibile est, vt Saluatoris voluntas non impleatur: nec potest velle, quod scit fieri non debere.

CONCLVSIO.

Anima Christi virtute propria, ea omnia efficere potuit, quæ per seipsam efficere voluit: quæ vero diuina fieri virtute voluit, non nisi vt Verbi diuini instrumentum efficere potuit.

Respondeo dicendum, quod anima Christi dupliciter aliquid voluit. Vno modo quasi per se implendum. Et sic dicendum est, quod quicquid voluit, potuit: non enim conueniret sapientiæ eius, vt aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subiaceret. Alio modo voluit aliquid, vt implendum virtute diuina: sicut resuscitationem proprij corporis, & alia huiusmodi miraculosa opera. Quæ quidem non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum diuinitatis: vt dictum est. *

† Art. 1. huius q. † lib. & c. citato in argum. sed cont.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Aug. † dicit in lib. de Quæstionibus veteris & noui Testamenti: Quod factum est, hoc voluisse dicendus est Christus. Aduertendum est enim, quod illud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat: cito tamen venientes ad fidem, non suscipere, inuidia erat. A suis ergo noluit prædicari, requiri autem se voluit: & ita factum est. Vel potest dici, quod hæc voluntas Christi non fuit de eo, quod per eam fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per alios: quod non subiacebat humanæ voluntati ipsius. Vnde in Epistola * Agathonis Papæ quæ est recepta in sexta Synodo, legitur †, Ergo ne illa omnium Conditor ac redemptor Sm terris latere volens non potuit nisi ad hoc humanam eius voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur.

Quæ habetur in 6. syn. gener. Constant. à med. illius in actione 4. † recepta est in 8. actione 6. syn. gener. & lecta fuit in actione 4.

° lib. 19. c. 18. post medium.

Ad secundum dicendum, quod sicut Greg. * dicit 19. Mor. per hoc, quod Dominus præcepit taceri virtutes suas, seruis suis se sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent: & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti. Sic ergo præceptum illud designabat voluntatem ipsius, quâ humanam gloriam refugiebat: secundum illud Ioannis octauo. Ego gloriam meam non quæro. Volebat tamen absolute præsertim secundum diuinam voluntatem, vt publicaretur miraculum factum, propter aliorum vtilitatem.

Ad tertium dicendum, quod Christus orabat & pro his, quæ virtute diuina fienda erant, & pro his etiam quæ humana voluntate erat facturus, quia virtus & operatio animæ Christi dependebant à Deo, qui operatur in nobis velle & perficere: vt dicitur Phil. 2.

QVÆSTIO XIV.

De defectibus corporis assumptis à filio Dei, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de defectibus, quos Christus in humana natura assumpsit.

Et Primo de defectibus corporis, secundo de defectibus animæ.

¶ Circa primum quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrum filius Dei assumere debuerit cum humana natura corporis defectus.

¶ Secundo, vtrum assumpserit necessitatem his defectibus subiacendi.

¶ Tertio, vtrum hos defectus contraxerit.

¶ Quarto, vtrum omnes huiusmodi defectus assumpserit.

ARTICVLVS I.

Vtrùm filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.

86. Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd filius Dei non debuerit assumere humanam naturam cum corporis defectibus. Sicut enim anima vnita est personaliter verbo Dei; ita & corpus. Sed anima Christi habuit omnimodam perfectionem & quantum ad gratiam, & quantum ad scientiam: vt supra dictum est. * Ergo etiam corpus eius debuit esse omnibus modis perfectum, nullum in se habens defectum.

3. dist. 15. q. 1. art. 1. & dist. 22. q. 2. art. 1. q. 1. ca. & 4. contra gen. c. 55. 11. & opusc. 3. c. 42. & 47.

° q. 7. a. 9. & q. 9. a. 1. q. 7. art. 9. & q. 9. a. 1. q. 3. art. 2.

¶ 2 Præterea, Anima Christi videbat Verbum Dei ea visione, qua Beati vident (vt supra dictum est †) & sic anima Christi erat beata. Sed ex beatitudine animæ glorificatur corpus: dicit enim Aug. * in Epistola ad Dioscorum, Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor. Corpus igitur Christi fuit incorruptibile, & absque omni defectu.

Epist. 56. non multū ante med. tom. 2.

¶ 3 Præterea, Pœna consequitur culpam: sed in Christo non fuit aliqua culpa: secundum illud primæ Petr. 2. Qui peccatum non fecit. Ergo nec defectus corporales, qui sunt pœnales, in eo esse debuerunt.

¶ 4 Præterea, Nullus sapiens assumit id quod impedit ipsum à proprio fine. Sed per huiusmodi defectus corporales, multipliciter videtur impediri finis Incarnationis. Primò quidem, quia propter huiusmodi infirmitates, homines ab eius cognitione impediebantur: secundum illud Isa. 53. Desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus est vultus eius & despectus: vnde nec reputauimus eum. Secundo, quia sanctorum Patrum desiderium non videtur impleri: ex quorum persona dicitur Isa. 51. Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Tertio, quia congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem, videbatur & potestas diaboli posse superari, & humana infirmitas posse sanari. Non ergo videtur conueniens fuisse, quod filius Dei humanam naturam assumpserit cum corporalibus infirmitatibus, siue defectibus.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. 2. In eo, in quo passus ipse est & tentatus, potens est & eis, qui tentantur auxiliari. Sed ad hoc venit, vt nos adiuuaret: vnde & Dauid dicebat, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ergo conueniens fuit, vt filius Dei carnem assumpserit, infirmitatibus humanis subiacentem, vt in ea posset pati & tentari: & sic auxilium nobis ferre.

CONCLVSIO.

Vt pro peccato humani generis Christus satisfaceret, fidem incarnationis suæ astrueret, & hominibus patientiæ exemplum exhiberet, conueniens fuit corpus ab eo assumptum humanis infirmitatibus & defectibus subiacere.

Respondeo dicendum, conueniens fuisse, corpus assumptum à filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus subiacere, & præcipue, propter tria. Primò quidem, quia ad hoc filius Dei carne assumpta, venit in mundum, vt pro peccato humani generis satisfaceret. Vnus autem pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, & huiusmodi, sunt pœna peccati quod est in mundum per Adam introductum: secundum illud Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Vnde conueniens fuit quantum ad finem incarnationis, quod huiusmodi pœnalitates in nostra natura susciperet vice nostra secundum illud Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit. Secundo, propter fidem Incarnationis astruendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout huiusmodi corporalibus defectibus subiacet, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, vt Manichæi posuerunt. Et ideo, vt dicitur Phil. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Vnde & beatus Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem reuocatus, vt dicitur Ioan. 20. Tertio, propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passiones & defectus humanos fortiter tolerando, vnde dicitur Hebr. 12. Sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes.

Ad primum ergo dicendum, quod satisfactio pro peccato alterius, habet quidem quasi materiam, pœnas quas aliquis pro peccato alterius sustinet: sed pro principio habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, & ex quo satisfactio efficaciam habet. Non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet: vt infra dicetur. * Et ideo oportuit animam Christi & perfectam esse quantum ad habitus scientiarum & virtutum, vt haberet facultatem satisfaciendi: & quod corpus eius esset subiectum infirmitatibus, vt ei satisfactionis materia non deesset.

In materia de satisfactione vbi erat facturus non compleuit.

Ad secundum dicendum, quod secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam & corpus, ex gloria animæ redundat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati diuinitatis ipsius: ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima, & non deriuaretur ad corpus, sed caro pateretur: quæ conueniunt naturæ passibili, secundum illud quod Damasc. * dicit, quod beneplacito diuinæ voluntatis, permittebantur carni pati & operari quæ propria.

Lib. 3. cap. 15. in med. & cap. 19.

Ad tertium dicendum, quod pœna semper sequitur culpam actualem vel originalem: quandoque quidem eius qui punitur, quandoque autem alterius, pro quo ille, qui pœnas patitur, satisfacit. Et ita accidit in Christo, secundum illud Isaiæ 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Ad quartum dicendum, quod infirmitas assumpta à Christo non impediuit finem Incarnationis, sed maxime promouit: vt dictum est. * Et quamuis per huiusmodi infirmitates absconderetur eius diuinitas, manifestabatur tamen humanitas, quæ est via ad diuinitatem perueniendi, secundum illud Rom. 5. Accessum habemus per Iesum Christum ad Deum. Desiderabant autem antiqui Patres in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spiritualem, per quam & diabolum vicit, & humanam infirmitatem sanauit.

In co. art.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus necessitatem his defectibus subiacendi assumpserit.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non ex necessitate his defectibus subiacuerit. Dicitur enim Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit, & loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subiacuit corporalibus defectibus. 87.

3. sent. q. 15. art. 3. ad 1. & 3. d. 1. q. 2. art. q. 2. ca. fi. Lib. 3. cap. 20. in fin.

¶ 2 Præterea, Damasc. * dicit in 3. lib. Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria. Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo.

¶ 3 Præterea, Necessitas infertur ab aliquo potentiori. Sed nulla creatura est potentior quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conseruare. Ergo huiusmodi defectus seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est, quod Apost. dicit Rom. 8. Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati. Sed conditio carnis peccati est, quod habeat necessitatem moriendi & sustinendi alias

alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi.

CONCLVSIO.

Corpus Christi naturali necessitate sequente materiam, ex qua fuit compositum, morti cæterisque corporalibus defectibus subiectum fuit: nulla autem fuit in Christo coactionis necessitas repugnans diuinæ, vel humanæ voluntati absolutæ, sed solum secundum naturalem motum voluntatis.

Respondeo dicendum, quòd duplex est necessitas. Vna quidem coactionis, quæ fit ab agente extrinseco. Et hæc quidem necessitas contrariatur & naturæ & voluntati: quorum vtrumque est principium intrinsecum: alia autem est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia, puta formam, sicut necessarium est ignem calefacere: vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrarijs compositum dissolui. Secundum igitur hanc necessitatem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis & aliorum huiusmodi defectuum: quia sicut dictum est,* beneplacito diuinæ voluntatis, caro Christi permittebatur agere & pati quæ propria. Hæc autem necessitas causatur ex principijs carnis humanæ, vt dictum est.* Si autem loquamur de necessitate coactionis: secundum quidem quod repugnat naturæ corporali, sic iterum corpus Christi, secundum conditionem propriæ naturæ, necessitati subiacuit, & claui perforantis & flagelli percutientis. Secundum vero quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad diuinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem: sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta.

Art. præc. ad 2. In isto ar.

Ad primum ergo dicendum quod Christus dicitur oblatus quia voluit & voluntate diuina, & voluntate humana deliberata licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humanæ, vt Dam.* dicit.

Lib. 3. cap. 23. & 24. † In cor. art.

Ad secundum patet responsio ex dictis.

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius quàm anima Christi absolute: nihil tamen prohibet aliquid fuisse potentius, quantum ad hunc effectum: sicut clauus ad perforandum. Et hoc dico, secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam & virtutem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus defectus corporales contraxerit.

88 Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd Christus defectus corporales contraxerit. Illud enim contrahere dicimur, quod simul cum natura ex origine trahimus. Sed Christus simul cum natura humana defectus & infirmitates corporales per suam originem traxit à matre, cuius caro huiusmodi defectibus subiacebat. Ergo videtur, quod hos defectus contraxerit.

3. dist. 15. q. 1. art. 3. & dist. 11. q. 1. a. 2. a. & opusc. 3. cap. 225.

¶ 2 Præterea, Id quod ex principijs naturæ causatur, simul cum natura trahitur, & ita contrahitur. Sed huiusmodi pœnalitates causantur ex principijs naturæ humanæ. Ergo eas Christus contraxit.

¶ 3 Præterea, Secundum huiusmodi defectus Christus alijs hominibus similatur, vt dicitur Hebr. 2. Sed alij homines huiusmodi defectus contraxerunt: ergo videtur, quod etiã Christus huiusmodi defectus contraxerit.

Sed contra est, quod huiusmodi defectus contrahuntur ex peccato: secundum illud Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. Sed in Christo non habuit locum peccatum. Ergo huiusmodi defectus Christus non contraxit.

CONCLVSIO.

Christus non aliquo peccati debito corporales defectus contraxit, sed illos propria voluntate suscepit.

Respondeo dicendum, quod in verbo Contrahendi, intelligitur ordo effectus ad causam: vt scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis & horum defectuum in humana natura est peccatum, quia per peccatum mors intrauit in hunc mundum, vt dicitur Rom. 5. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati: quia vt Aug.* dicit exponens illud Ioan. 3. Qui de sursum venit, super omnes est: de sursum venit Christus, idest de altitudine naturæ humanæ, quam habuit ante peccatum primi hominis. Accepit enim naturam humanam absque peccato, in illa puritate, in qua erat in statu innocentiæ: & simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur patet, quod Christus non contraxit hos defectus, quasi ex debito peccati eos suscipiens, sed ex propria voluntate.

*Refertur 3 sent. di. 16. & habetur in gl. or. super hunc locum.

Ad primum ergo dicendum, quod caro Virginis concepta fuit in originali peccato: & ideo hos defectus contraxit. Sed Christus naturam ex Virgine assumpsit absque culpa. Et similiter potuisset naturam assumere absque pœna: sed voluit suscipere pœnam propter opus nostræ redemptionis implendum, vt dictum est.* Et ideo habuit huiusmodi defectus, non contrahendo, sed voluntarie assumendo.

Ar. 1. huius quæst.

Ad secundum dicendum, quod causa mortis & aliorum corporalium defectuum in humana natura, est duplex. Vna quidem remota, quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, inquantum est ex contrarijs compositum, sed hæc causa impediebatur per originalem iustitiam. Et ideo proxima causa mortis & aliorum defectuum, est peccatum: per quod subtracta est originalis iustitia. Et propter hoc, quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse huiusmodi defectus: sed voluntarie assumpsisse.

Ad tertium dicendum, quod Christus in huiusmodi defectibus, assimilatus est alijs hominibus, quantum ad qualitatem defectuum: non autem quantum ad causam. Et ideo Christus non contraxit huiusmodi defectus, sicut alij.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.

89 Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit. Dicit enim Dam.* Quod est inassumptibile, est incurabile. Sed Christus venerat omnes defectus nostros curare. Ergo omnes defectus nostros assumere debuit.

¶ 2 Præterea, Dictum est,† quod ad hoc quòd Christus pro nobis satisfaceret, debuit habere habitus perfectiuos in anima & defectus in corpore. Sed Christus ex parte animæ assumpsit plenitudinem omnis gratiæ. Ergo ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.

¶ 3 Præterea, Inter omnes defectus corporales, præcipuum locum tenet mors. Sed Christus mortem assumpsit. Ergo multo magis omnes alios defectus assumere debuit.

Sed contra est, quod contraria non possunt simul fieri in eodem. Sed quædam infirmitates sunt sibi ipsis contrariæ, vt pote ex contrarijs principijs causatæ. Ergo non potuit esse, quod Christus omnes infirmitates humanas assumeret.

3. d. q. 10. a. 4. ad 3. & infra q. 15. c. 6. & q. 46. a. 4. ad 3. & 3. de. 1. q. 10. 2. 1. & de. 15. q. 1. a. 1. & d. 3. 22. q. 2. a. 3. q. 1. & 4. cont. ca. 55. ad 18. & opusc. 3. c. 213. & 228. * Lib. 3. c. 6. & 18. † Art. 1.

CONCLVSIO

Cùm oportuerit, vt pro omnibus Christus satisfaceret, illum esse scientia & gratia perfectum, non omnes corporales defectus assumere decuit, sed illos tantum qui totam naturam peccato lapsam, consequuti fuerant.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est,* Christus defectus humanos assumpsit, ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ: ad quod requirebatur, quod haberet perfectionem scientiæ & gratiæ in anima. Illos ergo defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni scientiæ & gratiæ. Sic igitur non fuit conueniens, vt omnes defectus, seu infirmitates humanas assumeret. Sunt enim quidam defectus qui repugnant perfectioni scientiæ & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam autem defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, propter peccatum primi Parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis: sicut lepra, & morbus caducus, & alia huiusmodi. Qui quidem defectus, quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formatiuæ. Quorum neutrum conuenit Christo: quia & caro eius de Spiritu sancto concepta est, qui est infinitæ sapientiæ & virtutis, errare & deficere non potens: & ipse nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit. Sunt autem tertij defectus, qui in omnibus hominibus communiter inueniuntur ex peccato primi Parentis: sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi. Et hos defectus omnes Christus suscepit. Quos vocat Dam.* naturales & indetractibiles passiones. Naturales quidem, quia consequuntur communiter totam naturam humanam. Indetractibiles autem, quia defectum scientiæ & gratiæ non important.

Art. 1. & 2. huius q. * Lib. 1. orth. fid. c. 4. & lib. 3. cap. 20.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnes particulares defectus hominum, causantur ex corruptibilitate & passibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis. Et ideo cum Christus curauerit passibilitatem & corruptibilitatem corporis nostri, per hoc quod eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curauit.

Ad secundum dicendum, quòd plenitudo omnis gratiæ & scientiæ, animæ Christi secundum se debebatur ex hoc ipso, quod erat à Verbo Dei assumpta: & ideo absolute omnem plenitudinem sapientiæ & gratiæ Christus assumpsit. Sed defectus nostros dispensatiue assumpsit, vt pro peccato nostro satisfaceret, non quia ei secundum se competerent. Et ideo non oportuit, quòd omnes assumeret, sed solum illos, qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quòd mors in omnes homines deuenit ex peccato primi Parentis: non autem quidam alij defectus, licet sint morte minores. Vnde non est similis ratio.

QVÆSTIO XV.

De defectibus animæ à Christo assumptis, in decem articules diuisa.

Deinde considerandum est de defectibus pertinentibus ad animam.

¶ Et circa hoc quæruntur decem.

¶ Primo, vtrum in Christo fuerit peccatum.

¶ Secundo, vtrùm in eo fuerit fomes peccati.

¶ Tertio, vtrùm in eo fuerit ignorantia.

¶ Quarto, vtrùm anima eius fuerit passibilis.

¶ Quinto, vtrùm in eo fuerit dolor sensibilis.

¶ Sexto, vtrùm in eo fuerit tristitia.

¶ Septimo, vtrùm in eo fuerit timor.

¶ Octauo, vtrùm in eo fuerit admiratio.

¶ Nono, vtrùm in eo fuerit ira.

¶ Decimo, vtrùm simul fuerit viator & comprehensor.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Christo fuerit peccatum.

90 Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd in Christo fuerit peccatum. Dicitur enim in Psal. 21. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longe à salute mea verba delictorum

Inf. q. 31. a. 1. c. 7. & 3.

dist. 3. q. 3. c. 5. & dist. 12. q. 1. a. & quod. 4. q. 12. a. 1. delictorum meorum. Sed hæc verba dicuntur ex persona ipsius Christi: vt patet ex hoc, quod ipse ea in cruce protulit. Ergo videtur quod in Christo fuerint delicta.

¶ 2 Præterea, Rom. 5. dicit Apostolus, quòd in Adam omnes peccauerunt: quia scilicet in eo originaliter fuerunt. Sed Christus etiam originaliter fuit in Adam. Ergo in eo peccauit.

¶ 3 Præterea, Apostolus dicit Heb. 2. quod in eo, in quo Christus passus est, & tentatus, potens est & his qui tentantur auxiliari. Sed maxime indigebamus auxilio eius contra peccatum. Ergo videtur quod in eo fuerit peccatum.

¶ 4 Præterea, Secundæ ad Corinth. 5. dicitur, quòd Deus eum qui non nouerat peccatum: scilicet Christum; pro nobis peccatum fecit. Sed illud vere est, quod a Deo factum est. Ergo in Christo vere fuit peccatum.

Cap 11. in fin. tom. 3. ¶ 5 Præterea, Sicut Aug. dicit in lib. de Agone Christiano, in homine Christo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei. Sed homo indiget exemplo non solum ad recte viuendum, sed etiam ad hoc quod pœniteat de peccatis. Ergo videtur, quod in Christo debuerit esse peccatum, vt de peccatis pœnitendo, pœnitentiæ nobis daret exemplum.

Sed contra est, quod ipse dicit Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato.

CONCLVSIO.

Cùm Christus defectus nostros susceperit, vt pro nobis satisfaceret, vt veritatem humanæ naturæ comprobaret, & virtutis exemplum nobis fieret, nullo modo defectum peccati nec originalis nec actualem assumpsit.

Art. 3. & 3. huius q. Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est, * Christus suscepit defectus nostros, vt pro nobis satisfaceret, & vt veritatem humanæ naturæ comprobaret: & vt nobis fieret exemplū virtutis. Secundum quæ tria manifestum est, quod defectum peccati assumere non debuit. Primò quidem, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem: quinimo virtutem satisfactionis impedit: quia vt dicitur Eccles. 34. dona iniquorum non probat Altissimus. Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ: quia peccatū non pertinet ad humanam naturam, cuius Deus est causa: sed magis est contra naturam, per seminationem diaboli introductum: vt *Lib 2. cap. 30. & lib. 3. c. 20.* Damasc.* dicit. Tertio quia peccando exemplum virtutis præbere non potuit: cum peccatum contrarietur virtuti. Et ideo Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis nec actualis: secundum illud quod dicitur 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Lib. 3. orth. fi. c. 25. Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Damasc.* dicit in 3. lib. dupliciter dicitur aliquid de Christo. Vno modo secundum proprietatem naturalem & hypostaticam: sicut dicitur quòd Deus factus est homo, & quod passus est pro nobis. Alio modo secundum proprietatem personalem, & habitudinalem, prout scilicet aliqua dicuntur de ipso in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conueniunt. Vnde & inter septem regulas Ticonij, quas Aug.* ponit in 3. de Doct. Christiana, *Lib. 3. c. 31. tom. 3.* prima ponitur de Domino & eius corpore. cum scilicet Christi & Ecclesiæ vna persona æstimatur. Et secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit, Verba delictorum meorum, non quod in ipso capite delicta fuerint.

Lib. 10. c. 19. & 20. tom. 3. Ad secundum dicendum, quod sicut dicit Aug.* 11. super Gen. ad literam, non eodem omni modo Christus fuit in Adā & in aliis Patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam secundum seminalem rationem, & secundum corpulentam substantiam: quia scilicet (vt ipse ibidem dicit) cum sit in semine & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio, vtrumque currit ex Adam. Sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit: ratio vero conceptionis eius non à semine virili, sed longe aliter, ac desuper venit. Vnde non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. Et ideo Christus non accepit actiue ab Adam humanam naturam, sed solum materialiter: actiue vero à Spiritu sancto. Sicut & ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terræ, actiue autem à Deo. Et propter hoc Christus non peccauit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam.

Ad tertium dicendum, quod Christus ex sua tentatione & passione nobis auxiliatus est, pro nobis satisfaciendo: sed peccatum non cooperatur ad satisfactionem: sed magis ipsam impedit: vt dictum est *. Et ideo non oportuit, quod peccatum in *In co. art. & q. 4. ar. 6 ad 2.* se haberet, sed omnino esset purus à peccato: alioquin pœna, quam sustinuit, fuisset sibi debita pro proprio peccato.

Ad quartum dicendum, quod Deus fecit Christum peccatum: non quidem vt in se peccatū haberet, sed quia fecit eum hostiam pro peccato. Sicut & Oseæ 4. dicitur, Peccata populi mei comedent, scilicet Sacerdotes, qui secundum legem comedebant hostias pro peccato oblatas. Et secundum hunc modum dicitur Isa. 53. quod Dominus posuit in eo iniquitatem omnium: quia scilicet eum tradidit, vt esset hostia pro peccatis omnium hominum, vel fecit eum peccatum, id est, habentem similitudinem carnis peccati: vt dicitur Roman. 8. & hoc propter corpus passibile & mortale, quod assumpsit.

Ad quintum dicendum, quòd pœnitens laudabile exemplum dare potest, non ex eo quod peccauit: sed in hoc, quòd voluntarie pœnam sustinet pro peccato. Vnde Christus dedit maximum exemplum pœnitentibus: dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit pœnam subire.

91.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Christo fuerit fomes peccati.

Inf. q. 27. art. 3. c. & 3. & 3. dist. 15 art. 1. q. 2. ad 4. & opusc. 3. c. 211. AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo fuerit fomes peccati. Ab eodem enim principio deriuatur fomes peccati & passibilitas corporis, siue mortalitas, scilicet ex subtractione originalis iustitiæ: per quam simul inferiores vires animæ subdebantur rationi, & corpus animæ. Sed in Christo fuit passibilitas corporis & mortalitas. Ergo etiam in eo fuit fomes peccati.

Lib. 3. orth. fi. c. 15. ant. med. & c. 14. ¶ 2 Præterea, Sicut Damasc.* dicit in 3. lib. Beneplacito diuinæ voluntatis permittebantur eam Christi pati & operari quæ propria. Sed proprium est carni, vt concupiscat delectabilia sibi. Cum igitur nihil aliud sit fomes, quàm concupiscentia (vt dicitur in Glos.* Rom. 7.) videtur, quòd in Christo fuerit fomes peccati. *Gl. ord. super illud Rom. 7. ob obediam.*

¶ 3 Præterea, Ratione fomitis peccati, caro concupiscit aduersus spiritum: vt dicitur Galat. 5. Sed tanto spiritus ostenditur fortior & magis dignus corona, quanto magis superat hostem, scilicet concupiscentiam carnis: secundum illud 2. ad Tim. 2. Non coronabitur nisi qui legitime certauerit. Christus autem habuit fortissimum & victoriosissimum spiritum, & maxime dignum corona, secundum illud Apoc. 6. Data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. Videtur ergo quod in Christo maxime debuerit esse fomes peccati.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 1. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Sed Spiritus sanctus excludit peccatum & inclinationem peccati, quæ importatur nomine fomitis. Ergo in Christo non fuit fomes peccati.

CONCLVSIO.

Cùm in Christo virtus cum gratia fuerit secundum perfectissimum gradum, nullo modo fuit in ipso fomes peccati.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est *, Christus perfectissime habuit gratiam & omnes virtutes. Virtus autem moralis, quæ est * in rationali parte animæ, eam facit esse rationi subiectam: & tanto magis, quanto perfectior fuerit virtus: sicut temperantia concupiscibilem, & fortitudo & mansuetudo irascibilem: vt in secunda parte dictum est * ad rationem autem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus in id, quod est contra rationem. Sic igitur patet, quod quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est quod in eo fomes peccati non fuerit, cum etiam iste defectus non sit ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinet ad contrarium satisfactioni. *q. 7. art. 2. & 9. * al. irrationali. p. 2. q. 56. art. 4.*

Ad primum ergo dicendum, quòd inferiores vires pertinentes ad sensibilem appetitum, naturaliter sunt obedibiles rationi: non autem vires corporales, vel humorum corporalium, vel etiam ipsius animæ vegetabilis: vt patet in primo Ethic.* Et ideo perfectio virtutis, quæ est secundum rationem rectam, non excludit passibilitatem corporis: excludit autem fomitem peccati: cuius ratio consistit in resistentia sensualis appetitus ad rationem. *Lib. 1. eth. c. ult. to. 5.*

Ad secundum dicendum, quòd caro naturaliter concupiscit, id, quod est sibi delectabile concupiscentia appetitus sensitiui, sed caro hominis (qui est animal rationale) hoc concupiscit secundū modum & ordinem rationis. Et hoc modo caro Christi concupiscentia appetitus sensitiui, naturaliter appetebat escam & potum & somnum, & alia quæ secundum rectam rationem appetuntur: vt patet per Damasc.* in 3. lib. Ex hoc autem non sequitur, quod in Christo fuerit fomes peccati, qui importat concupiscentiam delectabilium, præter ordinem rationis. *Lib. 3. orth. fi. cap. 14.*

Ad tertium dicendum, quòd fortitudo spiritus aliqualis ostenditur, ex hoc quod resistit concupiscentiæ carnis sibi contrariantis, sed maior fortitudo spiritus ostenditur, si per eius virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra spiritum concupiscere possit. Et ideo hoc competebat Christo: cuius spiritus summum fortitudinis gradum attigerat. Et licet non sustinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis: sustinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte mundi & diaboli, quos superando victoriæ coronam promeruit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Christo fuerit ignorantia.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd in Christo fuerit ignorantia. Illud enim vere fuit in Christo, quod sibi competit secundum humanam naturam, licet ei non competat secundum diuinam, sicut passio & mors. Sed ignorantia conuenit Christo, secundum humanam naturam. dicit enim Damasc.* in 3. lib quod ignorantem & seruilem assumpsit naturam, ergo ignorantia vere fuit in Christo. 92. *3 dist. 17. art. 1. q. 2. ad 5. Lib. 3. orth. fi. c. 21. in princ.*

¶ 2 Præterea, Aliquis dicitur ignorans per notitiæ defectum. Sed aliqua notitia defuit Christo: dicit enim Apost. 2 ad Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ergo in Christo fuit ignorantia.

¶ 3 Præterea, Isa. 8. dicitur, Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci. * Puer autem ille est Christus, ergo in Christo fuit aliquarum rerum ignorantia. *Aug. serm. 4. de Epiphan. tom. 10.*

Sed contra, Ignorantia per ignorantiam non tollitur. Christus autem ad hoc venit, vt ignorantias nostras auferret: venit enim vt illuminaret his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ergo in Christo ignorantia non fuit.

CONCLVSIO.

Sicut in Christo ex virtutis & gratiæ plenitudine, nullus fuit peccati fomes, propter scientiæ, quæ in eo fuit, perfectionem, nulla etiam ignorantia inesse potuit.

Respondeo dicendum, quòd sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ & virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ, vt ex præmissis * patet. Sicut autem in Christo plenitudo gratiæ & virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, quæ scientiæ opponitur. Vnde sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia. *q. 7. art. 9. & q. 9. & 10.*

Ad primum ergo dicendum, quòd natura à Christo assumpta potest dupliciter considerari. Vno modo, secundum rationem suæ speciei: & secundum hoc dicit Damasc. * eam esse ignorantem *Vbi etiam in arg. 1.*

santem & seruilem. Vnde subdit. Nam serua quidem est hominis natura eius, qui fecit ipsam, Dei scilicet, & non habet futurorum cognitionem. Alio modo potest considerari secundum id quod habet ex vnione ad hypostasim diuinam, ex qua habet plenitudinem scientiæ & gratiæ: secundum illud Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Et hoc modo natura humana in Christo ignorantiam non habuit.

Ad secundum dicendum, quòd Christus dicitur non nouisse peccatum, quia nesciuit per experientiam, sciuit autem per simplicem notitiam.

Ad tertium dicendum, quòd loquitur ibi Propheta de scientia humana Christi. Dicit enim: Antequam sciat puer, s. secundum humanitatem, vocare patrem suum, scilicet Ioseph (qui pater eius fuit putatiuus) & matrem suam, scilicet Mariam, auferetur fortitudo Damasci. Quod non est sic intelligendum, quasi aliquando fuerit homo, & hoc nesciuerit: sed antequam sciat, idest, antequam fiat homo scientiam habens humanam auferetur: vel ad literam, fortitudo Damasci & spolia Samariæ, per regem Assyriorum: vel spiritualiter, quia nondum natus, populum suum sola inuocatione saluabit, vt gl.* Hier. ibi exponit Aug. tamen in sermo. † de Epi. dicit, hoc esse completum in adoratione Magorum. Ait enim, Antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damasci, i. diuitias, in quibus Damascus præsumebat: in diuitiis autem principatus auro defertur: Spolia vero Samariæ, idem ipsi erant qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria ponitur. Illic enim populus Israel auersus à Domino, ad idola colenda conuersus est. Hæc igitur prima spolia puer idololatriæ dominationi detraxit. Et secundum hoc intelligitur, antequam sciat, idest, antequam ostendat se scire.

Hier. ibid. tom. 3.
† Aug. in ser. 4. qui est 32. in ord. eius medio tom. 10.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Christi fuerit passibilis.

93 AD QVARTVM sic proceditur. Videtur quòd anima Christi non fuerit passibilis. Nihil enim patitur nisi à fortiori: quia agens præstantius est patiente, vt patet per Aug. 12. super Gen.* ad lit. & per Ph. 3. de An.† Sed nulla creatura fuit præstantior, quam anima Christi. Ergo anima Christi non potuit ab aliqua creatura pati: & ita non fuit passibilis: frustra enim in ea fuisset potentia patiendi, si à nullo pati potuisset.

¶ 2 Præterea, Tullius in lib. 3 de Tusculanis quæstionibus dicit, quod passiones animæ sunt quædam ægritudines. Sed in anima Christi non fuit aliqua ægritudo: nam ægritudo animæ sequitur peccatum, vt patet per illud Psalm. 40. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Ergo in Christo non fuerunt animæ passiones.

¶ 3 Præterea. Passiones animæ videntur idem esse cum fomite peccati, vnde & Apostolus Rom. 7. vocat eas passiones peccatorum. Sed in Christo non fuit fomes peccati, vt supra dictum est. † Ergo videtur, quod non fuerint in eo animæ passiones: & ita anima Christi non fuit passibilis.

SED contra est, quod in Ps. 87. dicitur ex persona Christi, repleta est malis anima mea: non quidem peccatis, sed humanis malis, id est, doloribus: vt glos.* ibi exponit. Sic ergo anima Christi fuit passibilis.

*3. sup. 13. q. 1. art. 2. q. 1. ad 2. & di. 15. q. 2. art. 2. q. 1. & 2. & 3. 33. [illegible] † Arist. 3 anim. tex. 19. tam. 2. * lib. 4. in fi. 3. pr. lib. & seq. a. 1. huius quæst. Est glo. ex Aug. in hoc loco Psal. 87. tom. 8.*

CONCLVSIO.

Anima Christi passibilis fuit corporali passione, animales vero passiones habuit quidem, sed non vt cæteri homines: nam neque ad illicita ferebantur, neque rationis iudicium præueniebant, sed secundum illud oriebantur, neque rationem vllo modo impediebant.

RESPONDEO dicendum, quòd animam in corpore constitutam dupliciter contingit pati. Vno modo passione corporali: alio modo passione animali. Passione quidem corporali patitur per corporis læsionem. Cum enim anima sit forma corporis, consequens est, quod unum sit esse animæ & corporis: & ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima per accidens perturbetur: scilicet quantum ad esse, quod habet in corpore. Quia igitur corpus Christi fuit passibile & mortale (vt supra habitum est*) necesse fuit, vt etiam eius anima hoc modo passibilis esset. Passione autem animali pati dicitur anima secundum operationem, quæ vel est propria animæ, vel principalius est animæ, quàm corporis. Et quamuis etiam secundum intelligere & sentire dicatur hoc modo anima aliquid pati: tamen sicut in secunda parte dictum est, † propriissimè dicuntur passiones animæ affectiones appetitus sensitiui: quæ in Christo fuerunt, sicut & cætera, quæ ad naturam hominis pertinent. Vnde Aug. dicit in 14. de ciuit. Dei, Ipse Dominus in forma serui vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas, vbi adhibendas esse iudicauit: neque enim in quo verum erat hominis corpus: & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Sciendum tamen est, quod huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quàm in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obiectum: quia in nobis plerumque huiusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium: quia huiusmodi passiones frequenter in nobis præueniunt iudicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitiui appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Vnde Aug. dicit 14. de ciuit. Dei,* quòd hos motus certæ dispensationis gratia, ita cum voluit Christus suscepit animo humano, sicut cum voluit, factus est homo. Tertio quantum ad effectum: quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitiuo, sed trahunt rationem: quod in Christo non fuit: quia motus naturaliter humanæ carni conuenientes, sic ex eius dispositione in appetitu sensitiuo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conueniebant. Vnde Hieron. † dicit super Mat. quod Dominus noster, vt veritatem assumpti hominis probaret, vere quidem contristatus est: sed ne passio in animo

quæst. 14. art. 1.
p. 1. q. 22. ar. 1. & 3.
** li. 14. c. 9. parum ante medium tom. 5.*
li. 14. c. 9. parum ante medium tom. 5.
cap. 26. in Matt. super illud, cœpit tristari. to. 9

illius dominaretur, per propassionem dicitur, quod cœpit contristari: vt passio perfecta intelligatur, quando animo, id est, rationi dominatur: propassio autem, quando est inchoata in appetitu sensitiuo, sed vlterius non se extendit.

Ad primum ergo dicendum, quod anima Christi poterat quidem resistere passionibus, vt ei non superuenirent, præsertim virtute diuina: sed propria voluntate se passionibus subiiciebat tam corporalibus, quam animalibus.

Ad secundum dicendum, quod Tullius * ibi loquitur secundum opinionem Stoicorum, qui non vocabant passiones quoslibet motus appetitus sensitiui, sed solum inordinatos. tales autem passiones manifestum est in Christo non fuisse.

loco citato in arg. 2.

Ad tertium dicendum, quod passiones peccatorum, sunt motus appetitus sensitiui in illicita tendentes, quod non fuit in Christo, sicut nec fomes peccati.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in Christo fuerit dolor sensibilis.

94 AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd in Christo non fuerit verus dolor sensibilis. Dicit enim Hilarius in 10. de Trin.* Cum pro Christo mori sit vita, quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam impendit? Et infra dicit, † Vnigenitus Deus hominem verum, non deficiens à se Deo sumpsit: in quo quamuis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio eleuaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, vt telum aliquod aquam perforans. Non igitur in Christo fuit verus dolor.

¶ 2 Præterea, Hoc proprium videtur esse carni in peccato conceptæ, quod necessitati doloris subiaceat. Sed caro Christi non est cum peccato concepta, sed ex Spiritu sancto in vtero virginali. Non ergo subiacuit necessitati patiendi dolorem.

¶ 3 Præterea, Delectatio contemplationis diuinorum aufert sensum doloris: vnde & Martyres in passionibus suis tolerabilius sustinuerunt ex consideratione diuini amoris. Sed anima Christi summe delectabatur in contemplatione Dei, quem per essentiam videbat: vt supra dictum est.* Non ergo potuit sentire aliquem dolorem.

SED contra est, quod Isa. 53. dicitur, verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

*Inf. 7. art. 6. & 3. d. 15. q. 2. art. 3. q. 1. & ver. q. 2. a. 2. ad 8. & cent. 3. cap. 219. * li. 10. to. n 3. f. 1. a. pr. † lib co. de trin. ad med. lib. * q. 9. art. 2.*

CONCLVSIO.

Cùm Christi corpus passibile & mortale fuerit, animaque eius perfecte habuerit omnes suas naturales potentias, nulli dubium esse debet quin in Christo fuerit verus dolor.

RESPONDEO dicendum, quod sicut patet ex his, * quæ in secunda parte dicta sunt, ad veritatem doloris sensibilis requiritur læsio corporis & sensus læsionis. Corpus autem Christi lædi poterat, quia erat passibile & mortale: vt supra habitum est. † Nec defuit ei sensus læsionis: cum anima Christi perfectè haberet omnes potentias naturales. Vnde nulli dubium debet esse, quin in Christo fuerit verus dolor.

p. 2. q. 35. q. 14. art. 1.

AD primum ergo dicendum, quod in omnibus illis verbis & similibus, Hilarius à carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit. Vnde post præmissa verba subdit,* Neque enim tum, cum sitiuit, aut esuriit, aut doluisse monstratur, bibisse Dominus, aut manducasse, aut doluisse: sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est, ita vt naturæ nostræ consuetudini sit corpori satisfactum, vel cum potum & cibum accepit, non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit. & accepit necessitatem per comparationem ad causam primam horum defectuum, quæ est peccatum: vt supra dictum est:* vt scilicet ea ratione dicatur caro Christi non subiacuisse necessitati horum defectuum, quia non fuit in ea peccatum. Vnde subdit.* Habuit enim scilicet Christus, corpus, sed originis suæ proprium, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens, sed in forma corporis nostri, virtutis suæ potestate subsistens. Quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quæ est compositio contrariorum, caro Christi subiacuit necessitati horum defectuum: vt supra dictum est.*

*loco citato in arg. q. 14. art. 1. & art. 2. * lib. 10. de trin. circa med. q. 14. a. 1.*

AD secundum dicendum, quod caro in peccato concepta subiacet dolori, non solum ex necessitate naturalium principiorum, sed etiam ex necessitate reatus peccati. Quæ quidem necessitas in Christo non fuit: sed solum necessitas naturalium principiorum.

Ad tertium dicendum, quòd sicut supra dictum est,* virtute diuinitatis Christi, dispensatiuè sic beatitudo in anima continebatur, quod non deriuabatur ad corpus, vt eius passibilitas & mortalitas non tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non deriuabatur ad vires sensibiles, vt per hoc dolor sensibilis excluderetur.

q. 14. art. 1. ad 2.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Christo fuerit tristitia.

95 AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit tristitia. Dicitur enim de Christo Isa. 42. Non erit tristis, nec turbulentus.

¶ 2 Præterea, Prou. 12. dicitur, Non contristabit iustum quidquid ei acciderit. Et huius rationem Stoici assignabant, quia nullus tristatur nisi de amissione suorum bonorum: iustus autem non reputat sua bona nisi iustitiam & virtutem, quas non potest amittere: alioquin subiiceretur iustus fortunæ, si pro amissione bonorum fortunæ tristaretur. Sed Christus fuit maximè iustus, secundum illud Hierem. 23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Ergo in eo non fuit tristitia.

¶ 3 Præterea, Philos. dicit in 7. Ethic. quod omnis tristitia est malum & fugiendum. Sed nullum malum fugiendum fuit in Christo. Ergo in Christo non fuit tristitia. ¶ 4 Præterea,

Inf. q. 46. art. 6. & 3. d. 15. q. 2. ar. 2. q. 1. & 2. & ver. q. 26. art. 8. & q. 24. [illegible]

Lib. 14. ca. 6. in med. tom. 5.

¶ 4 Præterea, Sicut Aug.† dicit 14. de ciuit. Dei, tristitia est de his quæ nobis nolentibus accidunt. Sed nihil passus est Christus contra suam voluntatem: dicitur enim Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Non ergo in Christo fuit tristitia.

Lib. 2. de fi. ad Gra. cap. 3. post med. tom. 2.

Sed contra est quod dicit Dominus, Matth. 26. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et Ambros. dicit in 2. de Trin. * Vt homo tristitiam habuit: suscepit enim tristitiam meam confidenter: tristitiam nomino qui crucem prædico.

CONCLVSIO.

Cùm anima Christi potuerit interius aliquid apprehendere vt nociuum, sicut in illo potuit verus esse dolor: ita & tristitiam in eandem potuisse esse, fatendum est.

art. præc. ad 3.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est †, delectatio diuinæ contemplationis, ex per dispensationem diuinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non deriuabatur ad vires sensitiuas, vt per hoc dolor sensibilis excluderetur. Sicut autem dolor sensibilis est in appetitu sensitiuo, ita & tristitia. Sed est differentia secundum motiuum siue obiectum: nam obiectum, & motiuum doloris, est læsio sensus tactus percepta, sicut cum aliquis vulneratur. Obiectum autem & motiuum tristitiæ, est nociuum seu malum interius apprehensum siue per rationem, siue per imaginationem (vt in secunda parte habitum est *) sicut cum aliquis tristatur de amissione gratiæ vel pecuniæ. Potuit autem anima Christi interius apprehendere aliquid vt nociuum, & quantum ad se, sicut passio & mors eius fuit: & quantum ad alios, sicut peccatum Discipulorum, vel etiam Iudæorum occidentium ipsum. Et ideo sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita potuit in eo esse vera tristitia. Alio tamen modo quam in nobis secundum illa tria quæ supra assignata sunt *, cum communiter de passionibus animæ Christi loqueremur.

p. 2. q. 35. art. 2.

art. 4. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod tristitia remouetur à Christo secundum passionem perfectam; fuit tamen in eo initiata secundum propassionem. Vnde dicitur Matth. 26. Cœpit contristari & mœstus esse. Aliud enim est contristari, aliud incipere contristari, vt Hier. ibidem dicit.

Hieron. in Matt. cap. 26. tom. 9. † Aug. li. 14. cap. 8. in princip. tom. 5. * εὐπαθείας.

Ad secundum dicendum, quod sicut Aug. dicit in 14. de ciu. Dei †, pro tribus perturbationibus, scilicet, cupiditate, lætitia & timore, Stoici tres * eupathias, idest, bonas passiones in animo sapientis posuerunt, scilicet pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem: sed pro tristitia negauerunt esse posse aliquid in animo sapientis: quia tristitia de malo est, quod iam accidit: nullum autem malum existimant posse accidere sapienti. Et hoc ideo est, quia non credebant aliquid esse bonum nisi honestum quod homines bonos facit: nec aliquid esse malum nisi inhonestum, per quod homines mali fiunt. Quamuis autem honestum sit principale hominis bonum, & inhonestum principale hominis malum (quia hæc pertinent ad ipsam rationem, quæ est principalis in homine) sunt tamen quædam secundaria hominis bona, quæ pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deseruientes. Et secundum hoc potest in animo sapientis esse tristitia quantum ad appetitum sensitiuum, secundum apprehensionem huiusmodi malorum, non tamen ita quod ista tristitia perturbet rationem. Et secundum hoc etiam intelligitur, quod non contristabit iustum quicquid ei acciderit: quia scilicet ex nullo accidente eius ratio perturbatur. Et secundum hoc tristitia fuit in Christo secundum propassionem, non autem secundum passionem.

Ad tertium dicendum, quod omnis tristitia est malum pœnæ, non autem est semper malum culpæ, sed solum quando ex inordinato affectu procedit. Vnde Aug. dicit 14. de ciuit. Dei: * Cum rectam rationem sequuntur istæ affectiones, & quando: & vbi oportet adhibentur: quis eas tunc morbidas seu vitiosas passiones audeat dicere?

lib. 14. c. 9. ante med. tom 5.

Ad quartum dicendum, quod nihil prohibet, aliquid esse contrarium voluntati secundum se, quod tamen est volitum ratione finis, ad quem ordinatur: sicut medicina amara non est secundum se volita, sed solum secundum quod ordinatur ad sanitatem. Et hoc modo mors Christi & eius passio fuit secundum se considerata inuoluntaria, & tristitiam causans: licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui est redemptio humani generis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in Christo fuerit timor.

96. Ad septimvm sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fuerit timor. Dicitur enim Prouerb. 28. Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit. Sed Christus fuit maximè iustus. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.

Sup. q. 7. a. 6. & 3. dist. 15. q. 1. ar. 2. q. 3. Lib. 10. in e. fer. à princ. lib.

¶ 2 Præterea, Hilarius dicit 10. de Trinit. * Interrogo eos qui hoc ita existimant, an ratione subsistat, vt mori timuerit, qui omnem ab Apostolis mortis timorem expellens, ad gloriam eos sui martyrij adhortatus. Non ergo in Christo rationabile est fuisse timorem.

¶ 3 Præterea, timor non videtur esse nisi de malo, quod non potest homo vitare. Sed Christus poterat vitare & malum pœnæ, quod passus est, & malum culpæ, quod alijs accidit. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.

Sed contra est, quod dicitur Marc. 14. Cœpit Iesus pauere & tædere.

CONCLVSIO.

Fuit quidem timor in Christo respectu imminentis futuri mali, non fuit autem timor in illo quoad euentus incertitudinem.

Respondeo dicendum, quod sicut tristitia causatur ex apprehensione mali præsentis, ita timor causatur ex apprehensione mali futuri. Apprehensio autem mali futuri si omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Vnde Philosophus dicit in 2. Rhet.* quod timor non est nisi vbi est aliqua spes euadendi. Nam quando nulla spes est euadendi, apprehenditur malum vt præsens: & sic magis causat tristitiam, quàm timorem.

lib 2. Rhe. cap. 5. ante med.

Sic ergo timor potest considerari quantum ad duo. Vno modo, quantum ad hoc quod appetitus sensitiuus, naturaliter refugit corporis læsionem: & per tristitiam, si sit præsens; & per timorem, si sit futura. Et hoc modo timor fuit in Christo, sicut & tristitia. Alio modo potest considerari secundum incertitudinem futuri euentus: sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, quasi ignorantes quid hoc sit. Et quantum ad hoc timor non fuit in Christo, vt Damasc.* dicit in 3. lib.

Lib. 3. ort. fid. cap. 23.

Ad primum ergo dicendum, quod iustus dicitur esse absque terrore, secundum quod terror importat perfectam passionem, auertentem hominem ab eo quod est rationis. Et sic timor non fuit in Christo, sed solum secundum propassionem. Et ideo dicitur quod Iesus cœpit tædere & pauere, quasi secundum propassionem, vt Hieron.* exponit.

Hier. in c. 26 Matth. tom. 9.

Ad secundum dicendum, quod Hilarius eo modo à Christo excludit timorem, quo excludit tristitiam, scilicet quoad necessitatem timendi. Sed tamen ad comprobandam veritatem humanæ naturæ, voluntariè timorem assumpsit, sicut etiam & tristitiam.

Ad tertium dicendum, quod licet Christus potuerit vitare mala futura secundum virtutem diuinitatis: erant tamen ineuitabilia vel non de facili vitabilia, secundum infirmitatem carnis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in Christo fuerit admiratio.

97. Ad octavvm sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fuerit admiratio. Dicit enim Philosophus in primo Metaphys.* quod admiratio causatur ex hoc, quod aliquis videt effectum, & ignorat causam. Et sic admirari non est nisi ignorantis. Sed in Christo non fuit ignorantia, vt dictum est †. Ergo in Christo non fuit admiratio.

Conc. cor. 33. fid. & Mat. 8. 7. col. 3. ff. * lib. 1. metaph. cap. 2. in med. t. 3. † art. 3. huius q. * 2. Ca. 15. Lib. 4. & c. 3. dist. ad f. 2. 3.

¶ 2 Præterea, Damasc. dicit in 2 lib. * quod admiratio est timor ex magna imaginatione: & ideo Philosoph. dicit in 4. Ethicor. quod magnanimus non est admiratiuus: Sed Christus fuit maximè magnanimus. Ergo in Christo non fuit admiratio.

¶ 3 Præterea, Nullus admiratur de eo, quod ipse facere potest. Sed Christus facere poterat quicquid magnum erat in rebus. Ergo videtur quod de nullo admirabatur.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 8. Audiens Iesus, (scilicet verba Centurionis) miratus est.

CONCLVSIO.

Cùm Christo secundum diuinam & infusam scientiam, nihil nouum fuerit, non potuit in illo aliqua admiratio esse, nisi secundum scientiam experimentalem.

Respondeo dicendum, quod admiratio propriè est de aliquo nouo & insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid nouum & insolitum, quantum ad scientiam diuinam, qua cognoscebat res in Verbo: neque etiam quantum ad scientiam humanam, qua cognoscebat res per species inditas: potuit tamen aliquid esse sibi nouum & insolitum secundum scientiam experimentalem, secundum quam, sibi poterant quotidie aliqua noua occurrere.

Et ideo si loquamur de ipso, quantum ad scientiam diuinam, & scientiam beatam, vel etiam infusam, non fuit in Christo admiratio. Si autem loquamur de eo, quantum ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit. Et assumpsit hunc defectum ad nostram instructionem, vt scilicet doceat esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur. Vnde dicit August. in primo super Genes.† contra Manichæos. Quod miratur Dominus, nobis mirandum esse significat: quibus adhuc opus est sic moueri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri.

† Lib. 1. ca. 8. non proc. ad fi. s. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de nouo occurrere experimentali eius scientiæ, ex quo admiratio causaretur.

Ad secundum dicendum, quod Christus non admirabatur de fide Centurionis, ex ratione, quod esset magna quantum ad ipsum: sed quia erat magna quantum ad alios.

Ad tertium dicendum, quod ipse poterat facere omnia secundum virtutem diuinam: secundum quam in eo admiratio non erat, sed solum secundum humanam scientiam experimentalem, vt dictum est. *

In co. art.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm in Christo fuerit ira.

98. Ad nonvm sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fuerit ira. Dicitur enim Iacob 1. Ira viri, iustitiam Dei non operatur. Sed quicquid fuit in Christo, ad iustitiam Dei pertinuit: ipse enim factus est nobis iustitia à Deo: vt dicitur 1. Cor. 1. Ergo videtur quod in Christo non fuerit ira.

3. dist. 15. q. 2. art. 2. q. 2.

¶ 2 Præterea, Ira mansuetudini opponitur: vt patet in 4. Ethic.* Sed Christus fuit maximè mansuetus. Ergo in eo non fuit ira.

Lib. 4. eth. cap. 5. to. 5. Lib. 5. mor. cap. 33. ante princ. à princ.

¶ 3 Præterea, Gregor. dicit in 5. Moral. † quod ira per vitium, excæcat oculum mentis; ira verò per zelum ipsum turbat. Sed in Christo mentis oculus non fuit excæcatus, nec turbatus. Ergo in Christo non fuit nec ira per vitium, nec ira per zelum.

Sed contra est, quod Ioan. 2. de eo dicitur esse impletum quod in Psal. 68. legitur, zelus domus tuæ comedit me.

CONCLVSIO.

Cùm in Christo fuerit tristitia & vindictæ appetitus, non contra, vel præter rationis ordinem, non fuit in eo ira per vitium, sed per zelum diuini honoris.

Respondeo dicendum, quod sicut in Secunda parte dictum est

est. * Ira est effectus tristitiæ. Ex tristitia enim alicui illata, subsequitur in eo circa sensitiuam partem, appetitus repellendi illatam iniuriam, vel sibi vel aliis. Et sic ira est passio composita ex tristitia & appetitu vindictæ. Dictum est autem, † quod in Christo tristitia esse potuit. Appetitus etiam vindictæ quandoque est cum peccato, quando scilicet aliquis vindictam quærit sibi absque ordine rationis, & sic ira in Christo esse non potuit: huiusmodi enim dicitur ira per vitium. Quandoque vero talis appetitus est sine peccato, imo est laudabilis: puta cum aliquis appetit vindictam secundum ordinem iustitiæ: & hoc vocatur ira per zelum. Dicit enim Aug. super Ioan. † quod zelo domus Dei comeditur, qui omnia quæ ibi peruersa videt satagit emendare: & si emendare non potest, tolerat, & gemit. Et talis ira fuit in Christo.

12. q. 46. a. 1. ad 1. & 2. & 3. q. 158. art. 1. & 3. & 1. & alibi q. 12. a. 1. & 8. * 1. 2. q. 46. a. 1. & a. 3. ad 1. † Art. 6. huius qo. † Tract. 10. in Ioan. super illud: zelus domus tuæ comedit me, 10. 9. * Lib. 5. Mor. c. 33.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Gregor. dicit 5. Moral. * ira dupliciter se habet in homine. Quandoque enim præuenit rationem, & trahit eam secum ad operandum, & tunc proprie ira dicitur operari: nam operatio attribuitur principali agenti. Et secundum hoc intelligitur, quod ira viri iustitiam Dei non operatur. Quandoque vero ira sequitur rationem, & est quasi instrumentum ipsius: & tunc operatio, quæ est iustitiæ, non attribuitur iræ, sed rationi.

Ad secundum dicendum, quod ira quæ transgreditur ordinem rationis, opponitur mansuetudini, non autem ira, quæ est moderata & ad medium reducta per rationem: nam mansuetudo medium tenet in ira.

Ad tertium dicendum, quod in nobis secundum naturalem ordinem, potentiæ animæ mutuo se impediunt, ita scilicet quod cum vnius potentiæ operatio fuerit intensa, alterius operatio debilitetur. Et ex hoc procedit, quod motus iræ etiam si sit secundum rationem moderatus, vtcunque impedit oculum animi contemplantis. Sed in Christo per moderationem diuinæ virtutis, vnicuique potentiæ permittebatur agere quod erat ei proprium: ita quod vna potentia ex alia non impediebatur. Et ideo sicut delectatio mentis contemplantis non impediebat tristitiam, vel dolorem inferioris partis, ita etiam è conuerso passiones inferioris partis, in nullo impediebant actum rationis.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Christus simul fuerit viator & comprehensor.

99. AD DECIMVM sic proceditur. Videtur quòd Christus non fuerit simul viator & comprehensor. Viatori enim competit moueri ad finem beatitudinis, comprehensori autem competit in fine quiescere. Sed non potest eidem simul conuenire quod moueatur ad finem, & quod quiescat in fine. Ergo non potuit simul esse, quod Christus esset viator & comprehensor.

3. sent. d. 14. q. 1. a. 2. & 3. & ver. q. 26. art. 10. & q. 29. a. 6. & quodl. 11. q. 1. a. 2. & opusc. 3. ca. 231. & ep. 11. c. 7. * Ep. 56. ante medium, c. 3.

¶ 2 Præterea, Moueri ad beatitudinem, aut eam obtinere, non competit homini secundum corpus, sed secundum animam: vnde Augustinus dicit in Epistola * ad Dioscorum, quod ad inferiorem naturam, quæ est corpus, redundat ab anima, non beatitudo, quæ propria est fruentis & intelligentis, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor. Sed Christus, licet haberet corpus passibile, tamen secundum mentem plene Deo fruebatur. Non igitur Christus fuit viator, sed purus comprehensor.

¶ 3 Præterea, Sancti, quorum animæ sunt in cœlo, & corpora in sepulchris, fruuntur quidem beatitudine secundum animam, quamuis eorum corpora morti subiaceant: tamen non dicuntur viatores, sed solum comprehensores. Ergo pari ratione licèt corpus Christi fuerit mortale: quia tamen mens eius Deo fruebatur, videtur quod fuerit purus comprehensor, & nullo modo viator.

Sed contra est, quod dicitur Hier. 14. Quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.

CONCLVSIO.

Christus simul comprehensor fuit, quatenus beatitudinem animæ propriam habebat, & viator, quatenus in beatitudinem tendebat secundum id, quod ei de beatitudine deerat.

RESPONDEO dicendum, quod aliquis dicitur viator, ex eo, quod tendit in beatitudinem: comprehensor autem dicitur ex hoc, quod iam beatitudinem obtinet, secundum illud 1. Cor. 9. Sic currite, vt comprehendatis: & Philip. 3. Sequor autem, si quo modo comprehendam. Hominis autem beatitudo perfecta consistit in anima & corpore, vt in secunda parte habitum est. * In anima quidem, quantum ad id quod est ei proprium, secundum quod mens videt, & fruitur Deo. In corpore vero secundum quod corpus resurget spirituale & in virtute, & in gloria, & in incorruptione: vt dicitur 1. Corinth. 15. Christus autem ante passionem secundum mentē plene videbat Deum: & sic habebat beatitudinem, quantum ad id quod est proprium animæ, sed quantum ad alia deerat beatitudo: quia & anima eius erat passibilis & corpus passibile & mortale: vt ex supra dictis patet. Et ideo simul erat comprehensor, inquantum habebat beatitudinem propriam animæ, & simul viator, inquantum tendebat in beatitudinem, secundum id quod ei de beatitudine deerat.

12. q. 4. art. 6.

Art. 4. huius q. & q. 14. art. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod impossibile est moueri ad finem, & quiescere in fine secundum idem. Sed secundum diuersa nihil hoc prohibet, sicut aliquis homo simul est sciens quantum ad ea, quæ iam nouit: & addiscens, quantum ad ea, quæ nondum nouit.

Ad secundum dicendum, quod beatitudo principaliter & proprie consistit in anima, & secundum mentem: secundario tamen & quasi instrumentaliter requiruntur ad beatitudinem corporis bona. Sicut etiam Philosophus dicit in primo Ethic. quod exteriora bona organice deseruiunt beatitudini.

Lib. 1. ethic. ca. 8. circa fi. 5.

Ad tertium dicendum, quod non est eadem ratio de animabus sanctorum & de Christo, propter duo: primo quidem, quia animæ sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi: secundo, quia corpora non agunt aliquid per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus secundum corporis passiones, in beatitudinem tendebat quantum ad gloriam corporis.

DISPVTATIO VII.

De operatione humanitatis Christi.

AGIT D. Thomas quæst. 13. de potentia animæ Christi, vbi multa immiscet de eius operatione: propterea hic, præsens disputatio, de operatione humanitatis Christi, proponitur: licèt enim infra q. 19. agat de operatione Christi; potius tamen agit de quidditate & multiplicitate ipsius, quàm de obiecto quod attingit, & de modo concurrendi: quæ tamen in præsenti examinamus cum D. Thom. quæst. 13. citata.

DVBIVM I.

Vtrùm humanitas Christi concurrerit physicè, vt instrumentum, ad miracula, & altas immutationes supernaturales, quas Christus immediatè operatus est.

SVpponendum est tanquam certum de fide, Christum Dominum, quandiu fuit in hoc mundo, multa miracula, & alia supernaturalia patrasse immediatè, vt constat ex Euangeliis, vt fuerunt curationes infirmitatum, resuscitatio trium mortuorum, videlicet puellæ Archisynagogi, filij viduæ Naim, & Sancti Lazari; iuconuersio aquæ in vinum in Cana Galileæ: in stificatio S. Mariæ Magdalenæ & aliorum: in quibus omnibus concurrit sacra eius humanitas aliquo modo: difficultas autem est vtrùm concursus eius fuerit tantùm moralis, scilicet suis laboribus, & Passione merendo illa omnia: vel vtrùm præter concursum istum moralem, habuerit alium physicum; non quidem per modum causæ principalis, cum sic operari supernaturalia sit proprium solius Dei: sed per modum instrumenti; multæ enim creaturæ assumuntur à Deo, vt sint instrumenta physica in ordine ad effectus supernaturales. In præsenti autem non agimus vniuersaliter, sed tantùm respectu eorum, quæ Christus præsentialiter & immediatè operatus est: nam de his quæ eius Incarnationem præcesserunt, certum est quòd non processerunt physicè ab eius humanitate, quia operari physicum præsupponit esse physicum operantis; benè tamen moraliter, quia vt dictum est, & infra dicetur, omnia supernaturalia hominibus concessa, dependent ex meritis Christi præuisi. De his autem quæ fiunt modò Christo existente in cœlo, & quæ facta sunt ipso hic degente, sed remotè ab ipso, dicetur dubio sequenti.

Prima opinio est negatiua. Probatur oratione ritate Sanctorum Patrum. Athanasius oratione 4. contra Arrianos ait de Christo: Humano modo

do manum extendit, diuinitas autem morbum compescuit. Damasc. sub finem lib. cui titulus est, Quomodo ad imaginem Dei facti sumus, ait: Diuinitas tactu carnis sanabat infirmos, alia erat actio propria diuinitatis, alia humanitatis; & finis humanæ actionis in manus extensione, & tactu positus erat: diuinæ autem naturæ in excitatione puellæ. Sophronius in 6. Synodo, actione 11. Vnus duarum naturarum, secundùm aliam diuina signa operabatur; secundùm aliam humilia: ergo humanitas Christi non concurrit physicè vt instrumentum, ad miracula, & alias immutationes supernaturales, quas Christus immediatè operatus est.

5. Secundò, ad rationem instrumenti physici requiritur, quòd aliquid agat præuium ad actionem principalis agentis, disponens ad ipsam, respectu cuius fit causa principalis, vt patet inductione in omnibus instrumentis verè physicis; propterea enim assumuntur: sed humanitas Christi Domini in operatione miraculorum, aliarúmque immutationum supernaturalium; vel nihil præuium egit, sicut cùm ipse Christus Dominus, & S. Petrus super aquas ambularunt; vel illud præuium non fuit dispositiuum ad actionem miraculosam, vt cùm resuscitauit Lazarum sola voce, & tactu alios sanauit: maximè quia vox non semper attingebat subiectum, in quo patrandum erat miraculum: quod etiam accidit circa illos, quos sola voce, aut imperio interno sanctificauit: ergo humanitas Christi Domini non concurrit physicè vt instrumentum, ad miracula, & alias immutationes supernaturales, quas Christus immediatè operatus est.

Tertiò, concurrere physicè vt instrumentum, ad miracula, & alias immutationes supernaturales, non pertinet ad dignitatem humanitatis Christi; benè autem concurrere moraliter. Primum patet, quia quælibet vilis creatura potest ad hæc patranda assumi, vt instrumentum physicum, vt de facto assumuntur Sacramenta. Secundum etiam constat, nam concurrere sic moraliter; est concurrere per modum merentis & impetrantis, ratione vnionis hypostaticæ; quod supponit infinitam dignitatem: ergo humanitas Christi Domini non concurrit physicè, vt instrumentum, ad miracula & alias immutationes supernaturales, quas Christus immediatè operatus est.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd non solùm humanitas Christi Domini concurrit physicè ad miracula; & alias immutationes supernaturales, quas Christus immediatè operatus est: 1. Sed etiam ab instanti eius conceptionis incœpit concurrere physicè: 3. Non quidem vt causa secunda principalis: 4. Sed vt instrumentum coniunctum diuinitatis. 5. Ad gratiam verò, & alios effectus supernaturales, qui mysterium Incarnationis præcesserunt, nec concurrit, nec concurrere potuit physicè: concurrit tamen moraliter.

Probatur prima pars conclusionis, quam communiter sequuntur Thomistæ, & plures alij, authoritate Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est: ly, facta, importat efficientiam physicam ex D. Thom. 1. 2. qu. 112. art. 1. in Concilio Ephes. canone 11. definitur carnem Christi esse viuificatricem propter vnionem ad Verbum quod habet vitam diuinam: quod debet intelligi de efficientia physica, & non morali, quia moralis pertinet ad solam animam, quæ operatur per intellectum & voluntatem. Item in 6. Synodo generali, actione 11. Sophronius distinguit tres operationes Christi: quædam sunt purè diuinæ, in quibus non communicat humanitas, sicut conseruatio Vniuersi: Aliæ purè humanæ, vt flere, esurire, & similes, ad quas non concurrebat diuinitas secundùm propriam rationem infinitatis: Aliæ tandem mediæ pertinentes ad diuinitatem & humanitatem, vt sunt operationes miraculosæ. Damascenus lib. 3. fidei Orthodoxæ cap. 15. ait; Diuinitas per carnem vim suam exercebat: & cap. 19. Caro operanti Verbi diuinitati ea de causa communicabat, quia per corpus non secus ac per instrumentum quoddam diuinitas actiones efficiebat. Hilarius cap. 9. in S. Matthæum: Est autem, ait, in simplici intelligentia magna virtutis Dominicæ admiratio, cùm potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & vsque ad vestium fimbrias operatio diuina prouideret. Ambrosius in S. Luc. Et ideo tangit interim & hoc indicans quod sancta eius caro diuinam habeat virtutem, & purificet, ac viuificet; vt pote quæ sit caro Verbi Dei. Idem docent communiter alij Sancti Patres ponderantes modum, quo Christus operatus est aliqua miracula, vt illuminando cæcum natum, liniens ipsum luto; mundando leprosos; & resuscitando puellam per contactum; sanando hæmorroissam contactu fimbriæ: quod ipse Christus satis indicauit illis verbis Lucæ 6. Quis me tetigit, noui virtutem exiisse à me. Tandem D. Thom. id docet multis locis 1. 2. q. 112. art. 1. ad 1. vbi ait, quòd humanitas Christi est sicut quoddam organum diuinitatis eius, & ideo non causat gratiam propria virtute, sed vt instrumentum virtute diuinitatis adiunctæ, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares. Et hîc q. 13. art. 1. ait; Si loquamur de anima Christi secundùm quòd est instrumentum Verbi sibi vniti, sic habuit instrumentalem virtutem, ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Quòd autem loquatur de efficientia physica, & non

non morali; constat ex sequentibus: quia negar humanitatem Christi posse concurrere ad immutationem quæ est per annihilationem, quo modo concurrit ad prædictas immutationes: & tamen certum est, quòd potest moraliter concurrere ad annihilationem orando, merendo &c. ergo plusquam moraliter concurrit ad alias immutationes, ac proinde physicè: maximè quia concursus moralis est ab ipsa, vt à causa principali, & non vt ab instrumento, vt postea dicetur: & tamen D. Thom. dicit quòd concurrit tantùm instrumentaliter. Deinde, omnis perfectio possibilis secundùm legem ordinariam debet concedi humanitati Christi, propter eius vnionem hypostaticam ad Verbum; sed quòd concurrat vt instrumentum physicum ad miracula, & alias immutationes supernaturales, est aliqua perfectio; maximè cùm sit instrumentum coniunctum, & effectus sint tam excellentes, est enim cooperari Deo authori supernaturali; & est possibilis, cùm de facto Deus vtatur Sacramentis, & Ministris ipsorum tanquam instrumentis physicis ad gratiam, & alios effectus supernaturales vt dicetur infra: ergo humanitas Christi Domini concurrit physicè ad miracula, & alias immutationes supernaturales, quas Christus immediatè operatus est.

Probatur secunda pars conclusionis, tum prædictis authoritatibus D. Thom. quæ vniuersaliter procedunt: nam dicit humanitatem esse causatiuam gratiæ, scilicet in quocumque recipitur: Deinde, quia ab instanti conceptionis habuit omnia requisita, ad concurrendum physicè, cùm in se habeat esse, ad quod potest sequi operatio physica; & potest esse delatiua diuini imperij causatiui gratiæ, vt postea dicetur: nec obstat distantia subiectorum; quia, vt patebit dubio sequenti, diuinitus potest dari actio in distans: ergo cùm pertineat ad dignitatem & excellentiam humanitatis Christi, ab instanti conceptionis incœpit concurrere physicè ad miracula, & alias immutationes supernaturales, quæ post Incarnationem acciderunt.

Probatur tertia, & quarta pars conclusionis, tum prædicta duplici authoritate D. Thom. vbi expressè dicit humanitatem Christi hæc supernaturalia agere tantùm vt instrumentum Verbi, & secundùm virtutem instrumentalem ab ipso receptam, & loco secundo præmiserat quòd secundùm propriam naturam & virtutem potest tantùm effectus sibi conuenientes & proportionatos: sed quando quis concurrit per virtutem instrumentalem, & non per propriam, ad aliquid; non est causa principalis, sed tantùm instrumentalis illius, vt constat ex Physicis: ergo humanitas Christi concurrit ad miracula, & alias immutationes supernaturales, non vt causa secunda principalis, sed vt instrumentum coniunctum diuinitatis. Deinde, effectus nunquam excedit virtutem ipsius causæ principalis, quæ ipsi est propria; & quà potiùs agit, quàm agitur: in hoc enim differt ab instrumento, quòd potius agitur, quàm agat; & si agit, agit per virtutem intentionalem receptam, sed non propriam: sed effectus miraculosi, & aliæ immutationes supernaturales excedunt virtutem propriam humanitatis Christi; & illa agit non per habitum sibi proprium, sed per motionem transeuntem, quà potiùs agitur, vt infra dicetur: ergo non concurrit ad hæc vt causa principalis secunda, sed vt instrumentum coniunctum diuinitatis. Denique, gratia habitualis est participatio diuinæ naturæ in se formalissimè consideratæ: ergo saltem immutatio, quæ est per gratiam habitualem, non potest procedere ab humanitate Christi vt à causa principali secunda, sed solùm vt ab instrumento: & à Deo immediatè vt à causa principali: sicut ignitio non potest procedere nisi ab igne formaliter aut eminenter, vt à causa principali.

a P. Carm. disc. Disp. Theolog. in 3. p.

Probatur quinta pars conclusionis: est impossibile quòd aliquid operetur pro aliqua duratione, nisi in illa verè sit & existat; quia operari sequitur esse, quod præsupponit: esse enim est actus primus & substantialis, ac proinde indispensabiliter præcedens operationem, quæ est actus secundus & accidentalis: ergo cùm ante mysterium Incarnationis humanitas Christi secundùm fidem non extiterit, nec concurrit, nec concurrere potuit physicè ad gratiam, & alios effectus supernaturales, qui mysterium Incarnationis præcesserunt: benè tamen moraliter vt causa principalis; quia ad agendum moraliter non requiritur existentia realis exercita, sed tantùm moralis & apprehensa: sic enim influit, & est causa moralis eur alius physicè operetur: ergo cùm Christus Dominus sit primus prædestinatorum, ac proinde primus in mente diuina, vt supra dictum est, influit suis meritis, & orationibus præuisis, vt causa principalis moralis, gratiam & alios effectus supernaturales, qui mysterium Incarnationis præcesserunt; mereri enim & orare, cùm sint actiones ex deliberatione procedentes ac vitales, requirunt principium principale proximum; quia, vt dictum est, instrumentum potiùs agitur; quàm agat.

Ad primum ergo dicendum, quòd illi Sancti Patres, & Concilium confirmant doctrinam conclusionis: Athanasius enim refert priùs actionem propriam & connaturalem humanitatis, quæ est manum extendere, & tangere; postea refert actionem propriam diuinitatis, quæ est sanare; sed mediante illo contactu humanitatis; ita vt contactus ille eleuatus virtute diuina fuerit miraculosus: & hoc est humanitatem concurrere ad miracula, vt instrumentum physicum. Eodem modo intelligendus est Damascenus, & Sophronius.

Ad secundum dicendum, quòd instrumentum physicum debet necessariò habere actionem, aliquo modo præuiam ad actionem principalis agentis: quòd autem sit dispositiua, non est semper necessarium, vt patet in Sacramentis: vnde humanitas Christi semper aliquo sibi proprio, vel tactu, vel voce, vel actu interno præcessit operationem miraculosam; & sic deferebat virtutem imperij practici Dei: quæ delatio consistit in hoc, quòd Deus sua voluntate statuit non applicare suam virtutem ad effectus miraculosos vel supernaturales, nisi vt modificatam & receptam in tali instrumento, quod ab ipso eleuatur, & applicatur simul per motionem quandam fluentem supernaturalem: solidauit autem Christus mare contingendo illud: & suscitauit mortuos tactu humanitatis, vel voce quæ diuinitus potuit agere in distans, vt dicetur dubio sequenti.

Ad tertium dicendum, quòd humanitas Christi vtroque modo concurrit ad effectus supernaturales, & moraliter, & physicè: vterque enim modus concurrendi importat perfectionem; moralis quidem, quia est mediante merito; physicus etiam, quia cooperatur Deo; & nobilissimo modo, quando est ab instrumento coniuncto, vt contingit in præsenti, qui modus est proprius solius humanitatis: & habetur inchoatiuè per vnionem hypostaticam: proximè autem per dictam motionem.

DVBIVM II.

Vtrùm humanitas Christi Domini concurrat nunc, vt instrumentum physicum, ad effectus Sacramentorum, & alios supernaturales.

Svpponendum est, hoc esse discrimen inter agens physicum, & agens morale: quòd agens physicum attingit efficienter effectum, ipsum producendo: morale verò attingit tantum effectum metaphoricè, conciliando, impetrando, alliciendo, suadendo, orando, merendo, & aliis modis pertinentibus ad mores. In ordine agentium moralium sunt sua instrumenta, scilicet media illa quibus agens morale vtitur, ad conciliandum, suadendum &c. putà munera, dignitates, Chirographus, & similia. In ordine etiam agentium physicorum sunt instrumenta, vt patet, quibus mediis & effectiuè concurrentibus, producuntur effectus. Ex quibus instrumentis quædam sunt coniuncta, vt manus: alia separata, vt serra. De ratione instrumenti physici naturalis est, quòd virtute propriæ formæ habeat aliquam actionem, præuiam actioni principalis agentis, formaliter saltem ab illa distinctam, ac disponentem ad ipsam; aliàs frustra adhiberetur instrumentum, & sine ipso æquè benè fieret effectus. & constat hoc ex diuersitate instrumentorum quæ adhibentur; non enim quodlibet fit quodlibet. Et ratio huius est; quia actio principalis agentis modificatur in instrumento: in instrumento autem præternaturali, in ordine ad effectus supernaturales, hæc omnia non requiruntur, quia non assumitur propter necessitatem: sed vel ob dignitatem ipsi conferendam, vel ob alios fines; requiritur tamen indispensabiliter, quòd aliquid præuium efficiat, siue sit contactus siue intimatio diuinæ voluntatis, quæ est quidam virtualis contactus, applicans virtutem principalis agentis ex D.Thom. quæst. 6. de potentia art. 4. propterea idem S.Doctor 1.p. negat posse dari instrumentum in creatione: cùm enim creatio sit productio totius, non præsupponit aliquod subiectum, in quo præuiè agat instrumentum. Et ratio est, quia si instrumentum sic non ageret, potiùs dicendum esset quòd Deus ad præsentiam illius produceret effectum, quàm quod instrumentum produceret. Non est dubium, quin humanitas Christi concurrat moraliter nunc, ad omnes effectus supernaturales, intuitu meritorum eius Passionis, mortis, & vulnerum, quæ in cœlis retenta mouent Deum, vt influat nobis dona supernaturalia; vnde solùm procedit de concursu instrumentali physico.

Prima opinio negat humanitatem Christi Domini concurrere nunc, vt instrumentum physicum, ad effectus Sacramentorum, & alios supernaturales. Probatur authoritate D. Tho. in 3.d.16. quæst.1. art.6. vbi ait; In humanitate Christi, aut alterius Sancti solùm posse esse virtutem ad immutanda corpora per modum orationis, aut intercessionis: sed oratio & intercessio pertinent ad ordinem moralem agendi, non autem ad physicum: ergo humanitas Christi Domini non concurrit, vt instrumentum physicum, ad effectus Sacramentorum, & alios supernaturales.

Secundò, sufficit ad dignitatem Christi, quòd instituerit authoritatiuè Sacramenta, ad hoc vt eorum actio absque nouo concursu ipsi tribuatur: & ex alia parte concurrit vniformiter ad omnia Sacramenta: sed non concurrit, vt instrumentum physicum, eius humanitas in transsubstantiatione panis in Corpus, & vini in Sanguinem: quia ibi humanitas est terminus illius actionis; nam sub vtraque specie ponitur tota humanitas, vel ex vi verborum, vel per concomitantiam ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. constat autem quòd idem non potest simul esse principium effectiuum physicum alicuius actionis, & terminus eius: ergo humanitas Christi Domini non concurrit nunc, vt instrumentum physicum, ad effectus Sacramentorum, & alios supernaturales.

Tertiò, est impossibile quòd aliquod agens physicum, siue sit principale, siue instrumentale agat

agat in distans, quin priùs agat in propinquum; & hoc etiam de potentia Dei absoluta,quia nec secum potest dispensare ex D. Thom. qui propterea 1.p. q.8. probat Deum esse vbique, quia vbique operatur: quæ ratio non esset efficax, si posset agere in distans; vnde communiter Philosophi asserunt necessarium esse contactum, vel quantitatiuum vel virtualem inter agens & passum, ad hoc vt agat:ergo humanitas Christi nunc in cœlo existens, non concurrit vt instrumentum physicum, ad effectus Sacramentorum & alios supernaturales: maximè quia non est assignabile, per quid concurrat physicè,nec per quid applicetur à Deo ad talem concursum physicum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd humanitas Christi Domini concurrit etiam nunc,vt instrumentum physicum, ad effectus Sacramentorum, & alios omnes supernaturales, qui hic fiunt, & ordinantur ad finem Incarnationis:vnde omnes gratiæ, habitualis & actualis,quæ hic communicantur,ad eliciendos actus supernaturales quoscumque, procedunt ab humanitate Christi, tanquam ab instrumento coniuncto diuinitatis, siue hoc fiat mediis Sacramentis, quæ sunt instrumenta separata; siue fiat absque illis.

Probatur conclusio communis inter Thomistas & plures alios, authoritate D.Thom.infra quæst.64. art. 3. vbi ait; Christus quatenus Deus, operatur in Sacramentis per authoritatem: secundùm autem quòd est homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum, & meritoriè, & efficienter, sed instrumentaliter. Et 4. contra gentes cap.41. ait: Duplex est instrumentum, vnum quidem separatum vt baculus; & aliud coniunctum, vt manus: per instrumentum autem coniunctum mouetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum: principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quod comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, Sacramentum autem sicut instrumentum separatum; & ideo oportuit quòd virtus salutifera, à diuinitate Christi per eius humanitatem, in ipsa Sacramenta deriuaretur. Et hic q.13.art.2.ait, quòd humanitas Christi secundùm quòd est instrumentum Verbi sibi vniti, habuit instrumentalem virtutem, ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt: constat autem quòd aliquas operatus est ex solo imperio in locis distantibus, vt cùm sanauit puerum Reguli: ergo etiam è cœlo poterit eadem hic operari: maior enim aut minor distantia non affe-runt nouam difficultatem. Et 1. 2. quæst. 112. art. 1. ad 1. ait, quòd humanitas Christi est sicut quoddam organum diuinitatis eius; & ideo non causat gratiam propria virtute, sed vt instrumentum virtute diuinitatis adiunctæ, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares.

Secundò, concurrere tam moraliter, quàm physicè ad effectus Sacramentorum, & alios supernaturales,qui pertinent ad finem Incarnationis, est maxima perfectio: de concursu morali patet, qui est per modum meriti,aut impetrationis allicientis Deum, ad hoc vt causet principaliter tales effectus: de concursu etiam physico, etsi tantum instrumentali,constat;quia creatura assumpta vt instrumentum, ad illos effectus, cooperatur physicè Deo in ordine gratiæ, in quo solus Deus operatur vt causa principalis: sic enim eleuatur quodammodo ad ordinem diuinum.Ex alia parte hi effectus pertinent ad Christi humanitatem, cùm sint effectus nostræ Redemptionis factæ per humanitatem,& ordinentur ad finem Incarnationis, qui est salus æterna: & tamen hæc perfectio est possibilis Christo, vt patebit ex solutione argumẽtorum:ergo eius excellentia & dignitas exigit, vt hæc perfectio concurrendi, tam moraliter, quàm physicè per modum instrumenti, in ordine ad effectus Sacramentorum, & alios supernaturales, fuerit illi communicata, & perseueret etiam nunc in cœlo. Concurrit autem moraliter intuitu meritorum præcedentium: physicè autem per actum imperij applicati à Deo: Christus enim simul & immobiliter per scientiam beatam videns in essentia diuina, omnes creaturas actuales pro quacumque temporis differentia, vt dictum est, cum omnibus circumstantiis in quibus vnquam erunt, imperat per vnicum actum correspondentem toti huic obiecto,vt hic,& nunc causantur hi,vel illi effectus supernaturales, in hoc vel in illo subiecto; qui actus immobiliter perseuerans, licèt formaliter sit immanens, diuinitus tamen est virtualiter transiens, & operatur per illud humanitas pro loco & tempore, vt instrumentum diuinitatis:vnde humanitas applicatur ad illum actum imperij, & actus ipse virtute diuina eleuatur, vt agat ad extra & ad distantia ex D.Th. 2.2.quæst.178.art.1. ad 1.

AD primum ergo dicendum, quòd ibi D. Thom. intelligit de humanitate Christi, aut alterius Sancti secundùm propriam naturam aut virtutem:non autem vt assumitur à Deo tanquam instrumentum physicum.

AD secundum dicendum, quòd illa institutio non sufficit, vt effectus Sacramentorum, & actio immediatè tanquam causæ physicæ attribuantur Christo: Ad summum attribuerentur vt agenti morali, aut physico valde remoto, & mediato. Ad aliud dicendum, quòd quando terminus producitur per actionem, impossibile est quòd aliquid sit terminus actionis,& principium effectiuum etiam instrumentale ipsius: in

conuersione autem Sacramentali non producitur de nouo corpus Christi, sed in ipsum iam præexistens substantia panis conuertitur, quæ conuersio est fundamentum realis existentiæ eiusdem corporis, sub speciebus Sacramentalibus: vnde humanitas Christi potest esse instrumentum physicum talis conuersionis.

Ad tertium dicendum, quòd naturaliter loquendo requiritur, vt agens & passum sint simul: & ita intelligunt Philosophi: diuinitus autem potest in hoc Deus dispensare cum creaturis, extrahendo eas à connaturali modo operandi: non autem potest secum dispensare, tum quia nihil potest esse distans ab ipso, tum quia non potest extrahi à suo connaturali modo operandi, est enim immutabilis: vnde esset imperfectio in Deo, si operaretur in distans, quia supponeret ipsum non esse vbique; est autem perfectio in creaturis, quia eleuantur supra suam naturam, & attingunt sua virtute vltra suam sphæram naturalem. Id autem per quod concurrit humanitas Christi est actus imperij connotans actum voluntatis: applicatur autem duplici motione diuina continuata, quæ simul applicat & eleuat intellectum & voluntatem.

DVBIVM III.

Vtrùm in humanitate Christi Domini necessarius fuerit habitus, ad prædictum concursum physicum.

Svpponendum est, in Christo Domino triplex fuisse genus operationum. Quædam fuerunt purè diuinæ, erat enim verus Deus, & cum aliis diuinis Personis conseruabat, & administrabat hoc Vniuersum, vt prima causa; infundebat gratiam, & alia dona supernaturalia, vt causa principalis &c. Aliæ fuerunt purè humanæ, vt manducare, ambulare, loqui &c. Aliæ denique fuerunt quidem humanæ, sed ordinis supernaturalis; vel quantùm ad substantiam, vt visio, & dilectio beatifica, & alij actus eliciti à virtutibus infusis; vel quantùm ad modum; quia scilicet, licèt naturales, habebant tamen effectum supernaturalem aliquo modo, vt operationes miraculosæ, vel concurrentes ad immutationes supernaturales: & hæ operationes dicuntur partim diuinæ, partim humanæ; quia ad has concurrit tam humanitas, quàm Deus vt author supernaturalis. Ad operationes purè diuinas Christi non fuit necessarius habitus in humanitate, quia ad illas humanitas non concurrit. Ad operationes purè humanas, quia humanitas concurrit eo modo, quo in aliis hominibus, si in aliis necessarius est habitus, etiam in Christo; vnde ad aliquas purè connaturales non fuit necessarius habitus, sed sufficit potentia naturalis ad has determinata: ad alias verò naturæ difficiles fuit necessarius. Ad operationes tertij generis, elicitas quidem ab humanitate, sed pertinentes ad ordinem supernaturalem, ad quas concurrit Deus, & etiam humanitas tanquam causæ principales, Deus vt causa prima, humanitas vt causa secunda, requiritur habitus supernaturalis ordinariè loquendo, quo eleuetur potentia naturalis ad ordinem supernaturalem, & fiat proportionata actui à se eliciendo; & ita in ordine ad illas fuerunt habitus in Christo. Et de hactenus dictis nulla est difficultas inter Authores: sed tantùm circa illas operationes, ad quas humanitas Christi cōcurrit tantùm vt instrumentum coniunctum diuinitatis, & vocantur à S. Dionysio cap. 1. de diuinis nominibus, Theandricæ, siue Dei-viriles, vt exponit D. Thom. infra quæst. 16. art. 1. ad 1. quia Deus ad illas concurrit, vt causa prima simul & proxima, siue vnica principalis; humanitas autem Christi tantùm vt instrumentum coniunctum: ex causa principali autem & instrumento fit vnum agens completum.

Prima opinio affirmat in humanitate Christi Domini fuisse habitum, quo mediante concurrebat ad actiones miraculosas, & alias supernaturales, vt instrumentum physicum. Probatur authoritate Scripturæ, vbi dicitur Christum habuisse potestatem habitualem faciendi miracula. Matthæi 8. Domine si vis potes me mundare, cui respondit Dominus, volo, mundare. Et cap. 9. Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, dicit paralitico; surge. Item, Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificabant Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Lucæ 18. Quid tibi vis faciam, at ille dixit, Domine vt videam; & Iesus dixit illi, Respice: quæ loca, & infinita alia demonstrant in Christo fuisse virtutem permanentem faciendi miracula, & alia supernaturalia ad libitum: ergo cùm habitus dicat virtutem permanentem, fuit necessarius habitus in humanitate Christi, vt concurreret physicè ad miracula.

Secundò, dignitas humanitatis Christi, propter vnionem ad Verbum, supra omnes alias creaturas, exigit habere virtutem faciendi miracula, & alia supernaturalia nobiliori modo quàm alij: ergo cùm in aliis Sanctis hæc virtus fit per modum transeuntis, & omninò accidentaliter, in Christo debet esse per modum proprietatis, & habitus subiecti eius voluntati; quo modo ponuntur in ipso donum prophetiæ, gratiæ gratis datæ, dona Spiritus Sancti ex D. Thom. supra quæst. 7. art. 5. & sequentibus.

Tertiò, si quid obstaret, quin daretur talis habitus in humanitate Christi; maximè esset quia habitus non conuenit nisi causæ principali, quia debet agere ex propria virtute, vel naturali, vel acquisita per habitum: non autem instrumento, quod potius agitur, quàm agat: sed

sed hoc est falsum, quia ex D. Thom. multis locis suæ doctrinæ, vt 1.2. quæst. 68. art. 3. ad 2. & supra quæst. 7. art. 1. ad 3. quamuis instrumentum inanimatum vt serra, non indigeat habitu: benè tamen instrumentum animatum & liberum, quale est humanitas; nam propriè agit quando vult; & hoc de facto apparet, nam Sacerdos habet habitualem potentiam ad consecrandum, & absoluendum: ergo in humanitate Christi Domini fuit necessarius habitus, vt concurreret physicè ad miracula, & alia supernaturalia.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd in humanitate Christi Domini non fuit necessarius, nec fuit habitus, vt concurreret tanquam instrumentum physicum coniunctum, ad miracula & alia supernaturalia. Ita Medina, Aluares, & Alij Thomistæ in præsenti.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. qui 2.2. quæst. 178. art. 1. ad 1. dicit, quòd miraculorum causa est diuina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest, & ideo impossibile est, quòd principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualis, manens in anima: & q. 6. de potentia art. 4. idem confirmat.

Secundò, de ratione instrumenti est, quòd potiùs agatur, quàm agat; quia agit tantummodo subordinatum principali agenti, ac proinde vt motum ab ipso tantùm per aliquam virtutem instrumentalem: sed talis virtus non potest esse habitus: hic enim, quia subiacet voluntati (habitu enim vtimur, quando volumus:) est virtus principalis agentis, & non instrumentalis, quam D. Thom. quæst. 3. de potentia art. 7. ad 7. docet esse quid incompletum & fluens: ergo in humanitate Christi non fuit habitus quo physicè tanquam instrumentum, concurreret ad miracula. Si dicatur quòd instrumenta, præter motionem receptam à principali agente, habent formam permanentem, secundùm quã constituuntur in actu primo, ad concurrendum: sicut est dentatura in serra, & sic de aliis. Respondetur hoc esse verum in instrumentis connaturalibus, quæ habent actionem præuiam sibi propriam, & dispositiuam ad actionem principalis agentis: non autem in instrumentis præternaturalibus, quæ assumuntur absque necessitate, sed ob aliquem specialem finem, putà dignitatis ipsorum, & talis est humanitas Christi in ordine ad miracula; vnde sufficit ei vnio ad Verbum, vt mota ab ipso possit habere rationem instrumenti coniuncti.

Tertiò, omnipotentia Dei non potest communicari alicui creaturæ permanenter, & supra totum Vniuersum; ita vt possit ea vti cum voluerit: & maximè per modum causæ principalis: siquidem omnipotentia est proprietas solius Dei, incommunicabilis creaturæ, sicut immensitas, & similes consequentes actualitatem diuinam: sed si in Christi humanitate fuisset habitus ad patranda miracula, & alia supernaturalia, fuisset ei communicata omnipotentia diuina permanenter: de ratione enim habitus est, quòd sit quid permanens, est enim difficilè mobilis à subiecto: Et supra totum Vniuersum; quia circa omnia quæ sunt in Vniuerso, possunt fieri miracula secundùm potentiam obedientialem; quam proinde deberet comprehendere anima Christi; debet enim scire quæcumque potest: cuius contrarium ostensum est supra; ex hoc enim sequeretur comprehensio Dei. Deinde, posset vti cùm voluerit, quia habitus subiacet voluntati, & ei connaturaliter est debitus concursus Dei pro loco & tempore. Et denique, habitus etsi supernaturalis, est virtus causæ principalis, cùm sit proprius operantis; vt patet in visione beata, in dilectione Dei, & similibus: ergo in humanitate Christi non fuit habitus, quo concurreret vt instrumentum physicum, ad miracula, & alia supernaturalia.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa potestas faciendi miracula in Christo, importat virtutem diuinam eius, qua applicabat humanitatem sibi vnitam speciali motione, quasi ipsi debita, quoties vellet operari miracula, ratione vnionis hypostaticæ.

Ad secundum dicendum, quòd virtus faciendi miracula fuit nobiliori modo in Christo, quã in aliis Sanctis; & per modum proprietatis: non quòd esset semper in actu primo per habitum, sed quia quoties volebat, sacra eius humanitas motione supernaturali ipsi à Deo impressa eleuabatur, & applicabatur ad miracula facienda. Nec est paritas de dono Prophetiæ, qui fuit in Christo per scientiam beatam & inditam: Quia ex hoc non sequuntur prædicta inconuenientia posita in rationibus, vt discurrenti patet.

Ad tertium dicendum, quòd instrumentum animatum, ita est instrumentum respectu aliquorum, vt sit causa principalis respectu aliorum, respectu quorum indiget habitu: non verò respectu eorum, respectu quorum est verè instrumentum: & sic intelligendus est D. Th. character autem sacerdotalis, qui est illa virtus & potentia consecrandi & absoluendi, non est habitus ex D. Thom. infra quæst. 63. art. 2. sed est quid incompletum, & ex natura sua fluens, quamuis per accidens indelebiliter permaneat ex dispensatione diuina; cùm sit quædam participatio sacerdotij æterni Christi Domini. Nec ex hoc sequuntur inconuenientia, quæ sequerentur ex illo habitu ad facienda miracula, si esset in humanitate Christi.

DVBIVM IV.

Vtrùm Christus Dominus existens in cœlo oret.

SVpponendum est ex D. Thom. infra q.21. art. 1. quòd oratio est quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, vt eam impleat: vnde est actus inferioris erga superiorem. Ex quo sequitur quòd Christus vt Deus non potest orare, quia sic non habet superiorem, apud quem aliquid impetret: hic enim est finis orationis ex D. Thom. 2.2. quæst. 84. orauit tamen vt homo, dum esset in carne mortali: sic enim est minor Patre, & infra Deum: constat hoc ex multis locis Sacræ Scripturæ. Matth. 14. Dimissa turba ascendit in montem solus orare. Luc. Erat pernoctans in oratione Dei. Item in nocte Passionis ter orauit Patrem in horto. Et ad Hebræos 5. dicitur de ipso; Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad Deum offerens, qui potest eum à morte saluum facere, cum clamore valido & lachrimis orans, exauditus est pro sua reuerentia: quod debet intelligi de vera, & non ficta oratione, vt communiter interpretantur Sancti Patres: & quando aliqui dicunt ipsum simulatè orasse, debet hoc intelligi secundùm naturam diuinam, non secundùm humanam. Orauit autem tam pro se, quàm pro aliis; pro se quidem, quia aliqua bona pertinentia ad humanitatem ipsi deerant, vt Resurrectio, gloria corporis, & similia: & mala aduenire poterant, vt passio, mors. Hæc oratio quando fuit efficax, procedens à voluntate deliberata, semper fuit exaudita: quando autem non fuit efficax, quando videlicet exprimebat affectum sensualitatis, vel etiam voluntatis simplicis, quæ consideratur vt natura, non fuit exaudita: tunc enim non orabat vt exaudiretur, sed vt demonstraret se verum hominem, qui naturaliter mala refugit, & bona appetit. Quòd pro nobis orauerit, etiam patet ex Scripturis: hæc autem oratio fuit necessaria, ex suppositione quòd Deus decreuerit & intimauerit Christo vt homini, conferenda esse dona supernaturalia ipsi intuitu orationis eius, iuxta illud Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: non autem videtur fuisse necessaria absolutè: maximè in his quæ ad ipsum pertinebant; quia ex quadam congruentia omnia ei debebantur, vt pote Filio vnigenito. Tota difficultas est, vtrùm nunc in cœlo oret; non pro se quia perfectè est beatus, nullam habens indigentiam; sed pro Ecclesia, & membris eius tanquam caput.

Prima opinio Vasquis, Medinæ, & aliorum in præsenti negat Christum Dominum propriè & expresè nunc orare in cœlo; at tantùm interpretatiuè. Probatur authoritate Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum: Ecclesia enim petit à Christo, non vt oret pro nobis, sed vt misereatur nostri; vnde signum est quòd nunc in cœlo non orat: Sancti Patres etiam dicunt Christum orare in cœlo pro nobis interpretatiua tantùm oratione, se & sua vulnera Patri offerendo: ergo Christus in cœlo non orat propriè & expresè.

Secundò, nemo postulat pro eo, quod habet in sua potestate; superflua enim esset oratio: sed Christus in cœlo existens habet omnem potestatem in cœlo & in terra, iuxta illud Matthæi 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: & insuper nouit singula quæ singulis eueniunt, & sunt eis necessaria: ergo Christus Dominus in cœlo existens non orat propriè & expresè.

Tertiò, vel Christus sua oratione aliquid nobis impetraret, vel nihil: non secundum, quia oratio Christi esset otiosa: nec primum, quia sua morte & Passione omnia nobis meruit & impetrauit, atque instituit Sacramenta quibus mediis fructus Passionis nobis applicaretur: ergo Christus Dominus in cœlo existens non o. at propriè & expresè: maximè quia hæc oratio impetratiua haberet rationem meriti, quia obtineret aliqua tanquam remunerationem laborum Christi.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt Christus in cœlo existens, non oret pro nobis oratione humili & abiecta, prout includit singularia quædam externa signa submissionis, vt prostrationem, genuflexionem, & similia: 2. Orat tamen oratione propria & expressa vocali & mentali; quæ est actus intellectus, præsupponens actum desiderij in voluntate: 3. Orat etiam oratione interpretatiua exhibendo seipsum Patri præsentem, & ostendendo vulnera quæ pro nobis passus est.

Probatur prima pars conclusionis communi consensu Theologorum. Deinde authoritate S. Gregorij Nazianzeni oratione 36. vbi ait: Aduocatum habemus, non se ad pedes Patris aduoluentem, seruilique modo abiicientem; procul sit ista seruilis suspicio, spiritúque indigna: neque enim Patris est hoc exposcere, aut Filij pati: neque de hoc cogitare pium & æquum est. Denique, sicut status quem Christus habuit, dum viueret vita mortali, fuit abiectus & vilis, iuxta illud Psalmi 21. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: sic ille quem nunc habet in cœlo, est gloriosus; sedet enim quasi vnigenitus ad dexteram Patris, deuictis inimicis triumphans; ita vt per ipsum accessum habeamus ad Patrem: sed oratio vilis & abiecta cum genuflexionibus, lachrymis &c. repugnat statui glorioso, iuxta illud Apocal. 21. Neque luctus, neque dolor erit vltra: & conformis est statui vili & abiecto: ergo cùm Christus in omnibus benè ordinatus egerit, agátque iuxta exigentiam sui status, sicut

sicut in carne mortali orauit oratione vili & abiecta ex illo Marci 14. Procidit super terrã, & orabat. Lucæ 22. Positis genibus orabat. Ad Hebr. 5. Cum clamore valido & lachrymis exauditus est: sic in cœlo abstinet à tali oratione humili & abiecta.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Ioan. 4. Ego rogabo Patrem. Ad Hebr. 7. Semper viuens ad interpellandum pro nobis. Ad Rom. 8. Qui etiam interpellat pro nobis: idest, postulat, vt exponit Aug. Epist. 59. ad Paulinum, quæst. 5. Et 1. Ioan. 1. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum. Aduocati autem agentis causam rei inter alia est, expressè pro ipso orare: quæ omnia loca indicant orationem expressam, & non tãtùm interpretatiuam. Idem communiter docent Sancti Patres: inter alios D. Thom. in comm. 1. Ioannis cap. 2. distinguit duos modos, quibus Christus nunc orat in cœlo, prior est repræsentatione humanitatis suæ, & hæc est oratio interpretatiua; posterior est allegando sua merita, & exprimendo suæ animæ desiderium quod habuit de nostra salute: sed hic modus orandi importat propriam & expressam orationem, quia ex D. Th. 2. 2. quæst. 83. art. 1. & 2. ac infra quæst. 21. art. 1. oratio expressa, siue mentalis, siue vocalis nihil est aliud quàm explicatio quædam propriæ voluntatis apud Deum, vt illam impleat: ergo Christus in cœlo orat pro nobis oratione propria & expressa. Deinde, Christus Dominus hîc existens orauit pro nobis oratione propria & expressa, vt fides docet: ergo etiam nunc eadem oratione expressa orat pro nobis: idem est enim in cœlo, qui hîc fuit inferior & minor Patre secundùm humanitatem. Nec status perfectè gloriosus repugnat, vt probatur contra hæreticos; inuocatur enim vt oret pro nobis Beatissima Virgo perfectè beata quoad animam & corpus: inuocantur similiter alij Sancti: ex vna parte enim vident nostras necessitates; & desiderant salutem nostram ex alia: quia in ipsis perfectissima est charitas. Quod maximè debet dici de Christo, ad quem tanquam ad caput magis pertinet salus membrorum, & qui habet charitatem longè perfectiorem omni alia, ac summæ efficaciæ apud Deum. Nec denique obstat status Iudicis quem habet; non enim exercet iudicium, siue particulare, siue vniuersale erga viatores; imò ipsos adiuuat quandiu sunt in via: & sic facit officium Aduocati, non Iudicis, vt ait S. Ioannes: ergo Christus nunc orat in cœlo oratione propria & expressa. Quod probat D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 11. ex illo ad Hebr. 7. Accedens per semetipsum ad Deum, ad interpellandum pro nobis: constat autem quòd ibi agit de propria & expressa oratione.

Probatur tertia pars conclusionis: tum adductis authoritatibus Sacræ Scripturæ, quæ ad minus hanc probant: tum ex illo ad Hebræos 9. Non enim in manufacta sancta introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et cap. 12. Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel: tum authoritate Sanctorum Patrum. Gregor. Nazianz. oratione 36. ait: Intercedit nunc quoque vt homo pro nostra salute, quoniam cum eo corpore est quod assumpsit. Gregor. Mag. lib. 1. Moralium cap. 24. Sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat, quia sine cessatione Patri suo pro nobis Incarnationem demonstrat: tum sequenti ratione indicata à Sanctis Patribus; Ostendere Christum Deo sua vulnera quæ passus est pro salute nostra, est interpretatiuè orare pro eadem salute; hæc enim ostensio allicit Deum, vt nobis salutem illam æternam conferat: ergo Christus Dominus orat nunc etiam pro nobis oratione interpretatiua.

Ad primum ergo dicendum, quòd Ecclesia sancta agit cum Christo secundùm titulum nobiliorem, & magis honorificum, tum Dei, tum supremi Iudicis: sic autem iudicat, audit, & miseretur: non autem orat; est enim mos quòd si quis agens cum alio vtatur titulo inferiori, censeatur ipsum irridere: maximè quia in præsenti esset periculum erroris Arrij & Nestorij, qui negabant Christum esse Deum; vnde inuocabant eum sicut inuocabant Sanctos, & sic abstinendum est ab illo modo inuocandi; quamuis in rigore & sublato tali periculo Christus vt homo posset inuocari vt oraret pro nobis: Sancti Patres autem admittentes in Christo orationem interpretatiuam, excludunt tantùm humilem & abiectam, non autem propriam & expressam.

Ad secundum dicendum, quòd si quid probaret, etiam probaret Christum Dominum hîc in carne mortali non orasse oratione propria & expressa; quia habuit ab instanti suæ conceptionis illam perfectam notitiam & potestatem in cœlo & in terra, quamuis non exercuerit nisi tempore determinato: illa autem potestas in hoc consistit, quòd ex Dei ordinatione mediante oratione impleatur: & sic oratio Christi adiuuat executionem nostræ prædestinationis.

Ad tertium dicendum, quòd Christus vt homo nobis sua oratione impetrat actualem collationem gratiæ, tam habitualis, quàm actualis; quam promeruit in terris sua Passione: vnde ante Resurrectionem consummauit quidem opus nostræ salutis quoad sufficientiam pro omnibus, & quoad efficaciam pro electis; executionem tamen & applicationem mediorum quę nobis promeruerat, voluit dependere à sua oratione quasi continuò influente, ad signum maioris in nos amoris. Nec tamen oratio habet

rationem

rationem meriti, cùm sit tantùm rememoratiua præcedentium meritorum, quibus datur per modum præmij quicquid oratione impetratur; non autem datur tanquam præmium debitum orationi. Quod idem, proportione seruata, debet dici respectu orationis Sanctorum, quando aliquid nobis impetrant in cœlo existentes.

DVBIVM V.

Vtrùm operationes humanæ Christi, sine gratia habituali, potuerint esse supernaturales, & meritoriæ.

SVpponendum est, sub gratia habituali comprehendi habitus infusos, emanantes ab ipsa ad instar proprietatis: ipsa enim gratia datur ad esse, vnde subiectatur in essentia animæ: virtutes autem dantur ad operari, vnde subiectantur in potentiis, eleuando ipsas ad ordinem supernaturalem: sunt autem totalis virtus proxima operandi, dantur enim ad simpliciter posse, & non tantùm ad meliùs; vnde dicuntur semipotentiæ. De facto operationes creatæ non sunt supernaturales, & meritoriæ, nisi ratione gratiæ habitualis, vt est communis doctrina Scholasticorum: vnde sola restat difficultas de possibili, & præcipuè in Christo, in quo est sanctitas personalis, & gratia per essentiam.

Prima opinio Vasquis, Ysamberti, & aliorum in præsenti, asserit operationes humanas Christi, de potentia Dei absoluta, potuisse esse supernaturales quoad substantiam sine gratia habituali. Probatur; humanitas Christi vnione hypostatica fuit sancta sanctitate per essentiam, quia fuit vncta diuinitate; Christus enim etiam vt homo specificatiuè est Filius Dei naturalis: ergo seclusa gratia Dei habituali, adhuc operationes humanitatis fuissēt supernaturales quoad substantiam: si enim sola sanctitas participata per habitum gratiæ facit in filiis adoptiuis, quòd eorum operationes sint supernaturales; multò magis sola ipsa sanctitas per essentiam hoc poterit præstare in Christo Filio Dei naturali: cùm sanctitas per essentiam siue gratia vnionis sit quid magis supernaturale & excellentius quàm gratia habitualis. Deinde, actiones sunt suppositorum, vt est commune axioma: ergo cùm suppositum Christi, vt pote diuinum, sit quoad substantiam supernaturale, poterit elicere actiones sibi proportionatas, influendo ipsis moraliter supernaturalitatem; sicut influit ipsis de facto infinitum valorem. Denique, Deus per extrinsecam assistentiam potest facere, quòd creatura eliciat actus supernaturales, vt fidei, visionis Dei, & similes: ergo multo magis hoc poterit esse in humanitate Christi; cùm præter illam extrinsecam assistentiam, sit vnio hypostatica Verbi: maximè quia in principio, quo, operationis non requiritur habitus supernaturalis de facto, vt concurrat ad actionem supernaturalem, nam manus sine vllo superaddito concurrit ad actus charitatis.

Secunda opinio Durandi in 3. d. 13. quæst. 1. Capreoli, & Paludani ibidem, ac Aluaris in præsenti, asserit de potentia etiam absoluta non posse fieri, quòd operationes Christi elicitæ ab humanitate eius, sint meritoriæ præmij supernaturalis, sine gratia habituali & habitibus infusis. Probatur; vt aliqua operatio sit verè meritoria præmij supernaturalis, debet ipsa esse supernaturalis quoad substantiam; quia est proportio inter meritum & præmium: sed sine gratia habituali & habitibus infusis, nulla operatio potest esse supernaturalis, nec quoad substantiam, nec quoad modum, etiam de potentia Dei absoluta: ergo nec meritoria præmij supernaturalis. Deinde, nullum opus potest esse meritorium vitæ æternæ, aut alterius præmij supernaturalis; nisi referatur formaliter, aut virtualiter in Deum, vltimum finem supernaturalem, & authorem gratiæ; hæc enim est principalis conditio essentialis: sed sine gratia habituali & charitate, nihil potest ordinari ad Deum vltimum finem supernaturalem; solius enim est charitatis respicere vltimum finem, cùm ipsius tantùm sit respicere bonum diuinum: bonum autem diuinum, & vltimus finis supernaturalis conuertuntur: ac proinde solius eius est alia dirigere ad eundem vltimum finem: ergo operationes Christi Domini non potuerunt esse meritoriæ præmij supernaturalis, nec de potentia Dei absoluta, sine gratia habituali, & habitibus infusis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt sine gratia habituali, aut actuali non potuerint, etiam de potentia Dei absoluta, operationes humanæ Christi esse supernaturales, saltem quoad substantiam: 2. Benè tamen meritoriæ præmij supernaturalis.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. supra, quæst. 7. art. 1. vbi asserit gratiam habitualem fuisse necessariam in anima Christi propter tria: & secundum assignat propter nobilitatem illius animæ, cuius operationes oportebat propinquissimè attingere ad Deum, per cognitionem & amorem; ad quod necesse est eleuari rationalem animam per gratiam. Deinde, licèt actiones sint suppositorum tanquam principij, quod: sunt tamen naturæ & potentiarum eius tanquam principij, quo, limitantis, & determinantis, ac modificantis concursum siue influxum principij, quod, in esse physico: quamuis in esse morali res aliter se habeat, vt dictum est supra: quod patet à posteriori: nam licèt sit idem suppositum, tamen pro diuersitate potentiarum diuersas specie elicit operationes: ergo cùm sine gratia habituali

&c

& habitibus infuſis, aut aliquo actuali ſupplente; natura humana Chriſti, eiúſque potentiæ fuiſſent merè naturales quoad ſubſtantiam, vt patet; (nam poſt vnionem hypoſtaticam remanet natura humana, eiúſque potentiæ in eſſe ſuo naturali ſpecifico, & ſolùm important dignitatem moralem:) & non potuiſſent, etiam de potentia Dei abſoluta, elicere operationes ſaltem quoad ſubſtantiam ſupernaturales; nunquam enim actus ſecundus excedit actum primum ſcilicet potentiam in perfectione, implicat enim quòd effectus excedat in perfectione cauſam ſuam principalem, qualis eſt potentia reſpectu proprij actus vitalis, vt communiter docent Diſcipuli D. Thom. 1. p. quæſt. 12. art. 5. & ratio ipſa demonſtrat.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Ad meritum præmij ſupernaturalis hæc requiruntur, & ſufficiunt ſanctitas videlicet operantis, & ordinatio ſaltem tacita boni ſui operis in finem bonum ſupernaturalem, (licèt enim ordinariè requiratur ordinatio expreſſa formalis, aut virtualis, quia ſic Deus inſtituit, vt conſtat ex Sacra Scriptura, poteſt tamen Deus eſſe contentus ordinatione tacita, ſiue quòd opus ſit moraliter bonum, & poſſit dirigi; hoc enim eſt quædam habitualis directio, quam poteſt Deus acceptare: & maximè ſi opus ſit infinitæ dignitatis in eſſe morali:) ex parte verò operis requiritur libertas, bonitas moralis, & condignitas ad præmium: ex parte verò præmiantis conditio & pactum de dando præmio: ſed hæc omnia poſſunt reperiri in operationibus humanis Chriſti, de potentia Dei abſoluta ſine gratia habituali: nam ipſe eſt Sanctus Sanctorum ex gratia vnionis quæ eſt perſonalis, etiam ſine gratia habituali: ſine qua etiam poteſt elicere operationes moraliter bonas, ac proinde ordinabiles in finem ſupernaturalem: quas Deus poteſt præmiare, ſicut quilibet pater poteſt præmiare actiones dilecti filij ſui, etiamſi actu non dirigat ad ipſum: maximè quia tales operationes eſſent adhuc infinitæ dignitatis moralis, ac proinde condignæ præmij ſupernaturalis cuiuſcumque: conſtat etiam quòd dato illo caſu poſſent eſſe liberæ, & poſſet intercedere pactum ex parte Dei de dando præmio: ergo ſine gratia habituali, aut actuali ſupplẽte, potuerunt de potentia Dei abſoluta operationes humanæ Chriſti eſſe meritoriæ præmij ſupernaturalis: requireretur tamen motio applicãs potentias ad operãdum.

Ad primum ergo dicendum, quòd per vnionem hypoſtaticam humanitas Chriſti eſt ſancta ſanctitate perſonali; non autem habituali ſanctitate quæ perficit etiam potentias: quod totum requiritur ad hoc vt tam principium, quod, quàm principium, quo, ſint ſupernaturalia: & niſi etiam principium, quo, ſit ſupernaturale, operatio non poterit eſſe ſupernaturalis, vt dictum eſt: vnde gratia vnionis ſola facit quid excellentiſſimum, quod non facit gratia habitualis; hæc enim facit tantùm Filium Dei adoptiuum, illa verò facit Filium Dei naturalem; & perficit excellenter principium, quod, operationis; non autem principium, quo: habitualis autem vtrumque perficit, vnde hæc ſufficit ad eliciendas operationes ſupernaturales quoad ſubſtantiam; non verò illa. Ad aliud patet ex dictis, quòd actiones ſunt ſuppoſitorum tanquam principij, quod: ſed mediis potentiis tanquam principio, quo, modificante influxum phyſicum principij, quod: non autem moralem. Ad aliud dicendum, quòd non ſufficit illa aſſiſtentia extrinſeca Dei, ad eliciendas operationes ſupernaturales, vt eſt communis doctrina Thomiſtarum: manus autem concurrit tantùm ad opus naturale quoad ſubſtantiã; quamuis fiat ſupernaturale quoad modum ex directione charitatis.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſufficit de potentia Dei abſoluta, quòd opus ſit moraliter bonum, vt poſſit præmiari præmio ſupernaturali: præmium enim poteſt excedere meritum in eſſe phyſico. Ad aliud dicendum, quòd de eadem potentia Dei abſoluta, ſufficit quòd opus ſit ordinabile ad finem ſupernaturalem; quod habet omne opus bonum, etiam ſine gratia & charitate: imò aliqui authores tenent nunc ex ordinatione diuina, non eſſe neceſſariam ad meritum, ordinationem actualem, aut virtualem operis ab homine iuſto eliciti, ſed ſufficere habitualem.

DVBIVM VI.

Vtrùm aliqua operatio Chriſti Domini potuerit eſſe peccaminoſa.

Svpponendum eſt, in Chriſto Domino nullum de facto fuiſſe peccatum, nec originale, nec actuale. De originali conſtat; quia non proceſſit ab Adam ſecundùm ſeminalem virtutem, ſed tantùm ſecundùm corpulentam ſubſtantiam: vnde cùm nullam habuerit actionem in formatione humanitatis ſacratiſſimæ, etiam mediatam, ſicut habet in aliis (totum enim factum eſt virtute Spiritus Sancti) inde eſt quòd nullam potuit influere maculam peccati originalis in ipſam; & ita fuit immunis à tali macula de iure, & non tantùm ex gratia, vt Beatiſſima Virgo Mater. De actuali probat D. Thom. hîc quæſt. 15. art. 1. quia eſt contra finem Incarnationis, ſcilicet redemptionem generis humani; obſtat enim ſatisfactioni, & bono exemplo virtutum, quod debuit Chriſtus præbere; & contrariatur naturæ rationali. Inſuper non fuit in Chriſto fomes peccati, nec in actu primo, nec in actu ſecundo: nomine autem fomitis peccati ſiue concupiſcentiæ, intelligitur inclinatio quædam appetitus ſenſitiui, & aliarum poten-

tiarum animæ quæ aliquid participant de libertate, vt Intellectus, Voluntatis, Phantasiæ &c. in propria obiecta, contra, vel præter legem rectæ rationis: quæ inclinatio deordinata non propriè habet rationem fomitis, nisi vt consequitur priuationem iustitiæ originalis, quæ cõtinebat partem inferiorem sub superiori; si enim consequeretur puram naturam, potius esset conditio naturæ, quàm fomes peccati, qui habet rationem pœnæ: vocatur autem fomes peccati, quia fouet peccatum inclinando ad illud, per hoc quòd tendat in bonum contrarium rationi. Consideratur in actu primo, quando tales potentiæ sunt vltimò expeditæ & proximè mobiles in suos actus deordinatos à recta ratione. Consideratur in actu secundo, quando actu illæ potentiæ mouentur. Quòd autem nullo modo fuerit in Christo, probat D.Thom. hîc q. 15. art. 2. & cum eo communiter Scholastici, ac Sancti Patres. Probatur autem à D.Thom. quia in Christo fuit plenitudo gratiæ, & omnes virtutes in gradu heroico, perfectè subordinantes partem inferiorem superiori; & hoc ab instanti suæ conceptionis: & hæc est ratio proxima in Christo priuationis fomitis; sicut & visio beatifica: radicalis autem est vnio Hypostatica, ad quam ista consequuntur per modum proprietatis. Quæ ratio, tam de facto, quàm de possibili procedit; est enim impossibile fomitem peccati esse propriè in Christo, etiam in actu primo; quia propriè subsequitur peccatum originale, vnde hæc inordinatio est culpabilis: Secus autem esset, si esset conditio puræ naturæ. Ex quo etiam sequitur in Christo non fuisse passiones; sed tantùm propassiones ex D.Thom. hîc q. 15. art. 4. passio enim dicit motum appetitus sensitiui perfectum, animo scilicet & rationi dominantem: propassio autem est motus inchoatus in appetitu sensitiuo, sed vlteriùs non se extendens: passio est infirmitas naturæ humanæ; propassio autem est conditio ipsius.

Prima opinio Durandi in 3. d. 12. quæst. 2. asserit operationes humanitatis Christi potuisse esse peccaminosas. Probatur; Verbum diuinum potuit assumere naturam humanam in puris naturalibus; imò infectam peccato originali, & prauis habitibus: potuit enim concipi Christus per seminalem propaginem ab Adam: sed in his casibus potuissent operationes sacræ eius humanitatis esse peccaminosæ; tum quia natura humana sibi relicta in puris naturalibus est defectibilis, iuxta illud; Omnis homo mendax: tum quia æquè malum est, esse in peccato habitualiter, ac peccare: ergo absolutè operationes humanæ Christi Domini potuerunt esse peccaminosæ. Maximè quia potuit committere peccatum omissionis, non obediendo præcepto moriendi, & aliis.

Secundò; nihil est in Christi humanitate, quod dicat repugnãtiam intrinsecam cum peccato. Non gratia vnionis Hypostaticæ: quia hæc non inducit sanctificationem formalem, cui tantùm opponitur peccatum. Nec gratia habitualis: quia licèt hæc opponatur peccato mortali; tamen non est inamissibilis, vnde adueniente peccato potest excludi: sicut si non obedisset præcepto moriendi, cui potuit non obedire, cùm ei liberè obedierit. Nec denique visio beatifica: quia non implicat aliquem existentem in peccato mortali videre Deum; & è conuerso aliquem videntem Deum peccare mortaliter: ergo operationes humanæ Christi Domini potuerunt esse peccaminosæ.

Tertiò; si quid obstaret, quin operationes humanæ Christi Domini potuerint esse peccaminosæ; maximè esset quia hic defectus attribueretur personæ diuinæ ipsius: sed hoc non sequitur; tum quia operationes ad extra indiuisè tribuuntur toti Trinitati, constat autem quòd defectus peccati non tribueretur Patri & Spiritui sancto, sicut nec tribuuntur ipsis peccata aliorum hominum, etiamsi ad actum concurrãt, & malitiam permittant; & consequenter nec Filio Dei tribueretur, qui non mouet alio modo humanitatem assumptam, ac mouent aliæ personæ. Tum quia non tenetur impedire eius defectus, quasi ipsi naturales: sicut non teneretur impedire combustionem ignis in quacumque materia, si naturam ignis assumpsisset. Tum quia licèt sit summa bonitas per essentiam; sic est vita per essentiam: & tamen potuit compati mortem oppositam vitæ in humanitate assumpta: ergo & peccatum oppositum bonitati; ac proinde operationes Christi potuerunt esse peccaminosæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd fuit impossibile simpliciter & absolutè operationes humanitatis Christi esse peccaminosas: 1. Quia gratia Vnionis Hypostaticæ habet omnimodam repugnantiam ab intrinseco, tam moralem, quàm physicam cum omni peccato: 3. Gratia verò eius habitualis consummata, & visio beatifica habent etiam ab intrinseco repugnantiam physicam cum peccato: 4. Vnde ad exigentiam tam gratiæ Vnionis, quàm gratiæ habitualis cõsummatæ, debuit sacra humanitas Christi Domini, singulari Dei prouidentia dirigi in omnibus & singulis suis operationibus, per subministrationem auxiliorum diuinæ gratiæ, & per extrinsecam protectionem.

Probatur prima pars conclusionis: tum communi consensu Scholasticorum, qui opinionem Durandi improbant; quam aliqui vocant temerariam, alij absurdam, alij erroneam, alij impiã: Tum authoritate Sanctorum Patrum; August. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 11. vbi ait, loquens de Christo; In cuius non tantùm diuinitate; sed neque in anima, neque in carne vllum potuit esse peccatum. Cyrill. lib. aduersus

aduersus Antropomorphitas cap. 23. vbi ait, Stolidi, ac dementes prorsus sunt qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, peccare posse affirmant. Idem docet D. Thom. in 3. d. 12. quæst. 2. art. 1. vbi ait de Christo; Secundùm autem quòd fuit Deus, & corpus eius, & anima eius fuerunt quasi organum Deitatis: secundùm quod dicit Damascenus, Deitas regebat animam, & anima corpus: vnde non potuit peccatum attingere ad eius animam, sicut nec Deus potest peccare. Et quæst. 29. de veritate art. 6. ad 1. docet animam Christi fuisse determinatam ad bonum morale, & consequenter non potuit deficere. Deinde probatur ratione; Omnis actio moralis est principaliter suppositi, cùm sit principium, quod, operans, & applicans naturam eiúsque potentias, tanquam principia proxima quibus operatur; vnde ea tenetur dirigere: propterea bonum & malum morale ipsi supposito attribuuntur: & è contra nostri defectus Deo non attribuuntur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 79. art. 1. quia non tenetur eos impedire, licèt possit: ergo cùm sit impossibile, quòd supposito diuino Christi Domini attribuatur aliquod peccatum, cùm sit sanctitas per essentiam, etiam fuit simpliciter & absolutè impossibile, quòd operationes humanitatis eius fuerint peccaminosæ, vt magis constabit ex dicendis.

Probatur secunda pars conclusionis. Quod dicit indecentiã, & deordinationem à recta ratione, dicit moralem repugnantiam ad Dei sapientiam, quæ est suprema regula: vnde non potest esse in Deo, aut in aliquo ipsius, vt est natura assumpta; hæc enim indignitas ad ipsum Deum refunderetur: constat autem quòd omne peccatum, siue originale, siue actuale mortale aut veniale, dicit indecentiam, & deordinationem à recta ratione: ergo dicit moralem repugnantiam ad Dei sapientiam; vnde non potest esse in Deo, nec in humanitate ab ipso assumpta, quæ est aliquid eius ratione vnionis Hypostaticæ, & consequenter gratia vnionis Hypostaticæ habet moralem repugnantiam ab intrinseco cum omni peccato, etiam habituali. Quod etiam habeat repugnantiam physicam, saltem radicalem, Probatur; gratia vnionis Hypostaticæ exigit in humanitate Christi, cui conceditur, ex quadam decentia, gratiam habitualem consummatam, & visionem beatificam per modum proprietatis; vnde est radix vtriusque: ergo cùm gratia consummata, & visio beatifica habeant formalem proximam repugnantiam physicam cum peccato, vt statim dicetur, etiam gratia vnionis Hypostaticæ habet repugnantiam physicam, saltem radicalem, cum eodem peccato: ac proinde humanitas infecta peccato, aut actus peccans, aut etiam procliuis ad peccandum, vt sic, est inassumptibilis. Maximè quia ex opposito sequeretur Deum summè amare illam humanitatem, & non summè amare; summè quidem amaret, quia illam assumeret ad suum esse personale, quod est summum quid & infinitum bonum; summè autem non amaret, quia in ipsa relinqueret peccatum aut procliuitatem ad peccatum, quod est summum malum: vnde non vellet ei omne bonum, bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu. Deinde apparet moraliter impossibile quòd natura humana Filij naturalis Dei careat omni iure hæreditatis cœlestis.

Probatur tertia pars conclusionis. Gratia habitualis consummata, & visio beatifica sic vniunt creaturam intellectualem Deo, vltimo fini, vt nullo modo ab eo dimoueri possit: nam ex vna parte Beati videntes Deum, ita se habent ad eum, sicut se habent viatores ad bonum in communi, siue ad beatitudinem obiectiuam in communi, cùm Deus sit summum bonum continens omnem rationem boni, siue cùm sit ipsa bonitas per essentiam, aut ipsa essentia bonitatis: & ita sunt necessitati quoad specificationem ad amandum illum: ex alia verò parte, cùm Deus clarè visus ita alliciat, vt facilè despiciantur omnia, quæ ab illo separare possent; sequitur quòd facilè vincatur omnis difficultas medij, quo remoto sequeretur separatio ab ipso Deo: vnde cùm Christus Dominus Deum clarè & intuitiuè videret, ita ei per charitatem vniebatur, vt nulla difficultas cuiuscumque medij posset eum à Deo separare; imò quamcumque difficultatem obstantem facillimè superasset, si voluisset, quia anima eius sanctissima perfectissimè corpori dominabatur, vt docet D. Thom. & alij Sancti Patres: quòd si in Passione toleranda plurimùm desudauit, hæc difficultas fuit voluntaria, vt in hac Passione summùs eius amor nobis innotesceret: ergo gratia Christi habitualis consummata, & visio beatifica habent ab intrinseco repugnantiam physicam cum peccato, quod separat à Deo: vnde ratione talis gratiæ Christus Dominus fuit ab intrinseco impeccabilis & indefectibilis, quoad operationes humanitatis, eo modo quo Beati; & non tantùm ab extrinseco, eo modo quo confirmati in gratia.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate D. Thom. infra quæst. 18. art. 1. ad 4. vbi docet, quòd voluntas humana Christi Domini, habuit quendam determinatum motum, ex eo quòd fuit in Hypostasi diuina, vt scilicet moueretur semper secundùm nutum diuinæ voluntatis: hæc autem motio & directio peculiaris fuit; tũ per extrinsecam Dei protectionem, quæ remouebat omnia nocitura; tum per auxilia actualia diuinæ gratiæ, quibus applicabatur ad benè operandum, iuxta exigentiam gratiæ habitualis, qua firmabatur in bono.

Ad primum ergo dicendum, quòd Verbum diuinum

diuinum potuit quidem assumere naturam humanam in puris naturalibus, aut carentem gratia habituali: sed tamen dato illo casu, illam direxisset auxiliis actualibus, ita vt deficere non potuisset. Similiter si voluisset assumere naturam procedentem ab Adamo seminiali propagine, & sic infectam peccato originali & prauis habitibus, talis natura in instanti assumptionis fuisset mundata istis: vnde sicut repugnat naturæ assumptæ à Verbo diuino actu peccare, sic repugnat ei ratione personæ terminantis, quòd sit habitualiter in peccato, aut quòd sit procliuis ad peccandum prauis habitibus: & consequenter debet esse impeccabilis quocumque peccato, tam commissionis, quàm omissionis. Quomodo autem cum omnimoda impeccabilitate, etiam peccato omissionis, stet quòd Christus Dominus liberè mortuus est, dicetur infra disputatione de merito Christi.

Ad secundum dicendum, sicut iam dictum est, quòd gratia vnionis Hypostaticæ habet omnimodam repugnantiam ab intrinseco, tam moralem, quam physicam saltem radicalem cum omni peccato. Gratia verò habitualis consummata dicit ab intrinseco repugnantiam formalem proximam cum peccato: directè quidem cum mortali; indirectè autem cum veniali, in quantum opponitur feruori charitatis, quæ pertinet ad gratiam: & tam gratia consummata, quàm charitas sunt ab intrinseco inamissibiles & inalterabiles in statu beatifico. Dicetur autem infra, in disputatione de merito Christi, quomodò Christus potuit non mori; & tamen non potuit non obedire præcepto moriendi. Similiter visio beatifica dicit ab intrinseco physicam repugnantiam cum peccato, vt dictum est: vnde est impossibile physicè loquendo, aliquem existentem in peccato mortali videre Deum: aut è conuerso aliquem videntem Deum actu peccare, aut habitualiter remanere in peccato; quia ad visionem beatificam connaturaliter debet sequi amor beatificus, repugnans physicè, tam actuali, quàm habituali peccato: vnde est impossibile, quòd Deus concedens visionem beatificam peccatori, non concurrat simul ad amorem beatificum, quo iustificetur.

Ad tertium dicendum, quòd etiam ex hoc capite obstat actiones humanitatis Christi esse peccaminosas. Vnde ad impugnationem dicendum, quòd personæ Patris & Spiritus Sancti subsistunt tantùm in natura diuina: & ita concurrunt tantùm, vt causa prima & vniuersalis, ad quascumque operationes creatas; sicut & persona Filij vt subsistit in natura diuina: sed hæc persona Filij adhuc subsistit in natura humana assumpta, tanquam propria; ac ita concurrit, etiam vt causa proxima, ad eius operationes; actiones enim sunt suppositorum. Constat autem quòd ad causam primam & vniuersalem non attinet impedire defectus omnes; imò pro bono Vniuersi, & ad ostensionem diuinarum perfectionum, secundùm ordinem suæ prouidentiæ multos permittit, tam in naturalibus, quàm in moralibus. Ad causam autem particularem & proximam pertinet impedire, ne operationes à se, vel ab aliquo sui elicitæ sint deficientes: & propterea docet D. Thom. quòd prima operatio Angelica non potuit esse peccaminosa, quia talis defectus attribueretur Deo authori naturæ Angelicæ; concurrit enim ad talem operationem, etiam vt agens particulare. Ex quo sequitur, quòd sicut alij defectus non attribuuntur diuinis Personis: sic nec defectus humanitatis Christi attribuerentur Patri & Spiritui Sancto; benè tamen Filio in ipsa subsistenti. Ad instantiam de igne dicendum, quòd Verbum diuinum tenetur dirigere naturam assumptam, modo ei conuenienti & debito: vnde naturam humanam, vt pote liberam, debet dirigere in suis actionibus moralibus, vt sint ordinatæ ad debitum finem honestum, & cum debitis circunstantiis: naturam verò irrationalem, si assumpsisset, reliquisset operari suas operationes purè naturales, quæ vt tales sunt bonæ, & non possunt pertinere ad ordinem moralem, vt combustio ignis, & similes. Ad aliud dicendum, quòd est duplex disparitas. Prima, quia mori est malum pœnæ, ordinabile in Deum, vltimum finem: peccatum autem est malum culpæ non ordinabile in Deum, vltimum finem; imò ab illo auertens: & sic non repugnat mors: benè autem peccatum cum persona diuina subsistente in natura humana: vnde potest aduenire mors naturæ assumptæ, remanente immortali persona diuina; non autem potest aduenire peccatum. Secunda disparitas est, quia mori prædicatur tantùm de Deo per communicationem idiomatum, ratione naturæ assumptæ; mors enim consistit præcisè in destructione naturæ, per separationem animæ à corpore; & consequenter tantùm ratione huius attribuitur supposito, quod per accidens destruitur: peccare autem, quia importat operari cum defectu morali, per se & directè attribueretur personæ diuinæ, vt subsistenti in natura humana; quia operationes & modi ipsarum morales sunt directè suppositorum, in quantùm dant naturæ esse in seipsa.

QVÆSTIO XVI.

De consequentibus Vnionem, quantum ad ea, quæ conueniunt Christo secundum esse & fieri, in duodecim articulos diuisa.

Deinde considerandum est de his, quæ consequuntur vnionem. Et primo quantum ad ea, quæ conueniunt Christo secundum se. Secundo, de his, quæ conueniunt Christo per comparationē ad Deum Patrem. Tertio de his, quæ conueniunt Christo per comparationem ad nos.

¶ Circa primum duplex consideratio occurrit, prima quidem de his, quæ conueniunt Christo, secundum esse & fieri. Secunda de his, quæ conueniunt Christo secundum rationem vnitatis.

Circa

Circa primum quæruntur duodecim.

¶ Primo, vtrum hæc sit vera, Deus est homo.
¶ Secundo, vtrum hæc sit vera, Homo est Deus.
¶ Tertio, vtrum Christus possit dici homo Dominicus.
¶ Quarto, vtrum ea, quæ conueniunt Filio hominis possint prædicari de Filio Dei, & è contrario.
¶ Quinto, vtrum ea, quæ conueniunt Filio hominis, possint prædicari de diuina natura & de humana, ea, quæ conueniunt Filio Dei.
¶ Sexto, vtrum hæc sit vera, Filius Dei factus est homo.
¶ Septimo, vtrum hæc sit vera, Homo factus est Deus.
¶ Octauo, vtrum hæc sit vera, Christus est creatura.
¶ Nono, vtrum hæc sit vera, Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse, vel fuit semper.
¶ Decimo, vtrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est creatura.
¶ Vndecimo, vtrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est Deus.
¶ Duodecimo, vtrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc sit vera, Deus est homo.

100 AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod hæc sit falsa, Deus est homo. Omnis enim propositio affirmatiua in
3.d.8.q.1. materia remota est falsa. Sed hæc propositio, Deus est homo,
ar.1. & est in materia remota: quia formæ significatæ per subiectum
vnic. ar.4. & prædicatum, sunt maxime distantes. Cum ergo propositio
q.5. prædicta sit affirmatiua, videtur quod sit falsa.

¶ 2 Præterea, Magis conueniunt tres personæ diuinæ ad inuicem, quàm humana natura & diuina. Sed in mysterio Trinitatis vna persona non prædicatur de alia. non enim dicimus, quod pater est Filius, vel è contrario. Ergo videtur, quod nec humana natura possit prædicari de Deo, vt dicatur, quod Deus est homo.

In suo fidei symbolo. ¶ 3 Præterea, Athanas. dicit, * quod sicut anima & caro vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus. Sed hæc est falsa, Anima est corpus. Ergo etiam hæc est falsa, Deus est homo.

P.p.q.39. ar.3. ¶ 4 Præterea, Sicut in prima parte habitum est, * quod prædicatur de Deo non relatiue, sed absolute, conuenit toti Trinitati & singulis personis. Sed hoc nomen, homo, non est relatiuum, sed absolutum. Si ergo vere prædicatur de Deo, sequeretur, quod tota Trinitas, & quælibet persona sit homo, quod patet esse falsum.

SED contra est, quod dicitur Philip.2. Qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Et sic ille, qui est in forma Dei, est homo. Sed ille, qui est in forma Dei, est Deus. Ergo Deus est homo.

CONCLVSIO.

Cùm persona Filij Dei, quæ hoc nomine, Deus, rectè significatur, sit suppositum naturæ humanæ, quam hæc vox, homo, in concreto significat, perspicuum est hanc propositionem, Deus est homo, veram esse, & propriam, non solum propter terminorum, verum etiam propter prædicationis veritatem.

RESPONDEO dicendum, quod ista propositio, Deus est homo, ab omnibus Christianis conceditur: non tamen ab omnibus secundum eandem rationem. Quidam enim hanc propositionem concedunt, non secundum propriam acceptionem horum terminorum. Nam Manichæi Verbum Dei, dicunt esse hominem, non quidem verum, sed similitudinarium, inquantum dicunt Filium Dei corpus phantasticum assumpsisse: vt sic dicatur Deus homo, sicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis. Similiter etiam illi, qui posuerunt, quòd in Christo anima & corpus non fuerunt vnita, non possunt dicere quòd Deus sit verus homo: sed quòd dicatur homo figuratiue ratione partium. Sed vtraque harum
q.2.a.5. opinionum supra improbata est. * Alij vero è conuerso ponunt
& 6. veritatem ex parte hominis, sed negant veritatem ex parte Dei. Dicunt enim Christum, qui est Deus & homo, esse Deum non naturaliter, sed participatiue, scilicet per gratiam: sicut & omnes sancti viri dicuntur, dij: excellentius tamen Christus præ alijs propter gratiam abundantiorem. Et secundum hoc, cum dicitur, Deus est homo, ly Deus, non supponit verum & naturalem Deum. Et hæc est hæresis Photini, quæ supra im-
q.2.ar.6. probata est. * Alij vero concedunt hanc propositionem cum veritate vtriusque termini, ponentes Christum & verum Deum esse, & verum hominem: sed tamen veritatem prædicationis non saluant. Dicunt enim, quod homo prædicatur de Deo per quandam coniunctionem vel dignitatis vel auctoritatis, vel etiam affectionis, aut inhabitationis. Et sic posuit Nestorius Deum hominem esse: vt per hoc nihil aliud significetur, quam quod Deus est homini coniunctus tali coniunctione, quod homo inhabitetur à Deo, & vniatur ei secundum affectum, & secundum participationem auctoritatis & honoris diuini. Et in similem errorem incidunt quicunque ponunt duas hypostases, vel duo supposita in Christo: quia non est possibile intelligi quod duorum, quæ sunt secundum suppositum vel hypostasim distincta, vnum propriè prædicetur de alio, sed solum secundum quandam figuratiuam locutionem, inquantum in aliquo coniunguntur: puta si dicamus Petrum esse Ioannem, quia habent aliquam coniunctionem adinuicem. Et hæ
q.2.art.6. etiam opiniones supra improbatæ sunt. * Vnde supponendo secundum veritatem Catholicæ fidei, quòd vera natura diuina, vnita est cum vera natura humana, non solum in persona, sed etiam in supposito, vel hypostasi, dicimus hanc propositionem esse veram & propriam, Deus est homo, non solum propter veritatem terminorum (quia scilicet Christus est verus Deus, & verus homo) sed etiam propter veritatem prædicationis. Nomen enim significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: sicut hoc nomen, homo, potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen, Deus, ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona
P.p.q.39. Filij Dei, vt etiam in prima parte habitum est. * De quolibet
ar.4. ad 3. autem supposito alicuius naturæ, potest vere & propriè prædicari nomen significans illam naturam in concreto: sicut de Socrate, & Platone propriè & verè prædicatur homo. Quia ergo persona Filij Dei (pro qua supponit hoc nomen Deus) est suppositum naturæ humanæ, verè & propriè hoc nomen, homo, potest prædicari de hoc nomine, Deus, secundum quod supponit pro persona Filij Dei.

AD primum ergo dicendum, quòd quando formæ diuersæ non possunt conuenire in vnum suppositum, tunc oportet, quod propositio sit in materia remota, cuius subiectum significat vnam illarum formarum, & prædicatum aliam. Sed quando duæ formæ possunt conuenire in vnum suppositum, non est materia remota, sed naturalis, vel contingens: sicut cum dico, album est musicum. Naturæ autem diuina & humana, quamuis sint maxime distantes, tamen conueniunt per incarnationis mysterium in vno supposito: cui neutra illarum inest per accidens, sed per se. Et ideo hæc propositio, Deus est homo, non est neque in materia remota, neque in materia contingenti: sed in materia naturali. Et prædicatur homo de Deo, non per accidens, sed per se, sicut species de sua hypostasi: non quidem ratione formæ significatæ per hoc nomen, Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanæ naturæ.

AD secundum dicendum, quòd tres personæ diuinæ conueniunt in natura, distinguuntur tamen in supposito, & ideò non prædicantur de inuicem. In mysterio autem incarnationis, naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de inuicem non prædicantur, secundum quod significantur in abstracto, (non enim natura diuina est humana) sed quia conueniunt in supposito, prædicantur de se inuicem in concreto.

AD tertium dicendum, quod anima & caro significantur vt in abstracto, sicut diuinitas & humanitas. In concreto vero dicuntur animatum & carneum, siue corporeum, sicut & ex alia parte Deus & homo. Vnde vtrobique abstractum non prædicatur de abstracto, sed solum concretum de concreto.

AD quartum dicendum, quod hoc nomen, homo prædicatur de Deo, ratione vnionis in persona quæ quidem vnio relationem importat. Et ideo non sequitur regulam eorum nominum, quæ absolute prædicantur de Deo ab æterno.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit vera, Homo est Deus.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd hæc sit falsa, homo est Deus. Deus enim est nomen incommunicabile: Vnde Sap. 13. reprehenduntur idololatræ, de hoc quod hoc nomen, Deus, quod est incommunicabile, lignis & lapidibus imposuerunt. Ergo pari ratione videtur esse inconueniens, quod hoc nomen, Deus, prædicetur de homine. 101
Locis sup. a.1 inductis.

¶ 2 Præterea, Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto. Sed hæc est vera, Deus est Pater, vel, Deus est Trinitas. Si ergo hæc sit vera, Homo est Deus, videtur quod hæc etiam sit vera, Homo est Pater, vel, Homo est Trinitas, Quas quidem patet esse falsas, ergo & primam.

¶ 3 Præterea, in Psalm 80. dicitur. Non erit in te Deus recens. Sed homo est quiddam recens: non enim Christus semper fuit homo. Ergo hæc falsa, Homo est Deus.

SED contra est, quod dicitur Rom.9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Sed Christus secundum carnem est homo. Ergo hæc est vera, Homo est Deus.

CONCLVSIO.

Supposita veritate vtriusque naturæ & vnionis in persona, & hypostasi, sicuti hæc est vera, Deus est homo ita & ista, Homo est Deus.

RESPONDEO dicendum, quod supposita veritate vtriusque naturæ diuinæ scilicet & humanæ, & vnione in persona & hypostasi, hæc est vera & propria, Homo est Deus, sicut & ista, Deus est homo. Hoc enim nomen homo, potest supponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ: & ita potest supponere pro persona Filij Dei, quam dicimus esse hypostasim humanæ naturæ. Manifestum est autem, quod de persona Filij
P.p.q.39. Dei verè & propriè prædicatur hoc nomen, Deus, vt in prima
a.3. & 4. parte habitum est. * Vnde relinquitur, quòd hæc sit vera & propria, Homo est Deus.

AD primum ergo dicendum, quòd idololatræ attribuebant nomen deitatis lapidibus & lignis, secundum quod in sua natura considerantur: quia putabant in illis aliquid numinis esse. Nos autem non attribuimus nomen deitatis Christo secundum humanam naturam: sed secundum suppositum æternum, quod est etiam per vnionem suppositum humanæ naturæ, vt dictum est.

In resp. AD secundum dicendum, quòd hoc nomen, Pater, prædicatur de hoc nomine, Deus, secundum quod hoc nomen, Deus, supponit pro persona patris: sic autem non prædicatur de persona Filij: quia persona Filij non est persona patris: Et per consequens non oportet, quòd hoc nomen, Pater, prædicetur de hoc nomine, homo, de quo prædicatur hoc nomen, Deus: inquantum ly homo, supponit pro persona Filij.

Ad tertiū dicēdum, quod licet humana natura in Christo sit quiddā recens, tamen suppositū humanæ naturæ, non est recens, sed æternum. Et quia hoc nomē, Deus, non prædicatur de homine, ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi, nō sequitur quòd ponamus Deum recentē. Sequeretur autē, si poneremus, quòd homo supponit suppositum creatum, secundū quod oportet dicere, eos, qui in Christo ponunt duo supposita.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus possit dici homo Dominicus.

102 AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd Christus possit dici homo Dominicus. Dicit enim Aug. in lib.* 83. q. Monendū est, vt illa bona expectentur, quæ fuerunt in illo homine Dominico. Loquitur autem de Christo. Ergo videtur, quod Christus sit homo Dominicus.

l. 8. 3. q. 3. a. 1. q. 83. circa med. c. 4.

¶ 2 Præterea, Sicut dominium conuenit Christo, ratione diuinæ naturæ, ita etiam humanitas pertinet ad humanam naturam. Sed Deus dicitur humanatus, vt patet per Damascenum in 3.* lib. vbi dicit, quod humanatio, eam, quæ ad hominem copulationem demonstrat. Ergo pari ratione potest dici denominatiue, quod homo ille sit Dominicus.

Lib. 3. orth. fid. cap. 11.

¶ 3 Præterea, Sicut Dominicus denominatiuè dicitur à Domino ita diuinus denominatiue dicitur à Deo. Sed Dionysius Christum nominat diuinissimum Iesum. Ergo pari ratione potest dici, quod Christus sit homo Dominicus.

Cap. 4. Eccl. hier. par. 3. circa princ.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. Retract. † Non video, vtrum rectè dicatur, homo Dominicus Iesus Christus, cum sit vtique dominus.

Lib. 1. retract. cap. 19. non procul à fi. to. 1.

CONCLVSIO.

Cùm de persona Filij Dei prædicetur Deus & Dominus essentialiter, Dominicus vero denominatiuè à Domino dicatur, non propriè & vere ille homo, scilicet Christus, est homo Dominicus, sed dominus dicendus.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est,* cum dicitur homo Christus Iesus, designatur suppositum æternum, quod est persona Filij Dei: propter hoc, quod est vnum suppositum vtriusque naturæ. De persona autem Filij Dei prædicatur Deus & Dominus essentialiter: & ideo non debet prædicari denominatiue: quia hoc derogat veritati vnionis. Vnde cum Dominicus dicatur denominatiue à Domino, non potest vere & proprie dici, quod homo ille sit Dominicus, sed magis quod sit Dominus. Si autem per hoc, quod dicitur homo Christus Iesus, designaretur suppositum aliquod creatum, secundum illos, qui ponunt in Christo duo supposita, posset dici homo ille Dominicus, inquantum assumitur ad participationem honoris diuini: sicut Nestoriani posuerunt. Et hoc etiam modo humana natura non dicitur essentialiter Dea, sed deificata: non quidem per conuersionem ipsius in diuinam naturam, sed per coniunctionem ad diuinam naturam in vna hypostasi, vt patet per Damasc. in 3.* libro.

Art. præc. ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Aug. verba illa & similia retractat in lib. Retract. Vnde post verba præmissa in lib. Retract.* subdit, Vbicumque hoc dixi, scilicet, quod Christus Iesus sit homo Dominicus, dixisse me nollem: postea quippe vidi non esse dicendum. Quamuis nonnulla possit ratione defendi, quia scilicet posset aliquis dicere, quod dicitur homo Dominicus ratione humanæ naturæ, quam significat hoc nomen homo: non autem ratione suppositi.

Lib. 3. orth. fide. c. 4. 15. & 16. Lib. 1. retract. cap. 19. Antè ad fi. to. 1.

Ad secundum dicendum, quod illud vnum suppositū, quod est humanæ & diuinæ naturæ, primo quidem fuit diuinæ naturæ, scilicet ab æterno: postea autem ex tempore per incarnationem factum est suppositum humanæ naturæ. Et hac ratione dicitur humanatum: non quia assumpserit hominem, sed quia assumpsit humanam naturam. Non autem sic est è conuerso, quod suppositum humanæ naturæ assumpserit diuinam naturam: vnde non potest dici homo deificatus, vel Dominicus.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen diuinum, consueuit prædicari etiam de his, de quibus prædicatur essentialiter hoc nomen, Deus. Dicimus enim, quod diuina essentia est Deus, ratione identitatis: & quod essentia est Dei siue diuina, propter diuersum modum significandi, & verbum diuinum, cum tamen Verbum sit Deus. Et similiter dicimus personam diuinam, sicut & personam Platonis, propter diuersum modū significandi. Sed Dominicus non dicitur de his, de quibus dominus prædicatur: non enim consueuit dici, quod aliquis homo, qui est dominus, sit Dominicus. Sed illud quod qualitercumque est domini, Dominicum dicitur: sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est dominus, non potest dici Dominicus: sed potest caro eius dici caro dominica, & passio eius potest dici passio dominica.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ea, quæ conueniunt Filio hominis, possint prædicari de Filio Dei, & è conuerso.

103 AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod ea, quæ sunt humanæ naturæ, non possint dici de Deo. Impossibile enim est opposita de eodem prædicari. Sed ea quæ sunt humanæ naturæ, sunt contraria his, quæ sunt propria Dei: Deus enim est increatus, immutabilis & æternus: ad humanam autem naturam pertinet, vt sit creata, temporalis & mutabilis. Ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ non possunt dici de Deo.

¶ 2 Præterea, Attribuere Deo ea quæ ad defectum pertinent videtur derogare diuino honori, & ad blasphemiam pertinere. Sed ea, quæ sunt humanæ naturæ, defectum quemdam continent: sicut pati, mori, & alia huiusmodi. Ergo videtur, quod nullo modo ea, quæ sunt humanæ naturæ, possunt dici de Deo.

¶ 3 Præterea, assumi conuenit humanæ naturæ. Non autem hoc conuenit Deo. Non ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ de Deo dici possunt.

Sed contra est, quod Dam.* dicit in 3. libro, quod Deus suscepit ea, quæ sunt carnis idiomata, id est proprietates: dum Deus passibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus est.

lib. 3. orth. fid. cap. 4. in med.

CONCLVSIO.

Cùm vna, eademque hypostasis, vtriusque naturæ nomine supponatur, perspicuum est ea, quæ sunt diuinæ naturæ, de homine dici posse tanquam de hypostasi diuinæ naturæ: & quæ humanæ naturæ sunt, de Deo tanquam humanæ naturæ hypostasi.

RESPONDEO dicendum, quòd circa hanc quæstionem diuersitas fuit inter Nestorianos & Catholicos. Nestoriani enim voces, quæ dicuntur de Christo, diuidere volebant hoc modo, vt ea quæ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo: nec ea, quæ pertinent ad diuinam naturam, dicerentur de homine. Vnde Nestorius dixit. Si quis Dei verbo tentet passiones tribuere, anathema sit. Si qua vero nomina sunt quæ pertinere possunt ad vtramque naturam, de talibus prædicabant ea quæ sunt vtriusque naturæ: sicut hoc nomen Christus vel Dominus. Vnde concedebant, Christum esse natum de Virgine, & fuisse ab æterno: non tamen dicebant vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse. Catholici vero posuerunt huiusmodi, quæ dicuntur de Christo (siue secundum diuinam naturam, siue secundum humanam) dici posse tam de Deo, quàm de homine. Vnde Cyrillus dicit*, Si quis duabus personis, seu substantiis, id est hypostasibus eas, quæ in Euangelicis & Apostolicis conscriptionibus sunt, diuidit voces, vel ea, quæ de Christo à sanctis dicuntur: vel ab ipso Christo de semetipso: & aliquas quidem ea his homini applicandas crediderit, aliquas vero soli Verbo deputauerit, anathema sit. Et huius ratio est: quia cum sit eadem hypostasis vtriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque naturæ: siue ergo dicatur homo, siue Deus, supponitur hypostasis diuinæ & humanæ naturæ. Et ideo de homine possunt dici ea quæ sunt diuinæ naturæ, tanquam de hypostasi diuinæ naturæ: & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ tanquam de hypostasi humanæ naturæ. Sciendum tamen quod in propositione in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attenditur quid sit illud, de quo prædicatur prædicatum, sed etiam secundum quid de illo prædicetur. Quamuis ergo non distinguantur ea, quæ prædicantur de Christo: distinguuntur tamen secundum id, secundum quod vtrumque prædicatur. Nam ea quæ sunt diuinæ naturæ, prædicantur de Christo secundum diuinam naturam: ea autem quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundum humanam naturam. Vnde Aug. dicit in 1. † de trinit. Distinguamus quid in Scriptura sonet, secundum formam Dei, in qua æqualis est patri, & quid secundum formam serui quam accepit, in qua minor est patre. Et infra*. Quid & propter quid, & quid secundum quid dicatur, prudens & diligens & pius lector intelliget.

6. Concil. Eph. 1. cui præsens Cyril. can. 4. in eadem.

† lib. 1. c. 11. in pr. tom. 3. vol. loco.

AD primum ergo dicendum, quòd opposita prædicari de eodem secundum idem, est impossibile: sed secundum diuersa nihil prohibet. Et hoc modo opposita prædicantur de Christo, non secundum idem: sed secundum diuersas naturas.

AD secundum dicendum, quòd si ea quæ ad defectum pertinent, Deo attribuerentur secundum diuinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinens ad diminutionem honoris ipsius: non autem pertinet ad Dei iniuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Vnde in quodā sermone Ephesini Concilij dicitur, Nihil putat Deus iniuriam, quod est occasio salutis hominibus: nihil enim abiectorum quæ elegit propter nos, iniuriam facit illi naturæ quæ non potest esse subiecta iniuriæ, proprie vero facit inferiora, vt saluet naturam nostram: Quando ergo abiecta & vilia sunt, diuinam naturam non iniuriantur, sed salutem hominibus operantur. Quomodo dicis ea quæ causa nostræ salutis sunt, iniuriæ occasionem Deo fuisse?

AD tertium dicendum, quòd assumi conuenit humanæ naturæ non ratione suppositi, sed ratione sui ipsius: & ideo non conuenit Deo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea, quæ conueniunt filio hominis, possint prædicari de diuina natura & de humana ea, quæ conueniunt filio Dei.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd ea quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de natura diuina. Ea enim, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Filio Dei, & de Deo. Sed Deus est sua natura. Ergo ea quæ sunt naturæ humanæ, possunt prædicari de diuina natura. 104

¶ 2 Præterea, Caro pertinet ad naturam humanam. Sed sicut dicit Dama.* in 3. lib. Dicimus naturam verbi incarnatam esse, secundum beatos Athanasium & Cyrillum. Ergo videtur, quod pari ratione ea quæ sunt humanæ naturæ, possunt dici de diuina natura.

lib. 3. orth. fi. c. 6. circa fi. & c. 7. a med.

¶ 3 Præterea, Ea, quæ sunt diuinæ naturæ, conueniunt humanæ naturæ in Christo: sicut cognoscere futura, & habere salutiferam virtutem. Ergo videtur quod pari ratione ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de diuina natura.

Sed contra est quod Damasc.* dicit in 3. lib. Deitatem quidem dicentes non nominamus de ea, quæ humanitatis idiomata sunt, id est proprietates: non enim dicimus deitatem passibilem, vel creabilem. Deitas autem est diuina natura. Ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ propria, non possunt dici de diuina natura.

lib. 3. c. 4.

CONCLVSIO.

Cùm non eadem sit natura diuina & humana, perspicuum est ea, quæ humanæ naturæ sunt, non posse de diuina natura in abstracto prædicari.

RESPONDEO dicendum, quòd ea, quæ sunt propria vnius, non possunt verè de alio prædicari, nisi de eo quod est idem illi: sicut risibile non conuenit, nisi ei quod est homo. In mysterio autem incarnationis non est eadem natura diuina & humana, sed eadem est hypostasis vtriusque naturæ: & ideo ea, quæ sunt vnius naturæ, non possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significantur. Nomina vero concreta supponunt hypostasim naturæ: & ideo indifferenter prædicari possunt

poſſunt ea, quæ ad vtramque naturam pertinent, de nominibus concretis. Siue illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere vtramque naturam, ſicut hoc nomen, Chriſtus: in quo intelligitur & diuinitas vngens, & humanitas vncta. Siue ſolam diuinam naturam; ſicut hoc nomen Deus, vel Filius Dei. Siue ſolam naturam humanam, ſicut hoc nomen, homo, vel Ieſus. Vnde Leo Papa dicit in epiſtola ad Palæſtinos *: Non intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur, cum inſeparabiliter manente vnitate perſonæ, idem ſit, & totus hominis Filius propter carnem, & totus Dei filius, propter vnam cum Patre deitatem.

AD primum ergo dicendum, quòd in diuinis realiter eſt idem perſona cum natura: & ratione huius identitatis diuina natura prædicatur de Filio Dei. Non tamen eſt idem modus ſignificandi: & ideo quædam dicuntur de Filio Dei, quæ non dicuntur de diuina natura: ſicut dicimus, quòd Filius Dei eſt genitus, non tamen dicimus, quòd natura diuina ſit genita: vt in prima parte habitum eſt. Et ſimiliter in myſterio incarnationis dicimus, quòd Filius Dei paſſus eſt, non autem dicimus quòd diuina natura ſit paſſa.

AD ſecundum dicendum, quòd Incarnatio magis importat vnionem ad carnem, quàm carnis proprietatem. Vtraque autem natura in Chriſto, eſt vnita alteri in perſona, ratione cuius vnionis & diuina natura dicitur incarnata, & humana natura deificata: vt ſupra dictum eſt *.

AD tertium dicendum, quòd ea, quæ ſunt diuinæ naturæ, dicuntur de humana natura, non ſecundum quod eſſentialiter, competunt diuinæ naturæ: ſed ſecundum quòd participatiuè deriuantur ad humanam naturam. Vnde ea quæ participari non poſſunt à natura humana (ſicut eſſe increatum, aut omnipotentem) nullo modo de humana natura dicuntur. Diuina autem natura nihil participatiuè recipit ab humana natura, & ideo ea, quæ ſunt humanæ naturæ, nullo modo poſſunt dici de diuina natura.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm hæc ſit vera, Deus factus eſt homo.

105 AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd hæc ſit falſa, Deus factus eſt homo. Cum enim homo ſignificet ſubſtantiam, fieri hominem, eſt fieri ſimpliciter. Sed hæc eſt falſa, Deus factus eſt ſimpliciter. Ergo hæc eſt falſa, Deus factus eſt homo.

¶ 2 Præterea, Fieri hominem eſt mutari. Sed Deus non poteſt eſſe ſubiectum mutationis: ſecundum illud Malach. 3. Ego dominus & non mutor. Ergo videtur, quòd hæc ſit falſa, Deus factus eſt homo.

¶ 3 Præterea, Homo ſecundum quod de Chriſto dicitur, ſupponit perſonam filij Dei. Sed hæc eſt falſa, Deus factus eſt perſona Filij Dei. Ergo hæc eſt falſa, Deus factus eſt homo.

SED contra eſt, quod dicitur Ioan. 1. Verbum caro factum eſt. Et ſicut Athanaſius dicit in epiſtola ad Epictetum *, quod dicit, Verbum caro factum eſt, ſimile eſt ac ſi diceretur, quòd Deus homo factus eſt.

CONCLVSIO.

Cùm non ab æterno, ſed in tempore, eſſe hominem de Deo prædicetur, propoſitionem hanc, Deus factus eſt homo, veram eſſe fatendum eſt.

RESPONDEO dicendum, quòd vnumquodque dicitur eſſe factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipſo. Eſſe autem hominem, verè prædicatur de Deo, (ſicut dictum eſt *) ita tamen, quod non conuenit Deo eſſe hominem ab æterno, ſed ex tempore per aſſumptionem humanæ naturæ. Et ideo hæc eſt vera, Deus factus eſt homo. Diuerſimodè tamen intelligitur à diuerſis, ſicut & hæc, Deus eſt homo, vt ſupra dictum eſt *.

AD primum ergo dicendum, quòd fieri hominem, eſt fieri ſimpliciter in omnibus his, in quibus humana natura incipit eſſe in ſuppoſito de nouo creato. Deus autem dicitur homo factus, eo quòd humana natura incipit eſſe in ſuppoſito diuinæ naturæ, ab æterno præexiſtente. Et ideo Deum fieri hominem, non eſt Deum fieri ſimpliciter.

AD ſecundum dicendum, quòd ſicut dictum eſt *, fieri importat quòd aliquid prædicetur de nouo de altero. Vnde quandocunque aliquid de nouo prædicatur de altero, cum mutatione eius, de quo dicitur, tunc fieri eſt mutari. Et hoc contingit in omnibus quæ abſolutè dicuntur, non enim poteſt albedo, aut nigredo de nouo aduenire alicui, niſi per hoc quod de nouo mutatur ad albedinem, vel nigredinem. Ea verò, quæ relatiuè dicuntur, poſſunt de nouo prædicari de aliquo abſque eius mutatione, ſicut homo de nouo fit dexter abſque ſui mutatione, per motum illius, qui fit ei ſiniſter. Vnde in talibus non oportet omne quod dicitur fieri, eſſe mutatum, quia hoc poteſt accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum ad Deum dicimus, Domine refugium factus es nobis. Eſſe autem hominem, conuenit Deo ratione vnionis, quæ eſt relatio quædam, & ideo eſſe hominem prædicatur de nouo de Deo abſque eius mutatione per mutationem humanæ naturæ, quæ aſſumitur in diuinam perſonam. Et ideo cum dicitur, Deus factus eſt homo, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, ſed ſolum ex parte humanæ naturæ.

AD tertium dicendum, quòd homo ſupponit perſonam Filij Dei, non nudam, ſed prout ſubſiſtit in humana natura. Et ideo quamuis hæc ſit falſa, Deus factus eſt perſona Filij Dei: eſt tamen hæc vera, Deus factus eſt homo, ex eo, quod eſt vnitus humanæ naturæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hæc ſit vera, Homo factus eſt Deus.

106 AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd hæc ſit vera, Homo factus eſt Deus. Dicitur enim Ro. 1. Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis, de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Sed Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Ergo homo factus eſt filius Dei.

¶ 2 Præterea, Auguſt. dicit in primo de trin. * Talis erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Sed ratione illius ſuſceptionis hæc eſt vera, Deus factus eſt homo. Ergo ſimiliter hæc eſt vera, Homo factus eſt Deus.

¶ 3 Præterea, Gregorius Nazianzen. dicit in epiſt. ad Elidonium †, Deus quidem humanatus eſt, homo autem deificatus, vel quomodolibet aliter nominauerit. Sed Deus ea ratione dicitur humanatus, qua eſt homo factus. Ergo homo ea ratione dicitur deificatus, qua eſt factus Deus. Et ita hæc eſt vera, Homo factus eſt Deus.

¶ 4 Præterea, Cum dicitur, Deus factus eſt homo, ſubiectum factionis, vel mutationis non eſt Deus, ſed humana natura, quam ſignificat hoc nomen, homo. Sed illud videtur eſſe ſubiectum factionis, cui factio attribuitur. Ergo hæc magis eſt vera, Homo factus eſt Deus, quàm iſta, Deus factus eſt homo.

SED contra eſt, quòd Damaſc. dicit in 3. lib. * Non hominem deificatum dicimus, ſed Deum humanatum. Idem autem eſt fieri Deum quod deificari. Ergo hæc eſt falſa, Homo factus eſt Deus.

CONCLVSIO

Cùm in hac propoſitione propriè accepta, homo factus eſt Deus, vox, homo, perſonalem habeat ſuppoſitionem, perſona autem filij Dei ſemper Deus fuerit, eam eſſe falſam perſpicuum eſt.

RESPONDEO dicendum, quod iſta propoſitio, Homo factus eſt Deus, tripliciter poteſt intelligi. Vno modo, ita quod hoc participium Factus, determinet abſolutè vel ſubiectum vel prædicatum. Et in hoc ſenſu eſt falſa, quia neque homo ille, de quo Deus prædicatur, eſt factus, neque Deus eſt factus, vt infra dicetur *. Et ſub eodem ſenſu hæc eſt falſa, Deus factus eſt homo. Sed ſub hoc ſenſu non quæritus hic de iſtis propoſitionibus. Alio modo poteſt intelligi, vt ly Factus, determinet compoſitionem, vt ſit ſenſus, Homo factus eſt Deus, id eſt, factum eſt, vt homo ſit Deus. Et ſub hoc ſenſu vtraque eſt vera. Et homo factus eſt Deus, & Deus factus eſt homo. Sed hic non eſt proprius ſenſus harum locutionum: niſi fortè intelligatur ſecundum quod ly homo, non habet perſonalem ſuppoſitionem, ſed ſimplicem. Licet enim hic homo non ſit factus Deus, quia hoc ſuppoſitum ſcilicet perſona Filij Dei, ab æterno fuit Deus: tamen homo, communiter loquendo, non ſemper fuit Deus. Tertio modo propriè intelligitur, ſecundum quod hoc participium, factus, ponit fieri circa hominem in reſpectu ad Deum, ſicut ad terminum factionis. Et in hoc ſenſu, ſuppoſito quod in Chriſto ſit eadem perſona, & hypoſtaſis, & ſuppoſitum Dei & hominis (vt ſupra oſtenſum eſt *) iſta propoſitio eſt falſa: quia cum dicitur, Homo factus eſt Deus, ly homo, habet perſonalem ſuppoſitionem. Non enim eſſe Deum, verificatur de homine ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti ſui: ſuppoſitum autem illud humanæ naturæ, de quo verificatur eſſe Deum, eſt idem quod hypoſtaſis, ſeu perſona Filij Dei, quæ ſemper fuit Deus. Vnde non poteſt dici, quod iſte homo incepit eſſe Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus ſit Deus. Si verò eſſet alia perſona, vel hypoſtaſis Dei & hominis, ita quòd eſſe Deum, prædicaretur de homine, & è conuerſo, per quandam coniunctionem ſuppoſitorum, vel dignitatis perſonalis, vel affectionis, vel inhabitationis, vt Neſtoriani dixerunt, tunc pari ratione poſſet dici, quod homo factus eſt Deus, id eſt coniunctus Deo, ſicut & quod Deus factus eſt homo, id eſt, coniunctus homini.

AD primum ergo dicendum, quod in verbis illis Apoſtoli hoc relatiuum Qui, quod refert perſonam filij Dei, non debet intelligi ex parte prædicati quaſi aliquis exiſtens ex ſemine Dauid ſecundum carnem ſit factus Filius Dei, in quo ſenſu obiectio procedebat: ſed debet intelligi ex parte ſubiecti: vt ſit ſenſus, quod Filius Dei factus eſt, ſcilicet homo, ad honorem patris, (vt gloſ. * exponit) exiſtens ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ac ſi diceret, Filius Dei factus eſt habens carnem ex ſemine Dauid ad honorem Dei.

AD ſecundum dicendum, quòd illud verbum Auguſt. * eſt intelligendum in illo ſenſu, ſecundum quod ex illa ſuſceptione incarnationis factum eſt, vt homo eſſet Deus, & Deus eſſet homo. In quo ſenſu ambæ locutiones ſunt veræ: vt dictum eſt †.

Et ſimiliter dicendum eſt AD tertium, nam deificari idem eſt quod fieri Deum.

AD quartum dicendum, quòd terminus in ſubiecto poſitus tenetur materialiter, id eſt pro ſuppoſito: poſitus verò in prædicato, tenetur formaliter, id eſt pro natura ſignificata. Et ideo cum dicitur, homo factus eſt Deus, ipſum fieri non attribuitur humanæ naturæ, ſed ſuppoſito humanæ naturæ, quod eſt ab æterno Deus, & ideo non conuenit ei fieri Deum. Cum autem dicitur, Deus factus eſt homo, factio intelligitur terminari ad ipſam humanam naturam. Et ideo propriè loquendo, hæc eſt vera, Deus factus eſt homo: ſed hæc eſt falſa, Homo factus eſt Deus. Sicut ſi Sortes cum prius fuerit homo, poſtea factus eſt albus, demonſtrato Sorte, hæc eſt vera, Hic homo hodie factus eſt albus: hæc tamen eſt falſa, Hoc album hodie factum eſt homo. Si tamen ex parte ſubiecti poneretur aliquod nomen ſignificans naturam humanam in abſtracto, poſſet hoc modo ſignificari vt ſubiectum factionis, puta ſi dicatur, quòd natura humana facta eſt Filij Dei.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hæc ſit vera, Chriſtus eſt creatura.

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quòd hæc ſit vera Chriſtus eſt creatura. Dicit enim Leo Papa, Noua & inaudita conuentio: Deus qui eſt, & erat, fit creatura. Sed illud poteſt prædicari de Chriſto, quod Filius Dei factus eſt per 107

Incarnatio

incarnationem. Ergo hæc est vera, Christus est creatura.

¶ 2 Præterea, Proprietates vtriusque naturæ, possunt prædicari de hypostasi communi vtriusque naturæ quocunque nomine significetur, vt supra dictum est.* Sed proprietas humanæ naturæ, est esse creaturam, sicut & proprietas diuinæ naturæ est esse creatorem. Ergo vtrumque potest dici de Christo, scilicet quod sit creatura, & quod sit increatus & creator.

¶ 3 Præterea, Principalior pars hominis est anima, quam corpus. Sed Christus ratione corporis, quod de Virgine traxit, dicitur esse simpliciter natus de Virgine. Ergo ratione animæ, quæ creata est a Deo, debet simpliciter dici, quod Christus sit creatura.

Sed contra est, quod Ambr. dicit in lib. de trini.† Nunquid dicto factus est Christus? nunquid mandato creatus est Christus? quasi dicat, non. Vnde subdit, quo modo autem creatura in Deo esse potest? etenim Deus naturæ simplicis est, non coniunctæ: Ergo hæc non est concedenda, Christus est creatura.

CONCLVSIO.

Ne hæreticorum errori fauere videamur, non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura, sed cum determinatione scilicet secundum humanam naturam.

Respondeo dicendum, quod sicut Hier.* dicit, ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Vnde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori fauere videamur. Arriani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione diuinæ personæ. Et ideo non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura vel minor Patre, sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam. Ea vero, de quibus suspicari non potest quod diuinæ personæ conueniant secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanæ naturæ, sicut simpliciter dicimus, Christum esse passum, mortuum, & sepultum. Sicut etiam in rebus corporalibus & humanis, ea quæ in dubitationem venire possunt, aut conueniunt, toti vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, id est, sine determinatione non enim dicimus, quod Aethiops est albus, sed quod est albus secundum dentes: Dicimus autem absque determinatione, quod est crispus: quia hoc non potest ei conuenire nisi secundum capillos.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquando sancti doctores causa breuitatis determinatione omissa, nomine creaturæ vtuntur circa Christum: est tamen in eorum dictis subintelligenda determinatio, inquantum homo.

Ad secundum dicendum, quod omnes proprietates humanæ naturæ, sicut & diuinæ, possunt æqualiter dici de Christo. Vnde & Dama. dicit in 3 lib.* quod Christus, qui Deus est & homo, dicitur & creatus & increatus, passibilis & impassibilis. Sed tamen illa, quæ dubitationem habent circa alterutram naturam, non sunt dicenda absque determinatione. Vnde ipse postea alibi subdit,† Ipsa vna hypostasis, s. Christi, & increata est deitate, & creata est humanitate. Sicut & e conuerso non esset dicendum sine determinatione, Christus, est incorporeus vel impassibilis, ad euitandum errorem Manichæi, qui posuit Christum verum corpus non habuisse, nec vere passum esse sed dicendum est cum determinatione, quod Christus secundum deitatem est incorporeus, & impassibilis.

Ad tertium dicendum, quod de natiuitate ex Virgine, nulla dubitatio potest esse, quod conueniat personæ Filij Dei, sicut potest esse de creatione. Et ideo nõ est similis ratio vtrobique.

ARTICVLVS IX.

Vtrum hæc sit vera, Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse.

108 AD Nonum sic proceditur. Videtur, quod ille homo, demonstrato Christo, inceperit esse. Dicit enim Aug. super Io.* Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei, & hominum, homo Iesus Christus. Sed illud quod non semper fuit incepit esse. Ergo ille homo, demonstrato Christo, incepit esse.

¶ 2 Præterea, Christus incepit esse homo. Sed esse hominem est esse simpliciter. Ergo ille homo incepit esse simpliciter.

¶ 3 Præterea, Homo importat suppositum humanæ naturæ. Sed Christus non semper fuit suppositum humanæ naturæ. Ergo ille homo incepit esse.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. vltim. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.

CONCLVSIO.

Cum his vocibus, hic homo, demonstrato Christo, suppositum æternum designetur, hæc propositio, hic homo, demonstrato Christo, incepit esse, simpliciter falsa est.

Respondeo dicendum, quod non est dicendum, quod ille homo, demonstrato Christo, inceperit esse, si nihil addatur*, & hoc duplici ratione. Prima quidem quia hæc locutio est simpliciter falsa, secundum sententiam catholicæ fidei, qua ponimus in Christo vnum suppositum, & vnam hypostasim, sicut & vnam personam. Secundum hoc enim oportet, quod in hoc quod dicitur, ille homo, demonstrato Christo, designetur suppositum æternum, cuius æternitati repugnat incipere esse. Vnde hæc est falsa, hic homo incepit esse. Nec obstat, quod incipere esse conuenit humanæ naturæ, quæ significatur per hoc nomen homo: quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito, vt supra* dictum est. Secundo, quia etiam si esset vera, non tamen esset ea vtendum absque determinatione, ad euitandã hæresim Arrij: quia sicut personæ Filij Dei attribuit, quod esset creatura, & quod esset minor patre, ita attribuit ei quod esse inceperit dicens, quod erat, quando non erat.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas ista est intelligenda cum determinatione, vt scilicet dicamus, quod homo Iesus Christus non fuit antequam mundus esset secundum humanitatem.

Ad secundum dicendum, quod cum hoc verbo incipit non sequitur argumentum ab inferiori ad superius: non enim sequitur, hoc incipit esse album, ergo incipit esse coloratum. Et hoc ideo, quia incipere, importat nunc esse, & non prius: non autem sequitur, hoc non erat prius album, ergo non erat prius coloratum. Esse autem simpliciter est superius ad esse hominem: vnde non sequitur, Christus incepit esse homo, ergo incepit esse.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen, homo, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quæ incepit esse: tamen supponit suppositum æternum, quod esse non incepit. Et ideo quia secundum quod ponitur in subiecto, tenetur pro supposito: secundum autem quod ponitur in prædicato, refertur ad naturam: ideo hæc est falsa, homo Christus esse incepit, sed hæc est vera, Christus incepit esse homo.

ARTICVLVS X.

Vtrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est creatura.

AD Decimum sic proceditur. Videtur, quod hæc sit falsa: Christus, secundum quod homo, est creatura, vel incepit esse. Nihil enim in Christo est creatum nisi humana natura. Sed hæc est falsa, Christus, secundum quod homo, est humana natura. Ergo hæc etiam est falsa, Christus, secundum quod homo, est creatura. 110

¶ 2 Præterea, Prædicatum magis prædicatur de termino in reduplicatione posito, quam de ipso subiecto propositionis: sicut si dicam corpus, secundum quod coloratum, est visibile, sequitur, quod coloratum sit visibile. Sed hæc non est absolute (sicut dictum est*) concedenda, homo Christus est creatura. Ergo neque hæc, Christus, secundum quod homo, est creatura.

¶ 3 Præterea, Quidquid prædicatur de quocunque homine, secundum quod homo, prædicatur de eo per se & simpliciter: idem enim est per se, & secundum quod ipsum, vt dicitur 5. Metaph.* Sed hæc est falsa, Christus est per se & simpliciter creatura. Ergo etiam hæc est falsa, Christus secundum quod homo, est creatura.

Sed contra, Omne quod est, vel est creator, vel creatura. Sed hæc est falsa, Christus, secundum quod homo, est creator. Ergo hæc est vera, Christus secundum quod homo, est creatura.

CONCLVSIO.

Hæc propositio, Christus secundum quod homo, est creatura, simpliciter concedenda est, quia reduplicatio ad naturam pertinet. hæc vero, Christus secundum quod hic homo, est creatura, quia reduplicatio per id quod additur, ad suppositum trahitur, magis neganda quam concedenda est.

Respondeo dicendum, quod cum dicitur, Christus secundum quod homo, hoc nomen homo, potest resumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Si quidem resumatur ratione suppositi, cum suppositum humanæ naturæ in Christo, sit æternum & increatum, hæc erit falsa, Christus, secundum quod homo, est creatura. Si vero resumatur ratione humanæ naturæ, sic est vera, quia ratione humanæ naturæ siue secundum humanam naturam, conuenit sibi esse creaturam, vt supra dictum est.* Sciendum tamen, quod nomen sic resumptum in reduplicatione, magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito. resumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter. Idem enim est dictu, Christus secundum quod homo, ac si diceretur, Christus secundum quod est homo. Et ideo hæc magis est concedenda, quam neganda, Christus secundum quod homo, est creatura. Si tamen adderetur aliquid per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda, quam concedenda: puta si diceretur, Christus, secundum quod hic homo, est creatura.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus non sit humana natura: est tamen habens humanam naturam. Nomen autem creaturæ, natum est prædicari non solum de abstractis, sed etiam de concretis: dicimus enim quod humanitas est creatura, & quod homo est creatura.

Ad secundum dicendum, quod ly homo, secundum quod ponitur in subiecto magis respicit suppositum: secundum autem quod ponitur in reduplicatione, magis respicit naturam, vt dictum est.* Et quia natura est creata, suppositum vero increatum: ideo licet non concedatur ista simpliciter, Homo Christus est creatura: conceditur tamen ista, Christus secundum quod homo, est creatura.

Ad tertium dicendum, quod cuilibet homini, qui est suppositum solius naturæ humanæ competit, quod non habeat esse, nisi secundum humanam naturam: & ideo de quolibet tali supposito sequitur, si secundum quod homo, est creatura, quod sit creatura simpliciter. Sed Christus non solum est suppositum humanæ naturæ, sed etiam diuinæ, secundum quam habet esse increatum: & ideo non sequitur si secundum quod homo, est creatura, quod sit simpliciter creatura.

ARTICVLVS XI.

Vtrum hæc sit vera, Christus secundum quod homo est Deus.

AD Vndecimum sic proceditur. Videtur, quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Christus enim est Deus per gratiam vnionis. Sed Christus, secundum quod homo, habet gratiam vnionis. Ergo Christus secundum quod homo, est Deus. 111

¶ 2 Præterea, Dimittere peccata, est proprium Dei, secundum illud Isa. 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Sed Christus, secundum quod homo, dimittit peccata, secundum illud Matt. 9. Vt autem sciatis, quia Filius hominis

minis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

¶ 3 Praeterea, Christus non est homo communis, sed est homo iste particularis. Sed Christus secundum quod est iste homo, est Deus: quia in isto homine designatur suppositum aeternum, quod naturaliter est Deus. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

Sed contra est, illud quod conuenit Christo, secundū quod homo, conuenit cuilibet homini. Si ergo Christus, secundum quod homo, est Deus, sequitur quòd omnis homo sit Deus: quod patet esse falsum.

CONCLVSIO.

Tametsi hæc, Christus secundum quod homo, est Deus, concedi possit vt vera, dummodo homo teneatur pro supposito, non autem pro natura: magis tamen neganda est, quàm concedenda, cum reduplicatio ad naturam potius quam ad personam referenda sit.

Respondeo dicendum, quòd iste terminus, homo, in reduplicatione positus, potest dupliciter accipi. Vno modo quantum ad naturam: & sic non est verum, quod Christus, secundum quòd homo, sit Deus: quia humana natura est distincta à diuina secundum differentiam naturæ. Alio modo potest accipi ratione suppositi: & sic cum suppositum naturæ humanæ in Christo, sit persona Filij Dei, cui per se conuenit esse Deum, verum est quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Quia tamen terminus in reduplicatione positus magis propriè tenetur pro natura, quam pro supposito (vt supra dictum est) * ideo magis est ista neganda, Christus, secundum quod homo, est Deus, quàm sit affirmanda.

Art. præc. in cor. & ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod non secundum idem conuenit alicui moueri ad aliquid, & esse illud: nam moueri conuenit alicui ratione materiæ vel subiecti, esse autem in actu, ratione formæ. Et similiter non secundum idem conuenit Christo ordinari ad hoc, quod sit Deus per gratiam vnionis, & esse Deum. Sed primum conuenit sibi secundum humanam naturam, secundum verò, secundum diuinam. Et ideo hæc est vera, Christus secundum quod homo, habet gratiam vnionis: non tamen ista, Christus secundum quod homo, est Deus.

Ad secundum dicendum, quòd Filius hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata, non virtute humanæ naturæ, sed virtute naturæ diuinæ. In qua quidem natura diuina consistit potestas dimittendi peccata per authoritatem: in humana autem natura consistit instrumentaliter, & per ministerium. Vnde Chrys. super Matth. * hoc exponens dicit: Signanter dixit, In terra dimittendi peccata: vt ostenderet, quod humanæ naturæ potestatē diuinitatis vniuit indiuisibili vnione: quia etsi factus est homo, tamen Dei verbum permansit.

Hom. 30. in Matth. circa med. tom. 2.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, iste homo, pronomen demonstratiuum hoc, nomen homo, trahit ad suppositum. Et ideo magis est hæc vera, Christus secundum quod iste homo, est Deus, quàm ista, Christus, secundum quod homo, est Deus.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm hæc sit vera, Christus secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

112 Ad dvodecimvm sic proceditur. Videtur quòd Christus secundum quòd homo, sit hypostasis vel persona. Illud enim quod conuenit cuilibet homini, conuenit Christo, secundum quod est homo. est enim alijs hominibus similis: secundum illud Phil. 2. In similitudinem hominum factus: Sed omnis homo est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

3. dist. 10. q. 1. art. 2. & Rom. 1. lect. 3. col.

¶ 2 Præterea, Christus secundum quod homo, est substantia rationalis naturæ, non autem substantia vniuersalis: ergo substantia indiuidua. Sed nihil aliud est persona, quam rationalis naturæ indiuidua substantia, vt Boëtius dicit in li. de duab. nat. * Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Aliquantulum à pr. f. in 3. part.

¶ 3 Præterea, Christus secundum quod homo, est res humanæ naturæ, & suppositum & hypostasis eiusdem naturæ. Sed omnis hypostasis & suppositum & res humanæ naturæ, est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Sed contra, Christus secundum quod homo, non est persona æterna. Si ergo Christus secundum quod homo, sit persona, sequeretur quòd in Christo sint duæ personæ, vna temporalis & alia æterna. Quod est erroneum, vt supra dictum est. *

Quæst. 2. a. 3. & 6.

CONCLVSIO.

Hæc propositio, Christus secundum quod homo, est hypostasis vel persona, vera est, si vox, homo, in reduplicatione, accipiatur ratione suppositi, vel naturæ, cui competit esse in aliqua persona, non quidem humana, sed diuina.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, * iste terminus homo, in reduplicatione positus, potest accipi vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Cum ergo dicitur, Christus secundum quod homo, est persona, si accipiatur ratione suppositi, manifestum est, quod Christus secundum quod homo, est persona, quia suppositum humanæ naturæ nihil est aliud quam persona Filij Dei. Si autem accipiatur ratione naturæ, sic potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt intelligatur, quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona. Et hoc etiam modo verum est: omne enim quod subsistit in humana natura, est persona. Alio modo potest intelligi, vt naturæ humanæ in Christo propria personalitas debeatur, causata ex principijs humanæ naturæ. Et sic Christus secundum quod homo, non est persona, quia humana natura non est per se seorsum subsistens à diuina natura, quod requirit ratio personæ.

a. in hu. quæst.

Ad primum ergo dicendum, quòd omni homini conuenit esse personam, secundum quod omne subsistens in humana natura est persona. Sed hoc est proprium homini Christo, quòd persona subsistens in humana natura eius non sit causata ex principijs humanæ naturæ, sed sit æterna. Et ideo vno modo est persona, secundum quod homo, alio modo non, sicut dictum est. *

In co. art.

Ad secundum dicendum, quòd substantia indiuidua, quæ ponitur in diffinitione personæ, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab alijs: alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quædam indiuidua: quia tamen est substantia indiuidua, sicut in alio existens, non potest dici persona. Et eadem ratione nec humana natura in Christo: quæ tamen potest dici indiuiduum, vel singulare quoddam.

Ad tertium dicendum, quod sicut persona significat quid completum, & per se subsistens in natura rationali, ita hypostasis, suppositum & res naturæ in genere substantiæ significant quiddā per se subsistens. Vnde sicut humana natura non est per se persona seorsum a persona Filij Dei, ita etiam non est per se hypostasis, vel suppositum vel res naturæ. Et ideo in sensu, in quo negatur ista, Christus secundum quod homo, est persona, oportet etiam negari omnes alias.

DISPVTATIO VIII.

De consequentibus vnionem Hypostaticam.

Via ad vnionem Hypostaticam sequitur, Deum esse hominem, & hominem esse Deum, ac multa attribui Deo per communicationem idiomatum, quæ sunt propria hominis; & è contra, multa attribui homini, quæ sunt propria Dei: ideo in præsenti cùm D. Thom. examinamus veritatem similium propositionum.

DVBIVM I.

Vtrùm hæ propositiones, Deus est homo, homo est Deus; sint vera, propria, & necessaria.

Svpponendum est, quòd Dialectici habitudinem siue affectionem prædicati ad subiectum, vocant materiam; & diuidunt in triplicem; videlicet naturalem siue necessariam, quando prædicatum non potest non conuenire subiecto, vt Petrus est homo; contingentē, quando prędicatum potest conuenire, & non conuenire subiecto, vt Petrus est albus; & remotam siue impossibilem, quando prædicatum non potest conuenire subiecto, vt Petrus est lapis. In præsenti igitur quæritur, vtrùm in prædictis propositionibus, verè & propriè prædicatum conueniat subiecto, & quomodo: an scilicet necessariò, an contingenter; ac proinde sint in materia naturali, an contingenti. Certum est enim apud omnes Catholicos, quòd non sunt in materia remota; nam de fide est quòd per mysterium Incarnationis, natura diuina & humana sunt substantialiter vnitæ in eadem persona Verbi diuini; quamuis secundùm se sint maximè distantes. Dicitur autem tunc materia remota, quando res importatæ per prædicatum & subiectum, ita sunt incompossibiles, vt non possint simul vnitæ vnum quid componere.

Prima opinio, sed hæretica, negat prædictas propositiones esse veras. Hanc sequuntur Arriani, Nestoriani, & alij asserentes Christum

Dominum verè non esse Deum. Probatur 1. ex Athanasio in suo Symbolo, vbi ait: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus: sed istæ propositiones non sunt veræ, anima est caro, caro est anima: ergo nec illæ, Deus est homo, homo est Deus. Deinde prædicata absoluta dicta de Deo, conueniunt singulis personis Sanctissimæ Trinitatis: ergo cùm hoc prædicatum absolutum, Homo, secundùm fidem non conueniat Patri & Spiritui Sancto, nec etiam conuenit Filio; vnde absolutè ista propositio est falsa, Deus est homo. Denique tres diuinæ personæ magis inuicem vniuntur, quàm natura diuina & humana in Christo: sed diuinæ personæ non prædicantur de se inuicem, etiam posita tali vnione; non enim potest dici, quòd Pater sit Filius: ergo nec diuina & humana natura possunt ad inuicem prædicari; & consequenter prædictæ propositiones non sunt veræ.

Secunda opinio Durandi in 3. d.4. q.1. asserit has propositiones, Deus est homo, homo est Deus, non esse ita proprias, ac istam; Petrus est homo. Probatur; vbi est maior identitas prædicati cum subiecto, ibi est maior proprietas propositionis, quæ in hac identitate fundatur: sed in hac propositione, Petrus est homo, est maior identitas prædicati cum subiecto, quàm in istis, Deus est homo, homo est Deus; nam fieri non potest, quòd Petrus non sit homo; fieri tamen potest, quòd Deus non sit homo, & homo non sit Deus: ergo istæ propositiones non sunt tam propriæ, ac illa. Deinde, duæ naturæ, etiam eiusdem suppositi, sunt partes constitutiuæ ipsius: sed partes non prædicantur, etiam in concreto, de suo toto, nisi sumantur adiectiuè; quia pars non adæquat totum: ergo cùm Deus & homo sint substantiua, non possunt ad inuicem propriè prædicari. Denique, quando aliquod adiectiuum prædicatur propriè de aliquo, eius substantiuũ non potest propriè de illo prædicari: sed hoc adiectiuum, humanatus, prædicatur propriè de Deo, vt fides docet: ergo eius substantiuum, homo, non propriè prædicatur.

Tertia opinio eiusdem Durandi, & aliorum, affirmat prædictas propositiones esse in materia contingenti; & non naturali. Probatur, in propositione per se & naturali, prædicatũ est de intrinseca ratione subiecti, vel saltem conuenit ei necessariò, omnique contento sub eo, ac est æternæ veritatis; vnde non potest esse falsa, vt communiter docent Philosophi: sed in prædictis propositionibus hæc omnia deficiunt; nam homo non est de intrinseca ratione Dei, autè contra, nec necessariò Deus & homo vniuntur, imò summè liberè; nec homo conuenit omni personæ diuinæ contentæ sub Deo, scilicet Patri & Spiritui Sancto; nec Deus conuenit omni homini; nec tandem hæ propositiones sunt æternæ veritatis, sunt enim tantùm veræ post celebratum mysterium Incarnationis, & potuerunt esse falsæ, quia Deus liberè factus est homo: ergo non sunt in materia naturali, sed contingenti. Deinde, propositio per se est vera formaliter, etiam cum reduplicatione; sicut enim verum est quòd homo est animal, sic verum est quòd homo in quantùm homo est animal: sed hæc non est vera, Deus in quantùm Deus est homo, aut homo in quantùm homo est Deus: ergo nec istæ propositiones sũt per se, & in materia naturali, Deus est homo, homo est Deus. Denique, propositio non transit de materia in materiam: sed hæc, Deus est homo, ante Incarnationem erat in materia remota: ergo post Incarnationem non est in materia naturali.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd sequentes propositiones sunt veræ, propriæ, directæ, ac per se in materia naturali. Iesus est homo, Christus est homo, & aliæ in quibus subiectum significat personam Verbi subsistentem in duabus naturis. Sicut & istæ, Iesus est Deus. 2. Idem dicendum de istis, supposito mysterio Incarnationis, Filius Dei est homo, Verbum diuinum est homo: sed hoc ratione suppositi, non autem ratione formæ importatæ per subiectum. 3. Ac tandem ista, Deus est homo: propter præcedentem, Filius Dei est homo; & consequenter etiam ista, homo est Deus.

Probatur prima pars conclusionis, quam communiter sequuntur Thomistæ, ac plures alij. Illa propositio est vera, propria, directa, ac per se in materia naturali; in qua natura specifica prædicatur in concreto de indiuiduo sub illa cõtento, vt patet in ista, Petrus est homo, & sic de omnibus aliis; in his enim superius essentiale prædicatur de suo inferiori: sed in prædictis propositionibus natura specifica prædicatur in concreto de indiuiduo sub illa contento; nam secundùm fidem, Iesus est homo, Christus est hic homo, siue indiuiduum humanum: ergo prædictæ propositiones sunt veræ, propriæ, directæ, ac per se in materia naturali. Deinde, prædictæ propositiones sunt æternæ veritatis; nam ibi importatur suppositum diuinum Filij subsistens simul in diuina, & humana natura: constat autem quòd tale suppositum vt subsistit in natura diuina, est Deus; vt verò subsistit in natura humana, est homo: sed propositiones æternæ veritatis sunt veræ, propriæ, ac per se in materia naturali: ergo & prædictæ. Denique, hæc propositio, hic homo (demonstrato Christo) est homo, est propositio vera, propria, directa, ac per se in materia naturali; quia prædicatum est de ratione subiecti: ergo & prædictæ ob eandem rationem; nam Iesus & Christus verè & propriè sunt hic homo. Hæ rationes etiam probant de istis, Iesus est Deus, Christus est Deus: quamuis enim natura diuina non sit vna specie, sed vna numero; tamen æquè

æquè propriè, imò magis prædicatur de diuinis personis, quàm si esset specifica, propter maiorẽ identitatẽ cum suis suppositis, quasi cum indiuiduis: sed hæc nomina, Iesus, & Christus, important suppositum filij diuinum, subsistens tam in natura diuina, quàm in humana: ergo natura diuina in concreto magis propriè prædicatur de Iesu, & Christo, quàm natura specifica de suo indiuiduo, ac proinde verè, propriè, directè, ac per se in materia naturali.

Probatur secunda pars conclusionis: tum communi penè consensu Theologorum: tum authoritate & ratione D. Th. hîc ar. 9. ad 3. vbi ait, quòd terminus positus à parte subiecti tenetur pro supposito, positus autem à parte prædicati refertur ad naturam: vnde in his propositionibus Filius Dei est homo, Verbum diuinum est homo, significatur quòd suppositum diuinum subsistat in natura humana, ac proinde quòd sit suppositum naturæ humanæ, quod verum est secundùm fidem: ergo cùm illæ propositiones, in quibus natura in concreto prædicatur de suo supposito, sint veræ, propriæ, directæ, ac per se in materia naturali; vt patet in istis, Petrus est homo, Paulus est homo; etiam istæ, Filius Dei est homo, Verbum diuinum est homo. Nec obstat primò, quòd hîc importatur suppositum diuinum, & non humanum intrinsecè. Quia sufficit quòd sit humanum extrinsecè in quantum terminat naturam humanam: nam æquè, ac excellentiori modo ipsi vnitur intrinsecè, ipsam terminat, ac facit tam perfectam compositionem per modum actus cum ipsa per modum potentiæ, ac si esset suppositum intrinsecè humanum; vnde supposito mysterio Incarnationis, cum eadem proprietate, & necessitate prædicatur de ipso, ac prædicaretur de proprio. Nec obstat secundò quòd Filius Dei coniungatur liberè & contingenter cum natura humana. Quia propositio per se diiudicatur penes modum quo eius attributum afficit suum subiectum, & non penes modum quo ei aduenit: ergo cùm hæc propositio, homo est risibilis sit vera, propria, directa, ac per se in materia naturali: non obstante compositione purè accidentali quam facit, quia afficit subiectum aliquo modo necessariò; multò magis prædictæ, in quibus prædicatum & subiectum vniuntur per se; non quidem essentialiter, sed substantialiter, vt dictum est: faciunt enim vnum per se, & non vnum per accidens, vt patet: & hoc indissolubili nexu.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc art. 1. vbi sic ait. Quia ergo persona Filij Dei, pro qua supponit hoc nomen, Deus, est suppositum naturæ humanæ; verè & propriè hoc nomen, homo, potest prædicari de hoc nomine, Deus, secundùm quod supponit pro persona Filij Dei: & hoc quantùm ad primam. Quantùm ad secundam sic ait ar. 2. hæc est vera & propria, homo est Deus; hoc enim nomen, homo, potest supponere pro quolibet hypostasi humanæ naturæ, & ita potest supponere pro persona Filij Dei, quam dicimus esse hypostasim humanæ naturæ: manifestum est autem quòd de persona Filij Dei verè & propriè prædicatur hoc nomen, Deus; vnde relinquitur quòd hæc sit vera & propria, homo est deus. Radix huius est, quia Deus, aut homo ex parte subiecti, licèt secundùm se contineat omne subsistens in natura diuina aut humana; tamen ratione prædicati restringitur; quia ex Logicis prædicatum ad se trahit subiectum, & determinat: vnde in ista propositione, Deus est homo, ly, Deus, supponit tantùm pro Filio Dei ratione prædicati; solus enim Filius Dei ex aliis diuinis personis est homo: sicut in ista, Deus generat, ly, Deus, supponit tantùm pro Patre: ergo cùm hæc propositio, Filius Dei est homo, sit vera, propria, directa, ac per se in materia naturali; etiam ista æquiualens, Deus est homo: & similiter eius conuersa, homo est Deus; ly enim, homo, supponit ratione prædicati, solùm pro persona filij subsistente in natura humana. Deinde, quòd istæ propositiones sint veræ, constat authoritate Ecclesiæ. Quòd sint propriæ etiam constat, quia in illis prædicatum & subiectum sumuntur in propria significatione, & prædicatum propriè inest subiecto. Quòd deinde sint directæ, patet; quia superius per se prædicatur de suo inferiori, vel quasi inferiori. Denique quòd sint per se in materia naturali, satis patet ex dictis; quia non pertinent ad materiam remotam, cùm sint affirmatiuæ veræ; extrema enim significata vniuntur: nec pertinent ad materiam contingentem, quia non faciunt compositionem accidentalem, sed per se substantialem: ergo pertinent ad materiam naturalem; nulla enim alia superest ex Logicis.

Ad primum ergo dicendum cum D. Th. hîc art. 1. ad 3. quòd anima & caro significantur vt in abstracto, sicut diuinitas & humanitas: in concreto verò dicuntur animatum & carneum siue corporeũ; sicut & ex alia parte Deus & homo: vnde vtrobique abstractum non prædicatur de abstracto, sed solum concretum de concreto. Ad aliud dicendum cum D. Thom. ibidem ad 4. quòd hoc nomen, homo, prædicatur de Deo ratione vnionis in persona: quæ quidem vnio relationem importat, & ideo non sequitur regulam eorum nominum, quæ absolutè prædicantur de Deo ab æterno. Ad aliud dicendum cum D. Th. ibidem ad 2. quòd tres Personæ diuinæ conueniunt in natura; distinguntur tamen in supposito, & ideo non prædicantur de se inuicem: in misterio autem Incarnationis, naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de se inuicem non prædicantur, secundùm quod significantur in abstracto, non enim na-

tura diuina eſt humana: ſed quia conueniunt in ſuppoſito, prædicantur de ſe inuicem in concreto.

Ad ſecundum dicendum, quòd ad prædicationem propriam non eſt neceſſaria identitas prædicati & ſubiecti in eſſe rei; imò nec nexus indiſſolubilis ex natura rei: ſed tantùm identitas in eſſe prædicati & ſubiecti, inquantùm hæc duo debent eſſe quid vnum, provt enunciantur in propoſitione;quod contingit in præſenti:nam Deus vt hic ponitur pro Verbo incarnato tanquam ſubiectum, & homo tanquam prædicatum, ſunt aliquid maximè vnum, ſcilicet vnica perſona ſubſiſtens ſimul in natura diuina & humana: vnde quòd Deus potuerit non aſſumere humanitatem, aut poſſit illam relinquere, eſt per accidens ad illas propoſitiones. Ad aliud dicẽdum, quòd licèt naturæ partiales non prędicentur in concreto de ſuo toto, niſi adiectiuè; benè tamen naturæ integræ exiſtentes in vno & eodem ſuppoſito. Ratio eſt, quia natura integra in concreto ſignificatur vt totum ſuperius; vnde poteſt prædicari de ſuis inferioribus: naturæ verò partiales non habent rationem totius, ſed ſemper ſunt partes; vnde non prædicantur ſubſtantiuè & in recto de ſuo toto, quia illud non adæquant. Ad aliud dicendum, quòd ly, humanatus, non ſumitur vt adiectiuum hominis, ſed vt participium verbi, humano,quod importat fieri hominem; vnde cùm Deus verè ſit factus homo, vtraque propoſitio eſt vera, Deus eſt homo, Deus eſt humanatus.

Ad tertium dicendum, quòd in hac propoſitione, Deus eſt homo, ly,Deus,ſumitur determinatè pro perſona Filij Dei ſubſiſtente in humanitate, de cuius, vt ſic conſiderati, eſſentia, eſt hoc prædicatum, homo. Nec habet aliquid aliud ſub ſe contentum præter perſonam filij, cui prædicatum debeat conuenire: eſtque hæc propoſitio æternæ veritatis, quæ non importat actualem vnionem prædicati cum ſubiecto, quia copula verbalis, eſt, abſoluit à tempore; ſed ſolùm importat quòd dato tali ſubiecto,debeat illud conſequi prædicatum, quod contingit in præſenti; non enim poteſt dari perſona filij ſubſiſtens ſimul in diuina & humana natura, quin ſit Deus homo. Ad aliud dicendum, quòd Maior eſt vera, quando attributum & ſubiectum propoſitionis dicuntur omninò conuertibiliter, & non aliàs: Philoſophi enim ponunt diſcrimen inter propoſitionem per ſe, & propoſitionem ſecundum quod ipſum: vnde hæc propoſitio, homo eſt ſenſitiuus, eſt per ſe; & non ſecundum quod ipſum: propterea quia prædicatum & ſubiectum non dicuntur conuertibiliter: non enim valet, homo eſt ſenſitiuus: ergo homo in quantùm homo eſt ſenſitiuus; quia eſſe ſenſitiuum non conuenit homini in quantùm eſt homo,ſiue ſecundùm differentiam ſpecificam;ſed in quantùm eſt animal, ſiue ſecundùm rationem genericam: & idem dicendum in hac propoſitione,Deus eſt homo; Deus enim & homo non omninò conuertuntur ſed ex diuerſo capite dicuntur. Ad aliud patet ex dictis: quòd hæc propoſitio, Deus eſt homo, nunquam fuit in materia remota, aut contingenti; provt ly, Deus, ſupponit pro perſona diuina ſubſiſtente in natura humana.

DVBIVM II.

Vtrùm in Chriſto Domino ſit admittenda communicatio idiomatum: & quando.

Svpponendum eſt, quòd communicatio idiomatum nihil eſt aliud vniuerſaliter ſumpta, quàm mutua attributio, ſiue naturarum, ſiue proprietatum, ſiue eorum quæ conueniunt diſtinctis naturis vnitis inter ſe. Quod poteſt fieri, vel in concreto, vel in abſtracto.

Prima opinio, ſed hæretica, Neſtorij & ſequacium aſſerit quòd ea, quæ pertinent ad humanam naturam, non poſſint dici de Deo; nec ea quæ pertinent ad diuinam naturam, poſſint dici de homine: & tantùm admittit hanc idiomatum communicationem, quando nomina pertinere poſſunt ad vtramque naturam, vt eſt Chriſtus,Dominus,&c. tũc enim concedit poſſe de talibus prædicari ea quæ ſunt vtriuſque naturæ: ſicut quòd Chriſtus natus ſit de Virgine; quòd ſit ab æterno; non tamẽ quòd Deus ſit natus de Virgine, aut homo ſit ab æterno. Fundamentum huius eſt; quia in Chriſto ponebat duas hypoſtaſes. Probatur; non poſſunt prædicari oppoſita de eodem: ſed quæ ſunt humanæ naturæ, opponuntur his quæ ſunt diuinæ; vt potè creatum increato; mutabile immutabili, &c. ergo de eodẽ, aut de ſe inuicem non poſſunt prædicari. Deinde, hoc derogat diuino honori, quòd de Deo prædicentur ea quæ important defectum: ſicut ſunt humana. Deniqué, Aſſumi, quod eſt naturæ humanæ, non poteſt prædicari de Deo: ergo in Chriſto Domino non eſt admittenda communicatio idiomatum.

Secunda opinio, etiam hæretica, eſt in alio extremo: aſſerit enim ſic admittendam eſſe communicationem idiomatum in Chriſto, vt perfectiones & proprietates diuinæ naturæ fuerint communicatæ humanitati eius, per dona quædam ſupernaturalia, ratione quorum humanitas ſit omnipotens, omniſcia, immenſa &c. quam dicit eſſe communicationem maieſtatis; ac explicat exemplo ferri igniti, quod habet ab igne proprietates ipſi ſimiles, ſed diſtinctas. Sequaces huius opinionis ſunt diuiſi: Aliqui enim dicunt vnionem hypoſtaticam nihil aliud eſſe,quàm talem communicationem: Alij verò aſſerunt hanc communicationem ſequi ad vnionem hypoſtaticam: Probatur ex Scriptura,

ptura, vbi humanitas dicitur exaltata. Marci vltimo; Sedet à dextris Dei. Dicitur recepisse potestatem; Matthæi 20. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et cap. 11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: Et sanguis dicitur in Christo esse infinitæ virtutis. Maximè cùm sit eadem ratio de subsistentia diuina quæ communicata est humanitati, ac de aliis attributis. Deinde, humanitas Christi est vbique, ex illo Matthæi 28. Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Ad Ephes. 4. Ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia; vnde habuit attributum immensitatis: quod patet multiplici ratione, nam humanitas est inseparabilis à Verbo, quod est vbique; ac proinde etiam humanitas est vbique; alioquin ad motum humanitatis moueretur Verbum, & alicubi esset homo, & alibi non: quæ omnia sunt repugnantia; vnde quia Christus est Verbum, & verbum est vbique ac immensum, ita etiam Christus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd in Christo Domino secundùm fidem, admittenda sit cōmunicatio idiomatum. 2. Non per hoc quòd proprietates diuinæ naturæ sint communicatæ humanitati: 3. Sed per hoc quòd sit eadem hypostasis diuinæ & humanæ naturæ in Christo: & propterea ea quæ conueniunt Filio hominis, prædicantur de Filio Dei; & è contra: ita tamen quòd ea quæ sunt naturæ diuinæ prædicentur de Christo secundùm diuinitatem, siue in quantum est Deus: ea verò quæ sunt humanæ naturæ, prædicentur de eo secundùm humanitatem, siue in quantum est homo. 4. Nomina igitur concreta pertinentia ad vtramque naturam, possunt indifferenter prædicari de se inuicem; siue subiectum significet vtramque naturam simul; vt hoc nomen, Christus; siue solam diuinam naturam; vt Deus, Filius Dei, & Verbum diuinum; siue solam humanam, vt homo, Filius hominis, & Iesus: 5. Non autem in abstracto.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, vbi Christo homini tribuuntur, quæ sunt Dei. Ioannis 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Et cap. 8. Antequā Abraham fieret, ego sum. 1. ad Cor. 2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Idem habetur passim in Conciliis, Ephesino & Chalcedonensi. Et in Sanctis Patribus, Damasceno lib. 3. de Fide, cap. 3. vbi ait; Verbum, ea quæ humanitati conueniunt, sibi vendicat: ac vicissim carni, quæ sua sunt, impertit; communicationis videlicet ratione, ob mutuam partium inter se communicationem, ac personalem vnionem: Idem fusiùs ostendit cap. 4. Bernardo, lib. 5. de Consideratione, cap. 9. vbi ait; Tantam, támque expressam vnionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus & homo vnus est Christus, vt si duo illa de se inuicem prædices, non erraueris: Deum enim hominem, & hominem Deum verè catholicéque pronuncians. Idem frequenter occurrit apud alios Sanctos Patres. Deinde probatur ratione; Modus prædicandi sequitur modum essendi: vnde cùm plura insunt vni & eidem, ratione illius communis cui insunt; de se inuicem prædicantur: dicitur enim quòd album est dulce, & dulce album, ratione saccari, vel lactis, in quibus dulcedo & albedo vniuntur: ergo cùm in eadē persona Filij Dei, vniantur natura diuina & humana verè & realiter cum suis proprietatibus; verè & realiter tales naturæ, earúmque proprietates de se inuicem prædicantur.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum, qui dicunt vnionem Verbi diuini cum humanitate factam fuisse in persona, saluis vtriusque naturæ proprietatibus: vnde Chalcedonense Actione 5. ait, Saluâ vtriusque naturæ proprietate, & in vnam concurrente personam. Aug. sermone 191. de tempore ait; Illorum quoque execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore acceptæ carnis, omnia quæ erant diuinitatis, in hominem demigrasse. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 4. ait; Nec rursus carnī siue humanitati ea tribuimus, quæ diuinitati propriè conueniunt. Deinde, est impossibile quòd creatura, qualis est humanitas Christi, habeat proprietates diuinæ naturæ; nam proprietates commensurantur suæ essentiæ; vnde sunt ab illa inseparabiles, & incommunicabiles alteri naturæ: quod maximè conuenit proprietatibus diuinis, quæ habent modum infinitatis, & oppositionem contradictoriam cum creatura; v. g. esse increatum, esse omninò immutabile tam ab extrinseco quàm ab intrinseco, esse æternum siue mensurari æternitate ob immutabilitatem, esse independens, esse immensum, & sic de aliis: ergo communicatio idiomatum non fundatur in hoc, quòd proprietates diuinæ naturæ sint communicatæ humanitati Christi.

Probatur tertia pars conclusionis: tum communi consensu Theologorum cum D. Th. hîc art. 4. tum ratione eiusdem S. Doctoris, quam sic proponit; Cùm sit eadem hypostasis vtriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque naturæ: siue ergo dicatur homo, siue Deus, supponitur hypostasis diuinæ & humanæ naturæ; & ideo de homine possunt dici ea quæ sunt diuinæ naturæ, tanquam de hypostasi diuinæ naturæ; & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ. Sciendum tamen quòd in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solùm attenditur quid sit illud, de quo prædicatur prædicatum, sed etiam secundùm quid de illo prædicetur: quamuis ergo

non distinguantur ea quæ prædicantur de Christo, distinguntur tamen secundùm id, secundùm quod vtrumque prædicatur: nam ea quæ sunt diuinæ naturæ, prædicantur de Christo secundùm diuinam naturam; ea autem quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundùm humanam naturam. Ex quo sequitur quòd communicatio idiomatum in Christo, non est ipsa vnio hypostatica, sed ad illam sequitur, & in illa fundatur, in quantùm per illam hypostasis Verbi diuini fit communis diuinæ & humanæ naturæ.

Probatur quarta pars conclusionis ratione adducta D. Thom. Nomina concreta vtriusque naturæ significant suppositum, siue hypostasim, in qua concurrunt & vniuntur in Christo duæ naturæ, nam Deus significat habens diuinitatem; & homo significat habens humanitatem: ergo cùm in Christo idem sit suppositum habens simul diuinitatem, & humanitatem; nomina concreta vnius naturæ possunt prædicari de nominibus concretis alterius.

Probatur quinta pars conclusionis. In omni vera prædicatione, extrema debent esse quid vnum; quia modus prædicandi sequitur modum essendi, ac proinde requiritur identitas realis inter prædicatum & subiectum, vel saltem identitas suppositi, aut subiecti quod in prædicato & subiecto importatur: sed in Christo natura diuina cum suis proprietatibus, non est quid vnum cum natura humana eiusque proprietatibus; quia secundùm fidem manent inconfusæ, impermixtæ, ac inter se distinctæ: & vt significantur in abstracto, ex vi suæ significationis abstrahunt à subiecto, & significantur vt formæ puræ per se stantes, siue absque ordine ad subiectum, ac proinde vt sic non important identitatem subiecti vel suppositi: ergo non possunt de se inuicem prædicari in abstracto; vnde hæc est falsa; Diuinitas est humanitas: vnde si quæ similes inueniuntur apud Sanctos Patres, non sunt vsurpandæ, sed piè exponendæ de concreto, quia sunt simpliciter falsæ, non solùm in sensu formali, sed etiam in sensu identico: sicut & istæ: Homo est deitas: & Deus est humanitas: in his enim significatur quòd deitas & humanitas sint idem: Deus enim & homo supponunt formaliter, & non materialiter, sicut patet in ista; Deus est paternitas.

Ad maiorem euidentiam dictorum, & eorum quæ dicentur in dubiis sequentibus, notandæ sunt quædam regulæ. Prima traditur à D. Th. q. 19. de veritate, art. 1. ad 1. sic; Illa quæ nata sunt personæ conuenire ratione sui ipsius, non possunt dici de Christo, si habent repugnantiam ad proprietates personæ æternæ, quæ sola in eo est, sicut patet de hoc nomine, Creatura: ea verò quæ non sunt nata conuenire personæ, nisi ratione naturæ, vel partis naturæ, possunt dici de Christo, quamuis habeant repugnantiam ad personam æternam: & hoc propter dualitatem naturarum, sicut pati, & mori, & alia huiusmodi. Secunda regula est; quicquid dicitur de Verbo Diuino personaliter vel essentialiter, illud etiam propriè dicitur de Christo homine mortali, in recto casu per terminos concretos, vt quòd sit Filius Patris æterni, Vnigenitus, Spirator; Deus, Creator, Immensus: & è contra, quicquid dicitur de homine essentialiter & necessariò, vel accidentaliter de hoc homine Christo, dicitur etiam de Filio Dei, vt quòd constet anima & carne; quòd habeat intellectum, appetitum, quòd natus sit, quòd mortuus fuerit, & resurrexerit. Ratio huius est, quia in omni propositione per se, quicquid dicitur de attributo, dicitur etiam de subiecto, vt constat ex Logicis: ostensum est autem has propositiones, Deus est homo; homo est Deus, esse per se.

Ad primum ergo dicendum cum D. Thom. hic art. 4. ad 1. quòd opposita prædicari de eodem secundùm idem, est impossibile, sed secundùm diuersa nihil prohibet: & hoc modo opposita prædicantur de Christo, non secundùm idem, sed secundùm diuersas naturas. Ad aliud dicendum, quòd esset blasphemia attribuere Deo secundùm diuinam naturam, quæ pertinent ad defectum; non autem secundùm humanam naturam, quam propter nos assumpsit, cum omnibus defectibus ipsam vniuersaliter consequentibus, excepto peccato, & ignorantia. Ad aliud dicendum, quòd Assumi conuenit soli naturæ, & repugnat supposito; vnde non potest prædicari de Deo.

Ad secundum dicendum, quòd ex vnione hypostatica ad personam Verbi, humanitas habet hanc excellentiam, dignitatem, & potestatem: sicut & sanguis infinitum valorem. Ad aliud dicendum, quòd attributa habentur per modum proprietatis; vnde sunt vt formæ in subiecto: subsistentia autem non inest; sed potius terminando naturam dat ei esse per se, ac facit eam capacem proprietatum. Ad aliud dicendum, quòd primus locus, vel intelligitur de præsentia Christi in Eucharistia, vel de præsentia, non quidem corporali, sed spirituali & virtuali per continua auxilia: Alius locus solùm intendit Christum Dominum, per Ascensum in cœlum, impleuisse omnia, non simul, sed successiuè; iam enim sua Maiestate impleuerat terram, mare, inferos; deerant cœli implendi. Ad aliud dicendum, quòd quando extrema vnita non sunt adæquata, vbi est vnum, non est semper aliud, vt patet in anima quæ est vnita capiti, & tamen est in pedibus vbi non est caput: & idem accidit in præsenti: quia verò Verbum est vbique, sequitur quòd non moueatur, etiam per accidens, ad motum humanitatis assumptæ: sicut nec Deus ad motum rerum in quibus est, nam moueri est acquirere

de

de nouo locum: Nec est inconueniens concedere quòd Verbum diuinum alicubi sit homo, & alibi non: hoc enim tantùm importat, quòd assumpta humanitas eius sit alicubi cum ipso, & non vbique cum ipso. Nec aliud conuincit vltima ratio, quàm quòd Christus vt Verbum, & Deus, siue secundùm diuinitatem sit vbique; non autem vt homo, siue secundùm humanitatem.

DVBIVM III.

Vtrùm hæ sint veræ: Deus factus est homo: & homo factus est Deus.

SVpponendum est, aliqua prædicata dici de Christo Domino reduplicatiuè, alia verò tantùm specificatiuè: illa igitur prædicata, quæ non dicuntur præcisè de sola natura humana, vel sola diuina; sed tantùm dicuntur de Christo Domino secundùm vtramque naturam simul, siue quatenus est Deus homo, non possunt de eo dici cum reduplicatione termini tantùm diuini, vel tantùm humani, sed vtriusque simul; vt mereri infinitè, esse mediatorem Dei & hominum, esse Redemptorem &c. possunt tamen dici de Christo Domino vt homine, (sumpta particula, vt, vel simili, specificatiuè;) non autem de Christo vt Deo (sumpta particula, vt, eodem modo specificatiuè) ita D. Thom. infra quæst. 22. art. 3 ad 1. vbi ait, quòd Christus non fuit sacerdos secundùm quòd Deus, sed secundùm quòd homo: & quæst. 26. art. 2. vbi dicit, quòd Christus Dominus fuit mediator secundùm quòd fuit homo, & non secundùm quòd fuit Deus. Et ratio est; quia hæc prædicata conueniunt personæ Christi secundùm humanam naturam, & non secundùm diuinam: ac proinde quando determinatur & specificatur id secundùm quod conueniunt, debet assignari humanitas, & non deitas tanquam subiectum, quo: licèt persona diuina Filij sit subiectum, quod. Similiter, prædicata propria diuinæ naturæ non possunt dici de Christo vt homine reduplicatiuè; vt, Christus quatenus homo est Deus, omnipotens, &c. sicut prædicata propria humanæ naturæ non possunt dici de Christo vt Deo; sicut, Christus quatenus Deus est homo, mortalis, &c. benè tamen specificatiuè, vt, Christus Deus est homo, Christus homo est Deus.

Prima opinio potest esse, quòd hæc prima propositio, Deus factus est homo, non sit vera. Probatur, hæc non est vera, Deus factus est Deus: ergo nec alia; quia hæc sequitur ex alia: nam hic homo (demonstrato Christo) est Deus, ac proinde si Deus factus est hic homo, factus est Deus. Deinde, si Deus filius verè dicatur homo factus, diceretur etiam simpliciter minor Patre, quod est hæresis Arrij. Denique, sequitur quòd Deus posset dici simpliciter factus, & mutatus: quia fieri hominem, cùm sit substantia, est simpliciter fieri & mutari.

Secunda opinio asserit, quòd secunda propositio, homo factus est Deus, sit simpliciter vera. Probatur authoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Ad Rom. 1. dicitur, quòd ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem Aug. 1. de Trinitate cap. 13. ait, Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Idem dicit Athanasius lib. de natura humana suscepta à Verbo, & alij. Deinde, non apparet cur non sit admittenda conuersio simplex inter has duas propositiones; Deus factus est homo: ergo homo factus est Deus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum; quòd hæc propositio, Deus factus est homo, sit vera: 2. Hæc verò alia sit falsa, homo factus est Deus.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Scripturæ, Ioannis 1. Verbum caro factum est, idest Filius Dei factus est homo, vt communiter intelligunt Sancti Patres, & Scholastici, imò & Concilia. Item authoritate D. Th. hîc ar. 6. vbi sic probat; Vnumquodque dicitur esse factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipso; quia prædicari sequitur, & supponit esse: esse autem hominem verè prædicatur de Deo; ita tamen quòd non conuenit Deo esse hominem ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ: & ideo hæc est vera, Deus factus est homo: hoc autem contingit per mutationē ipsius humanitatis, & non Dei vt dictum est: imò nec talis mutatio potest Deo attribui per communicationem idiomatum, quia hęc communicatio fundatur in vnione hypostatica completa, quam proinde debet præsupponere: hæc autem mutatio illam præcedit in facto esse, & concomitatur in fieri.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sanctorum Patrum. Athanasius lib. de Incarnatione ait, Scriptura dicit Verbum factum carnem, non carnem factam Verbum. Cyrillus lib. 3. Thesauri cap. 1. ait. Non homo factus est Deus, sed Deus factus est homo. D. Tho. autem ar. 7. sic probat; Hæc propositio, Homo factus est Deus, propriè intelligitur secundùm quòd hoc participium, factus, ponit fieri circa hominem, in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis; & in hoc sensu supposito quòd in Christo sit eadem persona, & hypostasis, & suppositum Dei & hominis, ista propositio est falsa; quia cùm dicitur, homo factus est Deus, ly, homo, habet personalem suppositionem, non enim esse Deum verificatur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi sui; suppositum autem illud humanæ naturæ de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis, seu persona Filij Dei, quæ semper fuit

fuit Deus: vnde non poteſt dici, quòd iſte homo incepit eſſe Deus, vel quòd fiat Deus, aut quòd factus ſit Deus. Impropriè tamen, vt ibidem ait D. Th. eſt vera, ſi ly, factus, determinet compoſitionem; vt ſit ſenſus, quòd virtute alicuius actionis factum eſt, vt homo ſit Deus.

Ad primum ergo dicendum, quòd homo prædicatum propoſitionis ſupponit perſonam Filij Dei, non nudam, ſed prout ſubſiſtit in humana natura; & ideo quamuis hæc ſit falſa, Deus factus eſt Deus, vel perſona Filij Dei; eſt tamen hæc vera, Deus factus eſt homo, ex co quòd eſt vnitus humanæ naturæ. Ad aliud dicendum, quòd ratione ſcandali, & ne conueniamus in verbis cum hæreticis, exprimenda eſt in propoſitione hac, Chriſtus minor eſt Patre, determinatio ſecundùm humanitatem, vel ſecundùm quòd homo ex D. Th. hìc art. 8. quamuis ſecluſo ſcandalo, poſſet ſimpliciter concedi; quia Chriſtus ait, Pater maior me eſt. Ad aliud dicendum, quòd ſuppoſitum illud quod in Chriſto dicitur homo, eſt ſuppoſitum diuinum, & non creatum; vnde ſolùm dicitur factum homo, per aſſumptionem humanitatis, & non ſimpliciter factum aut mutatum.

Ad ſecundum dicendum cum D. Th. hìc art. 7. ad 1. quòd in illa authoritate Apoſtoli, hoc relatiuum, qui, quod refert perſonam Filij Dei, non debet intelligi ex parte prædicati, quaſi aliquis exiſtens ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, ſit factus Filius Dei: ſed debet intelligi ex parte ſubiecti, vt ſit ſenſus, quòd Filius Dei factus eſt ſcilicet homo exiſtens ex ſemine Dauid. Sancti Patres autem debent intelligi in illo ſenſu, ſecundùm quòd factum eſt, vt homo eſſet Deus, & Deus homo. Ad aliud dicendum, quòd non eſt legitima illa conuerſio; quia mutatur ſuppoſitio terminorum; nam in prima, Deus factus eſt homo, ly homo, ſupponit pro ſuppoſito diuino, ratione humanæ naturæ aſſumptæ ab illo: in ſecunda autem, homo factus eſt Deus, ſupponit pro ſuppoſito humano ſecundùm ſe. Alij dicunt, quòd eſt alius defectus in hac conuerſione, quòd ſcilicet totum prædicatum non ſit ſubiectum, ſed pars prædicati; vnde debet dici, Is qui factus eſt homo eſt Deus: & ob eundē defectum non valet, Petrus factus eſt albus: ergo album factum eſt Petrus.

DVBIVM IV.

Vtrùm abſolutè poſſit dici, quòd Chriſtus ſit creatura, aut inceperit.

Prima opinio aſſerit poſſe dici abſolutè & ſine addito, quòd Chriſtus Dominus ſit creatura, & multò magis cum addito, Chriſtus vt homo: hæc tribuitur D. Bonauenturæ, noſtro Vualdenſi, Caietano, & aliis. Probatur multiplici authoritate Sanctorum Patrum, qui hoc expreſsè dicunt: & maximè D. Th. hìc art. 10. vbi habet hanc propoſitionem; Chriſtus ſecundùm quòd homo eſt creatura. Deinde; eſſe creaturam eſt prædicatum eſſentiale & quidditatiuum hominis: ſicut animal: ergo ſimpliciter debet prædicari de quocũque homine, ac ita de Chriſto; omne enim prædicatum eſſentiale prædicatur abſolutè & ſine addito de ſuo inferiori; vnde nõ minus dicetur Chriſtus creatura, aut creatus, ac dicitur temporaliter genitus: maximè ob communicationem idiomatum; ſicut dicitur abſolutè crucifixus, mortuus, &c. Denique, quilibet homo dicitur abſolutè & rigoroſè creatura, quia anima rationalis, & materia qua conſtat corpus, ſunt ex nihilo: ſed idem eſt de anima Chriſti, & materia qua conſtat: ergo abſolutè & rigoroſè debet dici creatura.

Secunda opinio aſſerit poſſe dici abſolutè & ſine addito, quòd Chriſtus Dominus, ſiue hic homo (demonſtrato Chriſto) inceperit. Ita alij qui Theologi adducentes multos Sanctos Patres. Probatur; Chriſtus ſiue hic homo (demonſtrato Chriſto) importat coniunctum ex perſonalitate Verbi & humanitate: ſed hoc verè incœpit in tempore poſt celebratum myſterium Incarnationis; ante enim non erat Chriſtus: ergo abſolutè & ſine addito poteſt dici, quòd Chriſtus incœperit. Deinde, illud dicitur incipere abſolutè & ſine addito, quod de nouo in tempore accipit eſſe ſubſtantiale exiſtentiæ, vel proprium vel alienum: ſed Chriſtus ſiue hic homo (demonſtrato Chriſto) accipit de nouo in tempore eſſe ſubſtantiale exiſtentiæ humanæ ſibi propriæ, vel ſaltem eſſe exiſtentiæ diuinæ: ergo abſolutè & ſine addito dici poteſt, quòd Chriſtus, ſiue hic homo (demonſtrato Chriſto) incepit. Denique; homo importat ſuppoſitum humanæ naturæ, & eſt aliquid ſimpliciter in determinata ſpecie ſubſtantiali: ergo cùm Chriſtus incœperit in tempore eſſe ſuppoſitum naturæ humanæ, abſolutè poteſt dici quòd incœperit.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd humanitas Chriſti Domini, eiúſque partes abſolutè & ſine addito debent dici creatura, & incœpiſſe. 2. Chriſtus autem, ſiue hic homo (demonſtrato Chriſto) non poteſt dici abſolutè creatus, aut creatura: benè cum hoc addito, ſecundùm quòd homo, ſiue ſecundùm humanam naturam: 3. Non verò ſecundùm quòd hic homo. 4. Similiter non poteſt abſolutè dici, quòd Filius Dei, aut Chriſtus, aut hic homo (demonſtrato Chriſto) incœperit: benè tamen cum hoc addito, in quantum homo, vel ſecundùm humanitatem.

Probatur prima pars concluſionis, quam omnes Scholaſtici admittunt: humanitas Chriſti Domini

Domini importat tantùm animam rationalem & corpus, ex quibus vnitis constat, tanquam ex partibus essentialibus: Sed tam anima rationalis, quàm corpus Christi sunt quid creatum; anima quidem in ipso instanti conceptionis eius & immediatè; corpus verò mediatè, vnde verè sunt creaturæ: ergo & humanitas ex illis constans verè est creatura, ac incœpit: non tamen debet dici secundùm se creata strictò modo, prout creatio importat productionem immediatam totius ex nihilo; nam reuera fuit produducta, & genita vt, quo, in purissimo vtero Beatissimæ Virginis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate multiplici D. Th. in 3. d. 11. q. 1. art. 2. vbi ait, Christus non potest dici creatura; non tantùm ad vitandum errorem Arrij, vt quidam dicunt; sed etiam ad vitandam falsitatem. Idem docet hic art. 8. & q. 29. de Veritate art. 1. ad 1. Et 4. contra Gentes cap. 48. Item duplici eius ratione. Primam sic proponit loco citato de Veritate: Illa quæ nata sunt personæ conuenire ratione sui ipsius, non possunt dici de Christo, si habeant repugnantiam ad proprietates personæ æternæ, quæ sola in eo est; sicut patet de hoc nomine, Creatura: ea vero quæ non sunt nata conuenire personæ, nisi ratione naturæ, vel partis naturæ, possunt dici de Christo; quamuis habeant repugnantiam ad personam æternam: & hoc propter dualitatem naturarum, sicut pati, & mori, & alia huiusmodi: quod autem creati, ac proinde dici creaturam, conueniat personæ vel supposito ratione sui, sic docet loco citato contra Gentes: creari enim est fieri quoddam; cùm autẽ fieri terminetur ad esse simpliciter, est eius fieri quod habet esse subsistens, & huiusmodi est indiuiduum completum in genere substantiæ; quod quidem in natura intellectuali dicitur persona, aut etiam hypostasis: formæ verò, & accidentia, & etiam partes non dicuntur fieri, nisi secundùm quid, cùm & esse non habeant in se subsistens, sed subsistant in alio: vnde cùm aliquis sit albus, non dicitur fieri simpliciter, sed secundùm quid: in Christo autem non est alia hypostasis vel persona, nisi Verbi Dei, quæ est increata: non igitur potest enunciari simpliciter: quòd Christus sit creatura; licet cum additione possit hoc dici, vt dicatur creatura secundùm quòd homo, vel secundùm humanam naturam. Quæ ratio sic potest restringi: ad vitandum errorem Arrij non debemus attribuere Christo, ea quæ conueniũt tam personæ, quàm naturæ ratione sui, si habeant repugnantiam cum persona diuina quæ vnica est in Christo: ergo cùm esse creaturam conueniat tam naturæ, quàm personæ ratione sui (imò principalius personæ, ipsa enim habet esse vt, quod,) & repugnet personæ diuinæ: non debet sine addito attribui Christo. Secundam tradit hic art. 7. ad 4. & art. 9. in corpore: Terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito: positus verò in prædicato tenetur formaliter, id est pro natura significata; & consequenter in hac propositione, Christus, vel hic homo (demonstrato Christo) est creatura, ly Christus, vel hic homo, supponunt pro supposito: sed secundùm fidem suppositum Christi, cùm sit vnicum & diuinum, non est creatura: ergo Christus, siue hic homo (demonstrato Christo) non potest dici absolutè creatus, aut creatura; benè tamen cum hoc addito, secundùm quòd homo, vel secundùm humanam naturam.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate, & ratione D. Th. hic art. 10. vbi sic ait: Et ideo hæc magis est concedenda quàm neganda, Christus secundùm quòd homo est creatura: si tamen adderetur aliquid, per quod homo traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda quàm concedenda, putà si diceretur, Christus secundùm quòd hic homo est creatura: constat enim quòd hoc pronomen demonstratiuum, hic, designat per se primò & immediatè singulare & indiuiduum, quod per prius conuenit supposito per se subsistenti, & secundariò naturæ in eodem supposito subsistenti: imò absolutè significat suppositum cum natura: ostensum est autem quòd suppositum Christi non potest dici creatura: quod magis declaratur; nam ista; Deus generat, est vera, quia supponit pro persona Patris; talia enim sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis: hæc autem est falsa; Hic Deus (demonstrato Filio) generat; vnde signum est, quòd pronomen, hic, trahit Deum ad supponendum pro supposito.

Probatur quarta pars conclusionis. In hac propositione Filius Dei incœpit, nihil connotatur pertinens ad humanitatem; sed solùm importatur persona diuina Filij, æterna, & coæterna Patri, ac proinde carens omni principio durationis: ergo non est admittenda: nam vbi est inceptio essendi, ibi est principium durationis: in ista verò propositione, Christus, vel hic homo (demonstrato Christo) incœpit; ly Christus, aut hic homo supponunt pro supposito Christi; quia vt ait D. Th. hic art. 9. terminus in subiecto positus tenetur materialiter, id est pro supposito, ob rationem iam dictam: sed de fide est, suppositum Christi vnicum & diuinum non incœpisse simpliciter, sed esse æternum, & incœpisse tantùm esse hominem, quod est incipere secundùm quid: ergo non potest absolutè dici, quòd Christus, aut hic homo (demonstrato Christo) incœperit: benè tamen cum hoc addito, in quantum homo, vel secundùm humanitatem: maximè quia sicut esse, & fieri per se primò conueniunt supposito, quod propriè habet

habet eſſe, & eſt terminus, qui, productionis non autem naturæ, quæ tantùm habet eſſe, vt quo, & non petit produci, ſed tantùm communicari, vt patet in Diuinis: ſic incipere eſſe, & incipere fieri per ſe primò conueniunt ſuppoſito; vnde non poſſunt attribui ſuppoſito diuino Chriſti Domini, cui ab intrinſeco repugnant: vnde, vt refert Caietanus, hæc propoſitio, Iſte homo (demonſtrato Chriſto) incœpit eſſe, fuit damnata in Vniuerſitate Pariſienſi: & cùm appellatum eſſet ad ſedem Apoſtolicam, illam reprobauit Alexander VI.

Ad primum ergo dicendum cum D.Th. hîc art.8. ad 1. quòd aliquando Sancti Patres & Doctores, causâ breuitatis determinatione omiſſa, nomine Creaturæ vtuntur circa Chriſtum: eſt tamen in eorum dictis ſubintelligenda determinatio, in quantum homo: & cum hac limitatione meritò admittitur à D. Th. Ad aliud dicendum, quòd eſſe creaturam eſt quidem ſuperius ad eſſe hominem purum; non autem ad eſſe hunc hominem Chriſtum, ſimpliciter, & abſolutè dictum; quia creari ac fieri per ſe primò conueniunt ſuppoſito, & non naturæ: ſuppoſitum autem Chriſti eſt increatum. Deinde, eſſe creatum non eſt prædicatum eſſentiale pertinens ad quod quid eſt hominis; ſed tantùm eſt quædam proprietas conſequens eſſe productum ex nihilo, quod in Chriſto non eſt: eſt autem diſcrimen inter genitum & creatum; nam genitum temporaliter ſecundùm naturam humanam, non excludit genitum ab æterno ſecundùm diuinam: creatum autem excludit abſolutè à ſuppoſito quod ſit increatum: communicatio autem idiomatum in Chriſto, non fit in his quæ per ſe primò conueniunt ſuppoſito, vt eſſe creaturam; & repugnant ſuppoſito diuino Chriſti Domini: eſſe autem crucifixum, mortuum, & ſimilia conueniunt ſuppoſito ratione naturæ; vnde poſſunt attribui ſuppoſito diuino, quia ſufficienter exprimitur hæc non conuenire ipſi ratione ſui, ſed tantum ratione humanitatis. Ad aliud dicendum, quòd purus homo dicitur creatura non ob productionem animæ, & corporis præcisè ex nihilo, ſed principaliter ob productionẽ eius ſubſiſtentiæ & exiſtẽtiæ ex nihilo, ex quibus conſtituitur & cõpletur ſuppoſitum.

Ad ſecundum dicendum, quòd Sancti Patres debent exponi, ita vt ſubintelligatur determinatio, in quantum homo, vel ſecundùm humanitatem: quia in illa propoſitione Chriſtus, vel hic homo, importat per ſe primò ſuppoſitum, vt dictum eſt; quamuis connotet humanitatem. Ad aliud dicendum, quòd ſuppoſitum illud, cùm ſit diuinum, non accipit de nouo eſſe exiſtentiæ, cùm exiſtat ab æterno exiſtentiâ diuinâ ſibi connaturali; vnde non incipit eſſe. Ad aliud dicendum, quòd eſſe ſimpliciter eſt ſuperius ad eſſe hominem; vnde non ſequitur, Chriſtus incœpit eſſe homo: ergo Chriſtus homo incœpit eſſe: quia ly, homo, ſecundùm quòd ponitur in ſubiecto tenetur pro ſuppoſito, ſiue ſtat materialiter: ſecundùm autem quòd ponitur in prædicato, ſtat formaliter, ſiue refertur ad naturam humanam.

DVBIVM V.

Vtrùm Chriſtus, vt homo, poſſit dici ſeruus Dei.

Svpponendum eſt, poſſe diſtingui tres ſpecies ſeruitutis. Prima eſt naturalis communis omnibus creaturis, in ordine ad Deum, quatenus ſunt ſub dominio Dei, vt ei deſeruiant ad quodcumque Deus voluerit. Secunda eſt legalis, & deſpotica lege introducta, ſecundùm quam aliqui emptitij, vel captiui ſub Dominio alicuius exiſtentes, omnes ſuas actiones temporales tenentur in eius bonum dirigere: ſub hac comprehenduntur etiam conductitij. Tertia eſt in illo affectu, quo creatura rationalis Deo obedit, formidine pœnæ, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. Prima ſeruitus non obſtat perfectæ libertati & ingenuitati, ſicut aliæ, vt patet in omnibus Sanctis.

Prima opinio Vaſquis negat Chriſtum Dominum vllo modo poſſe dici ſeruum Dei. Probatur authoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum. In Concilio Alexandrino in ſua epiſtola dicitur; Verumtamen nec ſeruus eſt ſibi ipſi, nec Dominus; quoniam ineptum eſt, vel potiùs impium hoc ſentire, vel docere. Idem docet Concilium Francfordienſe ſub Adriano I. ipſeque Adrianus in ſua epiſtola, vbi adducuntur plures Sancti Patres, qui dicunt Chriſtum Dominum eſſe filium, non ſeruum.

Secundò, ſeruitus opponitur filiationi naturali, & ſequitur potiùs filiationem adoptiuam: ſed Chriſtus Dominus ſecundùm fidem eſt Filius Dei naturalis: ergo non eſt ſeruus Dei.

Tertiò, ex Ariſtot. 1. Politicorum cap. 3. de ratione formali ſerui eſt, ita conſtitui ſub Dominio alterius, vt cum eo nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet: ſed Chriſtus vt homo, ſiue ſecundùm humanitatem communicat in omnibus iſtis cum Deo; nam habet diuinitatem in ſeipſa, adoratur cultu Latriæ, & ſedet à dextris Dei: ergo non poteſt dici ſeruus Dei; ſicut nec ſubditus Deo, aut minor Patre.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Chriſtus Dominus non eſt ſeruus Dei, in ſecunda & tertia acceptione ſeruitutis: 2. Benè tamen in prima: & hoc ſecundùm humanitatem verè & propriè; 3. Quamuis ad vitandum errorem Arrij non debeat ſimpliciter dici ſeruus Dei, aut ſubiectus Deo, aut minor Patre: ſed tantùm cum hoc addito, in quantum homo, ſiue ſecundùm humanitatem.

Probatur

Probatur prima pars conclusionis: tum communi consensu Theologorum: tum authoritatibus & rationibus in contrarium adductis, quæ illam probant efficaciter.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. Isaiæ 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum: qui locus Matthæi 12. refertur ad Christum. Et cap. 49. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitãdas Tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium &c. Psalmo 141. in persona Christi dicitur, O Domine quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, scilicet Beatæ Virginis, quæ respondit Angelo, Ecce ancilla Domini. Idem docet D.Thom. infra quæst.20. art.1. ad 2. vbi ait; Quamuis non propriè dicatur quòd natura sit domina, vel serua: potest tamen propriè dici quòd quælibet hypostasis, vel persona sit Dominus, vel seruus secundùm hanc, vel illam naturam: & secundùm hoc nihil prohibet Christum dicere Patri subiectum, vel seruum secundùm humanam naturam. Et articulo 2. docet quòd Christus secundùm humanam naturam, est seruus sui ipsius secundùm naturam diuinam. Deinde, esse seruum in prima acceptione importat, quòd aliquis ita sit sub dominio & potestate alterius, vt teneatur ei deseruire ad quodcumque voluerit, ac proinde quòd non habeat supremum dominium sui, suarúmque actionum: sed Christus vt homo, siue secũdùm humanitatem titulo creationis; sicut & quælibet alia creatura, ita est sub dominio & potestate Dei, vt teneatur ei deseruire ad quodcumque voluerit, nec habet supremum dominium sui, suarúmque actionum, sed est penes Deum vniuersalem Dominum: ergo Christus Dominus vt homo, siue secundùm humanitatem, verè & propriè est seruus Dei: maximè quia Deus est Dominus creaturæ cuiuscumque, quia Creator: & quælibet creatura est serua; seruus enim & Dominus sunt correlatiua,

Probatur tertia pars conclusionis authoritate & ratione D.Thom. infra quæst.20.art.2. vbi sic ait: Cùm hoc nomen, Christus, sit nomen personæ, sicut & hoc nomen, Filius, illa per se & absolutè possunt dici de Christo, quæ conueniunt ei ratione suæ personæ quæ est æterna: & maximè huiusmodi relationes, quæ magis propriè videntur ad personam, vel hypostasim pertinere: sed ea quæ conueniunt sibi secundùm humanam naturam, sunt ei potiùs attribuenda cum determinatione; vt videlicet dicamus Christum esse simpliciter maximum, & Dominum, & præsidentem: Quòd autem sit subiectus, vel seruus, vel minor, est ei attribuendum cum determinatione, scilicet secundùm humanam naturam.

Ad primum ergo dicendum, quòd Concilia, & Sancti Patres negant Christum esse seruum Dei, in secunda & tertia acceptione; non autem in prima: Concilium autem Alexandrinũ, & plures Sancti Patres negant Christum esse Dominum sui ipsius, secundùm quòd per hoc importatur pluralitas suppositorum, ex D. Th. infra quæst.20. art.2. ad 1. & in hoc sensu etiam Adrianus damnat Fœlicem & Elipandum dicentes Christum esse seruum Dei.

Ad secundum dicendum, quòd seruitus primo modo accepta, non opponitur filiationi naturali: quia conuenit personæ Filij Dei; non ratione sui, sed ratione humanitatis assumptæ, quia est creatura: vnde sicut natura creata, sic & seruitus potest coniungi cum filiatione naturali.

Ad tertium dicendum, quòd Aristot. loquitur ibi de seruo secundùm seruitutem legalem, & non naturalem: vel de seruo distincto secundùm suppositum à Domino: & talis non est Christus, qui vnus existens est Dominus secundùm diuinam naturam, & seruus secundùm humanam. Deinde, Christus vt homo non communicat adæquatè bonis Dei; non enim est purus actus, nec Deus: & si colitur cultu latriæ, hoc non habet ex se, sed dependenter à Deo cui coniungitur: nec tandem sedet in sede Dei, sed à dextris eius.

DVBIVM VI.

Vtrùm Christus, vt homo, possit dici Filius Dei adoptiuus.

Svpponendum est, Deum adoptare filios non quidem in solatium orbitatis, vt contingit inter homines; sed ex infinita sua bonitate, qua admittit creaturas rationales ad hæreditatem beatitudinis: adoptio enim est gratuita personæ extraneæ ad hæreditatem, vel partem hæreditatis acceptatio: & quia Deus adoptans reddit adoptatum per gratiam idoneum ad hæreditatem; non autem homo; ideo adoptio diuina est perfectior humanâ. Conuenit autem toti Trinitati adoptare, ex hoc quòd adoptare non est propriè, sed tantùm metaphoricè generare, quòd conuenit soli Patri: at est aliquid ad extra efficere, quod conuenit toti Trinitati: appropriatur tamen Patri, vt Principio & Authori: Filio, vt exemplari, filiatio enim naturalis est exemplar adoptiuæ: Spiritui Sancto quasi medio, cùm ex amore procedat adoptio. Quia verò filius adoptiuus est adinstar naturalis, debet fieri quodammodo vnum cum Patre, quod fit per gratiam sanctificantem, & affectum charitatis, ideo soli creaturæ rationali capaci gratiæ & charitatis, conuenit adoptari, dum gratiam recipit.

Prima opinio asserit Christum, in quantum hominem specificatiuè, siue in ipsa natura humana, esse Filium Dei adoptiuum. Probatur authoritate Sanctorum Patrum. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap.21. ait; Qui Filius Dei est, filius hominis factus est; commixtus Verbo Dei, vt

vt adoptionem percipiens fiat Filius Dei. Hilarius lib. 2. de Trinitate; Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur: ergo Christus vt homo potest dici Filius Dei adoptiuus.

Secundò, Christus vt homo est Filius Dei, ex illo Matthæi 3. Hic est filius meus dilectus: sed vt homo specificatiuè non est Filius Dei naturalis: tum quia, vt homo, dicitur primogenitus in multis fratribus adoptiuis, ac proinde similis, & adoptiuus: tum quia, vt homo, non est hæres naturaliter, sed constituitur, sicut alij iusti; ad Hebræos, 1. Quem constituit hæredem vniuersorum: ergo Christus vt homo est Filius Dei adoptiuus.

Tertiò, effectus formalis gratiæ est facere Filium Dei adoptiuum, ex illo S. Petri, Vt simus diuinæ consortes naturæ: sed Christus vt homo habuit gratiam sanctificantem: ergo verè potest dici Filius Dei adoptiuus vt homo: maximè quia dicitur seruus Dei; dignius est autem esse filium adoptiuum, quàm seruum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus, nec simpliciter, nec cum hac limitatione aut simili, in quantum homo, potest dici Filius Dei adoptiuus: 2. Sed tam simpliciter, quàm cum dicta limitatione est propriè Filius Dei naturalis: 3. Siue illa limitatio specificet suppositum, siue naturam humanam.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Francfordiensi, vbi contra Fœlicem & Elipandum determinatur Christum nullo modo posse dici Filium Dei adoptiuum: quod etiam confirmat Adrianus I. Deinde, authoritate & ratione D. Th. infra q. 23. art. 4. vbi ait; Filiatio propriè conuenit hypostasi vel personæ, non autem naturæ, ac proinde personæ ratione sui, & non ratione naturæ; vnde filiatio in diuinis est proprietas personalis, quod patet à posteriori; natura enim non dicitur filia, genita, aut producta, sed tantùm communicata, vt constat in generatione diuina perfectissima: quamuis per accidens aliquando, imò ordinariè producatur: in Christo autem non est alia persona vel hypostasis, quàm increata, cui conuenit esse filium per naturam: filiatio autem adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis: non autem recipitur aliquid dici participatiuè, quod per se dicitur, & ideo Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptiuus.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Rom. 8. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: hic autem proprius idem est ac naturalis. Matthæi, 3. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: & 16. Tu es Christus Filius Dei viui. Ad Hebræ. 1. ex professo probat Apostolus Christum esse Filium Dei naturalem; quod etiam canit Ecclesia in Symbolo, Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum: adoptiui enim sunt multi. Deinde, in hac propositione, Christus vt homo, cùm sit subiectum, supponit materialiter idest pro supposito, vel in se, vel vt subsistit in natura humana: sed suppositum Christi, etiam vt subsistit in natura humana, non est aliud quàm suppositũ Filij Dei naturalis: ergo Christus tam simpliciter, quàm cum ista limitatione, in quantum homo, est Filius Dei naturalis. Denique, Christus in quantum homo est Filius Dei per gratiam vnionis; gratia enim habitualis, per quam alij sunt filij Dei adoptiui, non facit in Christo de non filio filium, sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi, secundùm illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis: sed gratia vnionis non facit filium Dei adoptiuum, sed communicat humanitati assumptæ personalitatem Filij Dei naturalis: ergo Christus, etiam in quantum homo, est Filius Dei naturalis; & consequenter non est adoptiuus, quia naturalis est de substantia Patris generantis, adoptiuus autem debet esse extraneus à Patre adoptante: vnde impossibile est eundem esse filium naturalem & adoptiuum. Et ex his patet tertia pars conclusionis. Quando autem dicitur quòd Christus est Filius Dei naturalis, nomine, Dei, intelligitur sola persona Patris, & non tota Trinitas ex D. Th. infra q. 32. art. 3. Et S. Aug. in Enchiridio cap. 40. Ratio est, quia suppositum Christi à solo Patre generatur.

AD primum ergo dicendum, quòd sicut filiatio non propriè conuenit naturæ, ita nec adoptio: vnde cùm dicitur à Sanctis, quòd carnis humilitas adoptatur, vel quid simile, impropria est locutio, & accipitur ibi adoptatio pro vnione humanæ naturæ ad personam Filij ex D. Th. q. 23. art. 4. ad 1.

AD secundum dicendum, quòd Christus etiam vt homo specificatiuè, est Filius Dei naturalis, idest ipsa persona Christi, etiam vt subsistens in natura humana; non autem reduplicatiuè quasi à natura humana habeat quòd sit Filius Dei naturalis: & quia etiam vt homo est Filius Dei naturalis, dicitur primogenitus in multis fratribus, scilicet inter omnes filios adoptiuos. Per gratiam autem vnionis constituitur hæres vniuersorum, ac proinde facta illi hac gratia, qua constituitur Filius Dei naturalis, de iure & naturaliter debetur ei hæreditas: vel etiam potest dici, quòd hoc intelligitur de humanitate assumpta, cui gratis communicatur hæreditas, non de persona.

AD tertium dicendum, quòd primus effectus formalis gratiæ sanctificantis, est reddere subiectum recipiens, gratum, iustum, & sanctum sanctitate habituali: reddit etiam sed secundariò

cundariò filium adoptiuum, si subiectum sit capax talis filiationis, quod non est in Christo etiam in quantum homine; in ipso enim filiatio naturalis obstat adoptiuæ, vt dictum est: vnde illam excludit. Ad aliud dicendum cum D. Th. infra q. 23. art. 4. ad 3. quòd esse creaturam, & etiam seruitus, vel subiectio ad Deum, non solùm respicit personam, sed etiam naturam: quod non potest dici de filiatione, & ideo filiatio adoptiua repugnans filio naturali, non potest attribui Christo; benè tamen seruitus, & esse creaturam.

QVÆSTIO XIX.

De pertinentibus ad virtutem Christi quantum ad operationem, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est, de vnitate operationis Christi.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum in Christo sit vna operatio diuinitatis & humanitatis, vel plures.

¶ Secundò, vtrum in Christo sint plures operationes secundum humanam naturam.

¶ Tertiò, vtrùm Christus secundum humanam operationem aliquid sibi meruerit.

¶ Quartò, vtrùm per eam aliquid meruerit nobis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Christo sit vna tantum operatio diuinitatis & humanitatis.

120 Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd in Christo sit vna tantum operatio diuinitatis & humanitatis. Dicit enim Dionys. * in 2. c. de diu. no. Discreta autem est benignissima circa nos Dei operatio per hoc, quod secundum nos ex nobis integrè vereque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, & operari & pati quæcunque humanæ eius diuinæque operationi congruunt. Vbi vnam operationem nominat humanam & diuinam, quæ in Græco dicitur Theandrica, id est, Dei-virilis. Videtur igitur esse vna operatio composita in Christo.

¶ 2 Præterea, Principalis agentis & instrumenti est vna sola operatio. Sed humana natura in Christo fuit instrumentum diuinæ, vt supra dictum est. † Ergo eadem est diuinæ & humanæ naturæ in Christo operatio.

¶ 3 Præterea, Cum in Christo sint duæ naturæ in vna hypostasi vel persona, necessarium est vnum & idem esse, quod pertinet ad hypostasim vel personam. Sed operatio pertinet ad hypostasim, vel personam: nihil enim operatur nisi suppositum subsistens: vnde & secundum Philos. actus sunt singularium. Ergo in Christo est vna & eadem operatio diuinitatis & humanitatis.

¶ 4 Præterea, Sicuti esse est hypostasis subsistentis, ita etiam operari. Sed propter vnitatem hypostasis est in Christo vnum esse: vt supra dictum est. † Ergo etiam propter eandem vnitatem, est in Christo vna operatio.

¶ 5 Præterea, Vbi est vnum operatum, ibi est vna operatio. Sed idem operatum erat diuinitatis & humanitatis: sicut sanatio leprosi, vel suscitatio mortui, ergo videtur quod in Christo sit vna tantum operatio diuinitatis & humanitatis.

Sed contra est, quod Ambros. * dicit in 2. lib. ad Gratianum Imperatorem. Quemadmodum eadem operatio diuersæ est potestatis, nunquid sic potest minor quemadmodum maior operari, aut vna operatio potest esse, vbi diuersa substantia est?

CONCLVSIO

Non vnam, sed duas operationes, esse in Christo asserendum est, cum sint in illo duæ naturæ, diuina scilicet & humana, quarum vtraque propriam formam & virtutem per quam operatur, habeat.

Respondeo dicendum, quod supradicti * hæretici, qui posuerunt in Christo vnam voluntatem, posuerunt etiam in Christo vnam operationem. Et vt eorum opinio erronea melius intelligatur, considerandum est, quòd vbicumque sunt plura agentia ordinata, inferius mouetur à superiori, sicut in homine corpus mouetur ab anima, & inferiores vires à ratione. Sic igitur actiones & motus inferioris principij sunt magis operata quædam, quam operationes: id autem quod pertinet ad supremum principium est propriè operatio. Puta si dicamus in homine, quòd ambulare, quod est pedum, & palpare, quod est manuum, sunt quædam hominis operata, quorum vnum operatur anima per pedes, aliud per manus. Et quia est eadem anima operans per vtrumque, ex parte ipsius operantis, quod est primum principium mouens, est vna & indifferens operatio, ex parte autem ipsorum operatorum differentia inuenitur. Sicut autem in homine puro corpus mouetur ab anima, & appetitus sensitiuus à rationali, ita in Domino Iesu Christo humana natura mouebatur & regebatur à diuina. Et ideo dicebant, quòd eadem est operatio & indifferens ex parte ipsius diuinitatis operantis: sunt tamen diuersa operata, in quantum scilicet diuinitas Christi aliud agebat per seipsam, sicut quòd portabat omnia verbo virtutis suæ: aliud autem per humanam naturam, sicut quod corporaliter ambulabat. Vnde in sexta * Synodo inducuntur verba Seueri hæretici, sic dicentis, Ea, quæ agebantur & operabantur ab vno Christo, multum differunt. Quædam enim sunt Deo decibilia, quædam humana, etenim corporaliter vadere super terram, profectò humanum est: cruribus verò vexatis, & ambulare super terram penitus non valentibus, sanum gressum donare, Deo decibile est. Sed vnum scilicet incarnatum Verbum, hoc & illud operatus est. & nequaquam hoc quidem huius, hoc verò huius est naturæ. neque eo quod diuersa sunt operamenta, ideo duas operatrices naturas, atque formas iustè desecimus. Sed in hoc decipiebantur: quia actio eius quod mouetur ab altero, est duplex. Vna quidem, quam habet secundum propriam formam, alia autem, quam habet, secundum quod mouetur ab alio. Sicut securis operatio secundum propriam formam, est incisio: secundum autem quod mouetur ab artifice, operatio eius est facere scamnum. Operatio igitur, quæ est alicuius rei secundum suam formam, est propria eius, nec pertinet ad mouentem, nisi secundum quod vtitur huiusmodi re ad suam operationem. Sicut calefacere est propria operatio ignis, non autem fabri, nisi quatenus vtitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio, quæ est rei solum secundum quod mouetur ab alio, non est alia præter operationem mouentis ipsam: sicut facere scamnum, non est seorsum operatio securis ab operatione artificis, sed securis participat instrumentaliter operationem artificis. Et ideo vbicumque mouens & motum habent diuersas formas, seu virtutes operatiuas, ibi oportet quod sit alia operatio mouentis, & alia operatio propria moti: licet motum participet operationem mouentis, & mouens vtatur operatione moti, & sic vtrumque agat cum communione alterius. Sic igitur in Christo humana natura habet propriam formam & virtutem, per quam operatur: & similiter diuina. Vnde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione diuina, & è conuerso. Et tamen diuina natura vtitur operatione naturæ humanæ, sicut operatione sui instrumenti: & similiter humana natura participat operationem diuinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc est quod dicit Leo Papa in epistola ad Flauianum *: Agit vtraque forma (scilicet tam natura diuina, quàm humana in Christo) cum alterius communione, quod proprium est Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Si verò esset vna tantum operatio diuinitatis & humanitatis in Christo oporteret dicere, vel quod humana natura non haberet propriam formam & virtutem (de diuina enim hoc dici est impossibile) ex quo sequeretur, quod in Christo esset tantum diuina operatio: vel oporteret dicere, quod ex diuina virtute & humana esset conflata in Christo vna virtus, quorum vtrumque est impossibile. Nam per primum horum, ponitur natura humana in Christo esse imperfecta: per secundum verò ponitur confusio naturarum. Et ideo rationabiliter in sexta * Synodo hæc opinio est condemnata, in cuius determinatione dicitur: Duas naturales operationes indiuisè inconuertibiliter, inconfusè, inseparabiliter, in eodem domino Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est, diuinam operationem, & humanam operationem.

Ad primum ergo dicendum, quod Dion. * ponit in Christo operationem theandricam, id est diuinam-virilem, vel diuinam-humanam, non per aliquam confusionem operationum seu virtutum vtriusque naturæ, sed per hoc, quod diuina operatio eius vtitur humana, & humana eius operatio participat virtutem diuinæ operationis. Vnde sicut ipse dicit in quadam epistola ad Caium *, Super hominem operabatur ea, quæ sunt hominis: quod demonstrat Virgo supernaturaliter concipiens, & aqua instabilis, terrenorum pedum sustinens grauitatem. Manifestum est enim, quod concipi est humanæ naturæ, similiter & ambulare, sed vtrumque fuit in Christo supernaturaliter. Et similiter diuina operabatur humanitus, sicut cum sanauit leprosum tangendo. Vnde in eadem epistola subdit *. Non secundum Deum diuina faciens, non humana secundum hominem, sed Deo homine facto, nouam quandam Dei & hominis operatione. Quod autem intellexit duas esse operationes in Christo, vnã diuinæ naturæ, aliam autem humanæ, patet ex his quæ dicit in 2. cap. * de diuin. nom. vbi dicit, quòd his quæ pertinent ad humanam eius operationem, Pater & Spiritus sanctus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam & misericordem voluntatem: inquantum scilicet Pater & Spiritus sanctus ex sua misericordia voluerunt Christum agere & pati humana. Addit autem & omnem sublimissimam & ineffabilem Dei operationem, quam homo pro nobis factus adimpleuit, immutabilis profectò Deus & Dei Verbum. Sic igitur patet, quod alia est operatio humana in qua Pater & Spiritus sanctus non communicant nisi secundum acceptationem misericordiæ suæ: & alia est eius operatio, in quantum est Dei Verbum, in qua communicant Pater, & Spiritus sanctus.

Ad secundum dicendum, quod instrumentum dicitur aliquid agere ex eo quod mouetur à principali agente, quod tamen præter hoc potest habere propriam operationem secundum suam formam, vt de igne dictum est *. Sic igitur actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis: potest tamen habere aliam operationem prout est res quædam. Sic igitur operatio, quæ est humanæ naturæ in Christo, in quantum est instrumentum diuinitatis, non est alia ab operatione diuinitatis: non enim est alia saluatio, qua saluat humanitas Christi, & diuinitas eius. Habet tamen humana natura in Christo, in quantum est natura quædam, quandam propriam operationem præter diuinam: vt dictum est. *

Ad tertium dicendum, quòd operari est hypostasis subsistentis, sed secundum formam & naturam, à qua operatio speciem recipit. Et ideo à diuersitate formarum seu natura-

rum

rum eſt diuerſa ſpecies operationum: ſed ab vnitate hypoſtaſis eſt vnitas ſecundum numerum, quantum ad operationem ſpeciei: Sicut ignis habet duas operationes ſpecie differentes ſcilicet illuminare & calefacere, ſecundum differentiam lucis & caloris: & tamen eſt vna numero illuminatio ignis ſemel illuminantis. Et ſimiliter in Chriſto oportet quòd ſint duæ operationes ſpecie differentes ſecundum eius duas naturas, quælibet tamẽ operationum eſt vna numero in Chriſto ſemel facta, ſicut vna ambulatio & vna ſanatio.

Ad quartum dicendum, quod eſſe & operari eſt perſonæ à natura, aliter tamen & aliter. Nam eſſe pertinet ad ipſam conſtitutionẽ perſonæ: & ſic quantum ad hoc ſe habet in ratione termini. Et ideo vnitas perſonæ requirit vnitatem ipſius eſſe completi, & perſonalis. Sed operatio eſt quidam effectus perſonæ ſecundum aliquam formam vel naturam: vnde pluralitas operationum non præiudicat vnitati perſonali.

Ad quintum dicendum, quod aliud eſt proprium operatum operationis diuinæ & operationis humanæ in Chriſto: ſicut operatum proprium diuinæ operationis eſt ſanatio leproſi, operatum autem proprium humanæ naturæ, eſt eius contactus. Concurrunt autem ambæ operationes ad vnum operatum, ſecundum quod vna natura agit cum communione alterius: vt dictum eſt.* In cor. art.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Chriſto ſint plures operationes humanæ.

121 AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd in Chriſto ſint plures humanæ operationes. Chriſtus enim, in quantum homo, communicat cum plantis in natura nutritiua, cum animalibus autem in natura ſenſitiua, cum Angelis vero in natura intellectiua, ſicut & cæteri homines. Sed alia eſt operatio plantæ, in quantum eſt planta: & alia animalis in quantum eſt animal. Ergo Chriſtus in quantum eſt homo, habet plures operationes.

¶ 2 Præterea, Potentiæ & habitus diſtinguuntur ſecundum actus. Sed in anima Chriſti fuerunt diuerſæ potentiæ & diuerſi habitus. Ergo & diuerſæ operationes.

¶ 3 Præterea, inſtrumenta debent eſſe proportionata operationibus. Corpus autem humanum habet diuerſa membra differentia ſecundum formam. Ergo diuerſis operationibus debent eſſe accommodata. Sunt ergo in Chriſto diuerſæ operationes ſecundum humanam naturam.

Lib. 3. cap. 14. ad fi. & ca. 15. SED contra eſt, quod ſicut Damaſ. dicit in 3. lib. operatio ſequitur naturam. Sed in Chriſto eſt tantum vna natura humana. Ergo in Chriſto fuit vna tantum operatio humana.

CONCLVSIO.

Cùm nullus fuerit in Chriſto ſenſitiuæ partis motus, qui non eſſet à ratione ordinatus, ipſæque etiam operationes naturales & corporales aliqualiter ad eius voluntatem pertinuerint, perſpicuum eſt, multo magis vnam eſſe in Chriſto operationem, quàm in quocumque alio homine.

RESPONDEO dicendum, quod quia homo eſt id quod eſt ſecundum rationem, illa operatio dicitur eſſe ſimpliciter humana, quæ à ratione procedit per voluntatem, quæ eſt rationis appetitus. Si qua autem operatio eſt in homine, quæ non procedit à ratione & voluntate, non eſt ſimpliciter operatio humana, ſed conuenit homini ſecundum aliquam partem humanæ naturæ. Quandoque quidem ſecundum ipſam naturam elementi corporalis, ſicut ferri deorſum. Quandoque verò ſecundum virtutem animæ vegetabilis, ſicut nutriri & augeri. Quandoque vero ſecundum partem ſenſitiuam, ſicut videre & audire, imaginari & memorari, concupiſcere & iraſci, inter quas operationes eſt differentia. Nam operationes animæ ſenſitiuæ ſunt aliqualiter obedientes rationi, & ideo ſunt aliqualiter rationales & humanæ, in quantum ſcilicet obediunt rationi, vt patet per Philoſophum in 1. Ethi.* Lib. 1. Eth. c. vlt. 1. 3. Operationes vero, quæ ſequuntur animam vegetabilem, vel etiam naturam elementaris corporis, non ſubiiciuntur rationi, vnde nullo modo ſunt rationales, nec humanæ ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum partem humanæ naturæ. Dictum eſt autem ſupra,* Ar. præc. quod quando agens inferius agit per propriam formam, tunc eſt alia operatio inferioris agentis & ſuperioris: quando vero agens inferius non agit, niſi ſecundum quod eſt motum à ſuperiori agente, tunc eſt eadem operatio ſuperioris agentis & inferioris. Sic igitur in quocumque homine puro alia eſt operatio elementaris corporis & animæ vegetabilis ab operatione voluntatis, quæ eſt propriè humana. Et ſimiliter etiam operatio animæ ſenſitiuæ, in quantum ad id quod non mouetur à ratione: ſed quantum ad id, quod mouetur à ratione, eſt eadem operatio partis ſenſitiuæ & rationalis. Ipſius autem animæ rationalis eſt vna operatio, ſi attendamus ad ipſum principium operationis: quod eſt ratio vel voluntas. Diuerſificatur autem ſecundum reſpectum ad diuerſa obiecta, quam quidem diuerſitatem aliqui appellauerunt diuerſitatem operatorum magis, quam operationum, iudicantes de vnitate operationis ſolum ex parte operatiui principij. Sic enim nunc quæritur de vnitate vel pluralitate operationum in Chriſto. Sic igitur in quolibet puro homine eſt tantum vna operatio, quæ propriè humana dicitur: præter quam tamen ſunt in homine puro quædam aliæ operationes, quæ non ſunt propriè humanæ, ſicut dictum eſt.* In eodem ar. Sed in homine Ieſu Chriſto nullus erat motus ſenſitiuæ partis qui non eſſet ordinatus à ratione. Ipſæ etiam operationes naturales & corporales aliqualiter ad eius voluntatem pertinebant, inquantum voluntatis eius erat, vt caro eius ageret, & pateretur, quæ ſunt ſibi propria, vt dictum eſt ſupra.* q. præc. ar. 5. Et ideo multo magis eſt vna operatio in Chriſto, quam in quocunque alio homine.

Ad primum ergo dicendum, quod operatio partis ſenſitiuæ, & etiam nutritiuæ non eſt propriè humana, ſicut dictum eſt.* In cor. ar. Et tamẽ in Chriſto huiuſmodi operationes fuerunt magis humanæ, quam in aliis

Ad ſecundum dicendum, quòd potentiæ & habitus diuerſificantur per comparationem ad obiecta. Et ideo diuerſitas operationum hoc modo reſpondet diuerſis potentiis & habitibus, ſicut etiam reſpondet diuerſis obiectis. Talem autem diuerſitatem operationum non intendimus excludere ab humanitate Chriſti, ſicut nec eam, quæ eſt ſecundum aliud & aliud inſtrumentum: ſed ſolum illam quæ eſt ſecundum primum principium actiuum, vt dictum eſt.* In cor. ar.

Vnde patet etiam reſponſio Ad tertium.

ARTICVLVS III.

Vtrùm actio humana Chriſti, potuerit eſſe ſibi meritoria.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd actio humana Chriſti non potuit ei eſſe meritoria. Chriſtus enim ante mortem fuit comprehenſor, ſicut & modo eſt. Sed comprehenſoris non eſt mereri: charitas enim comprehenſoris pertinet ad præmium beatitudinis, cum ſecundum eam attendatur fruitio: vnde non videtur eſſe principium merendi, cum non ſit idem meritum & præmium. Ergo Chriſtus ante paſſionem non merebatur, ſicut nec modo meretur. 122 3. diſt. 18. art. 2. 3. 4. & 5. & ver. q. 29. art. 7. ad 6. & opuſ. 3. ca. 238.

¶ 2 Præterea, Nullus meretur id quod eſt ſibi debitum. Sed ex hoc, quod Chriſtus eſt filius Dei per naturam, debetur ſibi hæreditas æterna, quam alij homines per bona opera merentur. Non ergo Chriſtus aliquid ſibi mereri potuit: quia à principio fuit Filius Dei.

¶ 3 Præterea, Quicumque habet id quod eſt principale, non propriè meretur id quod ex illo habito ſequitur. Sed Chriſtus habuit gloriam animæ, ex qua ſecundum communem ordinem ſequitur gloria corporis: vt Aug.* dicit in epiſtola ad Dioſcorum: in Chriſto tamen diſpenſatiuè factum eſt, quod gloria animæ non deriuaretur ad corpus. Non ergo Chriſtus meruit gloriam corporis. Eſt epiſt. 56. non multum remote ante med. tom. 2.

¶ 4 Præterea, Manifeſtatio excellentiæ Chriſti non eſt bonum ipſius Chriſti, ſed eorum, qui eum cognoſcunt: vnde & pro præmio promittitur dilectoribus Chriſti, vt eis manifeſtetur: ſecundum illud Ioan. 14. Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Ergo Chriſtus non meruit manifeſtationem ſuæ altitudinis.

SED contra eſt, quod Apoſt. dicit Phil. 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum. Meruit ergo obediendo ſuam exaltationem, & ita aliquid ſibi meruit.

CONCLVSIO

Cùm nobilius ſit habere aliquid per meritum, quàm ſine merito, Chriſtum, cui omnis perfectio tribuenda eſt, gloriam corporis, & alia quibus eum carere aliquo tempore conueniebat, ſibi meruiſſe fatendum eſt.

RESPONDEO dicendum, quod habere aliquod donum per ſe, eſt nobilius, quàm habere illud per aliud: ſemper enim cauſa, quæ eſt per ſe, potior eſt ea, quæ eſt per aliud: vt dicitur in 8. phyſic.* Hoc autem dicitur aliquis habere per ſeipſum, cuius eſt ſibi aliquo modo cauſa. Prima autem cauſa omnium bonorum noſtrorum per auctoritatem eſt Deus. Et per hunc modum nulla creatura habet aliquid boni per ſeipſam: ſecundum illud prima, ad Cor. 4. Quid habes quod non accepiſti? Poteſt tamen ſecundario aliquis eſſe cauſa ſibi alicuius boni habendi, inquantum ſcilicet in hoc ipſo Deo cooperatur. Et ſic ille, qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per ſeipſum, vnde nobilius habetur id quod habetur per meritum, quàm id quod habetur ſine merito. Lib. 8. phy. te. 39. tom. 2.

Quia autem omnis perfectio & nobilitas Chriſto eſt attribuenda, conſequens eſt quod ipſe per meritum habuerit illud quod alij per meritum habent: niſi ſit tale quid cuius carentia magis dignitati Chriſti & perfectioni præiudicet, quam per meritum accreſcat: Vnde nec gratiam, nec ſcientiam, nec beatitudinem animæ, nec diuinitatem meruit. Quia cum meritum non ſit niſi eius quod nondum habetur, oporteret, quòd Chriſtus aliquando iſtis caruiſſet: quibus carere, magis diminuit dignitatem Chriſti, quàm augeat meritum. Sed gloria corporis, vel ſi quid aliud huiuſmodi eſt, minus eſt, quam dignitas merendi, quæ pertinet ad virtutem charitatis. Et ideo dicendum eſt quod Chriſtus gloriam corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam (ſicut eſt aſcenſio, veneratio, & alia huiuſmodi) habuit per meritum. Et ſic patet, quod aliquid ſibi mereri potuit.

Ad primum ergo dicendum quòd fruitio, quæ eſt actus charitatis, pertinet ad gloriam animæ, quam Chriſtus non meruit: & ideo ſi per charitatem aliquid meruit, non ſequitur, quod idem ſit meritum & præmium. Nec tamen per charitatem meruit, inquantum erat charitas comprehenſoris, ſed inquantum erat viatoris: nam ipſe fuit ſimul viator & comprehenſor, vt ſupra habitum eſt. Et ideo quia nunc non eſt viator, non eſt in ſtatu merendi. q. 15. ar. 10.

Ad ſecundum dicendum, quod Chriſto ſecundum quod eſt Deus & Dei filius, per naturam debetur gloria diuina, & dominium omnium, ſicut primo & ſupremo domino: Nihilominus tamen debetur ei gloria ſicut homini beato, quam quantum ad aliquid debuit habere ſine merito, & quantum ad aliquid cum merito: vt ex ſupra dictis patet*. In cor. art.

Ad tertium dicendum, quod redundantia gloriæ ex anima ad corpus, eſt ex diuina ordinatione ſecundum congruentiam humanorum meritorum, vt ſcilicet, ſicut homo meretur per actum animæ quem exercet in corpore, ita etiam remuneretur per gloriam animæ, redundantem ad corpus. Et propter hoc non ſolum gloria animæ, ſed etiam gloria corporis cadit ſub merito, ſecundum illud, Rom. 8. Viuificabit mortalia corpora noſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis. Et ita potuit cadere ſub merito Chriſti.

Ad quartum dicendum, quod manifeſtatio excellentiæ Chriſti, pertinet ad bonum eius, ſecundum eſſe: quod habet

in

in notitia aliorum: quamuis principalius pertineat ad bonum eorum, qui eum cognoscunt, secundum esse quod habent in seipsis. Sed etiam hoc ipsum refertur ad Christum, inquantum sunt membra eius.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus aliis mereri potuerit.

123 AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd Christus aliis mereri non potuerit. Dicitur enim. Ezech. 18 Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ergo pari ratione anima quæ meretur, ipsa remunerabitur. Non ergo est possibile, quòd Christus aliis meruerit.

¶ 2. Præterea, De plenitudine gratiæ Christi omnes accipiunt: vt dicitur Ioan. primo. Sed alij homines habentes gratiam Christi non possunt aliis mereri: dicitur enim Ezech. 14. quod si fuerint in ciuitate Noë, Daniel & Iob, filium & filiam non liberabunt: sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Ergo nec Christus potuit aliquid nobis mereri.

¶ 3. Præterea, Merces, quam quis meretur, debetur secundum iustitiam, & non secundum gratiam: vt patet Rom. 4. Si ergo Christus meruit salutem nostram, sequitur quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex iustitia: & quod iniustè agat cum eis, quos non saluat, cum meritum Christi ad omnes se extendat.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sed demeritum Adæ deriuatur ad condemnationem aliorum. Ergo multo magis meritum Christi ad alios deriuatur.

CONCLVSIO.

Cùm in Christo fuerit gratia non solum vt in quodam singulari homine, sed vt in totius Ecclesiæ capite, non sibi tantum, sed aliis etiam mereri potuit.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est, in Christo non solum fuit gratia, sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite totius Ecclesiæ, cui omnes vniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mysticè vna persona. Et exinde est, quod meritum Christi se extendit ad alios, inquantum sunt membra eius, sicut etiam in vno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra eius: quia non solum sibi sentit, sed omnibus membris.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum singularis personæ non nocet nisi sibiipsi: sed peccatum Adæ, qui constitutus est à Deo principium totius naturæ, ad alios per carnis propaginem deriuatur. Et similiter meritum Christi, qui est à Deo constitutus caput omnium hominum, quantum ad gratiam, se extendit ad omnia eius membra.

Ad secundum dicendum, quòd alij de plenitudine Christi accipiunt, non quidem fontem gratiæ, sed quandam particularem gratiam, & ideo non oportet, quòd alij homines possint aliis mereri sicut Christus.

Ad tertium dicendum, quod sicut peccatum Adæ, non deriuatur ad alios, nisi per carnalem generationem: ita meritum Christi non deriuatur ad alios, nisi per generationem spiritualem, quæ fit in baptismo, per quam homines Christo incorporantur: secundum illud ad Galat. 3. Omnes quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et hoc ipsum est gratiæ, quod homini conceditur regenerari in Christo: & sic salus hominis est ex gratia.

DISPVTATIO IX.

De merito Christi Domini.

POSTQVAM D.Thomas quæst. 19. ar. 2. egit de operatione humana Christi Domini concludens in ipso esse plures; in duobus subsequentibus articulis agit de merito Christi, nam actionem humanam, siue ex electione factam consequitur bonitas, vel malitia moralis; operationes autem Christi sola bonitas, quæ est fundamentum meriti; vnde consequenter post disputationem de operatione Christi, sequitur disputatio de eius merito.

DVBIVM I.

Vtrùm Christus Dominus aliquid meruerit.

SVpponendum est ex tractatu de Gratia, meritum importare actionem, cui debeatur præmium siue retributio; meritum enim & præmium sunt correlatiua; quia verò alicui actioni debetur præmium, vel ex iustitia propter condignitatem ipsius actionis, vel ex quadam tantùm congruentia, quæ aliquando se tenet ex parte actionis, aliquando verò ex parte tantùm præmiantis; ideo meritum diuiditur in meritum de condigno, & in meritum de congruo: quia verò soli merito de condigno sic debetur præmium, vt citra iniustitiam negari non possit; merito enim de congruo negari potest, ideo solum meritum de condigno est proprium & rigorosum meritum. Multæ aliæ intercedunt differentiæ inter ista duo genera meritorum, de quibus agitur in materia de Gratia.

Prima opinio, sed hæretica, esse potest; quòd Christus Dominus nihil meruerit. Probatur, Beati nihil merentur quia sunt comprehensores, & in termino, meritum autem est actus viatoris sue tendentis ad terminum: sed Christus Dominus ab instanti suæ conceptionis fuit perfectè beatus, comprehensor, & in termino: ergo nihil Christus meruit, aut mereri potuit: maximè quia merito eius infinito non erat correspondens præmium.

Secundò, nullus propriè meretur, nisi per actum elicitum aut imperatum à charitate ex D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 4. sed charitas Christi non potuit esse principium merendi; tum quia omnis operatio Christi erat ab intrinseco determinata ad bonum, ac proinde necessaria, cùm tamen meritum consistat in libertate; tum quia charitas Christi vt pote beatifica, est complementum beatitudinis, ac proinde est potius terminus meriti, quàm principium; idem autem non potest esse principium, & terminus respectu eiusdem: ergo Christus nihil meruit.

Tertiò, si Christus meruit, vel sibi, vel aliis meruit: sed nec sibi, nec aliis meruit; non quidem sibi, nam à primo instanti suæ conceptionis habuit plenitudinem gratiæ, & gloriam essentialem in summo; & si quid defuit, puta gloria corporis, aut quid simile, erat debitum connaturaliter per modum proprietatis, & accessorij minus principalis: quod autem est huiusmodi, non cadit sub merito, vt patet in Beatis, qui carentes gloria corporis, illam tamen non merentur, quia est debita: Nec etiam meruit aliis; tum quia essent superflua nostra merita, sufficeret enim infinitum Christi meritum; tum quia æqualiter valeret omnibus, cùm Christus sit caput omnium; tum quia vnus homo non potest mereri alteri, & eadem ratio videtur de Christo; tum denique quia aliàs prima gratia, & alia quæ attribuuntur meritis Christi nobis applicatis, non essent gratuita, sed debita: quod enim datur propter meritũ, est debitum, & non gratuitum: de fide autem est primam gratiam dari omninò gratis: ergo Christus Dominus nihil meruit.

CONCLV

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum secundùm fidem, quòd Christus Dominus, tam sibi, quàm aliis meruit verè & propriè de condigno.

Probatur conclusio authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Philipp. 2. humiliauit femetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, Isaiæ 53. Si posuerit pro peccato animã suam, videbit semen longæuum. Item, pro eo, quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur: in quibus locis manifestè apparet, præmium fuisse datum Christo intuitu humilitatis, & aliarum virtutum, ac mortis ipsius. Quod etiam habetur in Concilio Tridentino sess. 6. de iustificatione cap. 7. vbi dicitur Christum fuisse causam meritoriam nostræ iustificationis: ergo Christus Dominus meruit verè & propriè de condigno, tam sibi, quàm aliis.

Secundò, ad merendum verè & propriè de condigno, requiruntur & sufficiunt sequentes conditiones. Prima, quòd operatio sit libera; illa enim solum dicitur humana, in quantum est in potestate hominis agentis ex electione, vnde dicitur communiter, quòd naturalibus nec meremur, nec demeremur. Secunda, quòd sit bona ex obiecto & circunstantiis, nam operatio mala est potius demeritoria. Tertia, quòd sit à subiecto grato ex D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 2. quòd fit per gratiam eleuantem ipsum subiectum, ad ordinem supernaturalem, vt ita eius operatio sit proportionata præmio supernaturali. Quarta, quòd formaliter, aut saltem virtualiter sit ordinata ad finem supernaturalem ex D. Thom. ibidem art. 4. quia sola charitas, cuius est respicere finem, coniungit actus aliarum virtutum cum vltimo fine, & propterea ex imperio & ordinatione charitatis debent habere quòd sint meritorij eiusdem vltimi finis, scilicet vitæ æternæ. Quinta, quòd sit operatio viatoris; sola enim via compatitur meritum, quod est quidam motus: terminus autem exigit præmium meriti, aut pœnam demeriti: vnde beati, & damnati nihil merentur aut demerentur, licèt hi continuò malè agant, illi autem benè. Sexta, quamuis non absolutè necessaria, quòd adsit pactum siue promissio præmij ex parte Dei, quia cum actiones meritoriæ ex se ordinariò non habeant condignitatem perfectam ad præmium, ac proinde non inducant iustitiam, requiritur pactum Dei & promissio; vnde Deus obligetur reddere præmium ex iustitia: sed hæ omnes conditiones reperiuntur in Christo: nam cum habuerit liberum arbitrium ex D. Thom. præcedenti quæst. art. 4. actiones eius humanæ fuerunt liberæ. Item fuerunt bonæ ex obiecto, aliisque circunstantiis, vt ait ipsemet Christus Ioan. 8. Ego quæ placita sunt ei facio semper. Deinde, fuit Deo gratus, tum gratia vnionis, tum gratia habituali, vt dictum est. Ordinauit etiam per actum charitatis omnia sua ad finem supernaturalem, videlicet ad gloriam Dei ex eodem cap. Ego non quæro gloriam meam; & c. 14. Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Insuper Christus etsi secundùm partem superiorem animæ fuerit ab instanti conceptionis comprehensor, fuit tamen secundùm partem inferiorem animæ, & corpus, viator; quandiu enim anima coniuncta est corpori mortali, tandiu quis est viator: vnde defuit Christo aliquid pertinens ad beatitudinem perfectam, scilicet impassibilitas animæ, & gloria corporis: ratione cuius viator erat, vt ait D. Thom. q. 29. de veritate art. 6. Denique quamuis simpliciter non fuerit necessarium pactum, aut promissio præmij, inter Deum & Christum, vt dictum est supra; fuit tamen ad melius esse iuxta prædictum testimonium Isaiæ; Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum: ergo Christus Dominus verè & propriè meruit de condigno, & sibi, & aliis; vt postea dicetur.

AD primum ergo dicendum, quòd animæ sanctorum in Patria sunt totaliter extra statum viatorum, quia iam sunt & beatæ per fruitionem, & impassibiles: quod de anima Christi non erat ante resurrectionem, & ita erat simul comprehensor & viator; vnde in quantum viator potuit mereri, nec applicauit meritum suum infinitum pro præmio infinito; vnde esto, non sit possibile præmium infinitum, adhuc datur præmium ad quod ordinatur. Deinde potuit habere præmium infinitum v. g. Incarnationem diuinarum personarum, si illud fuisset ordinatum.

AD secundum dicendum, quòd Christus Dominus fuit quidem determinatus ad bonum, ita vt peccare non potuerit, vt dictum est & infra dicetur; vnde non fuit liber quoad specificationem, benè tamen quoad exercitium, siue habuit libertatem contradictionis, non tamen contrarietatis: ad meritum autem sufficit libertas quoad exercitiũ, vt in exercitio actuum quis mereatur, vt patet in Angelis; in primo enim instanti suæ orationis meruerunt, & tamen tunc peccare non potuerunt. Ad aliud dicendum cum D. Th. q. 29. de veritate art. 6. ad 6. quòd charitas, quantum de se est, semper nata est esse merendi principium, sed quandoque non est merendi principium propter habentem, qui est extra merendi statum, sicut patet de sanctis in Patria; Christus autem non erat extra statum merendi, quia viator erat; & ideo charitate eadem fruebatur, & merebatur, sicut & eadem voluntate: nec tamen erat idem principium meriti & præmij, ac proinde terminus eiusdem meriti, quia non merebatur gloriam animæ ad quam pertinet charitas, sed gloriam

gloriam corporis & alia. Vel dicendum cum eodem D. Thom. hic art. 3. ad 1. quòd fruitio, quæ est actus charitatis, pertinet ad gloriam animæ quam Christus non meruit; & ideo si per charitatem aliquid meruit, non sequitur quod idem sit meritum & præmium: nec tamen per charitatem meruit inquantum erat charitas comprehensoris; sed inquantum erat viatoris; nam ipse fuit simul viator & comprehensor.

Ad tertium dicendum, quòd Christus meruit & sibi, & aliis, vt patebit ex infra dicendis.

DVBIVM II.

Vtrùm Christus Dominus ab instanti suæ conceptionis vsque ad mortem continuò meruerit.

Supponendum est ex dictis supra disput. 2. quòd meritum Christi Domini fuit infinitum intensiuè: nam meritum nihil est aliud, quàm operatio digna præmio, siue habens valorem: constat autem quamlibet Christi operationem fuisse infiniti valoris, ob infinitam dignitatem personæ operantis, influentis moraliter valorem sibi proportionatum in operationem; & colligitur à posteriori; tum ex modo merendi, meruit enim de toto rigore iustitiæ, sicut & satisfacit, vnde Deus citra iniustitiam non poterat non præmiare; tum deinde ex efficacia meriti, tale enim fuit, quòd omnibus prodesse potuit, imò & infinitis aliis: quòd autem eius meritum non prosit omnibus, saltem in ordine ad salutem æternam, procedit ex diuina ordinatione, quæ tale meritum ex se infinitum, & sufficiens pro omnibus in ordine ad vitam æternam, non tamen pro omnibus voluit efficaciter applicari, sed tantùm pro electis: tum denique ex parte præmij; nam nobis meruit perfectam Dei reconciliationem, satisfaciendo pro peccato, quod in genere iniuriæ erat malum simpliciter infinitum; ac proinde meruit nobis bonum simpliciter infinitum: sicut enim priuari malo est bonum, sic priuari perfectè malo infinito est bonum infinitum. sibi autem meruit reunionem diuinitatis cum tota humanitate in Resurrectione sua; nam per mortem, sicut fuerat soluta humanitas ex separatione animæ à corpore, sic fuerat soluta vnio diuinitatis cum humanitate; non tamen cum partibus eius, quæ semper remanserunt diuinitati vnitæ. Difficultas præsens est de extensione meriti Christi quantùm ad durationem, vtrùm scilicet incœperit ab instanti conceptionis, & durauerit continuò per totam vitam vsque ad mortem.

Prima opinio Alexandri 3. p. qu. 17. membro 2. art. 1. quam vt probabiliorem iudicant Albertus Mag. in 3. d. 18. art. 6. S. Bonauentura ibidem, quæst. 1. art. 1. asserit Christum non meruisse à primo instanti suæ conceptionis. Probatur; actio meritoria debet esse libera, siue procedens ex electione, vt patet: sed omnis electio præsupponit consilium in aliquo priori; ac proinde in eodem instanti non potuit esse consilium, & electio, siue actio meritoria: ergo Christus Dominus non meruit ab instanti suæ conceptionis, cùm sit primum instans eius.

Secundò; debuit idem ordo seruari in Christo, qui in aliis hominibus, cùm sit verus homo: sed alij homines nec habent, nec possunt habere actionem meritoriam ab instanti suæ conceptionis: tum quia operari sequitur esse quod præsupponit: tum quia non possunt esse simul duo motus subordinati, quales sunt creatio animæ, & motus liberi eius arbitrij: tum quia idem est subiectum meriti & demeriti: constat autem quòd nullus potest demereri in primo instanti suæ conceptionis, vt docet D. Thom. de Angelis; quia talis actio cùm sit quoddam corollarium naturæ, attribueretur Authori naturæ: ergo Christus non meruit in primo instanti suæ conceptionis.

Tertiò; si Christus meruerit in primo instanti suæ conceptionis, sequuntur hæc inconuenientia. Primum; quòd potest quis esse perfectè beatus, & mereri: Christus enim Dominus à primo instanti suæ conceptionis fuit perfectè beatus. Secundum, quòd mereri in Christo non fuit ex gratia, sed ex natura: quod enim habetur in instanti generationis, est naturale, cùm sit terminus generationis naturalis: constat autem quòd naturalibus nec meremur, nec demeremur. Tertium; quòd post illud instans Christus nihil meruerit: quod enim quis meruit, iam habet vt proprium; non autem meremur, quæ sunt nobis propria: ergo Christus Dominus nihil meruit in instanti suæ conceptionis; imò nec habuit operationem humanam, propter imbecillitatem organorum: hanc enim imbecillitatem Christus assumpsit, sicut & alias nostras passibilitates.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd Christus Dominus incepit mereri à primo instanti suæ conceptionis: 2. Et per totam vitam meruit vsque ad mortem continuò, per aliquem actum saltem internum: 3. In morte autem terminatum fuit eius meritum.

Probatur prima pars conclusionis; tum authoritate Apostoli ad Hebræos 10. vbi inducit Christum loquentem, Ideo ingrediens mundum dicit: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam. Tum authoritate D. Th. infra. q. 34. art. 3. & q. 29. de veritate, art. 8. Tum triplici eius ratione: Christus Dominus non profecit in perfectione supernaturali, sed totam habuit à principio: omnis enim perfectio indita quam habuit, habere debuit perfectissimo modo, ac proinde à principio; si enim hoc conces-

ſum fuit Angelis, multò magis Chriſto qui eſt caput vniuerſale hominum & Angelorum: ergo cùm mereri ſit perfectio ſupernaturalis, & indita ratione principij, ſcilicet gratiæ habitualis & actualis, fuit in Chriſto ab inſtanti ſuæ conceptionis. Deinde, Chriſtus fuit ſanctificatus ab inſtanti ſuæ conceptionis, & ſanctificatione perfecta adultis propria, quæ habet annexum proprium actum meritorium: hæc enim eſt perfectior ſanctificatione paruulorum, quæ fit ſecundùm fidem parentum, vel Eccleſiæ: conſtat autem quòd perfectio Chriſti debuit eſſe perfectiſſima: ergo ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit actum meritorium. Denique, quòd aliquis in aliquo inſtanti mereri non poſſit, prouenit vel ex parte operantis, vel ex parte actus: ex parte quidem operantis; quando caret libero arbitrio, aut gratia, vtrumque enim concurrit ad meritum: ex parte autem actus; in quantum non poteſt eſſe in illo inſtanti, quia eſt ſucceſſiuus, aut quia præſupponit quædam quæ non poſſunt præcedere illud inſtans: ſed in Chriſto Domino nullum eſt tale impedimentum, quin mereri poſſit ab inſtanti ſuæ conceptionis: Non quidem ex parte Chriſti operantis, quia ab illo inſtanti habuit facultatem tam gratiæ, quàm naturæ, vt pote gratiâ plenus, & plenariè habens vſum rationis; vt fatentur omnes Catholici; aliàs non potuiſſet eſſe comprehenſor: Nec etiam ex parte actus, quia motus liberi arbitrij, in quo meritum conſiſtit, non habet ſucceſſionem, & ad ipſum non præexigitur, niſi actus apprehenſiuæ virtutis, qui in eodem inſtanti eſt cum actu voluntatis, eo quòd bonum apprehenſum mouet voluntatē; ſimul autem eſt motio mouentis, & motus mobilis: ipſa verò apprehenſio boni in Chriſto non præexigebat aliquam inquiſitionem, ad hoc quòd eſſet de bono certum iudicium, quia ſecundùm certitudinem Chriſtus ſtatim de omnibus verum iudicium habuit: ergo Chriſtus Dominus incœpit mereri ab inſtanti ſuæ conceptionis.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Tempus vitæ mortalis vſque ad mortem, eſt ſtatus merendi, id eſt quamdiu anima eſt vnita corpori mortali, vt docet D. Aug. libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 12. vnde Chriſtus Dominus per totam vitam vſque ad mortem fuit in ſtatu merendi. Ex alia verò parte; perfecta charitas, qualis fuit in Chriſto Domino, poſtulat vt voluntas tandiu feratur in obiectum bonum bonitate ſupernaturali, quandiu tale obiectum proponitur actu intellectui lumine ſupernaturali; quia cognito bono ſtatim ſequitur appetitus ipſius: ſed Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ conceptionis, continuò per totam vitam cognouit actu, per ſcientiam inditam, vt pote independentem à phantaſmatibus, aliquod bonum ſupernaturale, cognitione propria viatoris; fuit enim in continuo vſu talis ſcientiæ: ergo etiam ab inſtanti ſuæ conceptionis, per totam vitam voluntas eius elicuit actus ſupernaturales viatoris, ac proinde meritorios.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate ipſius Chriſti. Ioannis, 9. ait, Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt, (ſiue quandiu durat vita) venit nox (id eſt mors) in qua nemo poteſt operari: hæc eſt communis expoſitio Interpretum. Deinde, ſolum tempus vitæ mortalis eſt tempus merendi, vt habetur Eccleſiaſt. 9. & 2. ad Cor. 5. ita vt mors ſit terminus extrinſecus meriti: ergo in morte Chriſti Domini terminatum fuit eius meritum. Denique, tunc terminatum fuit Chriſti meritum, quando noſtra redemptio fuit completa; quia noſtra redemptio fuit terminus ad quem omnia ſua ordinauit; ſed conſtat quòd noſtra redemptio, fuit completa in vltimo inſtanti ſuæ vitæ, vt ipſemet Chriſtus Dominus ſignificauit dicens; Conſummatum eſt: ergo in vltimo inſtanti vitæ, tanquam termino intrinſeco, fuit terminatum eius meritum: vnde mors eius in facto eſſe fuit terminus extrinſecus; & ita nos redemit per ſuam mortem in fieri, ſiue paſſionem mortalem, non autem per ipſam in facto eſſe, vt docet D. Th. infra, q. 56. & 57. Acceptatio tamen ipſius mortis, & omnium iniuriarum poſt mortem ipſi illatarum, ſicut & vulneris lanceæ, quæ omnia præuidit, & pro nobis acceptauit, fuit meritoria.

Ad primum ergo dicendum ſicut ſupra, quòd Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit conſilium, non prout dicit inquiſitionem; tale enim conſilium eſt imperfectum, & requirens tempus; ſed vt importat tantùm certitudinem iudicij, quod eſt terminus inquiſitionis: & ſic vt quid perfectum in Deo ponitur.

Ad ſecundum dicendum, quòd Chriſtus non aſſumpſit defectus, qui in imperfectionem gratiæ & ſcientiæ redundare poſſunt: huiuſmodi autem defectus eſt ineptitudo organorum ad actum animæ, vnde hunc defectum Chriſtus non aſſumpſit, ſed diuinitus confortabantur eius organa, vt eſſent idonea ad operationem animæ: & hæc ineptitudo organorum eſt ſola cauſa, cur pueri ſtatim à principio non poſſunt habere actiones humanas, quæ ſolæ per gratiam poſſunt fieri meritoriæ; vnde rationes adductæ non concludunt; nam ſi natura ſit perfecta à principio; eiuſque potentiæ non impeditæ, ſtatim poterit operari, ſi operatio ſit inſtantanea: & tunc operari ſequitur eſſe; non poſterioritate temporis & durationis, ſed naturæ & cauſalitatis. Ad aliud dicendum, quòd ratio illa procedit in motibus ſucceſſiuis, non autem inſtantaneis: cuius rationem affert D. Th. quia quando duo motus ſunt ordinati, idem inſtans quod eſt finis primi motus, poteſt eſſe principium ſecundi: ſi ergo principium ſecundi motus & terminus eiuſdem ſunt idem, ſicut accidit

accedit in motibus instantaneis; tunc terminus motus secundi est in eodem instanti cum termino motus primi; sicut illuminatio & visio in eodem instanti terminantur: si verò terminus secundi motus non potest esse in eodem instanti cum principio eiusdem, sicut accidit in omnibus motibus successiuis, tunc impossibile erit quòd terminus secundi motus sit in eodem instanti cum termino primi motus: cùm igitur motus liberi arbitrij sit instantaneus, nihil prohibet meritum eius esse in eodem instanti cum termino creationis. Ad aliud dicendum ex eodem D.Thom. quòd voluntas rationalis naturæ naturaliter ordinatur in bonum; non autem in malum: & ideo in primo instanti suæ creationis, nisi aliquid impediat, potest ferri in bonum; non autem in malum, in quod non fertur nisi per errorem, qui incidit in conferendo, vel inquirendo: vnde præexigitur tempus collationis ad malũ, non autem ad bonum.

Ad tertium dicendum, quòd licèt Christus fuerit perfectè beatus ab instanti suæ conceptionis, quantùm ad partem superiorem animæ; fuit tamen viator quantùm ad inferiorem, idest secundùm potentias sensitiuas, & vegetatiuas; imò & secundùm intellectum quantùm ad scientiam inditam, & acquisitam; & consequenter secundùm voluntatem quantùm ad actus regulatos tali scientia; vnde potuit mereri. Ad aliud dicendum cum D.Thom. infra q. 34. art.3. ad 2. quòd illud quod homo habet à principio suæ creationis, secundùm communem naturæ cursum, est homini naturale: nihil tamen prohibet, quin aliqua creatura in principio suæ creationis aliquod beneficium gratiæ à Deo consequatur: & hoc modo anima Christi in principio creationis consecuta est gratiam, qua posset mereri; & ea ratione gratia illa secundùm quandam similitudinẽ, dicitur fuisse illi homini naturalis, vt ait Aug. cap. 40. Enchir. Ad aliud dicendum cum D.Th. ibidem ad 4. quòd nihil prohibet idem esse alicuius ex diuersis causis, & secundùm hoc Christus, idem potuit mereri diuersis actibus; non tamen fuit magis debitum, ob infinitatem cuiuscumque actus meritorij; sed fuit pluribus titulis debitum. Ad aliud patet ex dictis.

DVBIVM III.

Vtrùm Christus Dominus meruerit per actus Charitatis.

Svpponendum est, voluntatem in sua operatione sequi intellectum, iuxta axioma Philosophicum, nihil volitum, quin præcognitum: non quòd ipsa cognitio sit ratio formalis, quæ, aut, sub qua, obiecti voluntatis: sed quia est ratio, siue conditio sine qua non; obiectum enim non mouet nisi cognitum, vt probatum est in 2. Physicorum, qu. 14. art. 3. & ex consequenti, volitio regulatur ipsa cognitione, ipsique commensuratur, ita vt si cognitio sit ordinis supernaturalis, etiam volitio consequens erit supernaturalis: & sic in aliis. Cùm igitur in Christo sit duplex cognitio, scilicet ordinis naturalis secundum scientiam acquisitam, & supernaturalis secundùm scientiam beatam, & scientiam inditam; sic etiam est in ipso duplex volitio siue appetitus, vnus naturalis, alius supernaturalis: naturalis, est amor naturalis: supernaturalis, est dilectio charitatis: naturalis est actus immediatus voluntatis ab ipsa elicitus, nullo medio habitu, quia obiectum eius est ipsi proportionatum, connaturale, & naturaliter attrahens: supernaturalis est actus voluntatis eleuatæ per habitum charitatis; quia eius obiectum excedit naturam: Quia tamen apprehensio est ratio formalis, sub qua, obiecti intellectus: non autem voluntatis; sequitur quòd in Christo cognitio beatifica, & cognitio per scientiam inditam, quia procedunt per diuersa lumina causantia diuersam apprehensionem, sunt duo actus essentialiter distincti, quamuis ambo supernaturales, & simul coniuncti: & simul sequitur, quòd idem actu realiter, sit actus dilectionis eius, regulatus vtraque hac cognitione, solam admittens distinctionem virtualem, iuxta quam est formaliter liber & necessarius, ob maximam sui eminentiam, quam habet ex hac diuersa apprehensione, causante hanc diuersitatem accidentariam liberi & necessarij: quæ sicut reperitur in actu dilectionis, quo Deus se ratione sui, & vt est ratio diligendi creaturas diligit; sic reperitur in actu dilectionis Christi, prout regulatur hac duplici cognitione: Hæc doctrina est D. Thom. quæst. 22. de veritate, art.4. ad 1. & 2. vbi docet diuersitatem apprehensionum per accidens se habere ad appetitiuas vires distinguendas, nisi diuersitati apprehensionis diuersitas apprehensorum coniungatur: & etiam valet quantum ad habitus appetitiuos. 1. 2. quæst.67. art. 6. ad 2. dicit, charitatem non habere pro obiecto ipsam cognitionem; sic enim non esset eadem in via & in patria, quia in via nititur cognitioni obscuræ fidei, in patria cognitioni claræ scilicet visioni beatificæ: est verò eadem, quia habet pro obiecto ipsam rem cognitam, quæ est eadem in via & in patria: Quod ita verum est; vt, iuxta communem sententiam, possit idem actus charitatis hic in via inchoatus perseuerare in patria per totam æternitatem; vt contingit in illis qui moriuntur amore Dei, vt beatissima Virgo, S.Mater nostra Theresia, & alij.

Prima opinio negat Christum Dominum meruisse per actus Charitatis circa Deum, quomodocumque consideratæ. Probatur; actus illi charitatis vel mensurarentur scientiâ beatâ, vel scientiâ inditâ: (nam dilectio naturalis non

dicitur actus charitatis, nec est meritoria, cùm sit ordinis naturalis) sed neutrum dici potest, quia actus charitatis mẽsurati & regulati scientiâ beatâ non sunt liberi, sed necessarij; ac proinde non sunt meritorij: actus verò charitatis mensurati scientiâ inditâ non attingunt Deum in se, sicut nec scientia indita, quia vt ait D. Thom. infra quæst. 11. art. 1. Christus per scientiam inditam non cognouit ipsam Dei essentiam: ergo Christus non meruit per actus charitatis circa Deum, quomodocumque considerata.

Secunda opinio aliorum est, Christum Dominum meruisse per actus charitatis regulatos scientiâ beatâ: differunt tamen eius Authores, quòd aliqui asserant tales actus, vt sint meritorij, debuisse versari circa proximum, non circa Deum: Alij verò asserunt potuisse versari etiam circa Deum, non quidem in se consideratum, sed vt est ratio diligendi creaturas; quia sub hac ratione, & non sub priori potest diligi liberè à videntibus ipsum. Probatur vniuersaliter hæc opinio authoritate D. Thom. in 3. d. 18. quæst. 1. art. 2. ad 2. vbi sic ait, Ipse motus charitatis hominis Christi, in quo consistit præmium eius quantùm ad beatitudinem animæ, potest esse meritum respectu beatitudinis corporis, quod in aliis Beatis non contingit, quia non sunt in statu acquirendi secundùm aliquid sui: & ideo nec sibi, nec aliis merentur; quia quod impetrant modò nobis, contingit ex hoc quòd priùs, dum viuerent, meruerunt vt hoc impetrarent. Et quæst. 19. de veritate, art. 6. ad 6. ait; Charitas quantùm de se est, semper nata est esse merendi principium; sed quandoque non est merendi principium propter habentem, qui est extra merendi statum; sicut patet de Sanctis in patria; Christus autem non erat extra statum merendi, quia viator erat: & ideo charitate eadem fruebatur; & merebatur; sicut & eadem voluntate: ergo Christus Dominus meruit per actum charitatis regulatum scientiâ beatâ.

Tertiò, actus Charitatis regulatus scientiâ beatâ, habet in Christo omnes conditiones vt sit meritorius: nam in primis est actus bonus & supernaturalis: ordinatus ad Deum vltimum finem supernaturalem; imò attingens ipsum immediatè realiter possessum: est etiam liber, prout respicit Deum, vt est ratio diligendi creaturas; sub hac enim ratione etiam Deus ipse se liberè diligit, sicut & ipsas creaturas: & denique est actus viatoris, licèt enim Christus quantùm ad gloriam animæ sit comprehensor, tamen est viator, quia nondum habet gloriam corporis; imò adhuc habet corpus passibile & mortale; consideratus ante Passionem: ergo Christus Dominus meruit per actum charitatis regulatum scientiâ beatâ: Maximè quia nullus fuit in illo alius actus charitatis; nam vel fuissent distincti specie, vel solo numero; Non specie, quia sicut est vnicus habitus charitatis in specie, siue consideretur in via, siue in patria; sic & vnicus est actus charitatis in specie, cùm enim sit actus adæquatus, specificat ipsum habitum: implicat autem vnum in specie specificari à duobus specie differentibus: Nec solo numero, quia duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto; sicut essent hi duo actus charitatis, si essent in Christo: nam actus charitatis beatificæ est continuus & immutabilis, & illi coniungeretur alius regulatus scientiâ inditâ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus meruit per actus charitatis propriè sumptæ, quandiu fuit mortalis & viator: 2. Non quidem per actum charitatis formaliter & reduplicatiuè beatificæ; 3. Sed tantùm per actus charitatis viæ, siue vt regulatæ per scientiam inditam: 4. Qui actus non distinguntur actu, sed tantùm virtualiter ab actu charitatis beatificæ continuato.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. hîc art. 3. ad 1. postea adducenda, vbi expresè docet Christum, quandiu fuit viator, meruisse per actus charitatis. Tum ex illo Ioannis, 14. vbi Christus dicit se implesse mandata Patris, motum eius dilectione: quod sine dubio est mereri per actum charitatis propriè dictum; non enim alio modo nobiliori meretur per actum charitatis, quàm operando propter Deum: dicit autem Christus; Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater; sic facio. Deinde, est inconueniens ponere habitum charitatis in Christo omninò otiosum; sicut esset, si non haberet actus meritorios: propterea quia actus fidei, & spei sunt incompossibiles Christo, non ponuntur in ipso habitus fidei, & spei: ergo cùm actus charitatis sint præ omnibus aliis meritorij, Christus meruit per actus charitatis propriè sumptæ, quandiu fuit mortalis & viator.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc loco citato, vbi sic ait: Non tamen per charitatem meruit, in quantùm erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris: nam ipse fuit simul viator & comprehensor: & ideo quia nunc non est viator; non est in statu merendi: ergo ex D. Thom. Christus non meruit per actum charitatis formaliter & teduplicatiuè beatificæ; cùm talis actus sit charitatis comprehensoris, cùm sit regulatus scientiâ beatâ, siue visione beatifica. Deinde, vt aliquis actus sit meritorius, inter alias conditiones requirit, quòd formaliter sit actus viatoris: nam meritum, vt docet D. Thom. est quidam motus in terminum, vnde est impossibile de lege ordinaria, quòd actus alicuius secundùm quòd formaliter existit in termino, sit meritorius: sed actus charitatis beatificæ, formaliter

vt

vt sic, & reduplicatiuè est actus Christi, prout est comprehensor existens in termino; nam charitas beatifica est complementum beatitudinis essentialis: ergo Christus non meruit per actum charitatis formaliter & reduplicatiuè specificæ.

Probatur tertia pars conclusionis. Christus meruit per actus charitatis, sicut dictum est in prima parte conclusionis: sed non meruit per actum charitatis beatificæ formaliter & reduplicatiuè, vt etiam dictum est: ergo per actus charitatis viæ, siue vt regulatæ per scientiam inditam; hæc enim scientia est communicabilis puro viatori, vnde in Christo, quandiu fuit mortalis, erat scientia viatoris. Patet consequentia; quia nullus est alius actus charitatis in Christo, quàm charitatis beatificæ siue regulatæ scientiâ beatâ, & charitatis regulatæ scientiâ inditâ: maximè quia tales actus habent omnes conditiones requisitas, ad hocvt sint meritorij, vt discurrenti per singulas patet.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Vt dictum est supra; appetitus rationalis medio vnico habitu charitatis potest tendere in idem obiectum diuersimodè sibi propositum, & consequenter vno & eodem actu reali; est enim impossibile quòd vnus & idem habitus eliciat simul duos actus; hoc quidem est possibile eidem potentiæ secundùm diuersos habitus subordinatos, quia potentia habet quandam amplitudinem & eminentiam supra habitus suos, ipsam potentiam ad diuersa determinantes & limitantes, propterea in Christo, & Beatis inuenitur simul scientia actualis beatifica, cum infusa & acquisita: isti enim actus sigillatim sumpti non sunt actus adæquati potentiæ: sicut actus habitus, vt in plurimum, est actus eius adæquatus ob limitationem habitus: ergo actus charitatis regulati scientiâ inditâ in Christo, non distinguuntur actu, sed tantùm virtualiter, ab actu charitatis beatificæ continuato: vnde idem actus erat vnus formaliter; sed continuus: virtualiter autem multiplex secundùm quod attingebat Deum sub diuerso lumine propositum; vnde vt regulatus lumine gloriæ, vel visione beata erat comprehensoris, & vnus continuus; vt regulatus verò scientiâ inditâ, erat viatoris, & multiplex, non quidem actualiter, ob identitatem cum alio, sed virtualiter.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus meruit per actus charitatis regulatos scientiâ inditâ: D. Thom. autem non negat absolutè Christum per hanc scientiã cognouisse Deum, cùm nos ipsum cognoscamus per fidem, & hæc cognitio sit regula charitatis, qua meremur: sed negat cognouisse Deum intuitiuè & quidditatiuè, attingendo ipsam diuinam essentiam immediatè in se ipsa; hoc enim est solius scientiæ beatæ, & non est necesse ad meritum.

Ad secundum dicendum, quòd D. Thom. in duplici illo loco solùm dicit Christum meruisse per actum charitatis beatificæ, materialiter, specificè, & identicè, vt dictum est in quarta parte conclusionis: non autem formaliter, & reduplicatiuè.

Ad tertium dicendum, quòd actus charitatis beatificæ formaliter & reduplicatiuè, licèt habeat alias conditiones requisitas ad meritum, non tamen habet hanc etiam in Christo, quòd sit actus viæ, & viatoris formaliter vt dictum est, sed tantùm materialiter: quæ tamen conditio est essentialis, supposita ordinatione diuina, qua statutum est, vt fides siue alia cognitio non intuitiua Dei, sed abstractiua (ratione cuius peregrinamur à Deo, & sumus viatores) sit regula charitatis meritoriæ, quæ debet tendere, & non frui: alioquin si sufficeret ad meritum, quòd subiectum sit in statu acquirendi, posset dici quòd Beati sint viatores secundùm aliquid, & quòd actu mereantur suam resurrectionem, & gloriam sui corporis. Alia, quæ subduntur, non sunt contra conclusionem; vt patet.

DVBIVM IV.

Vtrùm Christus Dominus meruerit obediendo præcepto moriendi, & aliis.

Svpponendum est, Christo Domino verè fuisse imposita præcepta, vt ipsemet testatur, & præcipuè præceptum moriendi pro redemptione generis humani: vnde Ioan. 14 ait; Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Et ad Philipp. 2. Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Vbi verò est obedientia, supponitur esse præceptum. Vnde quãdo aliqui Sancti Patres dicunt mortem Christi Domini fuisse tantùm permissiuè, & non ex voluntate præcipiente, debet intelligi de ipsa actiuè considerata, scilicet vt illata à Iudæis, sic enim fuit maximum scelus: non autem de ipsa passiuè considerata, siue vt tolerata à Christo, sic enim fuit opus maximæ misericordiæ, & charitatis Dei in genus humanum. Fuit etiam Christus, in quantum homo, subiectus præceptis siue legibus iuris naturæ, tam ordinis merè naturalis, quàm extensiuè supernaturalis; quæ tamen dignitati personæ eius non disconueniebant: Ratio huius est, quia assumpsit naturam humanam, cum conditionibus quæ illam consequuntur, excepto peccato & ignorantia: nam vt ait D. Thom. q. sequenti art. 1. Cuilibet habenti aliquam naturam conueniunt ea, quæ sunt propria illi naturæ: natura autem humana habet triplicem subiectionem ad Deum; tum ratione inferioritatis, cùm sit quædam participatio diuinæ bonitatis; tum quia subiacet diuinæ potestati & dispositioni; tum quia tenetur obedire

obedire mandatis eius: ac proinde est subiecta præceptis naturalibus, siue dirigant ad finem naturalem, siue ad supernaturalem: Vnde etiam in Christo habuit triplicem hanc subiectionem, exceptis his quæ dignitati eius diuinæ Personæ disconueniebant; v.g. quòd esset subditus Matri suæ Beatissimæ Virgini; hæc enim subiectio in Christo fuit voluntaria & non necessaria. Ob eandem rationem Christus, in quantum homo, fuit etiam sibi subiectus in quantum erat Deus: non tamen fuit subiectus præceptis aut legibus positiuis, tam noui, quàm veteris Testamenti, ex D. Thom. infra quæst. 17. De legibus noui Testamenti, Patet; quia Christus est author noui Testamenti, & lex noui Testamenti respicit homines quatenus defectibiles, dirigendo ipsos in suis actibus: Princeps autem est solutus suis legibus; maximè quando respiciunt subditos vt tales, siue sub statu dissimili à Legislatore, v.g. de soluendo tributo. De legibus etiam veteris Testamenti, Patet; quia fuerunt datæ posteris Adæ, descendentibus ab ipso viâ seminali: Christus autem non descendit hoc modo ab Adam, cùm in illo non fuerit secundùm virtutem seminalem, sed secundùm corpulentam substantiam: Vnde quando Christus dicitur factus sub lege, debet intelligi de volũtaria eius subiectionẽ in exemplum humilitatis: & quando ipse de se ait, Matthei, 5. Non veni soluere legem, sed adimplere: vel intelligitur de præceptis quæ sunt etiam legis naturæ, quibus erat subditus; vel de aliis moralibus legis veteris, & hæc voluntariè obseruauit, dum vixit; & legem dicitur adimplesse, licèt aliqua eius præcepta soluerit, subrogando alia perfectiora: vel intelligitur de Legalibus, & tunc debet intelligi de adimpletione figuræ per exhibitionem veritatis.

Prima opinio asserit Christum Dominum non meruisse, obediendo præcepto moriendi, & aliis, quantum ad substantiam actus externi: sed quia non potest negari apud Catholicos, ipsum aliquo modo meruisse; propterea Authores huius opinionis differunt inter se, assignantes in quo meruerit. Aliqui dicunt, quòd meruit ratione circunstantiarum temporis, loci, &c. quæ non fuerunt ipsi determinatæ; ita Fonseca, 6. Metaph. cap. 2. quæst. 5. sect. 6. Alij verò dicunt ipsum meruisse quantùm ad actum internum, quo impleuit præcepta, & qui non fuit sub præcepto, ita Ysambertus, disp. 2. ad q. 18. art. 6. Probatur vniuersaliter hæc opinio; Ad meritum requiritur libertas: ad libertatem verò indifferentia, siue facultas ad opposita, saltem contradictoriè, ita vt possit facere & non facere: sed Christus Dominus non habuit hanc indifferentiam, siue facultatem obediendi & non obediendi; quia non potuit non obedire præceptis Dei: aliàs non fuisset impeccabilis ab intrinseco: nam sicut si non obedisset, peccasset; sic si potuit non obedire, potuit peccare: quæ tamen potentia peccandi repugnat personæ diuinæ Christi Domini; nam ipsi attribuerentur omnes defectus morales humanitatis assumptæ, quia ipsam tenetur in omnibus dirigere, vt naturam propriam: ergo Christus Dominus non meruit obediendo præcepto moriendi, & aliis, quantùm ad substantiam actus externi.

Secundò; status beatificus comprehensoris ita vnit Deo, vt sit impossibile, quòd Beatus habeat odium Dei, & auertatur à Deo vltimo fine; imò necessitatur, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium, ad amandum Deum; ac proinde ad obediendum eius mandatis, nam inobedientia est peccatum auertens à Deo: ergo Christus, cùm fuerit beatus ab instanti suæ conceptionis; non liberè, sed necessariò obediuit præcepto moriendi, & aliis; ac ita non meruit in tali obedientia: sicut non mererentur Beati implentes aliquod præceptum.

Tertiò; meritum durat tantùm tempore vitæ, ita vt mors sit terminus extrinsecus meriti, vt communiter docent Theologi, iuxta illud 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum: sed Christus non impleuit præceptum moriendi, donec verum fuit dicere; Christus est mortuus: ergo non meruit implendo præceptum moriendi.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus meruit implendo præceptum moriendi, sibi à Deo impositum pro salute generis humani: 1. Non solùm quoad circunstantias actus; 3. Aut quoad actum internum tantùm; 4. Sed etiam quoad substantiam actus externi. 5. Et idem dicendum circa alia præcepta. Ita communiter Discipuli D. Thom.

Probatur prima pars conclusionis, recepta communiter ab omnibus Catholicis, authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Philip. 2. dicitur; Semetipsum exinaniuit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Isaiæ, 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semẽ longæuum. Et inferius; Pro eo quod laborauit, videbit & saturabitur. Deinde, Christum Dominum satisfecisse pro peccatis generis humani, est ipsum meruisse salutem & redemptionem generis humani: sed Christus Dominus satisfecit de toto rigore iustitiæ, pro peccatis generis humani, per suam Mortem & Passionem sacratissimam, siue obediendo præcepto moriendi, vt dictum est supra: ergo Christus meruit implendo præceptum moriendi.

Probatur Secunda, Tertia, & Quarta pars conclusionis prædictis locis Sacræ Scripturæ, quæ manifestè procedunt de substantia actus externi.

externi obedientiæ in toleranda Passione, & subeunda morte, vt intuenti patet: & non tantùm de eius circunstantiis, aut actu interno. Deinde, actus externus obedientiæ, quo Christus Dominus impleuit præceptum moriendi, habet omnes conditiones requisitas ad meritum: nullus enim dubitat quin fuerit bonus, ex motiuo supernaturali, & directus per charitatem ad vltimum finem: fuit etiam liber, vt expressè habetur in Scripturis: Isaiæ, 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Ioan. 10. Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo. Maximè quia Passio & Mors Christi non habet ex natura sua connexionem necessariam cum bono in communi, ad quod naturaliter inclinetur voluntas: nec cum bono diuino, cùm sine ipsa tam bonum in communi, quàm bonum diuinum possint consistere absolutè; vnde liberè toleratur: ergo ille actus externus obedientiæ, quo Christus impleuit præceptum moriendi, quantùm ad substantiam fuit meritorius. Denique, si quid obstaret, quin talis actus esset meritorius, esset quia fuit sub præcepto, cui Christus non potuit non obedire: sed si hæc ratio valeret, etiam probaret quòd Christus non meruit etiam quantùm ad actum internum, nec quantùm ad circunstantias; quia vt dicitur in tractatu, De voluntate Dei, non non solùm substantia actionis, sed etiam omnes eius circunstantiæ, actúsque internus quo fit, prædefiniuntur à Deo; & sic credendum est fuisse præcepta Christo vt colligitur ex Scriptura: Actuum 4. Conuenerunt aduersus puerum sanctum tuum Iesum Herodes, & Pontius Pilatus, facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri: certum est autem hæc omnia fuisse Christo priùs manifestata, quasi decreta à Deo: vnde ipse Ioan. 4. ait, Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: idest, eodem prorsus modo, siue cum circunstantiis prædefinitis: ergo Christus meruit implendo præceptum moriendi, pro salute generis humani, non solùm quoad circunstantias actus, aut quoad actum internum tantùm, sed etiam quoad substantiam actus externi.

Probatur quinta pars conclusionis ex dictis, eadem quippe est ratio de aliis præceptis, ac de præcepto moriẽdi; quòd si res præcepta habet ex natura suâ necessariam connexionem cùm vltimo fine, licèt absolutè nõ potuerit non obedire, habuit tamen indifferentiam obediendi ex variis motiuis; vnde, vt ait Aluares, Christus ordinauit obseruationem præceptorum naturalium, ad salutem hominum, ad eorum instructionem & exemplum, tanquam ad finem proximum, & ad Deum, vt est ratio diligendi creaturas (sub qua ratione tantùm liberè diligitur à Christo, imò & à seipso.) Deinde probatur authoritate D. Thom. in 3. d. 18. quæst. 1. art. 5. vbi docet, quòd Christus meruit omnibus actibus suis. Denique, quia aliàs subtraheremus à meritis Christi magnam partem meritorum eius: siquidem pluribus actibus impleuit præcepta iuris naturalis, & alia positiua.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus Dominus habuit indifferentiam ad moriẽdum, & non moriendum; quia eius voluntas humana non erat determinata ex necessitate absoluta ad tolerandam mortem, vnde liberè eam tolerauit, & liberè obediuit præcepto moriendi: licet enim non posset non obedire, prout ly, non obedire, sumitur priuatiuè, aut contrariè, vt scilicet importat transgressionem præcepti, siue priuationem obseruationis præcepti: potuit tamen non obedire, prout ly, non obedire, sumitur merè negatiuè & contradictoriè, vt scilicet importat negationem actus præcisè, abstrahendo à præcepto: ad libertatẽ autem sufficit indifferentia contradictionis, nec requiritur indifferentia priuationis aut contrarietatis. Siue breuiùs, sufficit ad libertatem, quòd voluntas non determinetur ex parte obiecti, quasi sit summum bonum, vel ex natura sua ei connexum; talis enim determinatio ex parte obiecti est ab intrinseco, & importat necessitatem absolutam; sic autem non fuit determinata voluntas Christi ad tolerandam mortem, quia hæc non est summum bonum, nec ex natura sua est summo bono connexa: sed tantùm fuit determinata ab extrinseco ratione præcepti, quæ determinatio non tollit libertatem, cùm sit tantùm determinatio secundùm quid & ex suppositione, vt dicitur in materia, De auxiliis diuinæ gratiæ. Cùm autem Christus fuerit ab intrinseco impeccabilis, non potest absolutè concedi, & absque distinctione, quòd potuerit non obedire, vel quid simile, quod importat defectum: potest tamen absolutè concedi, quòd potuit non mori, & similia quæ non important defectum. Respondent alij ad hoc, & ad sequens argumẽtum, quòd præcepta respectu Christi non fuerunt obligatoria: Sed hoc patet esse falsum ex dictis superiùs. Alij respondent quòd Christus potuit secum dispensare in præceptis: sed de hoc non constat; imò potiùs habetur contrarium ex illo ad Hebræos, 10. de Christo, Ideo ingrediens mundum dixit; Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam. Et ex illo Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Item Lucæ 22. Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis, fiat: quibus locis clarè indicatur, absolutum fuisse hoc præceptum, absque facultate in Christo dispensandi, in quantum erat homo; in se enim ponit tantùm subiectionem, & in voluntate diuina facultatem dispensandi, vt maximè appareret ex vltimo loco. Alij tandem respondent, quòd

quòd tale præceptum non fuit Christo impositum, nisi præuisa libera eius acceptatione, ac ita obediuit liberè absolutè, & tantùm necessariò ex suppositione quòd acceptauerit, quæ necessitas non tollit libertatem: sed quicquid sit in ordine ad hoc præceptum (dummodo hæc præuisio non sit scientiæ, quam eius defensores vocant mediam: sed sit scientiæ visionis fundatæ in aliquo decreto præsupposito,) tamen non soluitur difficultas, quantùm ad alia præcepta iuris naturalis, quæ sequuntur conditionem naturæ humanæ, vt dictum est ex D. Thom. quorum obseruatione Christus Dominus promeruit; vt fatentur omnes.

Ad secundum dicendum, quòd status beatificus vnit creaturam intellectualem perfectè Deo; & est impossibile quòd Beatus odio habeat Deum, aut ab eo aueratur; imò necessitatur, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium ad amandum Deum: cum hoc tamen stat, quòd retinet indifferentiam ad alia, quæ non sunt per se & ex natura sua connexa cum ipso Deo, vltimo fine; & sine quibus haberi potest: & inter hæc est Passio & Mors Christo proposita: vnde illam absolutè potuit respuere; quamuis vt præceptam formaliter non potuerit non acceptare: sed hæc necessitas est tantùm ab extrinseco & secundùm quid, cùm non sit ex parte obiecti, vt dictum est; & sic non nocet libertati, nec tollit meritum. Ad instantiam de Beatis dicendum, quòd sunt omninò in termino, & absolutè comprehensores: Christus autem fuit simul comprehensor, & viator; vnde potuit mereri, non autem Beati; quia in sola via est status merendi.

Ad tertium dicendum, quòd Christus Dominus post mortem nihil meruit ex D. Thom. hic art. 3. ad 1. vbi ait; Et ideo, quia nunc Christus non est viator, non est in statu merendi. Et infra quæst. 50. art. 6. ad 2. & quæst. 56. art. 6. ad 3. idem docet iuxta illud ad Hebræos, 10. Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos. Constat autem quòd Christus post mortem non fuit amplius viator. Vnde ex eodem D. Thom. quæst. 50. citata art. 6. ad 1. Christus nos redemit per mortem suam vt in fieri, non vt in facto esse: & consequenter etiam meruit per mortem vt in fieri; non autem vt in facto esse: vnde meritum ipsius durauit toto tempore antecedente instans extrinsecum mortis.

DVBIVM V.

Vtrum Christus Dominus meruerit per actus sensitiuæ partis, & alios naturales.

Svpponendum est, Christum Dominum meruisse per omnes actus supernaturales, siue virtutum infusarum ex D. Thom. in 3. d. 18. quæst. 1. art. 5. Et ratio est manifesta; quia tales actus in Christo Domino habuerunt omnes conditiones requisitas ad meritum: nam fuerunt boni ex obiecto; aliàs non fuissent actus virtutum: fuerunt directi ad vltimum finem Deum vt authorem supernaturalem, cui Christus continua charitate adhærebat: & tandem fuerunt actus liberi & hominis viatoris; simul enim Christus fuit viator, & comprehensor. Et in hoc conueniunt communiter Theologi. Et de actibus charitatis, & obedientiæ, de quibus erat difficultas, iam fuit determinatum: restat nunc determinandum de aliis actibus eius ordinis naturalis.

Prima opinio Altisiodorensis, & aliorum, asserit Christum non meruisse per actus partis sensitiuæ. Probatur; actus partis sensitiuæ, sicut & vegetatiuæ sunt naturales, vt patet in motu vitali cordis, in nutritione, augmentatione, visione, auditione, &c. quia non subduntur rationi, aut imperio voluntatis: sed ex communi axiomate naturalibus nec meremur, nec demeremur; quia ad meritum requiritur libertas: ergo Christus non meruit per actus sensitiuæ partis.

Secundò, quidam actus partis sensitiuæ Christi fuerunt eleuati ad miracula patranda; vel ad causandam gratiam, sicut vox eius ad resuscitandum Lazarum, & ad iustificandam Magdalenam: & ad hæc pars sensitiua concurrebat tantùm instrumentaliter: sed instrumentum non tam agit liberè, quàm agitur: ergo Christus non meruit per tales actus: quia ad meritum requiritur indispensabiliter libertas.

Tertiò; ex opposito sequitur meritum Christi Domini fuisse continuum ab instanti suæ conceptionis; quia ex tunc habuit continuò aliquem actum partis sensitiuæ, putà motum cordis nunquam interruptum: sed hoc continuum meritum non videtur admittendum in Christo; aliàs etiam dormiendo meruisset, & similiter spuendo, & exercendo alia necessaria naturæ: ergo Christus non meruit per actus sensitiuæ partis, & alios naturales.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum Christum Dominum meruisse per omnes suos actus naturalis ordinis: 1. Scilicet per actus omnes virtutum ex genere suo acquisitarum, ipsique per accidens infusarum: 3. Per omnes actus sensitiuæ, ac vegetatiuæ partis: 4. Et tandem per omnes illos actus, quibus vt instrumentum diuinitatis concurrebat ad facienda miracula, & causandam gratiam. Ita communiter tam discipuli D. Thom. quàm alij Theologi.

Probatur conclusio authoritate D. Thom. in 3. d. 18. quæst. 1. art. 5. vbi docet, Christum Dominum meruisse omnibus suis actibus: nec vllam addit limitationem: ergo meruit per omnes illos in conclusione enumeratos. Deinde, omnes

omnes illi actus potuerunt esse meritorij in Christo. Primò, quia omnes fuerunt deliberati, siue subditi rationi perfectissimo modo, quandoquidem nullus potuit esse actus sensualitatis indeliberatus in Christo, præueniens vsum rationis, talis enim actus, vt plurimùm, est peccatum veniale: constat autem ex D.Thom. quòd omnis actus deliberatus in indiuiduo est bonus, vel malus moraliter; quia nullus est indifferens: non autem potuit aliquis actus esse moraliter malus, sed omnes fuerunt moraliter boni, vt dictum est. Radix huius subiectionis partis sensitiuæ ad rationem in Christo, prouenit ex hoc quòd sanctissima eius anima fuit vnita Verbo: vnde D.Thom. supra, quæst. 13. art. 3. ait; Si consideretur anima Christi secundùm quòd est instrumentum vnitum Verbo Dei in persona, sic subdebatur eius potestati totaliter omnis dispositio proprij corporis: quod etiam confirmat D.Thom. infra quæst.47.art.1. & S.August.4. de Trinitate cap. 13. vbi dicunt, animam Christi ex vnione ad Verbum habuisse tantum dominium in proprium corpus, vt posset se in illo conseruare quandiu vellet, ita vt inflicto quocumque vulnere non necessitaretur exire & separari; vt colligitur ex illo Ioannis 10. Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Item ex illo Ioan. 19. Inclinato capite tradidit spiritum, vel emisit: vnde etiam esuriuit, aut sitiuit, aut alia passus est, tantùm quando voluit, sicut docet Aug. lib. 26. contra Faustum cap. 8. vbi sic ait: Homo plerumque irascitur, etsi nolit; contristatur, etsi nolit; dormit, etsi nolit; esurit ac sitit: ille autem (scilicet Christus) omnia ista habuit, quia voluit. Ex alia verò parte omnes isti actus fuerunt sine dubio directi ad Deum, vltimum finem, per charitatem, quâ semper Deo summè dilecto adhærebat; ac ita erant supernaturales quantùm ad modum; etsi naturales in substantia: quod sufficit ad meritum; & erant actus hominis viatoris: vnde consequenter Christus per illos potuit mereri: ergo de facto meruit, quia omnis perfectio Christo possibilis, & conueniens statui vnionis hypostaticæ, & fini Incarnationis, debet Christo attribui.

Ad primum ergo dicendum, quòd naturalibus non meremur, nec demeremur: quando ita sunt naturalia, vt nullo modo subiaceant rationi, & libero arbitrio; secùs autem si subiaceant, sicut fiebat in Christo: vnde Christus per actus naturales meruit.

Ad secundum dicendum, quòd humanitas Christi fuit instrumentum diuinitatis; non quidem mortuum aut merè naturale, sed instrumentum liberum, quod ita agitur, vt etiam agat per propriam libertatem; ac ita mereri potest: licèt enim actiones eius vitales, vt faciebant miracula, aut causabant gratiam, eleuabantur per aliquam virtutem ipsis à Deo impressam; vt tamen erant actiones vitales, procedebant ab humanitate tanquam à causa principali proxima liberè operante.

Ad tertium dicendum, quòd meritum Christi Domini fuit continuum, & nunquam interruptum ab instanti suæ conceptionis vsque ad mortem: nec somnus fuit humanitati Christi impedimentum; quia scientia indita, quâ dirigebat voluntatem, vt per charitatem tali scientia regulatam ordinaret omnes actus naturales ad Deum, vltimum finem; non dependebat à sensibus, vel phantasmatibus: vnde bene dicit; Ego dormio, sed cor meum vigilat: ac ita quolibet actu potuit mereri, & meruit. Vnde Caietanus infra, quæst. 34. art. 2. docet virtutes in Christo numquam fuisse otiosas, aut solùm in actu primo: quod debet intelligi de omnibus virtutibus, tam infusis, quàm ex genere suo acquisitis.

DVBIVM VI.

Vtrùm Christus Dominus sibi aliquid meruerit.

Svpponendum est hoc esse discrimen inter meritum Christi Domini & puræ creaturæ; quòd meritum puræ creaturæ, vtpote singularis personæ, & finiti valoris, respicit tantùm terminum sibi à Deo præfixum, videlicet gloriam æternam, & beatitudinem ipsius merentis: meritum autem Christi, vtpote capitis vniuersalis totius Ecclesiæ, & infinitum; habet pro termino omne illud, ad quod obtinendum fuerit applicatum, etiamsi nullum intercessisset pactum, aut promissio diuina: & hoc siue pertineat ad Christum merentem, siue ad eius membra. Difficultas autem præsens ex hoc procedit, quia Christo fuit data ab instanti suæ conceptionis gratia cum virtutibus infusis, gloria essentialis, aliáque dona supernaturalia; non autem gloria corporis; vtrùm de facto hæc meruerit.

Prima opinio asserit Christum Dominum meruisse de facto primam gratiam, gloriam essentialem animæ, aliáque dona supernaturalia gratiam consequentia. Probatur authoritate D. Thom. infra quæst. 34. art. 3. vbi sic ait; cùm sanctificatio Christi fuerit perfectissima, quia sic sanctificatus est, vt esset aliorum sanctificator; consequens est quòd ipse secundùm proprium motum liberi arbitrij in Deum, fuerit sanctificatus: qui quidem motus liberi arbitrij est meritorius: si potuit mereri, imò de facto meruit primam gratiam sanctificantem, multò magis gloriam animæ: nos enim illam meremur actu quo iustificamur. Deinde, si quid obstaret,

ſtaret, maximè eſſet quia prima gratia eſt principium effectiuum meriti, & tale principium non poteſt cadere ſub merito; quia ſimul eſſet terminus illius. Et ſimiliter, quia gloria fuit Chriſto conceſſa ab inſtanti ſuæ conceptionis; vnde nunquam illâ caruit: eſt autem impoſſibile quòd illud quod habetur per modum proprietatis, poſſit cadere ſub merito; quia eſſet ſimul tendere in terminum, & eſſe in illo: ſed neutrum ex his obſtat. Non primum; quia gratia vnionis prior naturâ, potuit eſſe principium merendi primam gratiam: & etiam quia actus quo iuſtificamur, vel intenditur gratia, procedit ab ipſa gratia; & tamen eſt meritorius, vel primæ gratiæ, vel intenſionis eius: habent etiam ſe vt prius & poſterius in diuerſo genere cauſæ. Nec obſtat ſecundum: tum quia idem potuit dari Chriſto pluribus titulis: ſcilicet meriti, gratuitæ donationis, & vt debitum; quo modo data eſt Chriſto gloria corporis: tum quia ex D. Thom. quodlib. 9. art. 1. meritum & præmium poſſunt eſſe ſimul tempore: & 1. 2. q. 5. art. 7. ait; Poteſt Deus facere voluntatem rectè tendentem in finem, & ſimul conſequentem ipſum finem: ſicut quando ſimul materiam diſponit, & formam inducit: ergo Chriſtus Dominus potuit ſibi mereri primam gratiam, & gloriam animæ, ac proinde de facto meruit: quia Chriſtus habuit perfectiſſimo modo, quæcumque habuit; perfectius eſt autem habere aliquid ex merito, quàm ſine merito, vt ait D. Thom. infra quæſt. 19. art. 3. nam habere aliquid ex merito, eſt habere illud quodammodo per ſeipſum; habere autem ſine merito, eſt habere illud ab alio.

Secunda opinio eſt in alio extremo, & aſſerit Chriſtum Dominum nihil omninò ſibi meruiſſe. Probatur; ſi Chriſtus Dominus ſibi aliquid meruit, maximè meruit gloriam ſui corporis, & exaltationem ſui nominis, Reſurrectionem, & Aſcenſionem: ſed hæc non meruit, quia hæc omnia ipſi debebantur, per modum proprietatum conſequentium vnionem hypoſtaticam, & gloriam eſſentialem animæ; gloria enim corporis eſt quædam redundantia gloriæ animæ in corpus: vnde fuit miraculum continuum in Chriſto, quòd ab inſtanti conceptionis illam non habuerit; ſed ſuſpenderit ad implendam noſtram redemptionē per ſuam Mortem & Paſſionem: conſtat autem quòd illud, quod eſt debitum per modum proprietatis, non cadit ſub merito, ſed habetur per modum naturæ, quod eſt haberi perfectiori modo: & propterea D. Thom. & communiter eius Diſcipuli negant Chriſtum ſibi meruiſſe gratiam habitualem, & gloriam eſſentialem animæ: ergo Chriſtus Dominus nihil ſibi meruit.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Chriſtus Dominus, de potentia Dei abſoluta, potuit ſibi mereri primam gratiam, augmentum eius, gloriam eſſentialem animæ, aliáque dona ſupernaturalia: ſicut & dignitatem ſacerdotij, ſupremi dominij, & iudiciariæ poteſtatis: 2. Nullum tamen ex enumeratis de facto meruit: 3. Benè tamen gloriam accidentalem ſuæ animæ, gloriam ſui corporis, ſuam Reſurrectionem, & Aſcenſionem, ac tandem exaltationem ſui nominis.

Probatur & explicatur prima pars concluſionis: quòd Chriſtus potuerit ſibi mereri augmentum gratiæ, gloriam eſſentialem, aliáque
aſſignata; non habet peculiarem difficultatem;
quia quilibet viator de facto meretur augmen-
tum gratiæ, gloriam eſſentialem, aliáque ſimi-
lia dona ſupernaturalia, ad quæ ex diuina ordi-
natione meritum puræ creaturæ ordinatur; ergo
cùm gratia Chriſti ſit finita in eſſe Phyſico, po-
tuit Chriſtus, de potentia Dei abſoluta, eius
augmentum mereri, & gloriam animæ, aliáque
aſſignata, ſi non fuiſſent data per modum pro-
prietatum vnionis hypoſtaticę. Quãtùm ad pri-
mam gratiam, etiam patet; nam infra dictum
eſt, quòd operationes humanæ Chriſti ex præ-
ciſa gratia vnionis ob dignitatem diuinæ Perſo-
næ illas elicientis; de potentia Dei abſoluta po-
tuerunt eſſe meritoriæ cuiuſcumque præmij;
quia infiniti erant valoris ex hoc præciſo capite;
ergo & primæ gratiæ in Chriſto. Vnde quando
Apoſtolus ad Rom. 11. ait; Si ex operibus, iam
gratia non eſt gratia: debet intelligi de prima
gratia habituali, quæ nullam aliam præſuppo-
nit: quia ſecundùm fidem augmentum gratiæ,
quod poteſt dici ſecunda gratia; & gloria, quæ
dicitur gratia conſummata, cadunt ſub merito.
Quòd autem prima gratia non cadat ſub me-
rito, prouenit ex hoc quòd ſit principium effe-
ctiuum meriti, quod non poteſt eſſe terminus
eius; aliàs eſſet ſimul prius & poſterius, reſpectu
eiuſdem; quod implicat. In Chriſto autem, poſi-
to illo caſu, gratia vnionis eſſet principium
meriti, & præſupponeretur ad primam gratiam
habitualem.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Prima
gratia, gloria animæ, dignitas ſacerdotij, ſupre-
mum Dominum in omnia creata, & iudiciaria
poteſtas fuerunt in Chriſto per modum naturæ,
quia erat filius Dei naturalis; vnde fuerunt illi
conceſſa per modum proprietatum hypoſtaticæ
vnionis, ab inſtanti ſuæ conceptionis; hæc enim
omnia congruunt filio Dei naturali: ergo iſta de
facto non meruit: quod enim habetur per mo-
dum naturæ antecedit omnem operationem, ac
proinde meritum fundatū in operatione. Cum
hoc tamen ſtat, quòd exercitium illius domi-
nij, & iudiciariæ poteſtatis poſſit aliqualiter re-
ferri ad meritum Chriſti, in quantum meruit
conuerſionem gentium, apud quas principa-
liùs dominatur: & quia ob merita eius iudicium
fiet magis glorioſum, ex communicatione ta-
lis

lis potestatis iudiciariæ, facta omnibus qui propter ipsum omnia reliquerunt.

Probatur tertia pars conclusionis. Christus Dominus suis meritis, ad cœlestem gloriam perducit electos, intuitu eorundem meritorum: & ex hoc habet gloriam accidentalem in actuali eorum saluatione; sicut & in conuersione peccatorum: ergo meruit hanc gloriam accidentalem suæ animæ. De gloria corporis habetur Lucæ 22. vbi dicit idemmet Christus: Nonne oportuit Christum pati; & ita intrare in gloriam suam: non animæ, quia ab instanti suæ conceptionis fuit gloriosus quantùm ad animam: ergo corporis. De Resurrectione habetur in multis Psalmis, vt dum dicitur; Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me: Ego dormiui & soporatus sum, & resurrexi, quod sic exponit Aug. Iustum erat, vt innocentem occisum, & cui tributa sunt mala pro bonis, resuscitaret à mortuis: si iustum; ergo intercessit meritum inducens iustitiam. De Ascensione habetur ad Ephes. 4. Quod autem ascendit, quid est nisi quia descendit prius in inferiores partes terræ. De Exaltatione sui nominis habetur ad Philipp. 1. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod, & Deus exaltauit illum, &c. Item Apoc. 5. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere gloriam, & honorem, & diuinitatem siue honores diuinos: quæ exaltatio importat externam gloriam, quæ in clara cum laude notitia consistit apud creaturas rationales. Ratio quoad hæc omnia est eadem: Christus Dominus ex diuina dispensatione venit, vt sua morte nos saluaret; vnde debuit habere corpus passibile, ac proinde debuit priuari dotibus gloriosis: vnde gloria corporis, Resurrectio, Ascensio, & exaltatio sui nominis subsecuta sunt mortem: ergo conueniens fuit vt ipsi darentur ex merito: cùm enim hæc non habuerit per modum naturæ à principio, debuit habere ex merito, quasi propria & sibi debita, potius quàm habere omninò gratis, cùm sit nobilior modus habendi.

Ad primum ergo dicendum, quòd D. Thom. non vult quòd Christus fuerit iustificatus propter illum motum liberi arbitrij: nam priùs naturâ fuit sanctificatio, quàm operatio: sed solùm vult quòd concomitanter se habuerit; & hic motus fuit meritorius non gratiæ, & gloriæ essentialis animæ, quam præsupponebat, sed gloriæ corporis, & aliorum quæ nondum habebat. Ad aliud dicendum, quòd prima gratia non fuit sub merito: tum quia præcessit meritum, vt dictum est: tum quia Deus voluit vt esset principium proximum effectiuum meriti, etiam in Christo: tale autem principium non potest cadere sub merito, vt patet in nobis in quibus iustificationis gratia non cadit sub merito; nec actus quo disponimur vltimò & simultaneè ad iustificationem, est meritorius, nisi vt continuatus post iustificationem; & tunc est tantùm meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ. Ad aliud dicendum, idem posse dari multis titulis, dummodo non sint incompossibiles, vt contingit in præsenti: nam habere aliquid statim à principio per modũ naturæ excludit meritum fundatum in operatione: & sic habetur à Christo prima gratia, & gloria essentialis animæ, non autem gloria corporis. Primus locus D. Th. & secundus etiam, licèt admittantur, solùm probant meritum & præmium posse esse simul tempore; sed non negant saltem naturæ prioritate debere meritum præcedere; quod hîc non contingit, vt dictum est: Habere autem aliquid per modum naturæ statim à principio, est habere illud perfectissimo modo, & vt omninò proprium; & debitum magis, quàm quod habetur ex merito, quia habetur ab intrinseca exigentia subiecti.

Ad secundum dicendum, quòd quia Christus Dominus non habuit statim à principio gloriam corporis, & perfectam exaltationem sui nominis, propter finem Incarnationis, qui fuit redemptio generis humani per Mortem & Passionem ignominiosam; ideo potuerunt cadere sub merito Christi; & de facto fuerunt data tam vt debita titulo meriti, quàm per modum proprietatis: vterque autem titulus in præsenti materia est compossibilis, vt patet; non autem respectu primæ gratiæ, & gloriæ essentialis animæ, propter rationes adductas.

DVBIVM VII.

Vtrùm Christus Dominus aliis meruerit.

SVpponendum est ex dictis supra, meritum Christi Domini fuisse infinitum; & consequenter potuisse mereri omne illud, ad quod meritum suum applicasset; siue in ordine ad se, siue in ordine ad alios: quia infinitum non potest exhauriri. Sola difficultas est de facto, an scilicet meruerit.

Prima opinio, sed hæretica, negat absolutè Christum meruisse aliis. Hanc tenuerunt, qui dixerunt Christum non venisse in Redemptorem, sed tantùm in Doctorem. Probatur; Christus non meruit nisi vt homo, & vt caput Ecclesiæ: sed alij homines, licèt sint caput Ecclesiæ; vt Prælati, & maximè summus Pontifex, aliis non merentur: ergo nec Christus. Deinde, si Christus meruit, maximè meruit per mortem quæ fuit infiniti valoris: ergo profuisset æqualiter omnibus ad salutem, cùm pro omnibus mortuus sit: cuius tamen contrarium experimur, nam multi damnantur: & etiam superflua essent nostra merita, cùm sufficienter pro omnibus meruisset. Denique, post Christum non est immutata conditio nostra; nam æquè

æquè tentat Diabolus homines; ac tentasset si Christus non venisset: & æquè nunc puniuntur peccata, ac punita fuissent: & prædestinamur, ac iustificamur gratis; quod non esset si Christus nobis gloriam & gratiam meruisset: quod enim cadit sub merito, non datur gratis: ergo Christus non meruit aliis.

Secunda opinio Aluaris in præsenti, & aliorum, negat Christum Dominum meruisse Angelis primam gratiam, & gloriam essentialem, & primo Parenti gratiam status innocentiæ. Fundamentum huius est, quia Christus non fuit præuisus ante lapsum, Adami, ac proinde eius præuisio fuit post præuisionem gratiæ collatæ primo Parenti in statu iustitiæ originalis: ergo non potuit dari dependenter à meritis eius; & multò minus gratia, & gloria essentialis Angelorum.

Tertia opinio negat Christum meruisse hominibus omnia dona supernaturalia quæ ipsis conceduntur. Quidam dicunt quòd non meruit remissionem debiti carendi omnibus auxiliis supernaturalibus, incursi per peccatum originale. Alij, vt Decanus Louaniensis art. 3. contra Lutherum, asserunt Christum non meruisse omnia bona spiritualia, quæ post iustificationem conferuntur: sicut nec applicationem Baptismi factam paruulis. Alij denique vt Capreolus in 3. d. 18. quæst. vnica art. 3. Ferrar. 4. contra Gentes cap. 55. docent Christum non meruisse nobis dispositiones præuias ad iustificationem. Probatur, si Christus meruit omnia antecedentia & conducentia ad iustificationem, meruit etiam bona naturalia, putà creationem, esse, intellectum, & voluntatem: cùm tamen certum sit hæc non cadere sub merito: ergo Christus illa non meruit.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus meruit tam Angelis, quàm hominibus omnia dona supernaturalia ipsis concessa, & conferenda: Angelis quidem omnibus primam gratiam sanctificantem, & auxilia ad perseuerandum in ea: Electis autem eorum electionem ad gloriam, eiúsque consecutionem: 2. Hominibus autem electis, gloriam, omniáque dona ipsam consequentia, confirmationem in gratia, & donum perseuerantiæ: 3. Omnibus verò hominibus meruit remissionem debiti carendi omnibus auxiliis supernaturalibus, iustificationem, siue gratiam sanctificantem, omnes gratias actuales quæ antecedunt & subsequuntur iustificationem, tam efficaces, quàm sufficientes; remissionem omnium peccatorum tam quoad culpam, quàm quoad pœnam; efficacem suorum meritorum applicationem; & denique omne illud, quod quocumque modo conducit ad iustificationẽ, & salutem æternam.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. supra quæst. 7. art. 9. vbi docet; quòd gratia Christi se extendit ad omnes gratiæ effectus, qui sunt virtutes, & dona, & alia eiusmodi. Ad Ephes. 1. Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo Iesu: id est per eius merita, vt communiter exponunt Sancti Patres. Et cap. 4. Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Deinde; omnis perfectio possibilis secundùm legem ordinariam, & compossibilis cum fine Incarnationis, & cum decreto quod colligitur fuisse in Deo de ipsa Incarnatione, debet attribui Christo, ob eius summam dignitatem & excellentiam: & maximè quæ pertinet ad influxum moralem in alios per sua merita, cùm sit caput vniuersale Ecclesiæ constitutæ ex Angelis & hominibus; cuius est influere in sua membra vitam & motus: sed hæc perfectio influendi tam Angelis quàm hominibus, omnia dona spiritualia ipsis concessa & conferenda, est possibilis in Christo secundùm legem ordinariam, & compossibilis cum fine Incarnationis, & cum decreto quod colligitur fuisse in Deo de ipsa Incarnatione: quia ex vna parte Christus Dominus primogenitus omnis creaturæ præcessit in intentione Angelos, & alios homines in particulari, & eius prædestinatio prædestinationem illorum: ac proinde illorum prędestinatio, omniáque media eius, scilicet omnia dona supernaturalia ipsis concessa, & conferenda, potuerunt dependere ex meritis eius præuisis, & ita est compossibile cum decreto Incarnationis, vt ostensum est supra. Ex alia verò parte hoc non obstat fini Incarnationis; nam benè potest stare quòd Redemptio generis humani sit motiuum eius sine quo non fuisset facta; & quòd mors Christi sit principaliter propter nos homines; & tamen quòd supposita futuritione ipsius, voluerit Deus quòd omnia dona creaturis conferenda dependerent ab ipsa: ergo Christus Dominus meruit tam Angelis, quàm hominibus omnia dona supernaturalia ipsis concessa & conferenda; siue hæc omnia fuerunt illis data dependenter à meritis Christi: scilicet Angelis omnibus fuit concessa prima gratia sanctificans, auxilium efficax quo omnes benè operati sunt in primo instanti, gratia perseuerandi efficax in bonis qui perseuerauerunt, sufficiens in malis qui defecerunt: Electis verò specialiter electionem eorum ad gloriam, eiúsque consecutionem.

Probatur secunda pars conclusionis ex modò dictis, & ex immediatè dicendis: quia secundùm fidem Christus Dominus meruit electis integram salutem; siue meruit eorum prædestinationem, omniáque media ad illam conducentia: vnde maximè confirmationem in gratia, & donum perseuerantiæ, sine quibus absolutè saluari non possunt.

Probatur tertia pars conclusionis sigillatim quoad omnia. Quòd meruerit remissionem debiti

debiti carendi auxiliis supernaturalibus: tum authoritate Concilij Tridentini sess. 5. in decreto De peccato Originali, num. 5. vbi dicitur quòd nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: esset autem si propter peccatum originale remaneret tale debitum carendi auxiliis supernaturalibus, etiam peccato remisso; cùm sine illis auxiliis saluari non possimus, ac proinde damnandi simus: Tum quia Christus perfectè pro nobis satisfecit, vt supra dictum est: ergo meruit remissionem cuiuscùmque damni spiritualis incursi per peccatum originale, quale est istud debitum carendi auxiliis supernaturalibus: licèt enim meritum & satisfactio formaliter distinguantur, quia satisfactio respicit debitum; meritum autem respicit præmium: eodem tamen actu quo Christus pro nobis satisfecit, etiam pro nobis meruit: Tum quia Christus nobis meruit omnia auxilia diuinæ gratiæ, necessaria ad salutem, & ad implenda diuina præcepta quæ nulli denegantur: ergo & remissionem debiti carendi illis; qui enim meretur aliquam formam, meretur remotionem impedimenti ipsius.

Quoad iustificationem, siue gratiam sanctificantem, probatur ex Sacra Scriptura, & Conciliis. Ioan. 10. Ego veni vt vitam habeant (per gratiam sanctificantem) & abundantiùs habeant, scilicet per augmentum gratiæ: Christus autem nobis meruit ea omnia, propter quæ venit. ad Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. ad Ephes. 1. Gratificans nos in dilecto Filio suo. Et alibi sæpe dicimur regenerati, renouati, & saluati per Christum: quod non potest alio modo intelligi, quàm per gratiam ex meritis Christi nobis concessam. Idem docent expressè Concilia vt Mileuitanum, can. 3. & 4. Trident. sess. 6. cap. 3. vbi dicitur; Nisi in Christo homines renascerentur, nunquam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum Passionis eius, gratia, qua iusti fiunt, illis tribuitur: Et cap. 6. dicit, iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu: Et cap. 7. ait, quòd causa meritoria iustificationis est dilectissimus vnigenitus Dei Dominus noster Iesus Christus. Idem repetit can. 2. & can. 31. vbi ait sub anathemate, iustificatum per bona opera, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt; verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserint) consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum: vnde Christus meruit nobis gratiam sanctificantem, augmentum huius, & gloriam, iuxta illud ad Hebræos 2. Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerit, auctorẽ salutis eorũ per Passionem consummare.

Quoad gratias actuales, quæ antecedunt & subsequuntur iustificationem; Probatur: & primò quoad antecedentes authoritate Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. vbi ait, Declarat prætereà ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse; hoc est, ab eius vocatione; quia nullis eorum existentibus meritis vocantur: vt qui per peccatum à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur: Quod passim docet D. Aug. contra Pelagium. Et ratio est manifesta; quia Deus homo Christus Iesus inducens moraliter suis meritis formam iustificationis, debet etiam remouere à subiecto dispositiones contrarias, & priùs inducere proportionatas. Deinde, quoad consequentes, probatur ex illo ad Ephes. 4. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Et Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. vbi ait: Cùm enim ille Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, qua Christus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur: & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent. Cuius ratio est; quia sumus prædestinati ex meritis Christi, iuxta illud ad Ephes. 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum: ergo etiam ex meritis eius dantur nobis media necessaria, & electa in ordine ad executionem prædestinationis: & maximè quæ proximè conducunt, sicut gratiæ actuales quæ dantur post iustificationem: quæ si dentur electis, directè conducunt; si dentur præscitis, indirectè conducunt electos, vt dicitur in tractatu de prædestinatione; quia eodem motiuo debet incipi opus prædestinationis, & ad finem perduci.

Quoad remissionem peccatorum, probatur ex Scriptura. Isaiæ 53. Posuit in eo (scilicet Christo) iniquitates omnium nostrûm. Matthæi 26. Qui pro nobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Item, & sanguis eius emundat nos ab omni peccato: quæ loca vniuersaliter procedunt de omni peccato, tam mortali, quàm veniali; tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, iuxta illud Christi Domini cap. 3. Euangelij S. Ioannis; Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat; sed habeat vitam æternam: quod debet intelligi de pœna æterna. De temporali sic probatur; Christus Dominus nobis meruit illud, quod nobis confertur ex thesauro Ecclesiæ, virtute indulgentiarum; hic enim thesaurus principaliter consistit in meritis Christi nobis applicandis, vt habetur

betur in Extrauag. Vnigenitus, de pœnitent. & remissionib. sed per indulgentias nobis remittuntur pœnæ temporales; imò illarum remissio est indulgentia, vt communiter docent Theologi; pœna enim æterna remittitur in perceptione Baptismi, & Sacramenti Pœnitentiæ per se; per accidens autem in aliis: ergo Christus meruit nobis remissionem peccatorum quoad pœnam temporalem.

Quoad efficacem meritorum suorum applicationem, probatur ex illo Ioan. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illic sint mecum. Deinde, quando nobis confertur gratia mediis Sacramentis, vel per actus virtutum; tunc efficaciter nobis applicantur merita Christi in ordine ad iustificationem: quando verò confertur gloria; tunc nobis efficaciter applicantur in ordine ad vitam æternam: quia tam gloria, quàm gratia nobis datur ex meritis Christi: ergo cùm Christus meruerit nobis gratiam & gloriam, meruit etiam nobis efficacem suorum meritorum applicationem.

Quoad vltimum, in quo dicitur Christum meruisse nobis omne illud, quod quocumque modo conducit ad iustificationem, & salutem æternam: Probatur; nam illud tale assumitur, & ordinatur à Deo tanquam medium iustificationis & glorificationis: sed conueniens est, vt ab eodem dependeant media, à quo dependet finis: ergo cùm Christus meruerit nobis iustificationem & glorificationem, vt dictum est, etiam meruit nobis omne illud, quod quocumque modo conducit ad iustificationem, & salutem æternam; cùm sit medium. Inter hæc autem media, quædam sunt proportionata, vt omnia quæ pertinent ad ordinem gratiæ: alia verò sunt improportionata, vt sunt bona temporalia; non quidem in se præcisè considerata, quia sic præcisè sunt ordinis naturæ, nec cadunt sub merito: benè autem vt ordinantur ad spiritualia, quia sic petuntur à Deo ex meritis Christi ab Ecclesia, vt patet in oratione pro pluuia obtinenda; & pertinent aliquo modo ad ordinem supernaturalem, ac iustus illa meretur per gratiam, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. vltimo.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus meruit aliis, quia homo Deus, & vt sic habet quòd sit caput omnium: alij autem homines sunt puri homines, nec habent esse caput aliorum, nisi in quantum gerunt vicem Christi in Ecclesia: vnde non merentur aliis, sed tantùm eis applicant virtutem & merita Christi. Ad aliud dicendum, quòd meritum Christi sufficienter operatur vt quædam causa vniuersalis salutis humanæ; sed oportet hanc causam applicari singulis per Sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur: & ideo requiritur aliquid aliud ad salutem nostrã, præter meritum Christi; cuius tamen meritum Christi est causa: vnde meritum Christi quantum ad sufficientiam æqualiter se habet ad omnes; non autem quantùm ad efficaciam: quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex diuina electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur; quibusdam verò iusto iudicio subtrahitur. Ad aliud dicendum, quòd post passionem Christi humana conditio est multùm immutata, quia iàm expiato reatu naturæ humanæ, homines possunt liberè ad patriam euolare: pœnæ etiam æternæ pro peccatis personalibus debitæ per fidem passionis Christi remittuntur, & diminuuntur temporales virtute clauium in quibus Christi passio operatur: Dæmones etiam reprimuntur virtute passionis Christi, vt non possint tam violenter tentare: fidelibus auxilia multa dantur ad resistendum tentationibus: gratia etiam per virtutem passionis Christi datur in Sacramentis ad merendum. Et quia meritum Christi comparatur ad præmium nostrum, sicut causa prima & remota; ideo ei non commensuratur, sed merito nostro, quod est causa proxima: quia verò gratis nobis conceditur, quòd consequamur efficaciam meriti Christi, quantùm ad prædestinationem, & iustificationem; ideo per hoc quòd Christus hæc nobis meruerit, ratio gratiæ non euacuatur: ita D. Thom. qu. 29. de veritate art. 7. in responsionibus.

Ad secundum dicendum sicut supra, quòd Christus Dominus est primogenitus omnis creaturæ; fuit enim primus in intentione ac proinde prior Angelis, & primo Parente: vnde omnia ipsis concessa, pertinentia aliquo modo ad ordinem gratiæ, fuerunt eis data dependenter ex præuisis meritis Christi, quæ sic moraliter in illos potuerunt influere: Cum hoc tamen stat, quòd sit posterior in executione; nec fuisset venturus, Adamo non peccante, vnde lapsus Adami, & gratia status innocentiæ, & similiter gratia Angelorum præcesserunt tantùm in executione.

Ad tertium dicendum, quòd Christus Dominus meruit nobis omnia antecedentia, & conducentia ad iustificationem, vt dictum est: illa quidem, quæ conducunt vt media proportionata, sicut sunt omnes dispositiones præuiæ, vt fides informis, spes, aliique actus supernaturales, meruit absolutè, & quoad substantiam; quia pertinent ad ordinem gratiæ, sicut forma ad quam per se disponunt, dispositio enim proportionata est quædam inchoatio formæ. Illa verò media quæ antecedunt, & conducunt aliquo modo; sunt tamen improportionata, quia secundùm suam substantiam sunt ordinis naturalis, vt intellectus, voluntas, bonæ inclinationes naturales, bona temporalia, & similia; non cadunt sub merito Christi absolutè, & secundùm suam substantiam; benè tamen vt ordinata ad iustificationem: vt enim ad illam conducunt

conducunt aliquo modo, pertinent ad ordinem gratia, vt media iustificationis: vnde cùm Christus Dominus perfectè meruerit nostram iustificationem, meruit etiam omnia media.

QVÆSTIO XXIV.

De prædestinatione Christi in quatuor articulos diuisa.



EINDE considerandum est de prædestinatione Christi.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum Christus sit prædestinatus.

¶ Secundo, vtrum sit prædestinatus, secundum quod homo.

¶ Tertio, vtrum eius prædestinatio sit exemplar nostræ prædestinationis.

¶ Quarto, vtrum sit causa prædestinationis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christo conueniat prædestinatum esse.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd Christo non conueniat prædestinatum esse. Terminus enim prædesti-
140 nationis videtur esse adoptio filiorum, secundùm illud Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum. Sed Christo non conuenit esse filium adoptiuum: vt dictum est.[a] Ergo Christo non conuenit prædestinatum esse.

(c. dist. 40. qu. 2. cor. 5. & ad 5. & 1 dist. 7. q. 3. art. 2. qu. 1. & 5. 1. art. 2 q. 3. & 4. in. tr. cap. 9. ad 1. & Ro. 1. lib. 3. cal. 4.)

¶ 2 Præterea, in Christo duo est considerare, scilicet naturam humanã & personam. Sed non potest dici quod Christus sit prædestinatus ratione humanæ naturæ, quia hæc est falsa, humana natura est filius Dei: Similiter etiam neque ratione personæ, quia illa persona non habet ex gratia quod sit filius Dei, sed ex natura; prædestinatio autem est eorum quæ sunt ex gratia: vt in prima parte dictum est.[a] Ergo Christus non est prædestinatus filius Dei.

(* quæst. pæ. art 4. P. p. q. 23. art. 5.)

¶ 3 Præterea, Sicut illud quod est factum, non semper fuit: ita & illud quod est prædestinatum, eo quod prædestinatio antecessionem quandam importat. Sed quia Christus semper fuit Deus & Filius Dei, non proprie dicitur, quod homo ille sit factus filius Dei: Ergo pari ratione non debet dici, quod Christus sit prædestinatus Filius Dei.

SED contra est, quod Apost. dicit Rom. 1. de Christo loquens, Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.

CONCLVSIO.

Licet vnio naturarum in persona Christi facta est in tempore, tamen quia ab æterno præordinata fuit, Christum prædestinatum esse, fatendum est.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut patet ex his, quæ in prima parte[*] dicta sunt, prædestinatio propriè accepta, est quædam diuina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam vnionis à Deo, vt homo esset Deus, & Deus esset homo. Nec potest dici, quod Deus ab æterno non præordinauerit hoc se facturum in tempore: quia sequeretur quod diuinæ menti aliquid de nouo accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa vnio naturarum in persona Christi cadat sub æterna Dei prædestinatione: & ratione huius, Christus dicitur esse prædestinatus.

(P. p. q. 23. art. 1. & 4.)

AD primum ergo dicendum, quod Apost. ibi loquitur de prædestinatione, qua nos prædestinamur vt simus filij adoptiui. Sicut autem Christus singulari modo præ aliis est Dei filius naturalis, ita quodam singulari modo est prædestinatus.

AD secundum dicendum, quod sicut dicitur in gl.[a] Ro. 1. quidam dixerunt prædestinationem intelligendam esse de natura, non de persona: quia, scilicet humanæ naturæ facta est hæc gratia vt vniretur filio Dei in vnitate personæ. Sed secundum hoc locutio Apostoli est impropria, propter duo. Primo quidem ratione communi. Non enim dicimus naturam alicuius prædestinari, sed ipsum suppositum: quia prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. Secundo ratione speciali: quia esse filium Dei, non conuenit humanæ naturæ: est enim hæc falsa, Humana natura est filius Dei: nisi forte quis velit sic exponere extorta expositione. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, id est prædestinatum est, vt humana natura vniretur filio Dei in persona. Relinquitur ergo, quod prædestinatio attribuitur personæ Christi: non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in diuina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Vnde cum dixisset Apostolus, Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, subiunxit, Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, et daret intelligere, quod secundum hoc quod est factus ex semine Dauid secundum carnem est prædestinatus filius Dei in virtute. Quamuis enim sit naturale illi personæ secundum se consideratæ, quòd sit filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi conuenit per gratiam vnionis.

(gl. ord. super illud Qui prædestinatus est filius Dei.)

AD tertium dicendum, quòd Origenes super Epist. ad Rom.[a] dicit hanc esse literam Aposto. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, ita quod non designetur aliqua antecessio. Et sic nihil habet difficultatis. Alij vero antecessionem, quæ designatur in hoc participio prædestinatus, referunt, non ad id, quod est esse filium Dei, sed ad eius manifestationem secundum illum consuetum modum loquendi in scripturis, quo res dicuntur fieri, quando innotescunt, vt sit sensus, quod Christus prædestinatus est manifestari Filius Dei. Sed sic non propriè prædestinatio accipitur: nam aliquis dicitur propriè prædestinari secundum quod dirigitur in finem beatitudinis: beatitudo autem Christi non dependet ex nostra cognitione. Et

(ad Ro. 1. super illud Qui prædestinatus est. Panit. i. 3.)

ideo melius dicendum est quod illa antecessio quam importat hoc participium prædestinatus, non refertur ad personam secundum seipsam, sed ratione humanæ naturæ, quia scilicet persona illa etsi ab æterno fuerit filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in natura humana, fuerit filius Dei. Vnde Augustinus dicit in lib. de Prædestinatione Sanctorum. Prædestinatus est Iesus, vt qui futurus erat secundum carnem filius Dauid, esset tamen in virtute Filius Dei.

(cap. 15. à me. tom. 7.)

Et est considerandum quod licet hoc participium, prædestinatus, importet antecessionem: sicut & hoc participium, factus: aliter tamen & aliter. Nam fieri pertinet ad ipsam rem, secundum quod in se est: prædestinari autem pertinet ad aliquem, secundum quod est in apprehensione alicuius præordinantis. Id autem quod subest alicui formæ & naturæ secundum rem potest apprehendi, vel prout est sub forma illa, vel etiam absolutè. Et quia absolute non conuenit personæ Christi, quod inceperit esse filius Dei, conuenit autem ei, secundum quod intelligitur vel apprehenditur, vt in natura humana existens (quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei) ideo magis est hæc vera Christus est prædestinatus Filius Dei, quàm ista. Christus est factus Filius Dei.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit falsa Christus, secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd hæc sit falsa, Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei. Hoc enim est vnusquisque secundum aliquod tempus, quod est prædestinatus esse, eo quod prædestinatio Dei non fallitur. Si ergo Christus, secundum quod homo est prædestinatus esse filius Dei, videtur sequi quod sit filius Dei, secundum quod homo. Hoc autem est falsum, ergo & primum. 141

(3. dist. 10. q. 1. art. 1. q. 3. & 4. tom. 9. ad 1.)

¶ 2 Præterea. Illud quod conuenit Christo, secundum quod homo, conuenit cuilibet homini, eo quod ipse est vnius speciei cum aliis hominibus. Si ergo Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse filius Dei, sequetur, quod cuilibet homini hoc conueniat. Hoc autem est falsum, ergo & primum.

¶ 3 Præterea, Hoc ab æterno prædestinatur, quod est aliquando fiendum in tempore. Sed magis hæc est vera, Filius Dei factus est homo, quam ista, Homo factus est filius Dei. vt supra habitum est.[*] Ergo magis hæc est vera, Christus, secundum quod est filius Dei, prædestinatus est esse homo, quàm è conuerso, Christus, secundum quod est homo, est prædestinatus esse filius Dei.

(q. 16. art. 6. & 7.)

SED contra est, quod Aug. dicit lib. de Prædest. Sanct.[*] Ipsum dominum gloriæ inquantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse dicimus.

(cap. 15. à me. tom. 7.)

CONCLVSIO.

Cùm humana natura non semper Verbo Dei fuerit vnita, & si hoc per gratiam collatum fuerit: fuit filius Dei, secundum illam prædestinatus.

RESPONDEO dicendum, quod in prædestinatione duo possunt considerari. Vnum quidem ex parte ipsius prædestinationis æternæ, & secundum hoc importat antecessionẽ quandam respectu eius quod sub prædestinatione cadit. Alio modo potest considerari secundum effectum tẽporalem: qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Dicendum est ergo quod secundum vtrumque istorum attribuitur prædestinatio Christo ratione solius humanæ naturæ. Nam humana natura non semper fuit Verbo vnita: & ei etiam hoc per gratiam est collatum vt filio Dei in persona vniretur. Et ideo solum ratione humanæ naturæ prædestinatio competit Christo: vnde August. dicit in lib.[*] de prædest. Sanct. prædestinata est ista humanæ naturæ tanta & tam celsa & summa subuectio, vt quò attolleretur altius non haberet. Hoc autem dicimus conuenire alicui secundum quod homo, quod ei conuenit ratione humanæ naturæ. Et ideo dicendum est, quòd Christus secundum quod homo est, prædestinatus esse filius Dei.

(c. 15. post me. tom. 7.)

AD primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Christus secundum quod homo, est prædestinatus esse filius Dei, hæc determinatio, secundum quod homo, potest referri ad actum significatum per participium, dupliciter. Vno modo ex parte eius, quod materialiter cadit sub prædestinatione: & hoc modo est falsa. Est enim sensus, quod prædestinatum sit, vt Christus, secundum quod homo, sit filius Dei. & in hoc sensu procedit obiectio. Alio modo potest referri ad ipsam propriam rationem actus prout scilicet prædestinatio importat in sui ratione antecessionem & effectum gratuitum. Et hoc modo conuenit Christo ratione humanæ naturæ: vt dictum[*] est. Et secundum hoc dicitur prædestinatus, secundum quod homo.

(In eo. ar.)

AD secundum dicendum, quòd aliquid potest conuenire alicui homini ratione humanæ naturæ dupliciter. Vno modo sic quod humana natura sit causa illius, sicut esse risibile conuenit Sorti ratione humanæ naturæ, ex cuius principiis causatur. Et hoc modo prædestinati non conuenit nec Christo, nec alteri homini ratione humanæ naturæ. & in hoc sensu procedit obiectio. Alio modo dicitur conuenire aliquid alicui ratione humanæ naturæ, cuius humana natura est susceptiua, & sic dicimus Christum esse prædestinatum ratione humanæ naturæ: quia prædestinatio refertur ad exaltationem humanæ naturæ in ipso, vt dictum est[*].

(* In cor. art. 3. ad. 7. q. 3. art. 1. & 2. q. 2.)

AD tertium dicendum, quòd sicut Aug. dicit in li. de Præd. † Sanct. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo verbo susceptio singularis, vt filius Dei & hominis simul, & filius hominis propter susceptum hominem, & filius Dei propter suscipientem vnigenitum Deum veraciter & propriè diceretur. Et ideo quia illa susceptio sub prædestinatione cadit tanquam gratuita, vtrumque potest dici, scilicet quod & filius Dei prædestinatus sit esse homo, & filius hominis prædestinatus sit esse filius Dei. Quia tamen gratia non est facta filio Dei

(† c. 15. à me. tom. 7.)

Dei vt esset homo, sed potius humanæ naturæ, vt filio Dei vniretur: magis propriè potest dici, quod Christus secundum quod homo, est prædestinatus esse filius Dei, quam quod Christus, secundum quod filius Dei, sit prædestinatus esse homo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar.

142 3. d. 18. q. 3 ar. 3. & Rom. 5. l. 3. col. 2. fin. AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod prædestinatio Christi non sit exemplar nostræ prædestinationis. exemplar enim præexistit exemplato. Nihil autem præexistit æterno. Cum igitur prædestinatio nostra sit æterna, videtur quod prædestinatio Christi non sit exemplar nostræ prædestinationis.

¶ 2 Præterea, Exemplar ducit in cognitionem exemplati. Sed non oportuit, quod Deus duceretur in cognitionem nostræ prædestinationis ex aliquo alio, cum dicatur Rom. 8. Quos præsciuit, hos prædestinauit. Ergo prædestinatio Christi non est exemplar nostræ prædestinationis.

¶ 3 Præterea, Exemplar est conforme exemplato. Sed alterius rationis videtur esse prædestinatio Christi, quàm prædestinatio nostra. quia nos prædestinamur in filios adoptionis: Christus autẽ est prædestinatus filius Dei in virtute, vt dicitur Rom. 1. Ergo eius prædestinatio non est exemplar nostræ prædestinationis.

SED contra est, quod August. dicit lib. de præd. San. * Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. (c. 15. to. 7.) Dicitur autem lumen prædestinationis & gratiæ inquantum per eius prædestinationem & gratiam manifestatur nostra prædestinatio, quod videtur ad rationem exemplaris pertinere. Ergo prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis.

CONCLVSIO

Christi prædestinatio secundum actum prædestinantis non fuit nostræ prædestinationis exemplar, sed quoad terminum prædestinationis.

RESPONDEO dicendum, quod prædestinatio dupliciter potest considerari. Vno modo secundum ipsum actum prædestinantis & sic prædestinatio Christi non potest dici exemplar nostræ prædestinationis: vno enim modo, & eodem actu æterno prædestinauit Deus nos & Christum. Alio modo potest prædestinatio considerari secundum illud, ad quod aliquis prædestinatur quod est prædestinationis terminus & effectus. Et secundum hoc prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis: & hoc dupliciter. Primò quidem quantum ad bonũ ad quod prædestinamur. Ipse enim est prædestinatus ad hoc quod esset Dei filius naturalis: nos autẽ prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis. Vnde dicitur, Rom. 8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Alio modo quantum ad modum, consequendi istud bonum, quod est per gratiam, quod quidem in Christo est manifestissimum: quia natura humana in Christo nullis suis præcedentibus meritis est vnita filio Dei. Et de plenitudine gratiæ eius nos omnes accepimus, vt dicitur Ioan. 1.

AD primum ergo dicendum, quòd illa ratio procedit ex parte illius actus prædestinantis. Et similiter dicendum AD secundum.

AD tertium dicendum, quòd non est necessarium, quòd exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quòd exemplatum aliqualiter imitetur suum exẽplar.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis.

143 3. dist. 10. q. 3. art. 3. AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd prædestinatio Christi non sit causa nostræ prædestinationis. æternum enim non habet causam. Sed prædestinatio nostra est æterna. Ergo prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis.

¶ 2 Præterea. Illud quod dependet ex simplici Dei voluntate, non habet aliam causam nisi Dei voluntatem. Sed prædestinatio nostra ex simplici voluntate Dei dependet: dicitur enim Ephe. 1. Prædestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Ergo prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis.

In lib. 13. c. 10. non procul a principio tom. 3. ¶ 3 Præterea, Remota causa, remouetur effectus. Sed remota prædestinatione Christi, non remouetur nostra prædestinatio: quia etiam si filius Dei non incarnaretur erat alius modus possibilis nostræ salutis vt August. dicit in lib. de Trinit.* Prædestinatio ergo Christi non est causa nostræ prædestinationis.

SED contra est, quod dicitur Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.

CONCLVSIO.

Non fuit nostræ prædestinationis causa Christi prædestinatio quoad actum prædestinantis, sed secundum prædestinationis terminum.

RESPONDEO dicendum quòd si consideretur prædestinatio secundum ipsum prædestinationis actum, prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis, cum vno & eodem actu Deus prædestinauerit ipsum & nos. Si autem consideretur prædestinatio secundum terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Sic enim Deus præordinauit nostram salutem ab æterno prædestinando, vt per Iesum Christum compleretur. Sub prædestinatione enim æterna non solum cadit id, quod est fiendum in tempore, sed etiam modus & ordo, secundum quem est complendum in tempore.

AD primum ergo & secundum dicendum, quod rationes illæ procedunt de prædestinatione secundum prædestinantis actum.

AD tertium dicendum, quòd si Christus non fuisset incarnandus, Deus, præordinasset homines saluare per aliam causam: sed quia præordinauit incarnationem Christi, simul cum hoc præordinauit, vt esset nostræ salutis causa.

DISPVTATIO X.

De Prædestinatione Christi.

QVIA Prædestinatio Christi Domini est dignior prædestinatione aliorum omnium, ac in pluribus singularis; tum ratione termini, quia est ad filiationem Dei naturalem; tum quia est causa moralis, & exemplaris prædestinationis aliorum: ideo specialis disputatio de ipsa hic instituitur, prætermissis his quæ pertinent ad prædestinationem, de quibus agitur prima parte, & huic conuenire possunt.

DVBIVM I.

Vtrùm Christus Dominus sit verè prædestinatus.

SVpponendum est, quòd prædestinatio propriè accepta est quædam diuina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore: multos autem actus virtualiter comprehendit, tum intellectus, tum voluntatis: consistit tamen essentialiter in actu intellectus diuini, quo imperat vt per media electa à voluntate, & ab ipso ordinata, transmittatur quis ad finem ad quem fuit electus: vnde in prædestinatione tria considerantur, actus scilicet prædestinantis, persona prædestinata quæ est subiectum, & terminus ad quem prædestinationis.

Prima opinio negat Christum Dominum verè esse prædestinatum. Probatur; in hac propositione, Christus est prædestinatus, ly, Christus, quia est subiectum, supponit materialiter, id est pro supposito: sed suppositum Christi est diuinum, & Deus filius: constat autem quòd Deus non est prædestinatus; imò ipse prædestinat alia: ergo Christus Dominus non est verè prædestinatus; vel hæc consequentia esset bona, Christus est Deus: Christus est prædestinatus: ergo Deus est prædestinatus: quæ tamen est falsa.

Secundò, prædestinatio respicit gratuita, & supernaturalia; non verò illa quæ naturaliter sunt debita, vt est communis sententia Scholasticorum: sed nihil est in Christo, quod non sit ei naturaliter debitum; nam esse substantiale diuinum est ipsi proprium, & constitutiuum intrinsecum, cùm sit persona diuina: beatitudo autem siue gloria humanitatis est debita per modum proprietatis hypostaticæ vnionis; sicut & quodlibet aliud supernaturale Christo concessum: ergo Christus Dominus verè non est prædestinatus. Tertiò,

Tertiò, prædestinatio Christi, si esset, vel caderet supra personam in ordine ad filiationem Dei naturalem, vel supra humanitatem in ordine ad filiationem adoptiuam, iuxta illud ad Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum: sed neutrum est; Non primum, quia Christus est Filius Dei naturalis ex natura sua, & non ex gratia; ad minus si attendatur persona: Nec secundum, quia natura humana non potest dici propriè prædestinata: & si posset dici, hoc esset potius ad filiationem naturalem ob gratiam vnionis quàm ad adoptiuam repugnantem Filio Dei naturali, cui est hypostaticè vnita: ergo Christus Dominus verè non est prædestinatus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt Filius Dei, aut Verbum diuinum, aut persona Christi præcisè sumpta, non sit verè prædestinata. 2. Christus tamen verè & propriè est prædestinatus: vnde hæc propositio, *Christus est prædestinatus*, est propria & formalis: sicut & istæ similes & æquiualentes, hic homo (demonstrato Christo) est prædestinatus; Filius Dei, in quantum homo, est prædestinatus Filius Dei.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Toletani secundi, in professione fidei, vbi dicitur: Per hoc quòd procedit à Patre sine initio, nec factum, nec prædestinatum fuisse. Deinde, quod cadit sub diuina prædestinatione, fit ex libera Dei voluntate efficaci: sed Filius Dei, Verbum diuinum, aut persona Christi præcisè sumpta non fit, vt constat ex Symbolo S. Athanasij; nec habet esse ex libera Dei voluntate, sed necessariò; ac naturaliter procedit à Patre per intellectum, estque omninò ens necessarium, vt constat ex fide: ergo Filius Dei, Verbum diuinum, aut persona Christi præcisè sumpta non est verè prædestinata.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Rom. 1. vbi de Christo dicitur, Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Deinde authoritate S. Aug. de prædestinatione Sanctorum, cap. 10. vbi ait: *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui vt hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo fuit, comparuit.* Et, de dono Perseuerantiæ, cap. 24. *Nullum est illustrius pærdestinationis exemplum, quàm ipse Iesus.* Denique authoritate & ratione D. Thom. hic art. 1. vbi ait; Prædestinatio propriè accepta, est quædam diuina præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore: est autem hoc in tempore factum per gratiam vnionis à Deo, vt homo esset Deus, & Deus homo: nec potest dici quòd Deus ab æterno non præordinauerit, hoc

R.P. Philippi Carm discal. Diss. Theolog. in 3 p.

se factum in tempore; quia sequeretur quòd diuinæ menti aliquid de nouo accideret: & ideo oportet dicere, quòd ipsa vnio naturarum in persona Christi cadat sub æterna Dei prædestinatione, & ratione huius Christus dicitur esse prædestinatus: quia scilicet persona Christi, vt subsistit in natura humana, importat aliquid factum in tempore; ac proinde cadit sub prædestinatione, & vt sic subsistens in natura humana est prædestinata Filius Dei, siue vt sit Filius Dei naturalis.

AD primum ergo dicendum, quòd ratione prædicati prædictæ propositionis, Christus supponit pro supposito, non præcisè, sed vt subsistente in natura humana; & vt sic non est Deus, sed homo: vnde non sequitur quòd si Christus est prædestinatus, etiam Deus sit prædestinatus.

AD secundum dicendum, quòd Christus vt Deus, siue vt dicit suppositum diuinum & naturam diuinam; habet quidem suum esse personale, & beatitudinem increatam ab æterno per naturalem generationem: sed vt homo & secundùm humanitatem, habet esse personale Filij Dei, & beatitudinem per gratiam vnionis, quam respicit prædestinatio: esse quidem personale primò & per se, beatitudinem autem ex cõsequenti quasi proprietatẽ gratiæ vnionis.

AD tertium dicendum, quòd prædestinatio Christi cadit supra personam eius, non nudè sumptam, aut secundùm quòd terminat naturam diuinam, & est Deus: sed secundùm quòd terminat autem naturam humanam, & est homo: terminus autem eius non est *filiatio Dei adoptiua*, sed naturalis; & etiam beatitudo, in quantum scilicet Deus ab æterno prædestinauit, quòd in persona Christi esset vnio diuinæ & humanæ naturæ, ac ita Christus esset Filius Dei naturalis, ac beatus tam beatitudine increata secundùm quòd Deus, quàm creata secundùm quòd homo, vt magis constabit ex dicendis sequenti dubio.

DVBIVM II.

Vtrùm Christus sit prædestinatus ad filiationem Dei naturalem.

SVpponendum est ex D. Thoma hîc art. 1. quòd in prædestinatione duo possunt considerari: nomen quidem ex parte ipsius prædestinationis æternæ, & secundùm hoc importat antecessionem quandam, respectu eius quod sub prædestinatione cadit: alio modo potest considerari secundùm effectum temporalem, qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Rursus prædestinationis debet esse obiectum siue subiectum, & terminus ad quem tale subiectum perducitur ex diuina ordinatione, & mediis proportionatis ad hoc electis.

 Prima

Prima opinio Durandi in 3. d. 7. quæst. 7. Ysamberti hîc art. 2. & aliorum; negat Christum esse, propriè loquendo, prædestinatum ad filiationem Dei naturalem. Probatur; prædestinatio debet necessariò habere obiectum siue subiectum, perducendum ad aliquem terminum, ipsi non debitum, at gratuito datum: sed in præsenti non potest assignari obiectum prædestinationis distinctum à termino: nam in Christo non est nisi suppositum diuinum filij, natura diuina, & natura humana; quorum nullum est obiectum prædestinationis in ordine ad filiationem Dei naturalem: Non suppositum; quia filiatio est constitutiua ipsius, terminus autem prædestinationis est aliquid gratuitum, ac distinctum: Nec natura diuina; quia illi nulla potuit fieri gratia, cùm in se habeat omnem perfectionem: Nec natura humana; quia hæc non potest denominari in Christo filia Dei: ergo Christus non est prædestinatus ad filiationem Dei naturalem.

Secundò; non potest dici quòd Christus, vel hic homo (demonstrato Christo) factus sit Deus filius, ex D. Thom. supra quæst. 16. art. 7. ergo nec potest dici quòd Christus, vel hic homo (demonstrato Christo) est prædestinatus Filius Dei naturalis, siue ad filiationem Dei naturalem, cùm sit eadem suppositio omnium terminorum.

Tertiò; ex hoc quòd Deus factus sit homo, sequitur naturaliter, & non ex gratia, quòd homo sit Deus; ac proinde quòd Christus sit Filius Dei naturalis: sed terminus prædestinationis debet esse aliquid gratuitum, & non naturale: ergo Christus non potest dici prædestinatus ad filiationem Dei naturalem: maximè quia Christo nulla gratia potuit fieri, iuxta illud Ioan. 17. Omnia tua mea sunt, & omnia mea tua sunt.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus, in quantum homo, siue ratione naturæ humanæ, verè fuit prædestinatus ad filiationem Dei naturalem, tanquam ad terminum primarium & magis principalem: 2. Ad beatitudinem verò siue ad visionem beatificam, tanquam ad terminum secundarium & minus principalem.

Probatur prima pars conclusionis ex illo ad Rom. 1. Qui prædestinatus est Filius Dei: qui locus debet intelligi etiam in proprietate sermonis, vt intelligit S. Aug. & D. Thom. modò citandi; & non quòd per ly, prædestinatus, intelligatur declaratus. Item authoritate S. Aug. & D. Thom. S. Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. ait: Ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse dicimus. D. Thom. autem hîc art. 2. ait: Hoc autem dicimus conuenire alicui secundùm quòd homo, quod ei conuenit ratione humanæ naturæ; & ideò dicendum est quòd Christus secundùm quòd homo est prædestinatus esse Filius Dei: vbi nota non esse sensum, quòd humana natura sit ratio formalis, aut causa quòd Christus sit prædestinatus ad filiationem Dei naturalem: alioquin hoc conueniret omni homini; sed illa determinatio, (secundùm quòd homo) designat naturam, quæ est susceptiua effectus prædestinationis, quia prædestinatio refertur ad exaltationem naturæ humanæ in Christo. Deinde, prius est ordine naturæ quòd Deus factus sit homo, quàm quòd homo sit Deus; quamuis in eodem instanti reali per gratiam vnionis vtrumque simul factum sit: quia finis Incarnationis est exaltatio naturæ humanæ, ac proinde quòd ex eius vnione ad personam Verbi, aliquis homo esset Deus: medium autem ad hoc fuit, quòd Deus assumeret humanitatem; constat autem quòd licèt finis sit prior in intentione, est tamen posterior in executione, vt est commune axioma Philosophorum; & indicat illud Ioan. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre, id est, quia Deus factus est homo, homo ille apparuit quasi vnigenitus. Item Lucæ 2. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: ergo suppositum Christi, in quantum humanum, siue vt terminans naturam humanam (quod habet ex hoc quòd Deus factus est homo) est obiectum prædestinationis ad filiationem Dei naturalem: quia ex diuina prædestinatione habet quòd sit Filius Dei naturalis, quod est supremum omnium donorum; quia prius est Deum fieri hominem, quàm hominem esse Deum. Sufficit autem hæc distinctio formalis suppositi Christi in diuinum & humanum, ac prioritas humani modo explicato; ad hoc vt suppositum illud vt humanum dicatur prædestinatum ad filiationem Dei naturalem.

Probatur secunda pars conclusionis. Gloria siue visio beatifica, ad quem eleuatus est Christus vt homo, est aliquod donum supernaturale, ipsi à Deo concessum quatenus homini: & est minus principale, quàm filiatio Dei naturalis, vt patet; hæc enim est quid diuinum per essentiam, illud autem est quid diuinum tantùm participatiuè: ergo Christus est prædestinatus ad beatitudinem, siue ad visionem beatificam, vltimum finem, sed tanquam ad terminum secundarium & minus principalem.

AD primum ergo dicendum ex D. Thom. hîc art. 1. ad 2. quòd obiectum prædestinationis Christi ad filiationem Dei naturalem, est eius suppositum vt humanum, siue vt terminans naturam humanam, ac proinde Christus vt homo, sicut dictum est: licèt enim non possit dici prædestinatum fuisse quòd Deus fieret homo,

mo; quia prædestinato fit aliqua gratia; Deo autem fieri non potest: tamen decretum est, quòd Deus fieret homo, vt obiectum præsuppositum ad terminum proprium prædestinationis Christi: quæ non præsupponit simpliciter obiectum prædestinatum, cùm terminus eius sit esse substantiale: sicut præsupponit nostra, quæ est ad esse accidentale: sed illud efficit dando illi esse substantiale. Et ex hoc, quòd ex vi illius decreti, Deus factus est homo hic qui est Christus, sequitur quòd hic homo Christus sit Filius Dei, siue eleuatus sit ad filiationem Dei naturalem, ex prædestinatione diuina, & ex gratia vnionis. Alij dicunt, quòd obiectum prædestinationis Christi in filium Dei naturalem, sit ipse Christus apprehensus vt possibilis: terminus autem ipsemet Christus, vt actu existens: qui modus dicendi non caret sua probabilitate. Vtrùm autem humanitas Christi possit dici prædestinata, dicetur dubio sequenti.

Ad secundum dicendum, quòd hæc propositio, hic homo factus est Deus, licèt non sit vera, & reprobetur à D. Thom. in quantum significat, quòd hic homo (demonstrato Christo) non semper fuerit Deus; sed prius existens factus sit Deus: tamen est vera & concessa à S. Augustino citato, & à D. Thom. eodem art. 7. quæst. 16. in quantum importat, quòd per mysterium Incarnationis factum est, quòd Deus esset homo, & homo Deus: vnde similiter quando dicitur Christus vt homo prædestinatus est Filius Dei, vel ad filiationem Dei naturalem; si sensus esset quòd Christus priùs tempore existens homo, habet ex prædestinatione esse Filium Dei naturalem, esset falsa: sed hunc sensum non importat, at tantùm quòd persona filij, quæ ab æterno est Deus per æternam generationem, facta persona humana per assumptionem humanæ naturæ, ac ita factus homo; habet in quantum homo ex gratia vnionis, esse Filium Dei naturalem.

Ad tertium dicendum, quòd etsi sequatur naturaliter ex hoc quòd Deus sit homo, quòd etiam homo sit Deus: tamen quia Deum fieri hominem est maxima gratia collata homini: sic consequenter hominem esse Deum, est maxima gratia tali homini concessa, nec talis concomitantia tollit rationem gratiæ: Christo autem, vt est Deus, nulla potest fieri gratia; quia omnia Patris æterni eius sunt; benè tamen vt est homo.

DVBIVM III.

Vtrùm humanitas Christi possit dici prædestinata.

Prima opinio Vasquis disp. 90. cap. 4. asserit humanitatem Christi Domini verè esse, & in rigore posse dici prædestinatam, tam ad vnionem hypostaticam, quàm ad visionem beatificam: Suarez autem disp. 50. sect. 4. Ysambertus hic art. 1. & alij hanc opinionem sequuntur quantum ad vnionem hypostaticam. Probatur; plures Sancti Patres admittunt humanitatem Christi esse prædestinatam ad vnionem hypostaticam, vt D. Thom. in 3. d. 10. q. 3. q. 1. S. Bonauentura ibidem art. 1. q. 1. S. Aug. lib. de prædest. Sanctorum, cap. 15. vbi sic ait; Prædestinata est ista humanæ naturæ tanta, & tam celsa, & summa subiectio, vt quò attolleretur altius, non haberet: ergo humanitas Christi potest dici prædestinata.

Secundò; illa rationalis creatura verè & propriè dicitur prædestinata, quæ ex libero & efficaci Dei decreto ordinatur ad aliquod singulare beneficium gratiæ: & maximè si sit ad gloriam, vel ad aliquid maius; quia ex S. Aug. & D. Th. prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: sed humanitas Christi Domini fuit, libero & efficaci Dei decreto, ordinata ab æterno ad gratiã vnionis hypostaticæ, quæ excedit infinitè omnem aliam gratiam; hæc enim gratia conceditur in tempore humanitati, & non personæ humanæ, ipsa enim natura est extremum vnionis hypostaticæ: ergo humanitas Christi potest dici prædestinata.

Tertiò, omnia dona supernaturalia gratiæ & gloriæ, concessa sunt humanitati Christi Domini, ratione sui, & non ratione suppositi: quia in ipsa non fuit suppositum humanum, sed tantùm diuinum Filij Dei, cui nulla potest fieri gratia: Deus enim, cùm sit ens per se subsistens ac purissimus actus, continet in se omnem perfectionem, vel formaliter, vel eminenter: ergo humanitas Christi Domini fuit prædestinata ad hęc omnia; illud enim prædestinatur ad aliquid supernaturale, quod ei conceditur: maximè quia si hæc dona non fuissent concessa humanitati Christi ratione sui, sed tantùm ratione suppositi, sequeretur quòd si dimitteretur à Verbo, & mutaret suppositum, amitteret illa omnia dona: quod nullus dicit.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd verè & propriè humanitas Christi Domini non potest dici prædestinata, vt quod; 2. Sed tantùm vt quo, ad gratiam vnionis hypostaticæ: 3. Et etiam ad visionem beatificam.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate, tum duplici ratione D. Th. hîc art. 1. ad 2. quas sic proponit: Quidam dixerunt prædestinationem intelligendam esse de natura, non de persona Christi: quia scilicet humanæ naturæ facta est hæc gratia, vt vniretur Filio Dei in vnitate personæ: sed secundùm hoc, locutio Apostoli est impropria propter duo: Primò quidem, ratione communi: non enim dicimus naturam alicuius prædestinari, sed ipsum suppositum; quia prædestinari est dirigi in salutem: quod quidem est suppositi agentis propter beatitudinis finem. Secundò, ratione speciali; quia esse

eſſe Filium Dei non conuenit humanæ naturæ: eſt enim hæc falſa; humana natura eſt Filius Dei: niſi fortè quis velit ſic exponere extorta expoſitione; Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, id eſt, prædeſtinatum eſt vt humana natura vniretur Filio Dei in perſona: relinquitur ergo quòd prædeſtinatio attribuitur perſonæ Chriſti; non quidem ſecundùm ſe, vel ſecundùm quòd ſubſiſtit in diuina natura;ſed ſecundùm quòd ſubſiſtit in humana natura:vnde cùm dixiſſet Apoſtolus, Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem,ſubiunxit;Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute: vt daret intelligere quòd ſecundùm hoc, quòd eſt factus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, eſt prædeſtinatus Filius Dei in virtute. Quamuis enim ſit naturale illi perſonæ ſecundùm ſe conſideratæ, quòd ſit Filius Dei in virtute; non tamen eſt ei naturale ſecundùm humanam naturam, ſecundùm quam hoc ſibi conuenit per gratiam vnionis. Hactenus D. Thom.

Probatur ſecunda pars. Finis vnionis hypoſtaticæ humanæ naturæ ad perſonam Verbi ipſam aſſumentis eſt, vt ex vtroque extremo ſubſtantialiter vnito reſultet Chriſtus, ſiue perſona compoſita, quæ ſimul ſit Deus & homo; ac proinde, ſecundùm quòd Deus ſit ſemper Filius Dei naturalis; quod habet ab æterno per naturalem generationem & naturaliter: ſecundùm verò quòd homo, ſit etiam Filius Dei naturalis; ſed ex gratia vnionis: vt conſtat ex adducta authoritate D. Thom. & conſequenter vt ſic, ſit obiectum, quod, prædeſtinationis: Illud enim eſt tantùm obiectum, quod, prædeſtinationis, cui conuenit terminus prædeſtinationis, & quod ab eo denominatur: cõſtat autem quòd non humanitas Chriſti, ſed Chriſtus ipſe vt homo, denominatur Filius Dei à filiatione naturali, quæ eſt terminus huius prædeſtinationis; ſicut enim vnio hypoſtatica, ſic prædeſtinatio ad vnionem, hanc habet pro fine: ergo humanitas Chriſti Domini tantùm poteſt dici prædeſtinata, vt quo, ad gratiam vnionis hypoſtaticæ, in quantum ſcilicet vnio hypoſtatica humanitatis ad perſonam Verbi, eſt medium quo reſultat perſona Chriſti compoſita, ita vt ſit ſimul diuina & humana, & in quantum humana eſt obiectum, quod, prædeſtinationis.

Probatur tertia pars concluſionis. Viſio beatifica conſiſtit in actione intellectus, Deum vt eſt in ſe quidditatiuè & intuitiuè contemplantis: ſed ex axiomate philoſophico, Actiones ſunt ſuppoſitorum, vt quod; naturæ verò tantùm, vt quo: conſtat autem quòd aliquid eodem modo prædeſtinatur ad actionem eliciẽdam, quo modo illam elicit; alioquin terminus prædeſtinationis non correſponderet ipſi, quod eſt impoſſibile: ergo cùm humanitas Chriſti non eliciat viſionem beatificam, vt quod, ſed tantùm, vt quo: ſic nec poteſt dici prædeſtinata, vt quod; ſed tantùm, vt quo, ad viſionem beatificam: quod etiam confirmat prima ratio D. Thomæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd illi Sancti Patres tantùm volunt humanitatem Chriſti Domini eſſe obiectum, quo, prædeſtinationis, ad vnionem hypoſtaticam, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd quia vnio hypoſtatica ordinatur, vt medium, ad filiationem Dei naturalem, & prædeſtinatio ſimpliciter talis reſpiciat finem: & ex alio capite filiatio non conueniat naturæ, ſed perſonæ; inde eſt quòd humanitas Chriſti non dicatur ſimpliciter prædeſtinata ad gratiam vnionis, quamuis illi fiat; ſed tantùm vt quo: maximè quia ipſa gratia vnionis ſit perſonæ etiam Chriſti vt humanæ; non quidem præexiſtenti, ſed per ipſam conſtitutæ: vnde Maior argumenti eſt tantùm vera, quando creatura rationalis poteſt denominari, vt quod, à termino prædeſtinationis: quod in præſenti non contingit.

Ad tertium dicendum, quòd omnia dona ſupernaturalia gratiæ & gloriæ, ſunt conceſſa tantùm humanitati vt ſubiecto, quo; perſonæ verò Chriſti, non quidem vt diuina eſt, ſed vt humana, tanquam ſubiecto, quod. Si autem humanitas dimitteretur à Verbo, emanaret propriam ſubſiſtentiam, ac ita eſſet in proprio ſuppoſito, & retineret eadem dona ſupernaturalia; quia immediatè ſunt in humanitate tanquam in ſubiecto, quo: vnde non perirent deſinente priori ſuppoſito: ſicut nec perit gratia ab anima in inſtanti ſeparationis, deſtructo ſuppoſito. Igitur hæc dona pendent in fieri à tali ſuppoſito; quia intuitu eius communicantur: ſed non pendent in conſeruari, vnde adueniente quocumque alio, ad ipſum redundabunt.

DVBIVM IV.

Vtrùm Chriſtus Dominus ſit primus omnium Prædeſtinatorum.

Prima opinio negat Chriſtum Dominum eſſe primum omnium prædeſtinatorum ordine: quamuis concedat eſſe primum dignitate. Sed eſt differentia inter Authores huius opinionis: quòd aliqui illam abſolutè teneant: Alij verò limitent quantùm ad Angelos, quorum prædeſtinationem aſſerunt præcedere prædeſtinationem hominum; inter quos ponunt Chriſtum Dominum primum prædeſtinatum, tam ordine, quàm dignitate: eſſe verò poſteriorem Angelis ordine prædeſtinationis; quamuis primum, abſolutè, dignitate prædeſtinationis, inter omnes prædeſtinatos conſtituant. Probatur; finis prius eſt in intentione, quàm media quæ illum tantùm præcedunt in executione, vt communiter recepta docet Philoſophia: ſed ſalutatio hominum, quæ eſt effectus prædeſtinationis eorundem, eſt finis prædeſtinationis Chriſti, tam

tam ad beatitudinem, quàm ad filiationem Dei naturalem, ex illo Symboli; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: ergo prædestinatio hominum est prior ordine prædestinatione Christi; ac proinde Christus Dominus non est primus omnium prædestinatorum.

Secundò, prædestinatio Christi Domini præsupponit peccatum originale, tanquam occasionem: quia illo non existente Christus non venisset, vt docet D. Thom. supra quæst. 1. art. 3. peccatum autem originale præsupponit statum innocentiæ ac gratiam sanctificantem, quam amisit primus Parens per peccatum originale: gratia verò sanctificans siue sanctificatio, vt potè medium prædestinationis quoad executionem, & effectus ipsius quoad intentionem, præsupponit ipsam prædestinationem quoad intentionem: ergo à primo ad vltimum, prædestinatio Christi præsupponit prædestinationem Adami, aliorumque hominum: & consequenter Christus non est primus ordine omnium prædestinatorum.

Tertiò; homines non fuerunt prædestinati, nisi ad reparandam ruinam Angelorum, & ad implendas eorum sedes: ergo negotium prædestinationis Angelorum fuit completum, antequam esset prædestinatio hominum, inter quos fuit prædestinatus Christus vt homo: ergo Christus non est primus omnium prædestinatorum, saltem quantùm ad Angelos.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus est simpliciter loquendo, primus & ordine, & dignitate omnium prædestinatorum, tam hominum, quàm Angelorum.

Probatur conclusio ex dictis disp. 1. dubio vltimo, vbi ostensum est Christum Dominum fuisse prædestinatum & præuisum ante omnem creaturam. Deinde; ille est primus, & ordine & dignitate, omnium simpliciter prædestinatorum, cuius prædestinatio est finis, & exemplar prædestinationis omnium aliorum; quia exemplar præintelligitur ad exemplata, vt quid dignius ipsis; quia influit: & maximè si influat vt principium æquiuocum, sicut contingit in præsenti; prædestinatio enim Christi non solùm est ad maiorem gloriam, sed etiam ad filiationem Dei naturalem; cùm omnium aliorum prædestinatio sit non solùm ad inferiorem gloriam, sed etiam ad filiationem tantùm adoptiuam. Similiter finis est prius volitus in intentione; & magis quàm ea quæ ordinantur ad finem, cùm sint volita propter finem; propter quod autem vnumquodque tale, & illud magis: sed prædestinatio Christi Domini est finis, & exemplar prædestinationis omnium aliorum, tam hominum, quàm Angelorum, vt dicetur dubio sequenti: ergo Christus Dominus est simpliciter loquendo primus, & ordine & dignitate omnium prædestinatorum, tam hominum, quàm Angelorum. Denique, Christus Dominus fuit causa meritoria prædestinationis omnium aliorum, tam hominum, quàm Angelorum; etiam comparatiuæ, & quoad integrum eius effectum, vt dicetur dubio vltimo: ergo est primus, & ordine & dignitate, omnium prædestinatorum; tum quia causa meritoria est prior in intentione, & dignior suo effectu; tum quia vt esset causa meritoria, debuit prædestinari tãquam caput corporis mystici Ecclesiæ: alij verò omnes tanquam membra eius, vt docet Apostolus 1. ad Cor. 12. constat autem quòd caput est primum inter omnia membra, & ordine, & dignitate: propterea Sapientia Incarnata dicitur primogenita omnis creaturæ.

AD primum ergo dicendum, quòd saluatio hominum non tam est finis simpliciter, quàm effectus prędestinationis Christi: cùm ipse Christus sit finis omnium creaturarum, iuxta illud 1. ad Cor. 3. Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt, (quia omnia fiunt propter electos,) vos autem Christi, Christus autem Dei: quò autem aliquid est vlterior finis, eò est prior in intentione.

AD secundum dicendum sicut supra disp. 1. dub. vltimo, quòd prædestinatio Christi Domini, quantùm ad intentionem, est prior præuisione peccati originalis; quamuis sit posterior quantùm ad executionem: vnde illo non existente Christus non venisset.

AD tertium dicendum, quòd homines æquè primò ac per se sunt prædestinati, ac Angeli: vnde non sunt tantùm prædestinati ad reparandam ruinam Angelorum, & ad implendas eorum sedes: licèt enim Angeli non cecidissent, adhuc homines prædestinati fuissent; simul enim & semel Angeli & homines prædestinati sunt, & priùs tanquam omnium caput Christus: quia verò homines introducti sunt in cœlum post ruinam Angelorum, ideo dicuntur prædestinati ad illam reparandam, & ad implendas eorum sedes.

DVBIVM V.

Vtrùm prædestinatio Christi Domini sit causa prædestinationis aliorum.

SVPPonendum est, nomine prædestinationis hîc non intelligi, ipsum actum Dei prædestinantis: cùm enim vno modo, & eodem actu æterno prædestinauerit Deus nos & Christum, actus prædestinationis Christi non potest esse causa actus, quo nos prædestinamur: Tum quia actus diuinus non habet causam; & maximè quòd idem esset extra Deum: Tum quia sequeretur,

esset causa sui; quod est impossibile: sed hîc nomine prædestinationis intelligitur terminus talis actus Dei prædestinantis: unde quæritur, vtrũ prædestinatio Christi quantùm ad terminum, scilicet filiationem Dei naturalem, aut etiam beatitudinem, habeat aliquam rationem causæ respectu nostræ prædestinationis quantùm ad terminum.

Prima opinio asserit prædestinationẽ Christi Domini, nullo modo esse causam prædestinationis aliorum. Probatur; remotâ causâ remouetur effectus: sed remota prædestinatione Christi non remoueretur prædestinatio aliorum; nam licèt Christus non venisset Adamo non peccante, adhuc multi fuissent saluati: ergo prædestinatio Christi non est causa prædestinationis aliorum.

Secundò; si prædestinatio Christi sit causa prædestinationis aliorum: maximè est finalis, & exemplaris: sed neutra est: Non finalis; quia finis est postremus in executione: constat autem quòd prædestinatio Christi fuit prior in executione prędestinatione aliorum multorum. Nec exemplaris; tum quia exemplar est intrinsecum agenti: constat autem quòd Christus est extrinsecus Deo prædestinãti: tum quia exemplar est conforme exemplato; constat autẽ quòd prædestinatio Christi, cùm sit ad filiationẽ Dei naturalem, non est conformis prædestinationi aliorum quæ est ad filiationem Dei adoptiuam: ergo prædestinatio Christi non est causa prædestinationis aliorum.

Tertiò; causa præexistit suo effectui, & ducit in cognitionem illius: sed prædestinatio Christi Domini non præexistit prædestinationi aliorũ, cùm hæc sit æterna, æterno autẽ nihil est prius: & Deus non ducitur in cognitionem alicuius ex aliquo alio; sed ex se, & in se omnia cognoscit: ergo prædestinatio Christi, non est causa prædestinationis aliorum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd prædestinatio Christi Domini est causa finalis prædestinationis aliorum: 2. Et etiam causa formalis extrinseca, siue exemplaris: 3. Heterogenea, quantùm ad terminum primarium & magis principalem: 4. Homogenea verò, quantùm ad terminum secundarium & minus principalem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum: vbi ly, in ipsum, denotat causam finalem. 1. ad Cor. 3. Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Deinde, ex Concilio Tridentino cap.7. vbi definitur, quòd causa finalis nostræ iustificationis est gloria Dei & Christi: eadem autem est ratio, quantùm ad hoc, de prædestinatione. Denique, si omnia fiunt propter electos: cur & ipsi electi non erunt propter gloriam Christi; ac proinde eorũ electio & prædestinatio debet habere pro fine prædestinationẽ Christi, siue debet esse in laudẽ & honorẽ Christi primi omniũ prædestinatorũ, & causę moralis prædestinationis aliorũ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate S. Aug. lib. de prædest. Sanctorũ, c. 15. vbi sic ait; Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus: dicitur autem vt exponit D.Th. hîc ar.3. lumen prædestinationis & gratię, in quantum per eius prædestinationem & gratiam manifestatur nostra prędestinatio; quod pertinet ad rationẽ exemplaris. Deinde, authoritate & ratione D.Th. quam loco citato sic proponit; Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, & hoc dupliciter: Primò quidem, quantùm ad bonũ ad quod prædestinamur; ipse enim est prædestinatus ad hoc, quòd esset Dei Filius naturalis; nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis: vnde dicitur Rom.8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Alio modo, quantùm ad modũ consequendi illud bonum, quod est per gratiã; quod quidẽ in Christo est manifestissimũ, quia natura humana in Christo nullis suis præcedentibus meritis est vnita Filio Dei, & de plenitudine gratiæ eius nos omnes accepimus, vt dicitur Ioan.1. Denique, primum in vnoquoq; genere est causa, saltem exẽplaris, aliorum quæ sunt in tali genere: sed sicut Christus est primus omnium prædestinatorũ, & ordine & dignitate, sic eius prędestinatio est prima omniũ aliarũ: ergo est causa exẽplaris ipsarũ.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D.Th. hîc ar.1. ad 1. vbi ait; Nos prædestinamur vt simus filij adoptiui: sicut autẽ Christus, singulari modo præ aliis, est Dei Filius naturalis: ita quodã singulari modo est prædestinatus. Idem docet in 3.d.10.q.3. ar.1. Cùm ergo filiatio Dei naturalis, quæ est terminus primarius & magis principalis prædestinationis Christi, vt dictũ est; sit alterius rationis à filiatione adoptiua Dei, quæ est terminus prædestinationis aliorum; sequitur quòd prędestinatio Christi est causa exemplaris prędestinationis aliorum heterogenea, quãtùm ad terminum primarium & magis principalem.

Probatur quarta pars conclusionis. Terminus secundarius prædestinationis Christi Domini est beatitudo, gloria essentialis, siue visio beatifica, quæ est terminus prædestinationis aliorũ, vt dictum est: sed sicut gratia habitualis, sic visio beatifica Christi Domini est eiusdẽ speciei cum visione beatifica aliorum, vt communiter docẽt Theologi; cùm sit idem obiectũ, eodem modo propositum, idem principiũ scilicet lumen gloriæ: ergo prædestinatio Christi est causa exemplaris prædestinationis aliorum, homogenea quantùm ad terminum secundarium & minus pricipalem:

principalem: quamuis secundùm quid etiam possit dici heterogenea, in quantum Christus fuit prędestinatus ad gratiā & gloriam, vt caput, & redemptor, & vniuersale principium: quod non conuenit aliis, siue Angelis, siue hominibus.

Ad primum ergo dicendum; quòd si Christus non fuisset Incarnandus, Deus præordinasset homines saluare per aliam causam: sed quia præordinauit Incarnationem Christi, simul cum hoc præordinauit, vt esset nostræ salutis causa; ita D. Thom. hîc ar. 4. ad 3.

Ad secundum dicendum, quòd prædestinatio Christi Domini est causa prædestinationis aliorum, & finalis, & exemplaris, vt dictum est: contingit autem sępe quòd finis sit prior, etiam in executione, iis quæ ad ipsum ordinantur, vt patet in essentia quæ est causa etiam finalis suarum proprietatum; & tamen est prior: quando scilicet est finis, non qui producitur illis mediis, sed cuius gratia sunt illa media vt in præsenti; nam prædestinatio aliorum ordinatur ad prædestinationem Christi, non vt fiat mediante illa; sed tantùm vt maiorem gloriam & exaltationē consequatur. Ad aliud dicendum, quòd exemplar etiam respectu Dei potest esse extrinsecum, in quantum vnus effectus potest esse exemplar alterius, ex voluntate Dei vult vnum esse ad imitationem alterius, vt sit ordo in rebus: illud tamen exemplar non est ex necessitate, sed ex libertate. Ad aliud dicendum cum D. Th. hîc ar. 3. ad 3. non esse necessarium, quòd exemplatum exemplari, quantum ad omnia, conformetur; sed sufficit quòd exemplatum aliqualiter imitetur suum exemplar.

Ad tertium dicendum, quòd causa efficiens debet quidem præexistere realiter suo effectui; exemplaris autem, & finalis solùm petunt præexistere in apprehensione prioritate naturæ; & sic prædestinatio Christi præexistit prædestinationi aliorum in mente diuina: & nisi Deus omnia in seipso cognosceret, prædestinatio Christi ipsum duceret in cognitionem prædestinationis aliorum: exemplari autem sufficit, quòd possit ducere in cognitionem sui exemplati, quamuis per accidens non ducat.

DVBIVM VI.

Virùm merita Christi præuisa, sint causa efficiens moralis prædestinationis comparatiua aliorum.

SVpponendum est, quòd prædestinatio, post vnionis hypostaticæ gratiam, est maximum beneficium quod Deus confert creaturis, & ad quod omnia alia ordinantur, cùm per ipsam cōsequantur suum vltimum finem, ac perfectam beatitudinem: propterea Deus solùm amat perfectè electos & prædestinatos; alios verò secundùm quid. Et licèt plus amet secundùm præsentem iustitiam, siue pro nunc præscitos, dum sunt in gratia; quàm prædestinatos, dum sunt in peccato; quia gratia sanctificans constituit amicitiam Dei, peccatum verò mortale illam soluit: absolutè tamen plus amat prædestinatos peccatores, quàm præscitos iustos; quia illis vult maius bonum, quàm istis; amare autem est velle bonum: & hoc quia amor Dei mensuratur æternitate, in qua omnia tam præterita, quàm præsentia, & futura existunt: vnde prædestinatus in nunc tēporis peccator, ita existit ibi vt peccator, quòd existat etiam vt iustus & beatus, quia aliquando in tempore consequetur gratiam & gloriam: amor autem Dei fertur in hæc vt iam præsentia in æternitate, & sic illum amat nunc, pro tunc, quando in tempore habebit gratiam: & è contra iustus præscitus, ita est in æternitate iustus, vt sit etiam ibi peccator & damnatus, quia aliquando sit erit; vnde licèt Deus illum magis amet pro nunc, minus tamen amat pro tunc, quando erit peccator & damnatus; quia non vult illi summum bonum beatitudinis, quod tamen vult prædestinato peccatori.

Prima opinio negat merita Christi præuisa esse causam efficientem moralem prædestinationis comparatiuæ aliorum: quòd scilicèt Beatissima Virgo, & alij fuerint sigillatim & in indiuiduo prædestinati præ aliis. Probatur, nullum habetur in sacris Litteris fundamentum huius; quin potius attribuitur immediatè Deo prædestinatio comparatiua Electorum: ergo non est asserendum quòd merita Christi præuisa, sint causa efficiens moralis prædestinationis comparatiuæ aliorum.

Secundò; si merita Christi Domini præuisa, sint causa efficiens moralis prędestinationis cōparatiuæ aliorū, sequitur quòd hæc causalis sit vera; quia Christus Dominus voluit efficaciter applicare sua merita D. Petro, v. g. in particulari, ideo D. Petrus est prædestinatus: sed hoc est falsum, alioquin prædestinatio hominum & Angelorum reducenda esset, tanquam ad primam radicem, ad humanam Christi voluntatem, & non ad diuinam misericordiam: ergo merita Christi Domini præuisa, non sunt causa efficiēs moralis prædestinationis comparatiuæ aliorum.

Tertiò, si Christus meruit prædestinationem comparatiuam aliorum, meruit quòd hi & illi eligantur præ aliis, ac proinde quòd hi & illi eligantur; alij verò relinquantur, & deserantur; quod est ipsum meruisse vt aliqui non eligantur, & prædestinentur; vnde eis nocuisset: quod repugnat bonitati Christi: ergo Christus nō meruit prædestinationem comparatiuam aliorum.

Conclusio.

Respondeo dicendum, quòd merita Christi Domini præuisa, fuerunt causa efficiens moralis, non solùm omnium effectuum prædestinationis: 2. Sed etiam ipsius prædestinationis comparatiuæ: ita vt intuitu meritorum Christi, hi & illi in particulari præ aliis fuerint prædestinati, & consequenter Christus meruit prædestinationem

nationem aliorum, etiam formaliter vt comparatiuam: 3. Non quidem quantùm ad absolutum ipsius actus Dei præstinantis, sed quantùm ad respectiuum quod connotat, siue quantùm ad terminationem passiuam eius ad aliquas personas in particulari.

Probatur prima pars conclusionis ex dictis disp. præcedenti dub. vltimo, vbi ostensum est Christum Dominum meruisse omnia dona supernaturalia, quæ creaturis conferuntur: ergo & omnes effectus prædestinationis proportionatos, scilicet vocationem, iustificationem, & glorificationem, quæ sunt dona supernaturalia; & ita merita Christi Domini præuisa, fuerunt causa efficiens moralis omnium effectuum prædestinationis, siue ipsius prædestinationis quoad integrum effectum.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ. Ad Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum suorum per Iesum Christum: 1. Petri 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: ecce Sancti Apostoli attribuunt meritis Christi prædestinationem aliquorum in particulari; ac proinde prædestinationem comparatiuam aliquorum præ aliis. Ad Ephes. 1. Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: principalis autem benedictio spiritualis, à qua aliæ procedunt, est prædestinatio. Vnde S. Chrisost. Hom. 1. supra hunc locum ait; Per quem nos benedixit, per eundem nos elegit. Et D. Th. supra illud S. Petri, Benedixit nos, non nostris meritis, sed ex gratia Christi: sicut elegit nos, & gratis à massa perditionis separandos, præordinauit nos in ipso, id est per Christum. Deinde, merita Christi Domini fuerunt præuisa ante prædestinationem aliorum in particulari, cùm ipse sit primus prædestinatorum, & ordine & dignitate, vt constat ex dictis disp. 1. dubio vltimo: ergo fuerunt causa prædestinationis aliorũ comparatiuæ; cùm enim potuit fieri, sic factum esse dicendum est; quia omnis perfectio & excellentia possibilis de lege ordinaria, compossibilis Christo, & fini Incarnationis, Christo & meritis eius attribuitur: ex ista autem maxima dependentia electorũ in particulari, in sua prædestinatione comparatiua, à Christo eiusque meritis, prouenit eidem Christo maxima excellentia. Denique, ex D. Th. hîc ar. 4. Deus præordinauit nostram salutem ab æterno, prædestinando vt per Iesum Christum compleretur: sub prædestinatione enim æterna, non solùm cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus, & ordo secundùm quem est complendum in tempore: sed æquè est possibile, & non minùs pertinet ad dignitatem Christi, quòd nostra prædestinatio comparatiua dependeat vt à causa morali, à meritis Christi præuisis in intẽtione, ac pendet in executione: ergo de facto ita est.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Th. hîc art. 4. vbi ait: si consideretur prædestinatio secundùm ipsum prædestinationis actum, prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis; cùm vno & eodem actu Deus prædestinauerit ipsum, & nos: si autem consideretur prædestinatio secundùm terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Et idem est de meritis Christi præuisis; quia actus Dei prædestinantis, quantùm ad absolutum, siue quantùm ad entitatem, est Deus ipse, ac omnimodè necessarius, nullámque admittens causam: solùm est liber quantùm ad connotatum & terminationem passiuam eius.

Ad primum ergo dicendum, quòd patet ex locis adductis Scripturæ, quòd licèt Deus sit causa physica immediata & vnica nostræ prædestinationis comparatiuæ: merita tamen Christi sunt causa moralis, vt præuisa.

Ad secundum dicendum, quòd illa causalis est vera: & tamen adhuc nostra prædestinatio reducitur ad misericordiam Dei, vt ad radicem, quæ mouit voluntatem humanam Christi, vt sua merita applicaret pro his prædestinandis præ aliis: & quamuis prædestinatio sit ex meritis Christi, non desinit tamen esse donum purè gratuitum respectu nostri; sicut & prima gratia: quia non sunt ex meritis nostris, sed ex solis meritis Christi, ex diuina misericordia ad salutem nostram ordinatis.

Ad tertium dicendum, quòd cùm omnes creaturæ intellectuales possent à Deo sic relinqui, vt nulla prædestinaretur; (quia finis prædestinationis est supernaturalis, ac proinde indebitus naturæ:) non sequitur quòd si Christus meruit quibusdam in particulari prædestinationẽ comparatiuam, aliis meruerit derelictionem: vnde omnibus profuit, & nulli nocuit. Vtinam sic nobis profuerit, vt sub glorioso eius nomine Iesv, æternæ prædestinationis titulo gaudeamus, nomina nostra scripta esse in libro vitæ. Et hæc dicta sint de ipso ad eius gloriam, sanctissimę item Matris eius Virginis Mariæ; S. Ioseph. S.M.N. Theresiæ, ac S. Thomæ; cuius doctrinæ si aliquid contrarium præter intentionem irrepserit, milliès reuocamus.

TRACTATVS

TRACTATVS SECVNDVS
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PROLOGVS.

QVIA Sacramenta Ecclesiæ sunt fontes Saluatoris, ab Isaïa Propheta prænuntiati, dum in suo dicit Cantico; Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: per Sacramenta enim cælestis gratiæ continuo fluxu nobis aquæ communicantur: Ideo absoluto tractatu de Sacrosancto Incarnationis Saluatoris nostri Mysterio; de Sacramentis agendum est. Nec multùm est curandum de Hæreticis, qui nomen Sacramenti, quasi malè vsurpatum impugnant, asserentes non reperiri apud Principes linguæ Latinæ: Nam sufficit quòd in Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus reperiatur: Tobiæ 12. habetur; Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est. Ad Ephesios 5. dicitur; Sacramentum hoc magnum est: frequens illius apud Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ habetur mentio, vt apud Augustinum, Ambrosium, Cyprianum, Tertullianum, & alios; immò aliqui, vt Ambrosius, speciales tractatus de Sacramentis composuerunt. Deinde vt aliquo modo Hæreticis satisfaciamus, discimus ex Cicerone, quòd licet nouis rebus noua adhibere nomina: vnde cùm hæc signa gratiæ, quæ vocamus Sacramenta, sint res nouæ in Lege Gratiæ à Christo Domino instituta: & ea quæ fuerunt in Lege antiqua priscos linguæ Latinæ Principes latuerint; non mirum, si noua nomina, ad hæc exprimenda, ab Ecclesiæ Doctoribus adinuenta sunt; sicut & ad alia mysteria fidei, putà Trinitatis, & Incarnationis, significanda: Vnde ipsis inhærentes, hæc signa sacra sanctificationis nostræ vocabimus Ecclesiæ Sacramenta: de quibus in præsenti tractatu agemus.

QVÆSTIO LX.

De Sacramentis, in octo articulos diuisa.

POST considerationem eorum quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ Sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent. Et prima consideratio erit de Sacramentis in communi. Secunda de vnoquoque Sacramentorum in speciali.

Circa primum quinque consideranda sunt.

¶ Primò, quid sit Sacramentum.
¶ Secundò, de necessitate Sacramentorum.
¶ Tertiò, de effectibus Sacramentorum.
¶ Quartò, de causa eorum.
¶ Quintò, de numero.

¶ Circa primum quæruntur octo.

¶ Primò, vtrum Sacramentum sit in genere signi.
¶ Secundò, vtrùm omne signum rei sacræ, sit Sacramentum.
¶ Tertio, vtrùm Sacramentum sit signum vnius rei tantum, vel plurium.
¶ Quartò, vtrùm Sacramentum sit signum quod est res sensibilis.
¶ Quintò, Vtrùm ad Sacramentum requiratur determinata res sensibilis.
¶ Sextò, vtrùm ad Sacramentum requiratur significatio, quæ est per verba.
¶ Septimò, vtrùm requirantur determinata verba.
¶ Octauo, vtrùm illis Verbis possit aliquid addi, vel subtrahi.

R. P. Philippi Carm. discal. Disp. Theologicæ in 3. p.

ARTICVLVS I. 326

Vtrùm Sacramentum sit in genere signi.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd Sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim Sacramentum dici à sacrando, sicut medicamentum à medicando. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causæ, quàm ad rationem signi. Ergo Sacramentum magis est in genere causæ, quàm in genere signi.

¶ 2 Præterea, Sacramentum videtur aliquid occultum significare: secundum illud Tob. 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est. Et Ephes. 3. Quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Sed illud quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi. Nam signum est quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire: vt patet per Aug. in 2. de Doctr. Christ. Ergo videtur, quòd Sacramentum non sit in genere signi.

¶ 3 Præterea, iuramentum quandoque Sacramentum nominatur: dicitur enim in Decr. 22. q. 5. Paruuli qui sine ætate rationabili sunt, non cogantur iurare: & qui semel periuratum fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad Sacramentum (id est, iuramentum) accedat. Sed iuramentum non pertinet ad rationem

q. 1. art. 1. [illegible] 1. & 3. & 4. q. 1. ad 1. ad per. [illegible] 3. 23. q. 5. Paruuli [illegible]

rationem signi, ergo videtur, quòd Sacramentum non sit in genere signi.

li. 10. c. 5 non procul à prin. c. 5. Sed contra est, quod Aug.* dicit in 10. de ciu. Dei. Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est.

CONCLVSIO.

Cùm à Theologis Sacramentum vsurpetur, vt signi quandam denotet habitudinem, perspicuum est, Sacramentum in genere signi esse.

Respondeo dicendum, quod omnia quæ habent ordinem ad vnum aliquid (licet diuersimode) ab illo denominari possunt sicut à sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum, non solum animal, quod est sanitatis subiectum, sed dicitur medicina sana, in quantum est sanitatis effectiua: diæta vero inquantum est conseruatiua eiusdem, & vrina, inquantum est significatiua ipsius. Sic igitur Sacramentum potest aliquid dici, vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam (& secundum hoc, Sacramentum idem est quod sacrum secretum) vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causæ, vel signi, vel secundum quamcunque aliam habitudinem. Specialiter autem nunc loquimur de Sacramentis, secūdum quod important habitudinem signi, & secundum hoc, Sacramentum ponitur in genere signi.

Ad primum ergo dicendum, quod quia medicina se habet vt causa effectiua sanitatis, inde est quod omnia denominata à medicina, dicuntur per ordinem ad vnum primum agens, & propter hoc medicamentum importat causalitatem quandam. Sed sanctitas, à qua denominatur Sacramentum, non significatur per modum causæ efficientis, sed magis per modū causæ formalis, vel finalis: & ideo non oportet, quòd sacramentum semper importet causalitatem.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod Sacramentum idem est quod sacrum secretum. Dicitur autem non solum Dei secretum, sed etiam Regis, esse sacrum & Sacramentum, quia secundum antiquos sancta vel sacrosancta dicebantur, quæcunque violari non licebat: sicut etiam muri ciuitatis, & personæ in dignitatibus constitutæ. Et ideo illa secreta, siue diuina, siue humana, quæ non licet violari, quibuslibet publicando, dicuntur sacra vel sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod etiam iuramentum habet quandam habitudinem ad res sacras: inquantum scilicet est quædam contestatio facta per aliquid sacrum. Et secundum hoc dicitur iuramentum esse Sacramentum, non eadem ratione, qua nunc loquimur de Sacramentis, non tamen æquiuocè sumpto nomine Sacramenti, sed analogicè, scilicet secundum diuersam habitudinem ad aliquid vnum quod est res sacra.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omne signum rei sacræ sit Sacramentum.

327 *Inf. q. 64. ar. 2. & 1. 2. q. 101. ar. 4. cor. & qu. 102. ar. 5. cor. & 4. di. 1. q. 1. ar. 1. qu. 1.* Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum. Omnes enim creaturæ sensibiles sunt signa rerum sacrarum, secundum illud Rom. primo, Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Nec tamen omnes res sensibiles possunt dici Sacramenta. Non ergo omne signum rei sacræ, est sacramentum.

¶ 2 Præterea, Omnia quæ in veteri lege fiebant, Christum figurabant, qui est sanctus sanctorum: secundum illud primæ ad Corint. 10. Omnia in figura contingebant illis. Et Coloss. 2. Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Nec tamen omnia gesta Patrum veteris Testamenti, vel etiam omnes cæremoniæ legis sunt sacramenta: sed quædam specialiter: sicut in Secunda parte habitum est. † Ergo videtur quòd non omne signum rei sacræ, sit Sacramentum. *p. 2. qu. 101. a. 4.*

¶ 3 Præterea, Etiam in nouo Testamento multa geruntur, in signum alicuius rei sacræ, quæ tamen non dicuntur sacramenta: sicut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, & similia. Non ergo omne signum rei sacræ, est sacramentum.

Sed contra est, quod definitio conuertitur cum definito. Sed quidam definiunt sacramentum per hoc quod est sacræ rei signum & hoc etiam videtur ex auctoritate August. * supra inducta. Ergo videtur, quod omne signum rei sacræ, sit sacramentum. *In a. præcedenti arg. sed cō.*

CONCLVSIO.

Cùm signa propriè hominibus dentur, non quoduis rei sacræ signum, sacramentum est, sed illud tantum quod signum est rei sacræ, quatenus homines sanctificat.

Respondeo dicendum, quòd signa propriè dantur hominibus, quorum est, per nota ad ignota peruenire. Et ideo propriè dicitur sacramentum, quod est signum alicuius rei sacræ ad homines pertinentis: vt scilicet propriè dicatur Sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, inquantum est sanctificans homines.

Ad primum ergo dicendum, quòd creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet sapientiam & bonitatem diuinam, inquantum sunt in seipsis sacra: non autem inquantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

Ad secundum dicendum, quod quædam ad vetus Testamentum pertinentia, significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est. Quædam vero significabant sanctitatem eius, inquantum per ea nos sanctificamur: sicut immolatio agni Paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur propriè veteris Legis sacramenta.

Ad tertium dicendum, quòd res denominantur à fine & complemento: dispositio autem non est finis neque perfectio. Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta (de quibus procedit obiectio) sed solum ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sacramentum sit signum vnius rei tantum.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd sacramentum non sit signum nisi vnius rei. Id enim quo multa significantur, est signum ambiguum, & per consequens fallendi occasio: sicut patet de nominibus æquiuocis. Sed omnis fallacia debet remoueri à Christiana Religione, secundum illud Colos. 2. Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam. Ergo videtur, quod sacramentum non sit signum plurium rerum. 328 *4. di. 1. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4. & a. 3. cor.*

¶ 2 Præterea, Sicut dictum est, † sacramentum significat rem sacram, inquantum est humanæ sanctificationis causa. Sed vna sola est causa humanæ sanctificationis, scilicet sanguis Christi, secundum illud Hebr. vlt. Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Ergo videtur, quod sacramentum non significet plura. *art. præc.*

¶ 3 Præterea, Dictum est, * quod sacramentum propriè significat ipsum finem sanctificationis. Sed finis sanctificationis est vita æterna: secundum illud Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Ergo videtur, quod sacramentum non significet nisi vnam rem, scilicet vitam æternam. *a. præc. ad 3.*

Sed contra est, quod in sacramento altaris est duplex res significata, scilicet corpus Christi verum, & mysticum, vt † August. dicit in lib. sentent. Prosperi. *De consec. di. 2. c. hoc est quod dicimus.*

CONCLVSIO.

Sacramentum est signum rememoratiuum passionis Christi, & diuinæ gratiæ demonstratiuum, ac futuræ gloriæ prognosticum.

Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est *) sacramentum propriè dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, & forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia & virtutibus: & vltimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Vnde sacramentum est & signum rememoratiuum eius quod præcessit, scilicet passionis Christi, & demonstratiuum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ & prognosticum, id est, prænuntiatiuum futuræ gloriæ. *art. præc.*

Ad primum ergo dicendum, quod tunc est signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum vnum non ordinatur ad aliud. Sed quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur vnum, tunc nō est signum ambiguum, sed certum: sicut hoc nomen, homo, significat animam & corpus, prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria prædicta, * secundum quod quodam ordine sunt vnum. *In cor. art.*

Ad secundum dicendum, quod sacramentum in hoc quòd significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectū qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, prout est sanctificans.

Ad tertium dicendum, quòd sufficit ad rationem sacramenti, quod significet perfectionem quæ est forma: nec oportet quod solum significet perfectionem, quæ est finis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophum in lib. Priorum omnis effectus, suæ causæ signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti, quòd sit signum alicuius rei sacræ, inquantum per eam homo sanctificatur, vt dictum est. † Non ergo requiritur ad sacramentum, quòd sit aliqua res sensibilis. 329 *4. di. 1. qu. 1. a. 1. qu. 1. & ar. 3. q. 1. & a. 3. co. & 4. cont. c. 56. & Ioan. 3. lect. 4. a. 1. huius q.*

¶ 2 Præterea, Sacramenta pertinent ad cultum vel regnum Dei. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei, dicitur enim Ioan. 4. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Et Rom. 14. Non est regnum Dei, esca & potus. Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramentum.

¶ 3 Præterea, Aug.* dicit in libro de Libero arbitrio, quòd res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo rectè viuere potest. Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humanæ (vt infra patebit *) & ita sine eis homo rectè viuere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta. *li. 2. c. 19 tom. 1.* *q. 61.*

Sed contra est, quòd Aug. * dicit super Ioan. Accedit Verbum ad elementum, & fit sacramentum. Et loquitur ibi de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta. *tra. 80. in med. Ioan. post me. t. 9.*

CONCLVSIO.

Cùm naturale sit homini per sensibilia ad intelligibilium cognitionem peruenire, sacramentum, quod spiritualia & intelligibilia bona hominis significat, res esse sensibilis debet.

Respondeo dicendum, quod sapientia diuina vnicuique rei prouidet secundum suum modum propter hoc dicitur Sap. 8. quòd suauiter disponit omnia. Vnde & Matth. 25. dicitur, quòd dedit vnicuique secundum propriam virtutem. Est autem homini connaturale, vt per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est, per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Vnde cum res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sint quædam spiritualia &

intelligibilia bona, quibus homo significatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur, sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in diuina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles: vt etiam Dion.* probat in 1. cœlest. hier.

Ad primum ergo dicendum, quod vnumquodque præcipue denominatur & diffinitur secundum id quod conuenit ei primo & per se, non autem secundum id quod conuenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis, per se habet, quod ducat in cognitionem alterius, quasi primo & per se hominibus innotescant: quia omnis nostra cognitio à sensu initium: effectus autem intelligibiles non habent, quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi inquantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primo & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur sicut Aug.* dicit in 2. de Doctrina Christiana: vbi dicit quod Signum est, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionē venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum, quædam quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, inquantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agetur.*

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles, vt in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei: sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

Ad tertium dicendum, quod August. ibi.* loquitur de rebus sensibilibus, secundum quod sunt in sua natura: non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, quæ sunt maxima bona.

ARTICVLVS V.

Vtrùm requirantur determinatæ res ad sacramenta.

330 AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd non requirantur determinatæ res ad sacramenta. Res enim sensibiles assumuntur in sacramentis ad significandum, vt dictum est.* Sed nihil prohibet diuersis rebus sensibilibus idem significari: sicut in sacra Scriptura Deus aliquando metaphoricè significatur per lapidem: quandoque per leonem, quandoque per solem, aut aliquid aliud huiusmodi. Ergo videtur, quod diuersæ res possint congruere eidem sacramento. Non ergo determinatæ res in Sacramentis requiruntur.

¶ 2 Præterea, Magis est necessaria salus animæ, quam salus corporis. Sed in medicinis corporalibus quæ ad salutem corporis ordinantur, potest vna res pro alia poni in eius defectu. Ergo multo magis in sacramentis, quæ sunt medicinæ spirituales ad salutem animæ ordinatæ, poterit vna res assumi pro alia, quando illa defuerit.

¶ 3 Præterea, Non est conueniens vt hominis salus arctetur per legem diuinam, & præcipue per legem Christi, qui venit omnia saluare. Sed in statu legis naturæ non requirebantur in sacramentis aliquæ res determinatæ, sed ex voto assumebantur, vt patet Gen. 28. vbi Iacob vouit se Deo decimas & hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur, quod non debuerit arctari homo, & præcipue in noua lege, ad alicuius rei determinatæ vsum in sacramentis.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

CONCLVSIO.

Cùm ad homines non pertineat, res quibus sanctificentur assumere, perspicuum est in nouæ legis sacramentis, quibus homines sanctificantur, rebus diuina institutione determinatis vtendum esse.

RESPONDEO dicendum, quòd in vsu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus diuinus, & sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem è conuerso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius, sed solum id quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis nouæ Legis quibus homines sanctificantur (secundum illud 1. ad Corin. 6. Abluti estis, sanctificati estis) oportet vti rebus diuina institutione determinatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd eiusdem potest per diuersa signa significari: determinare tamen quo signo sit vtendum ad significandum, † pertinet ad significantem. Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, & per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut iudicio Spiritus sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse diuina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento.

Ad secundum dicendum, quòd res sensibiles habent naturaliter sibi [illegible] virtutem conferentem ad corporalem salutem: & ideo non refert, si duæ earum eandem virtutem habeant, qua quis vtatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione diuina. & ideo oportuit diuinitus determinari quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis vtendum.

Ad tertium dicendum, quod sicut August.* dicit 19. contra Faustum, diuersa sacramenta diuersis temporibus congruunt: sic etiam diuersis verbis significantur diuersa tempora, scilicet præsens, præteritum & futurum. Et ideo sicut

R. P. Philippi Carm. discal. Diss. Theologicæ art 5. p.

in statu Legis naturæ homines nulla Lege exterius data, sed solo interiori instinctu mouebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum vterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari: tum propter obscurationem legis naturæ, ex peccatis hominum: tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines vterentur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis, quia res quarum vsus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel paruo studio adhiberi possunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in significatione sacramentorum requirantur verba.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod in significatione sacramentorum non requirantur verba. Dicit enim August. contra Faustum * lib. 19. Quid sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quasi quædam verba visibilia? Et sic videtur, quod addere verba rebus sensibilibus in sacramentis, sit addere verba verbis. Sed hoc est superfluum. Non ergo requiruntur verba cum rebus sensibilibus in sacramentis. 331

¶ 2 Præterea, Sacramentum est aliquid vnum. Ex his autem quæ sunt diuersorum generum, non videtur posse aliquid vnum fieri. Cum ergo res sensibiles & verba sint diuersorum generum (quia res sensibiles sunt à natura, verba autem a ratione) videtur, quod in sacramentis non requirantur verba cum rebus sensibilibus.

¶ 3 Præterea, Sacramenta nouæ Legis successerunt sacramentis veteris Legis: quia illis ablatis ista sunt instituta, vt August. dicit 19. contra Faustum.* Sed in Sacramentis veteris Legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in Sacramentis nouæ Legis.

Sed contra est, quod Apost. dicit Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et Aug. dicit super Ioan.* Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

CONCLVSIO.

Vt sacramenta verbi incarnati, & hominis sanctificati, similitudinem quandam ac proportionem habeant, perfectiusque res sacras significent, conuenientissimum est in sacramentis ad res sensibiles, verba adhiberi.

RESPONDEO dicendum, quod sacramenta (sicut dictum est*) adhibentur ad hominum sanctificationem, sicut quædam signa. Tripliciter ergo considerari possunt: & quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adiungantur. Primo enim possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei vnitum. Secundo possunt considerari sacramenta ex parte hominis, qui sanctificatur, qui componitur ex anima & corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Vnde August.* dicit super illud Ioan. 15. Iam vos mundi estis propter sermonem, &c. vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Tertio possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem August.* in 2. de Doctrina Christiana, quod verba inter homines obtinuerunt principatum significandi: quia verba diuersimode formari possunt ad significandos diuersos conceptus mentis: & propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium, per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur: Ego te baptizo, manifestatur quod aqua vtimur in baptismo ad significandum emundationem spiritualem.

Ad primum ergo dicendum, quod res visibiles sacramentorum dicuntur verba per quandam similitudinem, inquantum scilicet participant quandam vim significandi, quæ principaliter est in ipsis verbis, vt dictum est.* Et ideo non est superflua iteratio verborum, cum in sacramentis, rebus visibilibus verba adduntur: quia vnum eorum determinatur per aliud, vt dictum est.*

Ad secundum dicendum, quòd quamuis verba & aliæ res sensibiles sint in diuerso genere, quantum pertinet ad naturam rei: conueniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectius est in verbis, quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis & rebus fit quodammodo vnum in sacramentis, sicut ex forma & materia, inquantum, scilicet per verba perficitur significatio rerum, vt dictum est.* Sub rebus autem comprehenduntur ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio, & alia huiusmodi: quia in his est eadem ratio significandi & in rebus.

Ad tertium dicendum, quòd (sicut August.* dicit contra Faustum) alia debent esse sacramenta rei præsentis, & alia rei futuræ. Sacramenta autem veteris legis prænuntiabant Christum venturum: & ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta nouæ Legis quæ ab ipso Christo effluunt, & quandam similitudinem ipsius in se habent: vt dictum est.* Vtebantur tamen in veteri lege aliquibus verbis in his quæ ad cultum Dei pertinent, tam sacerdotes qui erant sacramentorum illorum ministri (secundum illud Num. 6. Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, &c.) quam etiam illi qui illis sacramentis vtebantur

Bb 2

vtebantur: secundum illud Deuter. 26. Profiteor hodie coram domino Deo tuo, &c.

ARTICVLVS VII.

Vtrum requirantur determinata verba in sacramentis.

332 AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quòd non requirantur determinata verba in sacramentis. Vt enim Philosoph. * dicit, voces non sunt eædem apud omnes. Sed salus quæ per sacramenta quæritur, est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis.

lib. 1. Perihermen. pa. cap. 1. tom. 1.

¶ 2 Præterea, Verba requiruntur in sacramentis inquantum sunt principaliter significatiua: sicut dictum est. * Sed contingit per diuersa verba idem significari. Ergo non requiruntur determinata verba in sacramentis.

ar. præc.

¶ 3 Præterea, Corruptio cuiuslibet rei variat eius speciem. Sed quidam corruptè verba proferunt, nec tamen propter hoc creditur sacramentorum effectus impediri: alioquin illiterati & balbi qui ista sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur, quòd non requirantur in sacramentis determinata verba.

SED contra est, quod Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiæ, dicens Matth. 26. Hoc est corpus meum. Similiter etiam mandauit discipulis, vt sub determinata forma verborum baptizarent, dicens Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

CONCLVSIO

Cùm determinata sit sacramentorum materia, determinatæ scilicet sensibiles res: multo magis oportet determinatam esse verborum in sacramentis formam.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est *) in sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ. In omnibus autem compositis ex materia & forma, principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis & terminus materiæ: & ideo principalius requiritur ad esse rei, determinata forma, quam determinata materia: materia enim determinata requiritur, vt sit proportionata determinatæ formæ. Cum igitur in sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in sacramentis sicut materia, multo magis requiritur in eis determinata forma verborum.

ar. præc. ad 1.

AD primum ergo dicendum, quod sicut Aug. * dicit super Io. verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur, idest, non secundum exteriorem sonum vocis: sed quia creditur, idest, secundum sensum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eædem voces sint quantum ad sonum. Et ideo cuiuscunque linguæ verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentum.

tract. 80. a med. to. 9.

AD secundum dicendum, quod licet in qualibet lingua contingat diuersis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est, qua principalius & communius homines illius linguæ vtuntur ad hoc significandum: & talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti: cuius vsus est communior ad actum, per quem sacramenti effectus significatur: sicut aqua communius vtuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur: & ideo aqua assumitur vt materia in Baptismo.

AD tertium dicendum, quod ille, qui corruptè profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia: & ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore vel lapsu linguæ, si sit tanta corruptio, quæ omnino auferat sensum locutionis non videtur perfici sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte principij dictionis: puta si loco eius quod est in nomine Patris, dicat in nomine matris. Si vero non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte finis: puta, si aliquis dicat in nomine patrias & filias. Quamuis enim huiusmodi verba corruptè prolata nihil significent ex virtute impositionis: accipiuntur tamen vt significantia ex accommodatione vsus. Et ideo licet mutetur sonus sensibilis; remanet tamen idem sensus. Quod autem dictum * est, de differentia corruptionis, circa principium vel finem dictionis, rationem habet: quia apud nos variatio dictionis ex parte principij, mutat significationem, variatio autem ex parte finis dictionis, vt plurimum mutat consignificationem: quæ tamen apud Græcos variatur etiam secundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis: quia ex vtraque parte potest esse tam parua, quod non aufert sensum verborum: & tam magna, quod aufert, sed vnum horum facilius accidit ex parte principij, & aliud ex parte finis.

in istamet sol.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum.

333 AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur, quòd nihil liceat addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum. Non enim minoris sunt necessitatis huiusmodi verba sacramentalia, quam verba sacræ Scripturæ. Sed verbis sacræ Scripturæ nihil licet addere vel minuere: dicitur enim Deuter. 4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor: nec auferetis ab eo. Et Apocal. vlt. Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius: si quis apposuerit ad hæc, apponet super eum Deus plagas scriptas in lib. isto: & si quis diminuerit, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Ergo videtur, quod neque in formis sacramentorum liceat aliquid addere vel minuere.

4. d. 3. q. 4. & q. 2. 3. & 4.

¶ 2 Præterea, Verba se habent in sacramentis per modum formæ, vt dictum est. * Sed in formis qualibet additio vel subtractio variat speciem, sicut & in numeris, vt dicitur 8. Met. * Ergo videtur, quod si aliquid addatur vel subtrahatur à forma sacramenti, non erit idem sacramentum.

Ar. præc.

l. 8. met. t. 8. 1. 3.

¶ 3 Præterea, Sicut ad formam sacramenti requiritur determinatus numerus dictionum, ita etiam requiritur determinatus ordo verborum, & etiam orationis continuitas. Si ergo additio vel subtractio non aufert sacramenti veritatem, videtur, quod pari ratione nec transpositio verborum, aut etiam interpellatio pronuntiationis.

SED contra est, quod in formis sacramentorum quædam apponuntur à quibusdam quæ ab aliis non apponuntur, sicut Latini baptizant sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Græci autem sub ista, baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris, &c. & tamen vtrique verum conferunt sacramentum: Ergo in formis sacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

CONCLVSIO.

Verbis in quibus sacramentorum forma consistit, addere quicquam aut detrahere non licet, quo verus eorum sensus corrumpatur.

RESPONDEO dicendum, quod circa omnes istas mutationes quæ possunt in formis sacramentorum contingere, duo videntur esse consideranda. Vnum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad sacramentum, vt infra dicetur. * Et ideo si intendat per huiusmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Ecclesia. Aliud autem est considerandum ex parte significationis verborum. Cum enim verba operentur in sacramentis, quantum ad sensum, quem faciunt (vt supra dictum est *) oportet considerare vtrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia sic manifestum est, quod tollitur veritas sacramenti. Manifestum est autem, quod si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum: & ideo non perficitur sacramentum. Vnde Dydimus † dicit in lib. de Spiritu sancto: Si quis ita baptizare conetur, vt vnum de * prædictis nominibus prætermittat (scilicet patris & filij & spiritus sancti) sine perfectione baptizabit. Si autem subtrahatur aliquid quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, & per consequens nec sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ, quæ est, Hoc est enim corpus meum, ly (enim) sublatum, non tollit debitum sensum verborum: & ideo non impedit perfectionem sacramenti: quamuis possit contingere, quod ille qui prætermittit peccet ex negligentia vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptiuum debiti sensus: puta, si aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine patris maioris, & filij minoris, sicut Ariani baptizabant: & ideo talis additio tollit veritatem sacramenti. Si vero sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert, vtrum talis additio fiat in principio, medio vel in fine: vt si aliquis dicat, Ego te baptizo in nomine Dei patris omnipotentis, & filij eius vnigeniti, & Spiritus sancti paracleti, erit verum baptisma. Et similiter si quis dicat: Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritus sancti, & beata Virgo te adiuuet, erit verum baptisma. Forte autem si diceret, Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, & beatæ virginis Mariæ, non esset baptismus: quia dicitur 1. ad Cor. 1. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Sed hoc verum est, si sic intelligatur in nomine beatæ Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur, talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, & per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur quod additur (& in nomine beatæ Virginis) non quasi nomen beatæ Virginis aliquid operetur in baptismo, sed vt eius intercessio prosit baptizato, ad conseruandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio sacramenti.

q. 64. a. 8.

art. præced. ad 1. & ad 2.

l. 2. de spiritu sancto, paulo à princ. Habetur hic lib. in fi. operum S. Hier. Dydim. habet præcepti.

AD primum ergo dicendum, quod ad verba sacræ scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad sensum, sed quantum ad expositionem sacræ scripturæ, multa eis verba à Doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba sacræ scripturæ apponere, ita quod dicantur esse de integritate sacræ scripturæ, quia hoc esset vitium falsitatis. Et similiter si quis diceret aliquid esse de necessitate formæ, quod non est.

AD secundum dicendum, quod verba pertinent ad formam sacramenti, ratione sensus significati. Et ideo quæcunque fiat additio vel subtractio verborum, quæ non addat aliquid, aut subtrahat debito sensui, non tollitur species sacramenti.

AD tertium dicendum, quòd si sit tanta interruptio verborum, quòd intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti, & per consequens veritas eius: non autem tollitur, quando est parua interruptio, quæ intentionem proferentis & intellectum verborum non aufert. Et idem est etiam dicendum de transpositione verborum: quia si tollit sensum locutionis, non perficitur sacramentum, sicut patet de negatione præposita, vel postposita signo. Si autem sit talis transpositio, quæ sensum locutionis non variet, non tollitur veritas sacramenti: quia secundum quod Philosophus * dicit, nomina & verba transposita idem significant.

lib. 1. perihermen. c. 1. parum ante si tom. 1.

DISPVT.

DISPVTATIO I.

De Quidditate, & Definitione Sacramenti.



QVAMVIS ordinariè quæstio, An sit, debeat præcedere quæstionem, Quid sit: contingit tamen aliquando, vt in præsenti, quòd non possit concludi de re, An sit; nisi prius examinetur, Quid sit; cùm essentia latens priùs debeat manifestari, quàm possit sciri, an sit res habens talem essentiam: vnde priùs inquiritur, Quid sit Sacramentum; quàm inquiratur, An sit.

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramentum sit in genere signi.

SVpponendum est ex Logicis signum diuidi in formale & instrumentale: signum formale sunt ipsæ species tam intelligibiles, quàm intentionales repræsentantes obiecta; faciunt enim venire in cognitionem alterius à se, quæ est ratio essentialis signi generaliter sumpti. Signum instrumentale definitur à S. Augustino esse illud, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit nos in cognitionem alterius venire: vt est imago Christi, &c. Subdiuiditur signum instrumentale in signum naturale, quod scilicet ex sua natura aliud significat, vt fumus respectu ignis, & quicumque effectus respectu suæ causæ; & in signum ex beneplacito, siue ex impositione, sicut hedera appensa significat vinum vendibile.

Prima opinio tenet Sacramentum esse in genere causæ, & non in genere signi: maximè prout contrahitur ad Sacramenta nouæ Legis; sic docent aliqui Moderni. Probatur prima pars conclusionis authoritate: D. Gregorius, vt refertur 1. quæst. 1. can. multi: sic ait; Sacramentum dicitur, quia sub tegumento rerum corporalium diuina virtus salutem secretius operatur. Magister in 4. dist. 1. sic habet; Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt ipsius causa existat. Et D. Thom. in tota hac materia plura dicit de causalitate Sacramentorum; vt quòd importent habitudinem causæ ad sanctitatem: ergo Sacramentum est in genere causæ.

Secundò; Genus, species, & differentiæ sunt in eodem prædicamento, vt docet Aristoteles, & communiter cum eo omnes Philosophi in Antepræditamentis: cuius ratio est manifesta; quia ex Porphyrio cap. de differentia, differentia continetur in potentia generis, ac proinde & ipsa species constans ex genere & differentia: sed species & differentiæ Sacramentorum nouæ Legis sunt in prædicamento Actionis & Passionis, & consequenter in genere causæ: Nam Baptismus definitur quòd sit ablutio; & idem est proportionaliter de aliis Sacramentis. Deinde hæc est differentia inter Sacramenta nouæ & veteris Legis, vt docet Concilium Florentinum in decreto super vnionem Græcorum, & Armenorum; quòd Sacramenta nouæ Legis causent gratiam, quam non causabant Sacramenta veteris Legis ergo Sacramentum est in genere causæ, & non in genere signi; cùm idem non possit esse sub diuersis generibus.

Tertiò probatur secunda pars. Si Sacramenta sint in genere signi, vtique erunt signa non naturalia, sed signa ad placitum, & ex institutione; ac proinde erunt entia rationis: signum enim ad placitum, vt communiter conceditur, est ens rationis: sed est absurdum dicere quòd Eucharistia, Baptismus, & alia Sacramenta sint entia rationis; cùm verè sint à parte rei nemine cogitante, quod non conuenit entibus rationis: ergo sacramenta non sunt in genere signi.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentum formaliter consideratum est in genere signi, & non causæ: 2. Non quidem signi naturalis: sed ad placitum & ex institutione diuina. 3. Materialiter autem consideratum Sacramentum, & maximè nouæ Legis, est in genere causæ.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Scholasticorum. Genesis 17. & ad Roman. 4. Circumcisio dicitur esse signũ fœderis. D. Paulus 1. ad Corinth. 11. dicit Sacramentum Eucharistiæ significare passionem Christi, & gratiam. S. Augustinus in epistol. 32. & S. Ambrosius in libro de Mysteriis, dicunt homines initiari per Sacramenta tanquam per signa sacra. Et D. Thom. hîc art. 1. hoc expressè dicit & concludit sic: Specialiter autem nunc loquimur de Sacramentis secundùm quòd important habitudinem signi, & secundùm hoc, Sacramentum ponitur in genere signi.

Secundò; in illo genere ponitur & quidditatiuè de illo, & sub quo directè continentur omnia Sacramenta: de ratione quippe generis est prædicari essentialiter de qualibet sua specie, & continere inferiora illius: sed signum prædicatur essentialiter de Sacramento; quia, vt postea dicetur, definitio essentialis Sacramenti est, quòd sit signum rei sacræ; & in hoc conueniunt omnia Sacramenta tam veteris, quàm nouæ Legis, quòd sint signa rei sacræ, siue sanctitatis internæ; non autem conueniunt in hoc quòd sint causa talis sanctitatis, vt fatentur omnes Scholastici: ergo Sacramentum formaliter consideratum est in genere signi, & non causæ.

Probatur

Probatur secunda pars conclusionis. Res sensibiles, quæ sunt Sacramenta, non habent ex natura sua significare gratiam sanctificantem, siue sanctitatem internam, aut alia mysteria supernaturalia: (cùm ex natura sua nullam habeant cum eis similitudinem) sed tantùm hoc habent ex institutione diuina; nam v. g. ablutio baptismalis quæ fit in corpore, quomodo significaret ablutionem peccati originalis in mente, nisi virtute diuina, supposita institutione, aqua eleuaretur ad emundandam animam: vnde exclamat Aug. Quæ tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & mentem abluat: ergo Sacramentum non est in genere signi naturalis, sed signi ad placitum, & ex institutione diuina. Nec contrariatur idem S. Aug. dum epist. 23. ait Sacramenta habere aliquam similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta; quam si non haberent, Sacramenta non essent. Intelligit enim de similitudine consequente ad institutionem ipsorum, & non de antecedente: id est, Sacramenta habent similitudinem cum gratia, quia sunt assumpta ad illam significandam; non verò è contra sunt assumpta ad gratiam significandam, quia habent similitudinem cum illa: vel si intelligit de antecedente, intelligit de imperfecta, quæ non sufficit vt dicantur signa naturalia.

Probatur, & explicatur tertia pars conclusionis. Duplex est sanctitas, externa vna, corporalis, & imperfecta: alia est interna, spiritualis, supernaturalis, & perfecta: hæc fit per gratiam habitualem sanctificantem, qua sumus diuinæ consortes naturæ, & participatiuè Dij: alia verò consistit in quadam mundicia corporis: dicimus igitur quòd Sacramentum secundùm materiale quod importat, causat aliquam sanctitatem; in antiqua quidem Lege corporalem & externam; in noua verò Lege spiritualem & internam; & ita est in genere causæ: quod probant efficaciter duo priora argumenta in contrarium adducta, & efficacius probabitur infra, disputatione quarta, & sequentibus; vbi ostendetur Sacramenta nouæ Legis in ordine ad sanctificationem internam esse signa practica, & simul efficere, quod significant: & per hoc distingui, tanquam signum perfectum ab imperfecto, à Sacramentis antiquæ Legis, quæ erant signa purè speculatiua, modo inferiùs explicando, in ordine ad eandem sanctitatem internam; & practica solùm in ordine ad externam.

Ad primum ergo dicendum, quòd S. Gregorius loquitur de Sacramento secundùm materiale importatum; est enim proprium Sacramentis nouæ Legis secundùm materiale quod important, vt diuina virtute salutem operentur. Magister autem optimè explicat in hac sua definitione vtrumque quod importat Sacramentum nouæ Legis: nam secundùm formale, est signum: vnde dicit quòd est inuisibilis gratiæ visibilis forma, siue signum: secundùm autem materiale, est causa; vnde subdit, vt ipsius causa existat: Quia verò res ponuntur in prædicamento ratione formalis importati, & non ratione materialis: inde est quòd Sacramentum ponitur in genere signi, & non in genere causæ. D. Thom. autem hic agit de causalitate Sacramentorum tanquam de differentia specifica Sacramentorum Legis gratiæ: non verò tanquam de ratione generica.

Ad secundum dicendum, quòd Sacramentum non est quid per se, & simpliciter vnum; sed est vnum per accidens constans ex formali & materiali: vnde est in diuerso genere: secundùm formale, in genere signi; secundùm materiale, in genere causæ: quod debet applicari singulis Sacramentis, quæ in actione consistunt; in quibus ratio signi est formalis: ratio causæ vel cuiuscumque alterius est materialis: differentia autem assignata à Concilio Florentino inter Sacramenta nouæ & veteris Legis est propria, conueniens tantùm illis ratione materiæ.

Ad tertium dicendum, quòd cùm Sacramentum non sit vnum per se physicum, & simpliciter tale: sed vnum secundùm quid, & morale; non mirum quòd constet ex duobus diuersorum generum: imò diuersorum ordinum, scilicet ex ente rationis pro formali, & ita sit in genere signi; & ex ente reali pro materiali, & ita sit in genere causæ, vel in prædicamento Actionis, & Passionis; nam Baptismus importat ablutionem tam actiuam quàm passiuam: Cùm autem materiale in istis entibus per accidens sit tota substantia ex D. Thom. in 4. d. 3. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. vbi dicit quòd in rebus artificiosis tota substantia rei est materia: inde est quòd Sacramenta sint potiùs dicenda entia realia propter materiale reale, quàm entia rationis propter formale signi, quod est ens rationis. Nota tamen quòd D. Thom. loco citato non contrariatur sibi in præsenti, & dictis, dum ait quòd domus simpliciter loquendo ponitur in prædicamento Substantiæ, vbi sunt lapides & ligna: in prædicamento verò Qualitatis tantùm ponitur secundùm quid, vel imperfectè, scilicet ratione formæ; ex quo videtur sequi, quòd Sacramentum debeat potiùs poni in genere causæ ratione materiæ, quàm in genere signi ratione formæ: dicendum enim, esse disparitatem; quia domus vt sic, includit necessariò suas partes ex quibus constat, ita vt non possit concipi sine illis: vnde ratione ipsarum ponitur simpliciter in prædicamento: Sacramentum autem vt sic, non importat aliud quàm rationem signi determinatè, nullam autem materiam nisi in confuso, & indeterminatè, quamuis quodlibet in particulari illam determinet: vnde vt sic in communi ponitur in genere signi ratione

ratione formæ, in particulari autem principaliter ponitur in genere causæ, & in prædicamentis Actionis & Passionis, vel aliis ratione materiæ,

DVBIVM II.

Vtrùm Sacramentum sit signum rei sacræ sanctificantis homines.

SVpponendum est ex D.Thom.hîc art.1.Sacramentum denominari à sanctitate, sicut sanum à sanitate: sicut autem à sanitate animalis non solùm denominatur subiectum ipsum sanum; sed etiam medicina dicitur sana, in quantùm est sanitatis effectiua, dieta verò in quantùm est conseruatiua eiusdem, & vrina in quantùm est significatiua ipsius: sic Sacramentum potest aliquid dici; vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam, & secundùm hoc Sacramentum idem est quod sacrum secretum; vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem vel causæ, vel signi &c. Ex quo patet, quòd Sacramentum vt sic, non est quid vniuocum, aut æquiuocum, sed analogum, vt ibidem ad 3. dicit D.Thom. Ad tollendam tamen confusionem in tota hac materia, Sacramentum vsurpatur pro signo alicuius rei sacræ, vt determinatum est dubio præcedenti; & in præsenti inquiritur, quænam sit illa res sacra, cuius signum est Sacramentum.

Prima opinio, sed impia, est Hæreticorum huius temporis, maximè Caluinistarum negantium Sacramenta esse signa rei sacræ sanctificantis homines, siue ipsius sanctificationis internæ: & asserentium Sacramenta esse signa diuinæ beneuolentiæ, & prædestinationis tantùm, ac sigilla iustitiæ per fidem acceptæ: hic error multos alios adducit. Probatur authoritate Scripturæ, ex illo ad Rom. 4. vbi Circumcisio, quæ fuit Sacramentum veteris Legis, dicitur signaculum iustitiæ fidei, quæ fuit in Abraham.

Secundò probatur authoritate S. Gregorij Nazianzeni, qui oratione 11. in laudem Gorgoniæ sororis, dicit Baptismum non tam fuisse illi gratiam, quàm sigillum: ergo Baptismus, & similiter alia Sacramenta non sunt signum rei sacræ sanctificantis homines.

Tertiò, Esus Agni Paschalis fuit Sacramentum: sed talis esus non fuit signum rei sacræ sanctificantis homines; quia non significabat sanctificationem hominis, etiam externam & legalem quam non conferebat, sed solùm erat signum futuræ Passionis Christi: ergo Sacramentum non est signum rei sacræ sanctificantis homines.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentum est signum rei sacræ: 2. Sanctificantis homines: 3. Vnde est signum sacrum. 4. Certum; sed ineuidens.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Scholasticorum. Genesis 17. Circumcisio dicitur signum fœderis inter Deum & homines. Ad Rom. 6. dicimur sepeliri in Christo per Baptismum. Matthæi 26. Et 1. ad Cor. 11. Eucharistia dicitur commemoratio Passionis Christi. Ad Ephesios 5. Matrimonium dicitur signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. S. Martialis Epistola ad Tholosanos cap. 4. vocat mysteria Sacramentorum, per quæ Deo coniungimur. Aug. Epistola 5. Longum, ait, est conuenienter disputare de varietate signorum, quæ cùm ad res sacras pertinent, Sacramenta appellantur: & lib. 4. de catechizandis rudibus, Sacramenta vocat, Verba visibilia rerum diuinarum. D. Thom. hîc art. 2. in argumento, Sed contra; admittit definitionem Sacramenti à quibusdam datam, quòd est, sacræ rei signum. Deinde probatur ex etymologia nominis; nam Sacramentum importat aliquid sacri, saltem per modum signi, quæ est minima habitudo ad rem sacram: ergo Sacramentum est signum rei sacræ.

Probatur secunda pars conclusionis, tum ex prædictis authoritatibus, in quibus dicitur quòd per Sacramenta coniungimur Deo, aut sepelimur in Christo, quæ sine dubio important sanctificationem internam. Deinde authoritate & ratione D. Thom. hîc art. 2. vbi eam sic proponit. Signa propriè dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota peruenire; & ideo propriè dicitur Sacramentum, quod est signum alicuius rei sacræ ad homines pertinentis, vt scilicet propriè dicatur Sacramentum, (secundùm quòd nunc de Sacramentis loquimur,) quod est signum rei sacræ, in quantùm est sanctificans homines. Et ad 3. sic ait; Res denominatur à fine & complemento: dispositio autem non est finis, sed perfectio; & ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur Sacramenta; sed solùm ea, quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ. Singula igitur Sacramenta tam veteris, quàm nouæ Legis significant sanctificationem humanam: sed nouæ Legis Sacramenta illam expressiùs significant; Baptismus quidem, per modum lauacri & regenerationis: Confirmatio, per modum roboris in vita spirituali: Eucharistia, per modum nutrimenti spiritualis: Pœnitentia, per modum purgamenti, & sanitatis spiritualis recuperatæ: Extrema vnctio, per modum perfectæ curationis à reliquiis peccatorum, & dispositionis ad gloriam: Ordo, per modum potestatis spiritualis: Matrimonium, per modum mutui vinculi charitatis inter coniugatos.

Probatur, & explicatur tertia pars conclusionis: Sacramentum est signum sacrum duplici titulo:

titulo: videlicet tam ex parte rei significantis; quàm ex parte significationis, vel rei significatæ: ex parte quidem rei significantis, quia est res aliqua, vel Ceremonia à Deo instituta,& ad cultum ipsius ordinata, vt patet inductione in omnibus Sacramentis tum veteris, tum nouæ Legis: quod licèt minus appareat in Matrimonio, quod est quidam contractus ciuilis, tamen vt celebratus in facie Ecclesiæ, & eleuatus ad Sacramenti perfectionem,est sacra Ceremonia; quia quantùm est in se,non tantùm efficit coniuges,sed sanctos coniuges;& significat in Lege gratiæ vinculum mutuæ obligationis inter coniugatos esse sacrum & religiosum, gratia & charitate sanctificatum, vt ait Concilium Tridentinū sess.24.Ex parte verò significationis, & rei significatæ;vt supra probatum est:cuius ratio est, quia medium specificatur à fine, ita vt ordo ad finem sit illi essentialis, vt certum est apud omnes: sed Sacramentum est quoddam medium ordinatum ad significandum rem sacram ergo est signum sacrum.

Probatur quarta pars conclusionis. Sacramentum est signum rei sacræ,non naturale,sed ex institutione diuina,vt fides docet; ita vt hæc institutio cadat sub fide: ergo sola fide tenemus Sacramentum, siue rem sensibilem: quam vocamus Sacramentum, esse signum rei sacræ sanctificantis hominem: ac proinde licèt sit signum illius certum;est tamen ineuidens,vtrumque enim participat à fide cui innititur.

Ad primum ergo dicendum, quòd hic error Hæreticorum facilè improbari potest: nam Sacramenta indifferenter pro prædestinatis & reprobis instituta sunt, vnde debent significare res vtrisque communes; ac proinde non prædestinationem, quæ prædestinatis & electis propria est; aliàs eorum significatio respectu reproborum esset falsa: nec vllo Scripturarum fundamento asseritur Sacramenta significare prædestinationem. Quòd autem Sacramenta nouæ Legis practicè significent sanctificationem, patet in Baptismate puerorum, quo mundantur à peccato originali: & ridiculosè dicitur ab Hæreticis, quòd iustificantur per fidem qua tunc credunt; nam vt optimè arguit S.August. si paruuli dum baptizantur, haberent acceleratum vsum rationis, qui præ requiritur ad actum fidei, potiùs peccarent, quàm iustificarentur: nam ordinariè flent, dum baptizantur, & dolent, & similia edunt signa tristitiæ; quæ impia essent, si procederent à deliberata ratione. Ad illum locum dicendum, quòd Circumcisio non solùm fuit signaculum iustitiæ fidei, siue rectæ fidei Abrahæ; per hoc enim à cæteris gentibus, tam ipse, quàm eius posteritas discernebatur, & hoc sigillo ad veri Dei cultum deputabatur: sicut nunc per Baptisma fideles, quod propterea potest dici signaculum fidei: sed etiam fuit signum expiationis à peccato originali, ac sanctificationis: sicut nunc est Baptisma, sed diuersimodè; vt infra dicetur.

Ad secundum dicendum,quòd S.Gregorius Nazianzenus hoc dicit per quandam exaggerationem, vt ostenderet sanctam sororem suam ante Baptisma, magnam gratiam fuisse consecutam; vnde præmisit hæc verba; (pene, vt audacter loquar.)

Ad tertium dicendum cum D.Thom. hic artic. 2. ad 2. quòd quædam ad vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi, secundùm quòd in se sanctus:quædam verò significabant sanctitatem eius, in quantùm per ea nos sanctificamur, sicut Immolatio agni Paschalis significabat immolationē Christi, qua sanctificati sumus,: & talia dicuntur propriè veteris Legis Sacramenta. Ex quo infertur, quòd Ceremoniæ sacræ veteris Legis, quæ non dicebant habitudinem signi ad sanctificationem hominis saltem mediatè, non erant Sacramenta.

DVBIVM III.

Vtrùm Sacramentum ab intrinseco petat esse signum rei sacræ: non solùm speculatiuum, sed etiam practicum.

Svpponendum est, quod infra fusè probabitur, fuisse aliqua Sacramenta tam in Lege naturæ, quàm in Lege scripta, & esse in Lege gratiæ. Quòd sint in Lege gratiæ, & fuerint in Lege scripta, fides docet: quòd etiam fuerint in Lege naturæ, communis est Theologorum opinio: eadémque est pro quacumque Lege Sacramentorum necessitas, ex triplici ratione quam affert D.Thom. q. sequenti, art. 1. & compendiosè sub his verbis concludit: Per Sacramentorum institutionem homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum. Nunc difficultas est vtrùm Sacramentum prout commune omni Legi, sicut petit ab intrinseco esse signum speculatiuum rei sacræ, sic etiam petat esse signum practicum; idest sicut significat sanctitatem hominis: sic illam causet: Quamuis autem plena decisio huius difficultatis pendeat ex dicendis circa quæst.62. ad perfectam tamen naturæ Sacramentorum notitiam hîc pertractari debet.

Prima opinio tenet esse de ratione Sacramenti quòd sit signum sanctitatis humanæ,non solùm speculatiuum, sed etiam practicum; ita vt Sacramentum in quacumque Lege, sicut significat, sic causet veram sanctitatem: ita docent Hugo de sancto Victore libr. de Sacram. p.9. cap.1. S.Bonauentura in 4. d. 1. art.1. qu. 5. &

& alij qui credunt antiqua Sacramenta contulisse gratiam, quam significabant. Probatur authoritate Magistri Sententiarum in 4. d. 1. & D. Thom. ibidem, quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 5. qui propterea negant Sacramenta veteris Legis esse vera Sacramenta, quia non causabant gratiam: vnde Magister sic definit, Sacramentum, est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat. D. Thom. autem interalia hæc habet: Sacramentum autem simpliciter est, quod causat sanctitatem; quod autem significat tantùm, non est Sacramentum nisi secundùm quid; & ideo esse causam potest poni in definitione Sacramenti, sicut habens sanitatem in definitione sani. Et 12. quæst. 102. in hoc ponit differentiam inter Sacrificium & Sacramentum, quòd Sacrificium offertur Deo vt sit protestatio diuinæ potentiæ; Sacramentum autem ordinatur ad consecrationem suscipientis: Ergo de ratione Sacramenti est, quòd sit signum sanctitatis humanæ, non solùm speculatiuum, sed etiam practicum.

Secundò; Circumcisio fuit Sacramentum veteris Legis, vt communiter admittitur: sed Circumcisio fuit signum sanctitatis humanæ, non solùm speculatiuum, sed etiam practicum; pueri enim virtute illius mundabantur à peccato originali, ac proinde sanctificabantur: non enim hæc sanctificatio potest attribui propriis puerorum actibus, vt sic fieret ex opere operantis; nec fidei parentum, hoc enim proprium est Christi quòd per eius actus alij iustificentur; eadem autem est ratio de aliis Sacramentis, ac de Circumcisione: ergo de ratione Sacramenti est, quòd sit signum sanctitatis humanæ, non solùm speculatiuum, sed etiam practicum.

Tertiò, si non sit de ratione Sacramenti esse signum simul speculatiuum, & practicum sanctitatis humanæ; sequitur quòd non differat à Sacramentalibus & aliis signis, quæ speculatiuè eandem sanctitatem significant: sed certum est Sacramentum differre essentialiter à Sacramentalibus, & aliis signis: ergo de ratione Sacramenti est, quòd sit signum sanctitatis humanæ, non solùm speculatiuum, sed etiam practicum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum quòd ratio quidditatiua Sacramenti est esse signum speculatiuum sanctitatis humanæ. 2. Quòd autem sit simul signum practicum, quasi illam causet ex opere operato, hoc illi aduenit tanquam perfectio, & differentia specifica, 3. Sacramentorum nouæ Legis; si nomine sanctitatis intelligatur interna, spiritualis, & supernaturalis per gratiam sanctificantem: 4. Sacramentorum verò Legis naturæ, vel scriptæ; si intelligatur sanctitas externa, vel legalis: licet aliqui vocent etiam hæc signa practica sanctitatis internæ, modo statim explicando.

Probatur prima pars conclusionis: tum ex hactenus dictis: tum quia Sacramenta per hoc distinguntur à Sacramentalibus, & aliis ceremoniis sacris vt prima tonsura, signo Crucis, &c. quia hæc non sunt signum sanctitatis humanæ, sicut illa: tum quia posita illa significatione, sublato quocumque alio, saluatur essentia Sacramenti, vt hîc agimus de Sacramento: & è contra sublatâ illâ significatione, & posito quocumque alio, non saluatur essentia Sacramenti, vt constat ex dictis: ergo ratio quidditatiua Sacramenti est esse signum speculatiuum sanctitatis humanæ.

Probatur secunda pars conclusionis: tum authoritate Concilij Florentini, quod in litteris vnionis ponit differentiam inter Sacramenta nouæ & veteris Legis; quòd Sacramenta nouæ Legis causent gratiam, quam non causabant Sacramenta veteris Legis: ergo esse signum practicum sanctitatis humanæ non est ratio generica Sacramenti, sed perfectio & differentia eius specifica. Deinde, posita significatione, sublata omni causalitate, verè intelligitur Sacramentum: nam vt dictum est ex D. Thom. hîc art. 1. ad 1. nomen, & ratio Sacramenti deriuatur ex habitudine præcisa signi ad rem sacram: ergo causalitas, siue ratio signi practici est extra rationem genericam Sacramenti, & illi aduenit vt perfectio & differentia specifica.

Probatur tertia pars conclusionis: tum prædicta authoritate Concilij Florentini: tum ex infra dicendis circa efficaciam Sacramentorum nouæ Legis; dicetur enim quòd sunt instrumenta physicè productiua gratiæ, & quòd illam producant ex opere operato; vnde hæc pars fusiùs ibi probanda relinquitur.

Probatur quarta pars conclusionis inductione in omnibus Sacramentis, tam Legis naturæ, quàm scriptæ: nam omnia illa fuerunt ceremoniæ sacræ ad Deum ordinatæ, vnde sacrabant, & sanctificabant externè & legaliter suscipientes, vt docet D. Thom. in 4. dist. 1. art. 5. quæstiuncula 2. & 3. Hæc autem sanctitas externa & legalis præcipuè attribuitur veteribus Sacramentis tanquam effectus, quia illam solam cōferebant: Sacramenta verò nouæ Legis præter hanc, causant internam, spiritualem, & supernaturalem, tanquam principaliorem effectum. Ex quibus constat quòd licèt Sacramentum secundùm rationem communem importet tantùm significare sanctificationem internam vt præsentem: nullum tamen fuit Sacramentum, quod significando illam internam & perfectam sanctitatem, non causaret saltem externam legalem & imperfectam. Sacramenta verò nouæ Legis, vt pote perfectiora, causant vtramque: vnde simpliciter & absolutè sunt signa practica, quia efficiunt sanctitatem internam & perfectam

fectam quam significant: Sacramenta verò veteris Legis sunt practica secundùm quid tantùm, quia non efficiunt sanctitatem internam & perfectam quam significant, sed tantùm externam imperfectam: licèt aliqui dicant ad veram rationem signi practici sufficere, quòd significet id quod efficitur in exercitio illius, abstrahendo quòd ab ipso signo, vel ab alio efficiatur; sed non sumimus hic practicũ in hoc sensu; verùm illud quod efficit id quod significat.

Ad primum ergo dicendum, quòd Magister sententiarum fuit in hac opinione, quem ibidem super eius sententias sequutus est D. Thom. sed vt communiter dicunt eius Discipuli, hîc retractauit, tum art. 1. dum ad rationem Sacramenti solùm exigit rationem signi, tum quæstione sequenti, vbi simpliciter, absolutè, & sine addito; ac proinde verè & propriè in Lege naturæ, & scripta, admittit Sacramenta: & hæc est communis opinio Thomistarum. In alio loco loquitur de Sacramentis veteris Legis, & non de Sacramentis vt sic.

Ad secundum dicendum, quòd nec Circumcisio fuit signum practicum sanctificationis internæ puerorum, quasi ipsa ex opere operato produceret gratiam; nec iustificabantur pueri per proprios actus, nec per fidem parentum; sed virtute passionis futuræ Christi, & Circumcisio erat conditio sine qua non fuissent iustificati: Sed de hoc iterum infra.

Ad tertium dicendum, quòd in veteri Lege fuerunt aliqua Sacramentalia, vt transitus maris rubri, manducatio mannæ, &c. Similiter in Lege gratiæ sunt plura, vt aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, & similia quæ non sunt instituta ad significandam perfectionem sanctitatis humanæ; & ideo deficiunt à ratione Sacramenti, quod est signum institutum ad significandam talem sanctitatis perfectionem, vt ait D. Thom. hîc art. 1. ad 3. vnde ait, res denominatur à fine & complemento: dispositio autem non est finis, sed perfectio: Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur Sacramenta: sed solùm ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ: & in hoc est differentia inter Sacramenta, & Sacramentalia; non autem in hoc quòd Sacramenta secundùm communem rationem sint signa practica talis sanctitatis, non verò Sacramentalia.

Dubium IV.

Vtrùm Sacramentum debeat esse signum sensibile.

Supponendum est Sacramenta nouæ Legis esse multò nobiliora, quàm fuerint Sacramenta Legis naturæ, & Legis scriptæ; non solùm in ratione causæ, sed etiam in ratione signi; nam, vt postea dicetur, expressiùs significant; quia constant non tantùm materia, verùm etiam forma verborum, quæ perficit significationem materiæ; vnde eorum significatio coalescit ex rebus, & verbis: Sacramenta verò Legis naturæ, & Legis scriptæ consistebant in solis rebus, à Deo ad significandum institutis. Præsens igitur difficultas inquirit, vtrùm Sacramentum vt sic, debeat esse signum sensibile, tam quoad materiam, quàm quoad formam, quando illam includit; ita vt non sufficiant verba mentalia: hæc autem difficultas procedit, non de absoluta necessitate, sed de necessitate ad melius esse, siue secundùm congruentiam: nullus enim dubitat, quin Deus potuerit signa & verba intelligibilia assumere in Sacramenta.

Prima opinio esse potest, quòd Sacramentum non debeat esse signum sensibile. Probatur, Sacramenta significant ratione similitudinis, quam habent cum re significata, vt asserit Augustinus epist. 23. ait enim; Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt Sacramenta; quam si non haberent, omninò Sacramenta non essent: sed res spirituales habent maiorem similitudinem cum gratia spirituali, quæ est res significata per Sacramenta, quàm res sensibiles: ergo Sacramentum non debet esse signum sensibile, sed conuenientiùs esset aliquid spirituale.

Secundò, ex ratione quidditatiua Sacramenti est quòd significet: sed conceptus mentis est naturalis, formalis, & expressa similitudo rei significatæ; signa verò sensibilia ad summum sunt similitudo diminuta, & tantùm virtualis rerum spiritualium, qualis est gratia. Deinde D. Thom. quæst. 4. de veritate art. 1. ad 7. docet verbum mentis principaliùs significare rem, quàm verbum vocis; cùm hoc habeat significare dependenter ab illo: ergo Sacramentum non debet esse signum sensibile.

Tertiò, Matrimonium est verum Sacramentum nouæ Legis: sed Matrimonium non est signum sensibile, cùm ex Nicolao Pontifice, in can. retulerunt. 27. quæst. 2. solo consensu interiori contrahitur: ergo Sacramentum non debet esse signum sensibile: Maximè quia character & corpus Christi, sunt simul res & Sacramentum: & contritio est pars Sacramenti Pœnitentiæ; & tamen non sunt sensibilia.

Conclusio.

Respondeo dicendum, quòd Sacramentum ex institutione sua, & congruentia se tenente ex parte rerum, debet esse signum sensibile, non solùm quoad res, quæ sunt materia: 2. Sed etiam quoad verba, quæ sunt forma ipsius. 3. Est autem de fide omnia Sacramenta, tam Legis scriptæ, quàm Legis gratiæ esse, & fuisse signa sensibilia.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sanctorum Patrum, & Theologorum.

S. Diony

S. Dionysius cap. 1. de cœlesti Hierarchia ait; Neque enim aliter fas erat infirmitati nostræ lucere diuinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum, quibus ad superiora ferremur, opertum; & his quæ nobis familiaria sunt, prouidentia paterna naturæ mortalium se se accommodante, vestitum. Et cap. 1. de Ecclesiastica Hierarchia: Nos visibilibus imaginibus ad diuinas intelligentias pro virium nostrarum modo conscendimus. S. Chrisostomus Homilia 83. super Matthæum, ait; Si incorporeus esses, incorporea tibi dedisset dona: nunc autem quoniam coniuncta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradidit. Item Homilia 39. in Genesim, ait; quando Deus voluit peculiarem sibi populum congregare, dedisse illi proprias ac definitas ceremonias, quibus ipsum coleret. S. Gregorius Nissenus oratione de Baptismo: Compositus est homo, atque idcirco cognata, similiáque medicamenta ad curationem ei destinata sunt. S. Gregorius Magnus lib. 6. in 1. Reg. cap. 3. Oportuit vt per ministerium hominum spiritualia dona nobis darentur, vt dum exterius Sacramenta percipimus, interius diuina gratia repleamur. Idem dicunt S. Cyrillus, noster Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 42. S. Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi 3. S. Gregorius Nazianzenus oratione de sancto Baptismate. Sed præcipuè S. Augustinus multis locis, vt libr. 3. de Doctrina Christiana cap. 9. Lib. de vera Religione cap. 17. Lib. 19. contra Faustum cap. 11.

Ex prædictis authoritatibus colligit D. Th. tres congruentias ad probandam hanc conclusionem, quas refert quæstione sequenti art. 1. & compendiosè ita resumit: Sic igitur per Sacramentorum institutionem homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum: quibus possunt aliæ adiungi desumptæ ex eisdem authoritatibus: videlicet quia Respublica fidelium est visibilis, vnde in ea in signis visibilibus & sensibilibus ad diuinum cultum, & animæ profectum pertinentibus debent exerceri, vt omnipotentia Dei manifestetur, quæ per sensibilia & corporalia signa animam sanctificat, vt perfectè Christus per Sacramenta repræsentetur ipsorum Author, qui simul diuinam naturam nobis inuisibilem, & humanam visibilem continet: sicut Sacramenta sub signis visibilibus inuisibilem continent gratiam, vel per modum signi purè speculatiui; vel etiam per modum signi practici.

Probatur secunda pars conclusionis, tum prædictis authoritatibus & congruentiis; æquè enim de ipsa, ac de prima parte procedunt: tum quia forma Sacramenti verbis prolata, complet & perficit significationem Sacramenti; ipsámque materiam determinat ad perfectè significandum: ergo cùm hæc significatio sit attendenda in ordine ad hominem, ad quem ordinantur ipsa Sacramenta: & homo ipse pro hoc statu solùm percipiat sensibilia; Sacramentum etiam quoad verba, quæ sunt forma ipsius, debet esse signum sensibile.

Probatur tertia pars conclusionis. Sacra Scriptura docet Sacramenta omnia, tam veteris Legis, quàm Legis gratiæ, à Deo instituta fuisse sub rebus sensibilibus: de Sacramentis Legis veteris in libris Exodi, Leuitici, & Numeri, vbi referuntur omnia talia Sacramenta sub signis sensibilibus: de Sacramentis Legis gratiæ in Euangelio, & aliis libris noui Testamenti: & insuper definitur in Conciliis, præcipuè Florentino, & Tridentino, in quibus assignantur pro materia Sacramentorum res sensibiles, pro forma etiam verba sensibilia: ergo omnia Sacramenta, tam Legis scriptæ, quàm Legis gratiæ esse, & fuisse signa sensibilia, est de fide.

Ad primum ergo dicendum, quòd est quidem conueniens, vt illud, quod in Sacramentum instituitur, habeat quandam similitudinem earum rerum, quarum est Sacramentum, vt ait Augustinus; vt ita possit eas significare: sed quia hæc significatio est attendenda in ordine ad hominem, ad quem ordinantur Sacramenta, & homo ipse pro hoc statu solùm percipit sensibilia; inde est quòd solæ res sensibiles possint assumi in Sacramenta; non autem res spirituales, quamuis habeant maiorem similitudinem cum gratia spirituali, & aliis quæ Sacramenta significant.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis sit conueniens, vt omne signum habeat aliquam similitudinem cum re significata, & illam necessariò habeat, si sit signum naturale: tamen si sit signum ex institutione & ad placitum, quale est Sacramentum, non est necesse vt habeat illam similitudinem, vt patet in hedera respectu vini vendibilis: & multò minus necesse est, vt sit expressa & formalis similitudo: vnde conceptus mentis, licèt sint naturalis, formalis, & expressa similitudo rei; non tamen possunt esse Sacramenta, quia non possunt primò & per se significare homini sanctitatem, sicut ei significant res sensibiles. Et idem proportionaliter dicendum de verbo mentis, quod licèt sit expressa rei similitudo, & ita dicatur significare, & tribuere verbo vocis quòd rem significet: quia tamen non potest esse primò & per se signum homini pro hoc statu, non potest esse in genere Sacramenti, sicut verbum vocis quod est illius forma.

Ad tertium dicendum, quòd Sacramentum Matrimonij non potest fieri, nisi per aliquod signum externum verborum, aut nutus, exprimens consensum internum contrahentium;

tium: mens autem Pontificis est in illo loco, quòd Matrimonium contrahatur solo consensu interiori contrahentium, & non parentum vel aliorum. Ad aliud dicendum, quòd character & corpus Christi non sunt simul res & Sacramentum: nec contritio pars Sacramenti, nisi vt coniunguntur signo sensibili quod est Sacramentum. Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd in Sacramentis est aliquid, quod tantùm significat & non significatur; & est ceremonia externa quæ vocatur Sacramentum. Deinde, est aliquid quod non significat & significatur, vt gratia collata per Sacramentum, & vocatur res Sacramenti. Denique, est aliquid quod simul significat & significatur, vt character in tribus Sacramentis, & hoc vocatur res & Sacramentum simul.

DVBIVM V.

Vtrùm Sacramentum sit signum vnius rei tantùm.

SVpponendum est, Sacramentum esse aliquod signum sacrum in Ecclesia, stabile & permanens; & non aliquid instabile: quia, vt dictum est, Sacramentum est aliqua ceremonia sacra Ecclesiæ à Deo instituta in qua conueniunt omnes fideles, vt eiusdem Ecclesiæ membra, vt Deum colant, & propriam sanctificationem procurent: vnde cùm Ecclesia sit aliquid permanens; sic status religionis eius, maximè in Sacramentis consistens, est aliquid permanens: Propterea Genesis 17. & Exodi 12. Circumcisio dicitur instituta in ritum perpetuum, id est ad multum tempus, quandiu status Synagogæ esset duraturus: Et Matthæi vlt. Sacramenta Ecclesiæ dicuntur instituta pro toto tempore Legis gratiæ. Ob hunc defectum stabilitatis & permanentiæ, aliquæ actiones Christi gratiam significantes & producentes, vt dum dixit Magdalenæ, Lucæ 7. Remittuntur tibi peccata tua; & dum insufflando, Ioannis 20. dixit Apostolis, Accipite Spiritum Sanctum: (Christi enim verba erant efficacia propter summam potestatem & authoritatem:) excluduntur à ratione Sacramenti: licèt enim ad rationem signi metaphysicè considerati indifferenter se habeat, quòd multùm, vel parum duret: hoc tamen non se habet indifferenter; si signum moraliter, & per ordinem ad ad humanum vsum consideretur, in quantum est ceremonia religiosa; vt sic autem, & non aliter, est Sacramentum.

Prima opinio esse potest, quòd Sacramentum sit signum vnius rei tantùm. Probatur; Sacramentum, vt de illo in præsenti loquimur, dicit conceptum vniuocum: sed conceptus vniuocus in quacumque materia est simpliciter vnus, & vnam tantùm rem significat; per hoc enim distinguitur à conceptu analogo, qui non est simpliciter vnus, at secundùm quid tantùm: & à conceptu æquiuoco, qui nullo modo est vnus, sed simpliciter & absolutè multiplex: ergo Sacramentum est signum vnius rei tantùm.

Secundò; Sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis hominem, vt docet D. Thom. hìc art. 2. & cum eo communiter Theologi: sed res sacra sanctificans hominem est tantùm vna, videlicet gratia habitualis; alia verò quæcumque sunt omninò extrinseca; nam gratia habitualis est forma intrinsecè inhærens & sanctificans, Passio verò Christi est causa efficiens sanctificationis; vita autem æterna est causa finalis: constat autem quòd causa efficiens, & causa finalis sunt extrinsecæ: ergo Sacramentum est signum vnius rei tantùm.

Tertiò; si Sacramentum sit signum plurium, & non vnius rei tantùm: vel significat illa plura immediatè, & ex æquo: vel illa significat quodam ordine, ita vt vnum per se primò & principaliùs: alia verò tantùm secundariò significet: sed neutrum dici potest; Non primum, aliàs Sacramentum esset quid æquiuocũ; quod enim significat plura immediatè & ex æquo, est æquiuocum: Constat autem ex D. Thom. hìc art. 1. ad 3. Sacramentum non esse quid æquiuocum: Nec secundum, quia inter tria quæ possunt esse significata Sacramenti, videlicet Christi Passionem, gratiam sanctificantem, & vitam æternam, non est assignabile quid sit primarium, quidve secundarium significatum: ergo Sacramentum est signum vnius rei tantùm.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt Deus potuerit instituere Sacramenta, quæ essent signum vnius rei tantùm: 2. Tamen Sacramenta, de facto instituta, tam in Lege naturæ & scripta, quàm in Lege gratiæ significant tria, videlicet Passionem Christi, gratiam sanctificantem, & vitã æternam. 3. Sacramenta Legis gratiæ sunt simul signum rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticum siue prænuntiatiuum. 4. Prædicta verò tria significantur quodam ordine; ita vt in aliis Sacramentis gratia sanctificans sit principale significatum, in Eucharistia autem sit ipse Christus.

Probatur prima pars conclusionis. Potuit fieri quòd Deus sic crearet homines, vt non ordinarentur ad vitam æternam gloriæ; sed essent semper victuri vita hac ordinaria; & tunc Deus mediis Sacramentis se illis communicaret in ordine gratiæ, quæ proinde facta illa suppositione non esset semen gloriæ. Similiter dato quòd Deus ordinauerit homines ad gloriam, potuit post lapsum ipsos reparare per simplicem culpæ condonationem; & non per passionem Christi, quam voluit non ex necessitate, sed ex

super

superabundante charitate: sed, positis his, Sacramenta essent tantùm signum gratiæ sanctificantis à Deo procedentis per modum principij, quod non ponit in numero cum ipsa gratia, vt substant significationi, vt constat nunc de facto: ergo Deus potuit instituere Sacramenta, quæ essent signum vnius rei tantùm: hæc tamen Sacramenta plurimùm differrent ab actu institutis.

Probatur secunda pars conclusionis, quæ ita certa est, vt oppositum dicere, maximè in Sacramentis Legis gratiæ iudicatur hæresis, vel error. De Sacramentis Legis naturæ, quæ in indiuiduo nobis ignota sunt, certum est quòd significabant gratiam sanctificantem actu hominibus collatam, ex opere tantùm operantis, si ad illam accederent debitè, & sufficienter dispositi. Deinde, fuit inuiolabilis inter ipsos fideles traditio, quòd futurus erat Saluator, per quem à peccatis liberarentur, & vitam consequerentur æternam, (loquimur autem de fidelibus & Sanctis, qui fuerunt in Lege naturæ, & constituebant tunc Ecclesiam) & ita Sacramenta illius Ecclesiæ saltem implicitè significabant Christum venturum, & Passionem eius futuram; docent enim Sancti Patres quòd nullus vnquam iustificatus est, nisi per fidem saltem implicitam in Christum: vndè Sacramenta Legis naturæ hæc tria significabant, gratiam sanctificantem (ad sanctificationem enim obtinendam instituta & exercita erant,) passionem Christi vt causam meritoriam & moralem talis sanctificationis, & vitam æternam vt finem ad quem hæc sanctificatio ordinabatur. De Sacramentis Legis scriptæ maior habetur certitudo; quòd enim significarent gratiam sanctificantem, nullus dubitat: quòd significarent actu collatam; non quidem ex opere operato, etiam fatentur omnes; nam paruuli qui circumcidebantur, actu mundabantur à peccato originali, & sanctificabantur ex diuina bonitate concurrente Circumcisione per modum conditionis sine qua non: quòd significarent Christum futurum, & Passionem eius; in Scripturis habetur expressum, quòd ipse erat futurus Redemptor, & credebant fideles se iustificari per fidem in ipsum: imò comestio Agni paschalis erat expressa figura passionis Christi, vt testantur Euangelistæ: quòd etiam significarent vitam æternam, certissimum est; nam Sancti illi Patres credebant se per illa Sacramenta à peccatis mundari, & præparari vitæ æternæ. De Sacramentis Legis gratiæ omnimoda habetur authoritas Scripturæ; de Baptismo ad Rom. 6. dicitur, Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus per Baptismum in mortem: ecce de passione Christi: de gratia autem & gloria subdit: Vt quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. De Eucharistia habentur expressa testimonia Ioannis, 6. Lucæ 22. & 1. ad Corinth. 11. Et maximè apparet tum in eius institutione, tum in quotidiana cõsecratione; dixit enim Christus, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur: ecce quomodo forma huius venerabilis Sacramenti passionem Christi indicat; materia autem scilicet species panis & vini, significat conseruationem in vita spirituali, quæ est per gratiam; & perpetuitatem, quæ est per gloriam: vnde canit Ecclesia; O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Licèt autem in aliis Sacramentis non ita expressè appareat adæquata eorum significatio; non enim exprimitur nec in materia, nec in forma: quia non sunt signa naturalia, sed ad beneplacitum; tamen definitum habetur in Concilio Florentino, & Tridentino in materia de Sacramentis; & ratio quam affert D. Thom. hîc art. 3. concludit: ait enim; Sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem; in qua etia possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi: & forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia & virtutibus: & vltimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna: & hæc omnia per Sacramenta significantur.

Probatur tertia pars conclusionis. Signum rememoratiuum est rei præteritæ, demonstratiuum rei præsentis, prognosticum siue prænunciatiuum rei futuræ: sed Sacramenta nouæ Legis sunt simul signum rei præteritæ, videlicet passionis Christi quæ præcessit: sunt signum rei præsentis scilicet gratiæ, quæ in nobis efficitur per Christi passionem: sunt signum futuræ gloriæ: ergo Sacramenta Legis gratiæ sunt simul signum rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticum, siue prænuntiatiuum. Sacramenta verò tam Legis naturæ, quàm Legis scriptæ; licèt eadem significarent, tamen quia passionem Christi vt futuram respiciebãt: propterea fuerunt tantùm signum demonstratiuum, & prognosticum: demonstratiuum quidem gratiæ, quantùm est ex parte sui; nam supponebant debitam dispositionem in suscipiente, quâ positâ, infallibiliter gratia conferebatur, vel ex opere ipsius operantis, vel ex meritis Christi si non erat adultus: signum verò prognosticum tum passionis Christi, tum gloriæ futuræ.

Probatur quarta pars conclusionis. Illud est principale significatum alicuius signi formaliter; quod expressiùs significatur, vt constat ex ipsis terminis; potest quidem fieri quòd materialiter inter res significatas illa quæ minus exprimitur, sit principalior, non tamen erit principalior

in illi essentialis : vniuocatio autem in aliqua tione importat æqualitatem, & excludit ma- gis & minus in illa : sed Sacramenta nouæ Le- gis magis participant rationem signi respectu gratiæ & aliorum, quàm Sacramenta antiqua: nam illa expressiùs & clariùs significant, vt com- muniter fatentur omnes ; & hæc inæqualitas prouenit cum ex parte ipsorum ; nam verba quæ constituunt formam Sacramentorum no- uæ Legis, expressissimè significant; tum ex par- te Dei instituentis, qui perfectiori Legi perfe- ctiora dedit signa sacra : Ergo Sacramentum non dicitur vniuocè de omnibus Sacramentis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacra- mentum dicitur vniuocè de omnibus Sacra- mentis: 2. Quamuis intra idem genus distin- guantur, vt perfectum & imperfectum ratione differentiarum. 3. Vnde constituit proprium genus subalternum signi sub genere relationis rationis: 4. Quamuis ratione materialis quod importat, ponatur sub genere causæ, & consti- tuatur in prædicamentis realibus Actionis & Passionis.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc art. 1. vbi expresè dicit, quòd Sacramentum ponitur in genere signi: & in responsione ad 1. ait; Non oportet quòd Sacra- mentum semper importet causalitatem. Ex quibus colligitur primò, quòd ibi loquitur de Sacramento vt sic in communi, & non tan- tum de Sacramentis nouæ Legis, quæ impor- tant causalitatem. Deinde, quòd ex ipso Sa- cramentum dicitur vniuocè de omnibus Sa- cramentis: quod enim est in genere, est vni- uocum, & dicitur vniuocè de suis inferioribus. Denique, quòd D. Thom. reuocauit id quod dixerat in sententiis.

Secundò, vt dictum est, & amplius dicetur dubio sequenti, ratio communis quidditatiua Sacramenti in hoc præcisè consistit, quòd sit signum rei sacræ sanctificantis hominem, sic enim definitur: sed in hac ratione conueniunt vniuocè omnia Sacramenta, tum Legis naturæ, tum Legis scriptæ; tum Legis gratiæ; nam, vt dictum est, omnia illa significant passionem Christi, gratiam sanctificantem, & gloriam. Nec est inæqualitas in hac ratione signi, quia nullum Sacramentum prædicta significat natu- raliter; sed solùm ad beneplacitum Dei, & ex institutione ipsius, ac supposita fide: vnde cùm omnia idem significent, & æqualiter ex parte Dei instituentis, (quamuis sit aliqua inæquali- tas remota, se tenens per accidens ex parte re- rum sensibilium,) sequitur quòd in ratione si- gni sint æqualia, ac proinde quòd Sacramẽtum dicatur vniuocè de omnibus Sacramentis. Quòd autem ad æqualitatem signorum ad pla- citum sufficiat vt idem significent, & æquali- ter ex parte instituentis; licèt sit inæqualitas ex parte rerum remota, patet: nullus enim dubi- tat, quin ramus hederæ, & ramus palmitum æqualiter significent vinum vendibile, & sint vniuoca in ratione signi; licèt remotè palmites maiorem habeant conuenientiam cum vino, vt pote productiui ipsius, quàm habeat hedera.

Probatur secunda pars conclusionis, tum ex argumentis in contrarium adductis, tum ex supradictis in supponendo, tum denique quia conueniens fuit, vt ceremoniæ sacræ Religionis & Legis conformarentur ipsi: vnde cùm Lex naturæ fuerit imperfectior Lege scripta; & hæc, Lege gratiæ; sic Sacramenta Legis naturæ fue- runt imperfectiora Sacramentis Legis scriptæ, & Sacramenta Legis scriptæ Sacramentis Le- gis gratiæ: hæc autem maior & minor perfe- ctio, partim est accidentalis fundata in maiori vel minori expressione remota rei significatæ: partim est essentialis proueniens ex differentiis specificis constitutiuis Sacramentorum cuius- cumque Legis: quæ differentiæ possunt esse in genere causæ, vt in Sacramentis nouæ Legis, vel in alio genere; quia in entibus per accidens qualia sunt Sacramenta, genus & differentia pertinent ad diuersa prædicamenta: vnde Sa- cramenta prædicta distinguntur inter se, vt perfectum & imperfectum intra idem genus.

Probatur & explicatur tertia pars conclusio- nis. Quòd Sacramentum vt sic in communi, constituat genus signi, constat tum ex autho- ritate D.Thom. tum ex dictis. Quòd autem genus signi subalternum sit sub genere relatio- nis, etiam patet: nam significare importat ha- bitudinem ad rem significatam, quasi ad pro- priam mensuram, vt certum est, & docet D. Thom. hîc art. 1. Quòd denique hæc relatio sit rationis, patet etiam; quia ratio signi ad placi- tum non conuenit rebus à parte rei, & in hoc differt à signo naturali; sed ei conuenit per in- tellectum, & intentionem tam instituentis, quàm acceptantis; propterea significatio vo- cum ponitur ens rationis Logicum. Signum autem Sacramentale, quod est genus, diuidi- tur in signum purè speculatiuum, modo supra explicato, & in signum simul speculatiuum & practicum: sub vltimo comprehenduntur Sa- cramenta nouæ Legis specie inter se distincta: sub primo autem sunt tam Sacramenta Legis naturæ, quàm Legis scriptæ: quæ etiam inter se distinguntur specie, ex diuerso modo signi- ficandi gratiam, sicut ex eodem diuerso modo significandi distinguntur inter se specie subal- terna Sacramenta Legis gratiæ; quæ subdiui- duntur in iterabilia siue non productiua chara- cteris, & in initerabilia siue productiua chara- cteris; sub primo genere continentur vt species infimæ, Eucharistia, Pœnitentia, extrema- Vnctio, & Matrimonium; sub secundo conti- nentur Baptismus, & Confirmatio vt species infimæ, & Ordo qui subdiuiditur vt genus in quatuor

quatuor minores Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acholiti; & in tres sacros, Subdiaconi, Diaconi, & Præsbiteri tanquam in species infimas. Verùm Sacramenta Legis naturæ differrent specie subalterna, vel infima tantùm, à Sacramentis Legis scriptæ, nesciturcùm enim ignoretur quænam fuerint, etiam eorum distinctio ignoratur; conueniunt tamen in hoc cum Sacramentis Legis scriptæ, quòd ambo erant signa purè specularitia, modo supra explicato. Probabile est fuisse plura inter se distincta specie in Lege naturæ, vt dicetur infra, sicut in Lege scripta fuerunt plura specie distincta.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis, tum ex dictis supra, tum inductione discurrendo per omnia: nam Circumcisio actiua est vera actio, & hanc dicit in recto Sacramentum: Circumcisio autem passiua, quam in obliquo importat Sacramentum, est vera passio: & pari modo dicendum in de ablutione Baptismali, de inunctione Chrismatis in Confirmatione, & olei sacri in extrema-Vnctione, de consecratione in Eucharistia, & Ordine, de absolutione in Pœnitentia, de contractu in Matrimonio: ergo Sacramentum ratione materialis quod importat, ponitur sub genere causæ, & constituitur in prædicamentis realibus Actionis, & Passionis.

Ad primum ergo dicendum cum Thomistis, quòd D. Thom. hîc correxit, quod ibi docuerat.

Ad secundum dicendum, quòd principale figuratum omnium Sacramentorum in ordine ad suscipientes, est gratia; & hoc sufficit vt conueniant vniuocè in ratione signi; quamuis possit esse quòd vnum ordinetur ad aliud, vt ad significatum minus principale: & hoc modo Sacramenta veteris Legis ordinantur ad Sacramenta Legis gratiæ. Habetur instantia in imagine depicta ex alia, quæ ad illam aliam dicit habitudinem tanquam ad figuratum minus principale, & ambæ conueniunt vniuocè in ratione signi & imaginis, in ordine ad obiectum cuius sunt imagines, quod est principale figuratum: Sacramenta autem veteris Legis vocantur ab Apostolo egena & infirma Elementa; quia erant signum, & non causa gratiæ.

Ad tertium dicendum, quòd causalitas est perfectio specifica, & ideo præcipua Sacramentorum nouæ Legis; non autem generica Sacramenti vt sic, propterea, vt dictum est, ratio communis Sacramenti non importat quòd sit signum practicum gratiæ, prout ly (practicum) est simpliciter & absolutè tale, & dicit quòd efficiat id quod significat; & non tantùm quòd efficiatur vel à se, vel ab alio, id quod significat: hæc autem ratio practici concinetur tantùm in potentia in communi ratione signi, sicut rationale in ratione animalis: hæc etiam maior expressio significati non importat magis & minus in ratione signi, vt dictum est.

DVBIVM VII.

Vtrùm vulgaris definitio Sacramenti sit bona.

Svpponendum est, Sacramentum à variis authoribus variè definiri. Magister in 4. d. 1. sic definit, Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens: Sed hæc definitio, vt constat ex dictis, non conuenit Sacramento vt sic, quod ex D. Thom. non importat causalitatem, at tantùm Sacramentis nouæ Legis. Hugo lib. 1. de Sacramentis, parte 9. cap. 1. sic definit, Sacramentum est materiale Elementum, sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem & spiritualem gratiam: Sed hæc etiam definitio potiùs est Sacramentorum nouæ Legis, propter continentiam gratiæ, ac proinde causalitatem importatam. In Catechismo Pij V. sic definitur; Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram iustificationem institutum: hæc definitio est optima; Sed vulgaris & communis tradita à S. Aug. 10. de ciuitate Dei cap. 5. & exposita à D. Thom. hîc art. 2. est; Sacramentum est signum rei sacræ: & de hac procedit difficultas, vtrùm sit bona.

Prima opinio asserit hanc definitionem non esse bonam, sed esse diminutam & subobscuram. Probatur, hæc definitio conuenit aliis quàm Sacramentis, vt omnibus figuris veteris Testamenti, & Sacramentalibus noui; hæc enim omnia sunt signa sacra, & rei sacræ: & quamuis per rem sacram intelligatur sanctificatio, adhuc hæc definitio conuenit Sacrificio, tam veteris, quàm nouæ Legis, ad quod consequitur sanctificatio eius pro quo offertur: ergo iuxta regulas Logicæ hæc definitio non est bona, cùm bona definitio debeat conuerti cum re definita.

Secundò; Sacramentum est res artificiosa, ac proinde non est vnum per se, sed quid compositum ex pluribus entibus in actu, imò pro formali est ens rationis: sed res artificiosæ, & similia entia per accidens, non possunt definiri vnica definitione; nam vna definitio est rei vnius: ergo prædicta definitio Sacramenti non est bona.

Tertiò; definitio generis debet conuenire speciebus illius, vt patet: sed Sacramenta nouæ Legis non definiuntur quòd sint particularia signa rei sacræ; sed definiuntur à D. Thom. per propriam materiam, vt v.g. quòd Baptismus sit ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta

scripta verborum, & sic de aliis; & meritò, nam res artificiosæ non debent definiri per proprium genus, sed per propriam materiam, quæ magis nota est: ergo prædicta definitio Sacramenti tradita per genus, quòd sit signum rei sacræ, non est bona, aut saltem non est æquè bona, ac illa Magistri, quæ traditur per materiam sic: Sacramentum est inuisibilis gratiæ forma visibilis &c.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd prædicta Sacramenti definitio est optima: 2. & melior quacumque aliâ.

Probatur, & explicatur prima pars conclusionis: ex hactenus dictis constat quòd hæc definitio optimè explicat naturam Sacramenti vt sic, per eam definiti, & in ea seruantur leges bonæ definitionis, vt ex eius expensione constabit: ergo est optima: nihil enim aliud requiritur.

Ponitur in ea (signum) quod est genus; per quod conuenit cum omnibus signis, & distinguitur ab aliis quibuscumque; licèt dicant habitudinem ad rem sacram, vel per modum habentis & subiecti; vel per modum causæ; vel per modum contestationis, quale est iuramentum: signum autem est quid stabile.

Ponitur deinde (rei sacræ) quod est differentia essentialis, per quam distinguitur ab aliis signis: nomine autem rei sacræ intelligitur res sacra formaliter, & non tantùm materialiter, idest, quæ non solùm in se sacra est, sed etiam sacrat & sanctificat hominem, & talis est gratia sanctificans; & meritò, tum ratione generali, quia in definitionibus quæ præcisæ esse debent, verba sumuntur formaliter; tum peculiari ratione D. Thom. in præsenti articulo 2. his verbis proposita; Signa propriè dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota peruenire; & ideò propriè dicitur Sacramentum, quod est signum alicuius rei sacræ ad homines pertinentis, vt scilicet propriè dicatur Sacramentum, (secundùm quòd nunc de Sacramentis loquimur) quod est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines: siue breuiùs; quia Sacramentum est signum homini, res sacra cuius est signum debet esse sacra respectu hominis, idest sacrans & sanctificans hominem.

Probatur secunda pars conclusionis, communi pene consensu Theologorum, qui hanc definitionem tanquam propriam; & non alias communi vsu admittunt; vnde debet esse melior quacumque aliâ. Deinde illam tradit S. Augustinus 10. de ciuitate Dei cap. 5. Hanc admittit & explicat D. Thom. hîc artic. 1. & 2. Hanc esse optimam inter vniuersas definitiones, quæ assignantur de Sacramento, dicit Catechismus ad Parochos editus iussu Pij V. Denique optimus omnium modus definiendi entia substantialia tam per se, quàm per accidens, apud

Aristotelem & Philosophos est per proprium genus & propriam differentiam: ergo hæc definitio Metaphysica, siue Logica est melior quacumque alia Physicâ, quæ tradatur per materiam Sacramenti; & quamuis hæc sit succincta, nec explicitè totum dicat, si verba eius tantùm materialiter sumantur: totum tamen & clarè dicit, si verba sumantur formaliter, vt debent sumi: maximè ad hoc concurrente Theologorum acceptatione: vnde non opus est prolixis aliorum definitionibus.

AD primum ergo dicendum, quòd omnes illæ figuræ veteris Testamenti; vel significabant sanctitatem Christi, & sic non erant Sacramenta, vt patet ex dictis; vel significabant sanctitatem hominis, vt immolatio Agni paschalis, & sic erant Sacramenta: Sacramentalia autem noui Testamenti non significant completam sanctitatem, sed tantùm dispositionem ad illam, vnde deficiunt à perfectione Sacramenti.

Quantùm ad id quod adiungitur de Sacrificio, dicendum quòd materialiter contingere potest, vt idem sit Sacrificium & Sacramentum, sicut in Lege veteri immolatio Agni paschalis, & in Lege gratiæ sacrosancta Eucharistia: non tamen hoc est necesse, nam potest institui Sacrificium ad cultum Dei, vel in gratiarum actionem præcisè ordinatum, & sic non erit Sacramentum, quia non erit signum sanctificationis humanæ, siue rei sacræ sanctificantis homines: formaliter autem Sacrificium distinguitur semper à Sacramento; nam, vt dictum est, Sacramentum est quædam ceremonia sacra primariò, directè, & immediatè ad sanctificationem hominis ordinata; quamuis indirectè ad Dei cultum ordinetur: Sacrificium autem è contra est quædam ceremonia sacra, siue oblatio primariò, directè, & immediatè ad cultum Dei tanquam supremi Domini, vel titulo religionis, vel titulo iustitiæ, vel quocumque alio modo ordinata; licèt indirectè secundariò, & mediatè ordinetur etiam ad sanctificationem cultorum Dei: vnde Sacrificium per se primò est signum excellentiæ & supremi dominij Dei; Sacramentum verò est per se primò signum sanctificationis humanæ; vnde formaliter & essentialiter ex parte finis distinguuntur: & quamuis tam Sacrificium, quàm Sacramentum passionem Christi significet, significatio tamen est diuersa: nam Sacrificium significat passionem Christi, vt fuit oblatio placans Deum, & supremum ei exhibens honorem; Sacramentum autem ipsam significat, vt est causa sanctificationis nostræ.

AD secundum dicendum quòd res artificiosæ, & similia entia per accidens (inter quæ est Sacramentum) licèt non sint vnum per se simpliciter: sunt tamen vnum per se secundùm quid; quia ex partibus componentibus vna se habet vt materia, alia vt forma, quæ inter se verè realiter vniuntur: & hoc sufficit, vt possint definiri

finiri vna definitione vnitate eis proportionata, nec ita exacta, qualis est definitio entis simpliciter per se, cuius genus & differentia sunt in eodem prædicamento: vnde falsum est, quod dicunt aliqui, scilicet in rebus artificiosis, & concretis accidentalibus materiam esse totam ipsorum essentiam.

Ad tertium dicendum, quòd entia per accidens possunt quidem vtroque modo definiri, Metaphisicè per proprium genus, & Physicè per propriam materiam: definitio autem metaphysica cæteris paribus est melior: quia ergo Sacramentum in communi habet proprium genus, ideo meliùs per ipsum definitur; maximè, quia virtualiter includit materiam sensibilem, vt dictum est, cùm sit signum sensibile: Sacramenta verò in particulari meliùs definiuntur per materiam, quia habent suas materias determinatas, per quas maximè cognoscuntur, possunt tamen definiri per proprium genus, vt si dicatur, quòd Baptismus est signum rei sacræ regenerantis hominem.

DISPVTATIO II.

De materia & forma Sacramentorum.

COGNITA quidditate metaphysica Sacramentorum: occurrit agendum de physica, quæ consurgit ex materia & forma.

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramenta Legis gratiæ constent rebus & verbis, tanquam materia & forma.

SVpponendum est, non esse de ratione Sacramenti, quòd constet rebus & verbis simul; quia, vt dictum est, Sacramenta veteris Legis fuerunt vera Sacramenta, & tamen non constabant verbis tanquam parte integrante, quamuis in eorum exercitio aliquæ admiscerentur benedictiones, aut protestationes, vt docet D. Thom. hîc art. 6. ad 3. his verbis: Sicut August. dicit contra Faustum, alia debent esse Sacramenta rei præsentis, & alia rei futuræ: Sacramenta autem veteris Legis prænuntia erât Christi venturis & ideò non ita expressè significabant Christum, sicut Sacramenta nouæ Legis quæ ab ipso Christo effluunt, & quandam similitudinem ipsius in se habent, vt dictum est. Vtebatur tamen in veteri Lege aliquibus verbis in his quæ ad cultum Dei pertinent, tam Sacerdotes, qui erant Sacramentorum illorum ministri, secundùm illud Numer. 6. Sic benedicetis filiis Israel & dicetis eis, benedicat tibi Dominus, &c. quàm etiam illi qui illis Sacramentis vtebantur, secundùm illud Deuter. 26. Profiteor coram Domino Deo tuo, &c. Ratio igitur cur Sacramenta Legis veteris solis rebus, & non verbis constabant; Sacramenta verò nouæ Legis, tam rebus, quàm verbis constent, vt probabitur, est quia sicut in Lege antiqua fides magis implicita erat, ac obscurior, ac proinde Lex non erat ita perfecta: sic Sacramenta illius Legis, & protestatiua illius fidei, non debuerunt habere tam expressam significationem, quæ præcipuè in verbis consistit, sicut Sacramenta nouæ Legis perfectæ, in qua fides est explicita.

Prima opinio asserit, plura quidem Sacramenta Legis gratiæ constare rebus, & verbis, sed non omnia. Ita docet Durandus in 4. d. 1. quæst. 3. vbi dicit, quòd in Sacramento Pœnitentiæ sunt sola verba, in Sacramento verò Matrimonij solæ res. Probatur eius instantiis: Pœnitentia est Sacramentum Legis gratiæ, vt patet: sed in Pœnitentia nullæ sunt res, at omnia sunt verba, tam ex parte pœnitentis, qui nihil aliud facit quàm peccata confiteri; quàm ex parte Ministri qui solis verbis absoluit: ergo non omnia Sacramenta nouæ Legis constant rebus & verbis simul.

Secundò, Matrimonium è contra semper in Lege gratiæ fuit Sacramentum: sed ante tempora Concilij Tridentini fiebat sola copula coniugali, quando coniuges post sponsalitia accedebant affectu maritali, & etiam nunc post Concilium hoc Sacramentum fit solis nutibus, aut aliis signis; & ita non constat verbis: ergo non omnia Sacramenta Legis gratiæ constant simul rebus & verbis.

Tertiò, si Sacramenta nouæ Legis constarent rebus & verbis, res se haberent per modum materiæ, & verba per modum formæ: sed hoc esse non potest; nam vnius rei est tantùm vnica forma; constat autem quòd significatio est forma Sacramentorum: ergo Sacramenta Legis gratiæ non constant rebus, & verbis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd omnia Sacramenta Legis gratiæ constant, non solùm rebus; 2. Sed etiam verbis, aut formalibus, aut virtualibus & interpretatiuis. 3. In ipsis res sunt materia, verba autem sunt forma. Ita communiter Scholastici cum D. Thom. in præsenti.

Probatur prima, & secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum. Ioannis 3. assignatur aqua pro materia Baptismi, & Matthæi vltimo assignantur verba quibus conficitur, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: vtrumque autem proponitur ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Item Matthæi 26. & 1. ad Cor. 11. ponuntur res, panis & vinum; & similiter verba, Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei, &c. quibus conficitur Eucharistia. Iacob. 5. assignatur res, & indicantur verba

verba quibus conficitur extrema-Vnctio: Vngentes eum Oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum. Quoad alia Sacramenta, Concilium Florentinum in Tractatu de Sacramentis, & similiter Tridentinum assignant res & verba, quibus singula conficiuntur, excepto Matrimonio: cuius non habetur tanta euidentia. Deinde probatur triplici congruentia adducta à D.Thom. hîc art. 6. (nulla enim ratio habetur à priori præter voluntatem Dei instituentis.) Primò Sacramenta possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum Incarnatum, cui Sacramentum quodammodo conformatur, in hoc quòd rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei vnitum. Secundò possunt considerari Sacramenta ex parte hominis qui sanctificatur, qui componitur ex anima & corpore, cui proportionatur Sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur &c. Tertiò possunt considerari ex parte ipsius significationis Sacramentalis: dicit autem August. in 2. de doctrina Christiana, quòd verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia verba diuersimodè formari possunt ad significandos diuersos conceptus mentis; & propter hoc per verba magis distinctè possumus exprimere quod mente concipimus; & ideo ad perfectionem significationis Sacramentalis necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur, aqua enim significare potest, & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem: sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifestatur quòd aqua vtimur in baptismo, ad significandam emundationem spiritualem. Hæc D. Thom.

Secunda pars conclusionis indiget expositione: dicimus enim, quòd in singulis Sacramentis Legis gratiæ sunt verba, quibus conficiuntur, vel formalia, vel virtualia & interpretatiua: hoc dictum est propter solum Matrimonium; in aliis enim Sacramentis semper concurrunt verba formalia, vt dicetur: in Matrimonio autem sufficiunt nutus, vel alia signa exprimentia consensum contrahentium, quæ sunt verba virtualia & interpretatiua: cur autem hæc sufficiant in hoc Sacramento, & non in aliis, ratio petitur à natura ipsorum Sacramentorum: cùm enim Matrimonium sit quidam contractus ciuilis, & ad contractum, nutus, aut alia signa sufficiant pro verbis; etiam sufficiunt in Matrimonio: vnde sunt verba virtualia & interpretatiua: in aliis autem Sacramentis non posset esse perfecta significatio, nisi adhiberentur verba formalia, vt patet discurrenti per singula.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate Concilij Florentini, & Tridentini, vbi

assignãtur res & verba tanquã materia & forma Sacramentor. Tum communi consensu Theologorum in 4.d.1. & in præsenti cum D.Thom. hîc art. 6. ad 2. vbi sic ait, Quamuis verba & aliæ res sensibiles sint in diuerso genere, quantum pertinet ad naturam rei: conueniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectiùs est in verbis, quàm in aliis rebus: & ideò ex rebus & verbis fit quodammodo vnum in Sacramentis, sicut ex forma & materia, inquantùm scilicet per verba perficitur significatio rerum, vt dictum est: sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, putà ablutio, inunctio, & alia huiusmodi: quia in his est eadem ratio significandi ac in rebus. Idem repetit art. 7. & affert rationem, cur res sint materia Sacramentorum, & verba sint forma; quia scilicet, sicut forma substantialis complet potentialitatem materiæ, quæ est secundùm se indeterminata & informis; sic verba vt pote magis significatiua, quàm sint res sensibiles, determinant & complent earum significationem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Sacramentum Pœnitentiæ fuit à Christo Domino institutum per modum cuiusdam iudicij spiritualis, in quo iustificatur reus: in tali autem iudicio constat quòd actus rei circa culpam, putà contritio, confessio, & satisfactio sunt res & materia absolutionis quæ est forma, perfectè significans remissam esse culpam, quam remittendam esse significabant prædicti actus, si interueniat pactum, quòd illis positis adhibeatur absolutio & remissio, sicut contingit in hoc iudicio spirituali. Absolutio autem debet de necessitate Sacramenti impendi per verba; nec sufficiunt nutus, aut scriptum. Confessio autem in necessitate potest fieri per nutus aut scriptum, vt quando pœnitens est mutus, licet ex præcepto debeat fieri per verba.

Ad secundum dicendum, quòd in Matrimonij Sacramento, quod est institutum per modum contractus ciuilis inter nubentes, nutus, vel quodcumque aliud signum contrahentium habet rationem materiæ in primo consentiente: nam consensus primi habet tantùm inchoatam significationem, quæ completur & determinatur per consensum vltimi, sicut materia per formam: vnde si fœmina primò præbeat consensum, ipsa dat materiam, & vir formam dum vltimò præbet consensum: vel vice versa; sicut in numero primæ vnitates sunt tantùm materia numeri, sola vltima est forma: nutus autem & alia signa in contractibus sunt verba virtualia: & maximè in vltimo contrahente.

Ad tertium dicendum, quòd in compositis etiam physicis, quæ sunt maximè quid vnum, præter formam partialem; quæ vnitur materiæ, est forma totalis ex vtraque parte resultans, sicut in homine est anima rationalis, quæ est forma

forma partialis vnita materiæ, & est humanitas resultans ex materia & forma vnitis; & sic de aliis, & multò magis in compositis moralibus, quæ deficiunt à perfecta vnitate, vt sunt Sacramenta, in quibus propterea verba sunt forma partialis; & significatio resultans tam ex rebus, quàm verbis, est forma totalis.

DVBIVM II.

Vtrùm Sacramentorum compositio ex rebus & verbis, sit realis physica.

SVpponendum est ex dictis, quòd res & verba, quibus constant Sacramenta nouæ Legis verè sunt partes componentes ipsorum; verba quidem pars formalis, res autem pars materialis: vnde falsum est id quod asserunt aliqui, formam Sacramentorum esse tantùm quoddam Sacramentale; & totum Sacramentum consistere in materia: v. g. Baptismum in ablutione, & sic de aliis; quia, vt dicunt, tota substantia rei artificiosæ, qualis est Sacramentum, consistit in materia: putà domus substantia tota est in lapidibus, lignis &c. Hoc tamen fundamentum est falsum; nam forma domus, licèt sit qualitas & non substantia; pertinet tamen ad eius quidditatem: Est etiam contra Concilium Florentinum supra citatum, in quo dicitur quòd Sacramentum perficitur rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum: constat autem quòd materia & forma sunt partes componentes. Aliqua posset esse difficultas de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo sola materia consecrata significat sanctitatem humanam, quæ significatio est ratio formalis adæquata constitutiua Sacramenti: dicendum tamen quòd species consecratæ non significarent hanc sanctitatem, nisi essent consecratæ, ac proinde dependenter à verbis consecrationis, quæ licèt directè, immediatè, & primariò tantùm significent practicè Corpus & Sanguinem Christi; indirectè tamen, mediatè, & secundariò significant sanctitatem homini collatam medio hoc sanctissimo Sacramento: nec mirum est, quòd specialiter in hoc Sacramento verba significent tantùm mediatè sanctitatem, cùm in aliis Sacramentis immediatè significent: ratio est, quia omnia alia Sacramenta consistunt in vsu, siue in aliqua actione v.g. ablutione, vnctione &c. vnde statim desinunt: huius autem actionis significatio completur per verba sanctificationem hominis significantia: Eucharistiæ verò Sacramentum consistit in consecratione materiæ, & est quid permanens, Actio enim consecratiua mediis verbis, est sacrificium, & sacrificatio Corporis & Sanguinis Christi; illud autem quod transacta actione permanet, videlicet species consecratæ continentes Corpus & Sanguinem Christi, sunt Sacramentum; vnde non mirum si ipsa verba actu prolata immediatè significant tantùm Corpus & Sanguinem Christi; & tantùm mediatè sanctificationem, inquantùm virtualiter remanentia in speciebus consecratis, ipsas determinant ad significandum sanctitatem quam causant, virtute præcedentium verborum, quibus fuerunt consecratæ.

Prima opinio aliquorum asserit compositionem Sacramentorum ex rebus, & verbis esse realem physicam. Probatur, Concilia, & communiter Scholastici docent Sacramenta nouæ Legis verè & propriè componi ex rebus tanquam ex materia, & ex verbis tanquam ex forma: sed compositio quæ fit ex materia & forma est realis physica: ergo compositio Sacramentorum ex rebus & verbis, est realis physica.

Secundò, res & verba sunt de essentia Sacramenti: sed non sufficienter explicatur quomodo sint de essentia, nisi verè & propriè, ac proinde realiter physicè componant ipsum Sacramentum: ergo Sacramentorum compositio ex rebus & verbis, est realis physica.

Tertiò, quodlibet Sacramentum est vnicum Sacramentum gratiæ, & vnicum illius signum: sed hoc non esset, nisi Sacramentum esset quid vnum reale physicum, per compositionem ex rebus & verbis realem physicam: ergo Sacramentorum compositio ex rebus & verbis, est realis physica.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt Sacramentorum compositio ex rebus & verbis, sit vera & propria; 2. Non tamen est realis physica, sed est tantùm realis moralis: 3. Vnde res & verba debent simul esse, ac vniri tantùm moraliter 4. Pro diuersa cuiusque Sacramenti natura: 5. Compositio autem Sacramentorum, ex rebus & verbis simul tanquam ex parte materiali, & ex significatione amborum tanquam ex parte formali, est rationis tantummodo.

Probatur prima pars conclusionis, tum ex dictis dubio præcedenti, tum ex supponendo præsentis dubij, tum ex argumentis primæ opinionis, quæ hanc partem conuincunt.

Probatur, & explicatur secunda pars conclusionis: in qua nomine compositionis physicæ, non intelligimus præcisè compositionem realem: sed talem quæ importet vnionem actualem aliquorum simul existentium, per modum materiæ & formæ; siue compositum sit vnum per se, siue vnum tantùm per accidens: nomine verò compositionis moralis realis, intelligimus eam quæ importet extrema realia, siue partes reales actu existentes; sed non vnionem inter ipsas actualem, quasi se realiter

realiter contingant: at tantùm moralem, quæ
potest esse inter extrema, quæ actu non se con-
tingunt. Hoc posito probatur; multoties, imò
ordinariè res & verba, quæ componunt Sacra-
mentum, non sunt simul, vt constat maximè in
Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ: nam
actus pœnitentis iam actu physicè præterierunt,
& existunt tantùm moraliter dum impenditur
absolutio: & in Eucharistia forma præcedit &
solæ remanent res quæ sunt materia: in aliis
verò Sacramentis, quamuis forma proferatur,
dum exhibetur materia, v.g. dum in Baptismo
fit ablutio proferũtur verba, Ego te baptizo &c.
tamen potest fieri, & fit ordinariè, quòd ver-
ba prolata non contingunt ablutionem, & sic
in aliis Sacramentis; nam recurrere ad miracu-
lum quòd verba ipsa diuinitus deferantur ad
materiam, & quòd tangendo ipsam producant
aliquem modum realem vnionis in ipsa, vide-
tur gratis dictum, & non necessarium: ergo
Sacramentorum compositio ex rebus & verbis,
non est realis physica, sed tantùm realis mora-
lis. Deinde, ad compositionem physicam re-
quiritur quòd tam forma, quàm materia sit
physica: sed forma Sacramentorum non est
physica; nam importat verba, non secundùm
sonum, sed secundùm sensum qui est tantùm
ex institutione: ergo hæc compositio non est
physica.

Probatur & explicatur tertia pars conclusio-
nis, ad hoc vt ex partibus componentibus re-
sultet totum, partes ipsæ debent simul esse, ac
vniri: & iuxta modum compositionis est mo-
dus vnionis ipsarum; quandiu enim partes sunt
separatæ, tandiu non est totum: ergo cùm com-
positio Sacramentorum ex rebus & verbis sit
realis moralis tantùm, ipsæ res & verba, quæ
sunt partes componentes, debent simul esse, ac
vniri tantùm moraliter.

Probatur & explicatur quarta pars conclu-
sionis. In compositione physica rei inuenitur
maior, & minor vnio partium: nam maior est
vnio formæ substantialis cum materia, quàm sit
vnio vnitatum in cõstitutione numeri; quia par-
tes compositi substantialis intimè vniuntur, vni-
tates autem sunt tantùm simul per debitam
quandam propinquitatem, & certum ordinem:
ergo hoc multò magis erit in compositione
morali, quæ non exigit tantam vnionem par-
tium; vnde in compositione morali Sacramen-
torum res & verba partes componentes, vniun-
tur moraliter magis, vel minus, siue in diuer-
so gradu pro diuersa cuiusque Sacramenti na-
tura, per quandam Analogiam ad res naturales,
quibus assimilantur Sacramenta: vnde est ma-
ior vnio in Baptismate, Confirmatione, extre-
ma Vnctione, & Ordine, quàm in Pœniten-
tia, & Matrimonio, quia priora Sacramenta
consistunt in actione de præsenti, quæ debet
determinari per formam: Pœnitentia autem est
per modum iudicij, in quo proinde sicut in iu-
dicio humano, accusatio rei, & alij eius actus
possunt multo tempore præcedere sententiam
absolutionis Ministri, quæ post dies integros po-
test impendi; Matrimonium etiam est contra-
ctus, qui potest vel statim concludi per con-
sensum vtriusque, vel habito consensu vnius
potest differri; de Eucharistia dicetur in eius
tractatu. Nec potest dari regula metaphysica,
quanta debeat esse propinquitas materiæ & for-
mæ: vnde moraliter pensanda est: & sic prola-
tio formæ debet concomitari actionem Sacra-
mentalem, vt secundùm communem vsum in-
telligendi censeantur esse simul, & forma ap-
plicari materiæ, & vnum ab alio in sua signifi-
catione determinari: tutius tamen est ne ma-
gna sit interpolatio, sed simul actio exerceatur,
& forma impendatur.

Probatur quinta pars conclusionis. Significa-
tio, quæ est ex institutione diuina in rebus &
verbis constituentibus Sacramenta, est ens ra-
tionis, vt dictũ est disputatione prima, ipsæ verò
res & verba sunt entia rei: sed compositio, quæ
fit ex ente reali & ente rationis, cùm sit per in-
tellectum tantùm, est compositio rationis: nam
sicut ens rationis, quod est vnum extremum
componens, est opus rationis; sic compositio
ex ipso cum alio est etiam opus rationis: ergo
compositio Sacramentorum ex rebus & verbis
simul tanquam ex parte materiali, & ex signi-
ficatione amborum tanquam ex parte formali,
est rationis tantummodo.

Ad primum ergo dicendum, quòd non om-
nis compositio vera & propria est physica, sed
aliquando est moralis; quando scilicet materia
& forma non dicunt actualem vnionem & si-
multatem; & talis est compositio Sacramento-
rum ex rebus, ac verbis.

Ad secundum dicendum similiter, quòd
quia Sacramentum non est simpliciter vnum
per se physicum, sed vnum quid morale; suf-
ficit ad hoc vt res & verba sint de essentia eius,
quod verè ac propriè ipsum componant: non
tamen physicè; sed moraliter.

Ad tertium dicendum, quòd sufficit vnitas
realis moralis Sacramenti, ex compositione
reali morali rerum ac verborum, vt Sacramen-
tum dicatur vnicum signum gratiæ, & vnicum
ipsius instrumentum, etiam physicum: quia
vltimum eius quod existit, siue sit de materia,
aut de forma, virtute præcedentium ad perfe-
ctam sanctitatis significationem determina-
tum, præmotione supernaturali physica
ad eandem gratiam physicè, ac ex
opere operato causandam di-
uinitus eleuatur, vt in-
fra dicetur.

DVBIVM III.

Vtrùm res, quæ sunt materia Sacramentorum, sint determinata.

SVpponendum est præsens dubium procedere de materia remota, siue in actu signato; & non de materia proxima, siue in actu exercito: materia remota sunt ipsæ res permanentes, quæ adhibentur & applicantur in vsu Sacramentorum, vt aqua in Baptismate; materia verò proxima est ipsa actio Sacramentalis, qua talis materia remota adhibetur, vt ablutio in Baptismate: quamuis autem hoc dubium procedat de omnibus Sacramentis, tam Legis naturæ, & scriptæ, quàm Legis gratiæ: principaliter tamen de his vltimis procedit.

Prima opinio negat res, quæ sunt materia Sacramẽtorum, esse determinatas in Lege gratiæ. Probatur sigillatim in pluribus Sacramentis: in Eucharistia non determinatur qualis panis, & quale vinum in substantia, & etiam in modo debeat assumi: nam panis consecrandus aliquando conficitur ex tritico, aliquando ex siligine, quæ substantialiter differunt; apud Latinos fit Azimus, apud Græcos fermentatus, qui modi valde differunt: similiter vinum cuiuscumque sit speciei, dummodo sit vinum vitis, assumitur consecrandum; aliquando purificatum, aliquando recenter expressum: ergo in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento materia non est determinata.

Secundò, materia Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, videlicet dolor de peccatis, confessio, & satisfactio: sed hi actus non sunt determinati; nam dolor de peccato alius est perfectus, qui elicitur ex motiuo charitatis propter Deum summè dilectum; alius imperfectus ex motiuo quidem supernaturali, vel malitiæ peccatorum, vel iacturæ regni cœlestis, vel timore damnationis æternæ: primus dicitur Contritio, secundus Attritio, & essentialiter distinguuntur. Similiter confessio potest fieri, vel scripto, vel nutu, vel voce; & non determinatur quomodo in Sacramento Pœnitentiæ debeat fieri. Item non determinatur, an satisfactio debeat esse in actu, vel in voto. Quantum ad peccata non determinatur, quænam sint materia Pœnitentiæ: ergo in Sacramento Pœnitentiæ materia non est determinata.

Tertiò, in Sacramento Ordinis pro quolibet ordine assignatur aliqua materia, quæ non est determinata ex institutione Christi; nam pro materia Diaconatus habetur liber Euangeliorum; & tamen certum est quòd in principio Ecclesiæ, quando nondum erat scriptum Euangelium, conferebantur sacri ordines: ergo in Sacramento Ordinis materia non est determinata.

Quartò, materia Sacramenti Matrimonij est contractus ciuilis inter virum & fœminam, in ordine ad vinculum coniugale: sed hic contractus per additionem, vel ablationem conditionum sæpe variatur, vt patet; nam ante Concilium Tridentinum Matrimonia clandestina erant valida, nunc sunt inualida: ergo in Sacramento Matrimonij materia non est determinata.

Quintò, Apostoli contulerunt Sacramentum Confirmationis absque Chrismate, quod est nunc materia ipsius, per solam manuum impositionem: Deinde S. Iacobus instituit oleũ pro materia extremæ Vnctionis, vt constat ex eius epistola: ergo materia horum Sacramentorum non est determinata.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd tam in Lege naturæ, quàm in Lege scripta, & in Lege gratiæ, res quæ sunt, aut fuerunt materia Sacramentorum, sunt determinatæ: 2. Et hoc secundùm fidem, si intelligatur in Lege scripta & in Lege gratiæ. 3. In Lege naturæ talis determinatio fuit facta authoritate publica ex interiori instinctu diuino. 4. In Lege scripta expresso Dei mandato: 5. In Lege gratiæ à Christo Domino vero Deo. Ita communiter Theologi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate, & ratione D. Thom. hîc art. 5. quam sic proponit: In vsu Sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus diuinus, & sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem è conuerso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non pertinet autem ad aliquem determinare quod est in potestate alterius, sed solùm id quod est in sua potestate: quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum. Quod intelligendum est, vel secundùm internam inspirationem, vel secundùm mandatum expressum, vel immediatè ab ipso Deo. Deinde, Sacramenta sunt signa gratiæ sanctificantis, non naturalia, sed ex institutione diuina: ergo res quæ sunt materia eorum, in quacumque Lege debuerunt esse à Deo determinatæ.

Probatur secunda pars conclusionis. In Sacra Scriptura determinantur res quæ sunt materia Sacramentorum; pro Lege quidem scripta, in quinq; libris Moysis: pro Lege gratiæ, in Euangelio, & aliis libris noui Testamenti. De Baptismo habetur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. De Eucharistia Matthæi 26. Accepit Iesus panem; similiter fit mẽtio Calicis. De Pœnitentia Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata. De extrema Vnctione Iacobi 5. Vngentes eum oleo

Oleo sancto. De aliis Sacramentis habetur per
traditionem Apostolicam; vnde ait S. Diony-
sius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. Primi
sacerdotalis muneris Duces visibilibus signis
cœlestia Sacramenta texuerunt, & partim scri-
ptis, partim nõ scriptis institutionibus nobis tra-
diderũt: sed quę habẽtur expressa in Sacra Scri-
ptura, vel etiam per traditionem Apostolicam,
sunt de fide, cùm vtraque sit verbum Dei: er-
go est de fide quòd res quę fuerunt materia Sa-
cramentorum Legis scriptæ, & sunt materia Sa-
cramentorum Legis gratiæ, sint determinatæ.

Probatur tertia pars conclusionis communi
consensu Scholasticorum cum D. Thom. hic
art. 5. ad 3. vbi sic probat ex doctrina S. August.
19. contra Faustum: Sicut diuersa Sacramenta
diuersis temporibus congruunt; ideo sicut
in statu Legis naturæ homines nulla Lege ex-
terius data, sed solo interiori instinctu moue-
bantur ad Deum colendum, ita etiam ex inte-
riori instinctu determinabatur eis, quibus rebus
sensibilibus ad Dei cultum vterentur. Quòd
autem hæc determinatio debuerit fieri aucto-
ritate publica, patet: quia Sacramenta sunt cæ-
remoniæ sacræ in aliqua vera Lege, ad sanctifi-
cationem hominum ordinatæ; vnde sicut Lex
omnes obligat, sic & ad vsum Sacramentorum
omnes debent obligari: quod non esset, nisi
auctoritate publica instituerentur. Docent ta-
mẽ aliqui quòd in Lege naturæ peccassent qui-
dem particulares personæ, si relictis talibus Sa-
cramentis peculiaria sibi instituissent: sed ta-
men quòd illa peculiaria eundem habuissent
effectum.

Probatur quarta pars conclusionis, tum ex-
pressa authoritate Sacræ Scripturæ, habetur
enim in Pentateuco, quomodo Deus Moysi
præceperit institutionem singulorum Sacra-
mentorum determinando illi sigillatim omnia.
Tum ratione D. Thom. quam hic art. 5. ad 3.
sic proponit: Postmodum verò necesse fuit e-
tiam exterius Legem dari, tum propter obscu-
rationem Legis naturæ ex peccatis hominum,
tum etiam ad expressiorem significationem
gratiæ Christi, per quam humanum genus san-
ctificatur. Et ideo etiam necesse fuit, res de-
terminari, quibus homines vterentur in Sacra-
mentis. Et sicut Lex fuit insculpta per Angelos
lapidi, & per Moysem populo promulgata ex-
presso Dei mandato; sic res, quæ fuerunt ma-
teria Sacramentorum Legis scriptæ, debuerunt
esse determinatæ expresso Dei mandato; vt sic
esset proportio inter Legem, & eius Sacramen-
ta. Maximè quia tam Lex scripta, quàm eius
Sacramenta, expressiùs significabant gratiam
Christi, quàm Lex naturæ, eiúsque Sacramen-
ta: vnde conueniens fuit, vt Sacramentorum
Legis scriptæ materia expresso Dei mãdato de-
terminaretur; cùm tamen sufficiens fuerit in-
terna Dei inspiratio in determinatione mate-
riæ Sacramentorum Legis naturæ, sicut ipsa Lex
in solo interiori instinctu naturæ consistebat.

Probatur quinta pars conclusionis, tum ex
dictis in secunda parte, tũ sequenti ratione; quia
scilicet Sacramenta Legis gratiæ sunt excellen-
tissima præ aliis, quæ ab Apostolo propterea di-
cuntur infirma Elementa; quia non causabant
gratiam, sicut hæc causant: vnde hæc etiam in
sua institutione hanc debent habere præ aliis
excellentiam, quòd cùm illorum materia fue-
rit solo Dei instinctu, vel mandato determina-
ta; horum materia immediatè à Christo Do-
mino vero Deo determinaretur: cum hac ta-
men differentia, quòd in illis Sacramentis,
quorum materia est tantùm aliqua res natura-
lis & physica, hæc determinatio sit in specie in-
fima, vel secundùm genus, ac proinde maior:
vnde materia Baptismi est aqua elementaris;
materia Confirmationis est Chrisma confe-
ctum ex oleo & Balsamo; materia Eucharistiæ
est panis triticeus, & vinum vitis; materia ex-
tremæ Vnctionis est oleum: in aliis verò Sa-
cramentis, quorum materia includit essentia-
liter aliquid morale dependens ab hominum
institutione, hæc determinatio sit tantùm se-
cundùm Analogiam & in confuso, non in par-
ticulari, ac proinde minor: vnde materia Pœ-
nitentiæ sunt actus pœnitentis quibus suffi-
cienter declarat & detestatur peccata; materia
Ordinis sunt illa instrumenta quæ denotant
potestatem per illa traditam; tandem mate-
ria Matrimonij est illud quod exprimit legiti-
mum consensum viri & mulieris contrahen-
tium: Ecclesiæ autem relictum est apponerè
conditiones necessarias, ad hoc vt talis contra-
ctus sit legitimus, vel illegitimus.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt se-
cundùm aliquos siligo distinguatur substantia-
liter à tritico; secundùm tamen D. Thom. in-
fra quæst. 74. art. 3. ad 2. solùm accidentaliter
distinguitur, & probat ex hoc quòd generans
generat sibi simile in specie; ex grano autem
tritici seminato in malis terris nascitur siligo:
sed esto, distingueretur substantialiter; dictum
est quòd in Eucharistia sufficit determinatio
materiæ secundùm genus, quæ non tollitur ex
variatione specifica grani, & vini, nec ex aliis
conditionibus azimi & fermentati, in pane; aut
purificati & turbidi, in vino; dummodò sit pa-
nis communiter vsitatus, & vinum commu-
ne vitis.

Ad secundum dicendum, quòd materia
Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, quibus suf-
ficienter declarat & detestatur peccata, qui sint
ex motiuo supernaturali; nec in istis est tanta
determinatio, vt dictum est: vnde sufficit at-
tritio. Confessio autem ex præcepto Ecclesiæ
debet esse verbalis, in casu tamen necessitatis
potest fieri vel nutu, vel scripto: Satisfactio
debet esse in voto, dum datur absolutio, postea
tempore

tempore debito debet reduci ad actum. Peccata verò omnia sunt materia Pœnitentiæ, si sint actualia, & commissa post baptismum; mortalia quidem sunt materia necessaria, venialia autem sunt materia sufficiens.

Ad tertium dicendum, quòd Christus Dominus saltem secundùm analogiam determinauit materiam cuiuslibet Ordinis, relinquens Ecclesiæ determinandam in particulari, quam determinauit ex conuenientia ad gratiam, & potestatem spiritualem, quæ datur in quolibet Ordine. Apostoli autem peculiari priuilegio conferebant Ordines sacros sine requisita materia, vel quia tunc non erat, vel quia facilè non poterat haberi: fuit tamen illis iniunctum à Christo, vt instruerent Ecclesiam de materia & forma Sacramentorum: vt, quando frueretur pace, illis vteretur; quæ tamen non reperiuntur scripta; quia, vt ait S. Dionysius, Apostoli hæc sacra non scribebant, ne irriderentur à gentilibus; sed habemus per traditionem.

Ad quartum patet ex dictis, quòd ex institutione Christi Domini contractus ciuilis legitimus inter virum & fœminam, in ordine ad vinculum coniugale, est Sacramentum Matrimonij, & primus alterutrius consensus est materia: Ecclesiæ autem relicta est potestas reddendi legitimum, vel illegitimum talem contractum per appositionem conditionum.

Ad quintum dicendum, quòd Apostoli ex peculiari priuilegio conferebant aliquando Cõfirmationem, per solam impositionem manuum: & ideo non erat necessaria sensibilis materia Sacramentalis, vbi sensibilia signa miraculosè exhibebantur diuinitus. Vtebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione huius Sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebantur: dicit enim Dionysius 4. c. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: Est quædam perfectiua operatio, quam duces nostri Apostoli Chrismatis hostiam nominant. Sanctus autem Iacobus non instituit, sed tantùm intimauit Oleum esse materiam extremæ-Vnctionis.

Nota Christum Dominum determinasse pro materia Sacramentorum, illa quæ habent maiorem Analogiam ad gratiam, quæ datur in quolibet Sacramento, significandam; quam Analogiam habent propter communem vsum: vnde cùm aqua Elementaris communius assumatur ad abluendum, illam assumpsit ad significandam ablutionem animæ à peccato, quæ fit in Baptismo. Et quia instituit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per modum conuiuij; ideo pro materia assumpsit panem triticeum, & vinum vitis, quæ duo communiter sunt in conuiuiis. Similiter quia per Confirmationem præparat Christianum vt pugnet contra infideles: & per extremam-Vnctionem vt pugnet contra Dæmones; ideo in vtroque Sacramento pro materia assumpsit Oleum oliuæ, quo liniebantur Athletæ ante pugnam; hoc enim Oleum roborat, reddit agilem, &c. Cui in Confirmatione admiscetur Balsamum propter fragrantiam odoris quæ redundat ad alios; vnde & Apostolus dicit 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus Deo. Quia instituit pœnitentiam per modum iudicij, quo misericorditer absoluitur peccator reus; ideo pro eius materia assumpsit actus peccatoris, quibus declarat & detestatur ipsa peccata, videlicet confessionem, contritionem, & satisfactionem. Et sic de aliis.

DVBIVM IV.

Vtrùm verba, quæ sunt forma Sacramentorum, sint determinata.

Svpponendum est posse considerari duplicem determinationem in verbis, vnam materialem, aliam formalem: determinatio materialis est secundùm sonum articulatum quo proferuntur in aliquo idiomate, vel Latino, vel Græco, vel Hebraico: determinatio formalis attenditur penes sensum & significationem verborum: diuersa idiomata ordinariè tollunt determinationem materialem verborum, alio quippe vocabulo dicitur aliquid apud Latinos, alio apud Græcos, & alio apud Hebræos; conueniunt autem in determinatione formali, cùm hæc diuersa vocabula eundem sensum & eandem habeant significationem. Ex quo sequitur magnum esse discrimen inter res quæ sunt materia Sacramentorum, & inter verba quæ sunt eorum forma: nam res sunt eædem omninò, & materialiter, & formaliter apud omnes gentes; verba autem non sunt ordinariè eadem materialiter. Propterea materia Sacramentorum magis fuit determinata à Christo, quàm forma; illa quippe fuit determinata, & materialiter, & formaliter; hæc verò tantùm formaliter, determinatio enim materialis habetur authoritate publica diuersarum nationum, instituentium diuersa idiomata ad idem significandum; vnde hæc determinatio eadem authoritate publica potest variari.

Prima opinio, sed hæretica, tenet verba, quæ sunt forma Sacramentorum, non debere esse determinata, etiam formaliter: ita moderni Hæretici. Probatur, apud diuersas Ecclesias, diuersa adhibetur forma Sacramentorum: nam forma Baptismi apud Latinos hæc est; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: apud Græcos verò sic traditur, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: constat autem quòd hæc duo verba, Baptizo, & Baptizetur, diuersa significant, vnde habent diuersam determinationem formalem, quæ attenditur penes significationem: ergo verba, quæ sunt forma Sacramentorum, non

non debent esse determinata etiam formaliter.

Secundò, in Sacramētis antiquæ Legis adhibebantur aliqua verba, quæ tamen non erant determinata, vt patet in libris veteris Testamenti: ergo nec in administratione Sacramentorum Legis gratiæ requiruntur verba determinata, etiam formaliter, vt constat ex paritate rationis.

Tertiò, verba, quæ adhibentur in administratione Sacramentorum, sunt tantùm verba promissionis, & concionatoria ad excitandam fidem: sed ad hæc non requiritur vlla determinatio etiam formalis, vt patet: ergo verba, Quæ sunt forma Sacramentorum, non debent esse determinata, etiam formaliter.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licet verba, quæ sunt forma Sacramentorum, non debeant esse determinata determinatione materiali; 2. Benè tamen determinatione formali: 3. Quia talia verba ex suaui Dei dispositione significāt effectum corporalem similem effectui spirituali in Sacramentis producto. Hæc conclusio quoad omnes partes est communis inter Theologos.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate communi Theologorum, tum sequenti ratione: Ecclesia Catholica docet Baptisma collatum sub verbis Latinis, Græcis, & similibus, est verum ac legitimum; quod idem dicendum est de aliis Sacramentis: sed non sunt eadem verba quoad determinationem materialem in forma Baptismi, aliorúmque Sacramentorum apud Latinos, quæ apud Græcos, vt patet iis qui vtrumq; idioma norunt: ergo verba, quæ sunt forma Sacramentorum, non debent esse determinata determinatione materiali. Maximè quia ex opposito sequeretur, solum Baptisma collatum sub verbis Hebraicis, aut Syriacis, (sub quibus formam illius Christus Dominus instituisse creditur) esset verum & legitimum.

Probatur secunda pars conclusionis auctoritate, & ratione D. Thom. quam hîc art. 7. sub his verbis proponit: In Sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ: in omnibus autem compositis ex materia & forma, principium determinationis est ex parte formæ quæ est quodammodo finis, & terminus materiæ: & ideo principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quàm determinata materia: materia enim determinatè requiritur, vt sit proportionata determinatæ formæ. Cùm igitur in Sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in Sacramentis sicut materia, multò magis requiritur in eis determinata forma verborum.

Ex dictis sequitur quòd in quocumque idiomate proferantur verba, quæ sunt forma Sa-

cramentorum, verè conficiuntur Sacramenta; imò vt docet Caietanus hîc artic. 7. licèt proferantur partim in vno idiomate, partim in alio; dummodo idem omninò explicitè significent communiter apud aliquam Nationem, & sint synonima: vnde ad vitandum periculum; assumenda sunt verba quæ sunt magis in vsu. Propter hoc communiter docent Theologi formam Baptismi non posse impendi sub his verbis, Ego te baptizo in nomine Trinitatis; nam licèt implicitè, idem significet Trinitas; quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus; non tamen idem significat explicitè. Dubitant verò, vtrùm sit legitima impensa sub his verbis, Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & ab vtroque spirati? Aliqui affirmant, Alij negant dicentes hæc nomina importare primariò actus notionales, & non personas sanctissimæ Trinitatis: quicquid sit de valore; peccaret tamen qui sic baptizaret, tum quia relinquit formam vsitatam, tum quia se exponit periculo non conficiendi Sacramentum.

Probatur, & explicatur tertia pars conclu-
sionis. Sacramenta sunt essentialiter signa sen-
sibilia sanctitatis humanæ; ac proinde debent
significare homini hanc sanctitatem: vnde cùm
homo per res sensibiles adducatur ad cognitio-
nem rerum spiritualium: propterea pertinet
ad suauem Dei dispositionem, assumere in for-
ma Sacramentorum (in qua maximè est signi-
ficatio) illa verba quæ significant effectum
corporalem similem effectui spirituali in Sa-
cramentis producto, & actionem externam si-
milem actioni internæ sanctificantis hominem:
quamuis absolutè potuerit assumere quæcum-
que verba; imò verba contrarium significan-
tia. Et sic forma Baptismi est, Ego te baptizo
in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti;
in qua ablutio corporalis significata hac voce,
Baptizo, significat ablutionem internam à pec-
cato. Forma Confirmationis est, Consigno te
signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis
in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,
Amen. In qua exprimitur collatio roboris spi-
ritualis ad pugnam per has voces, Confirmo te
Chrismate salutis: indicatur autem causa con-
ferens plenitudinem roboris spiritualis, expri-
mendo in forma sanctissimam Trinitatem; &
quia hæc pugna spiritualis conformatur pugnæ
corporali, in qua milites insigniis Ducum insi-
gniuntur; ideo in hac forma ponitur, Consigno
te signo Crucis, quod est signum militis Chri-
sti. In Baptismo autem & Confirmatione de-
bet exprimi mysterium sanctissimæ Trinitatis,
quia in Baptismo tanquam ianua Ecclesiæ in-
funditur fides, & in Confirmatione datur ro-
bur ad illam firmiùs profitendam; & ideo in
forma vtriusque debet exprimi mysterium
præcipuum fidei, scilicet sanctissimæ Trinita-
tis. Forma Eucharistiæ in consecratione panis
est,

est, Hoc est enim corpus meum; in consecratione vini, Hic est enim calix sanguinis mei, &c. quæ verba non solùm significant transsubstantiationem panis in Corpus, & vini in Sanguinē Christi, sed etiam significant ratione specierum panis & vini remanentium, conuiuium spirituale animæ, per gratiam datam in hoc Sacramento per modum cibi & potus spiritualis. Forma Pœnitentię est; Ego te absoluo à peccatis tuis, in qua absolutio externa significat absolutionem internam à peccatis: quæ absolutio substantialiter consistit in his duabus vocibus præcisè, te absoluo, quia præsupposita confessione, hanc internam absolutionem significant. Forma extremæ-Vnctionis est; Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum &c. in qua exprimitur indulgentia diuina circa reliquias peccatorum per prædictos sensus commissorum. Forma Sacramenti Ordinis est multiplex sicut & Ordo: vnde cùm sint septem Ordines, videlicet Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, & Acholyti, qui dicuntur Ordines minores; item Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotis, qui dicuntur Ordines maiores, & Sacri, ratione materiæ; sic est septuplex forma huius Sacramenti, & impenditur sub verbis illis quæ pronuntiantur ab Episcopo, dum porrigitur materia propria cuiuscumque ordinis: vt cum dicitur in porrectione Calicis cum vino, & patenæ cum Hostia, Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viuis & mortuis. Et similiter in aliis Ordinibus, vt in porrectione libri Euangeliorum in Diaconatu, in porrectione Calicis vacui, & patenæ vacuæ in Subdiaconatu, in porrectione Candelabri cum Cereo, & vrceoli vacui in Acolytatu, in porrectione libri Exorcismorum in Ordine Exorcistæ, in porrectione libri Prophetarum in Ordine Lectoris, & tandem in porrectione clauium Ecclesiæ in Ordine Ostiarij. Quæ verba significant spiritualem illam potestatem siue characterem, quem recipiunt ordinati, & ad quem præcipuè ordinatur hoc Sacramentum, licèt etiam conferat gratiam. Forma Matrimonij sunt illa verba vel formalia, vel virtualia quæ dicuntur ab vltimo contrahente, quæ exprimunt consensum internum, & significant coniunctionem spiritualem Christi cum Ecclesia, &c: cum anima contrahentium per gratiam illis collatam in hoc Sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quòd hæc diuersitas significationis est tantùm materialis; nam hæc duo verba significant ablutionem tam corporalem, quàm spiritualem fieri à Deo, tanquam à causa principali, & à Ministro Ecclesiæ ve subordinata ipsi Deo; quamuis vnum significet indicando, aliud imperando: vnde sunt idem quantùm ad determinationem formalem.

Ad secundum dicendum, quòd Sacramenta Legis antiquæ erant multò imperfectiora Sacramentis Legis gratiæ; maximè quia non causabant sanctitatem internam, sicut hæc causant: vnde non mirum si non requirebant verba determinata ad significandam talem sanctitatem.

Ad tertium dicendum, quòd verba, quæ sunt forma Sacramentorum, sunt consecratoria, & non tantùm concionatoria, vt dicetur dubio sequenti.

DVBIVM V.

Vtrùm verba, quæ sunt forma Sacramentorum, sint consecratoria.

Svpponendum est, quantùm attinet ad præsens, esse triplex verbum, videlicet consecratorium siue rituale, promissorium, & concionatorium. Verbum consecratorium est illud, quo aliquid consecratur siue fit sacrum: Verbum promissorium est illud, quo aliquid promittitur: tandem Verbum concionatorium est illud, quo per modum instructionis aliquid edocetur.

Prima opinio, sed hæretica, docet verba, quæ sunt forma Sacramentorum, non esse consecratoria. Ita tenent Hæretici moderni, inter quos aliqui dicunt esse verba promissoria reconciliationis nostræ cum Deo tunc factæ per Christum. Ita Melancthon in locis communibus titulo de Baptismo. Alij, vt Caluinus, lib. 4. Institutionum cap. 14. dicunt talia verba esse purè concionatoria, & requiri præcisè ad excitandam fidem suscipientium Sacramenta, qua percipiatur fructus Sacramentorum; non verò requiri tanquam partem essentialem eorundem Sacramentorum. Probatur, pertinet ad magicam superstitionem credere, quòd determinata verba aliquid supernaturale efficiant: ergo verba, quæ sunt forma Sacramentorum, non sunt consecratoria, siue non reddunt actionem Sacramentalem sacram, & sanctificantem per productionem alicuius supernaturalis.

Secundò, Sacra Scriptura, & Sancti Patres vocant Sacramenta quædam signacula siue sigilla iustitiæ Dei, sanctificationis nostræ, & similia: ergo forma Sacramentorum consistens in verbis, debet esse promissoria talis iustitiæ, & sanctificationis; non autem consecratoria.

Tertiò, Matthæi vltimo habetur, Docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, &c. quæ verba indicant solam requiri instructionem ad ablutionem Baptismalem: & ita verba quæ adhibentur in administratione huius Sacramenti, debent esse tantùm concionatoria. Deinde S. Hieronymus explicans illud ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: per verbum vitæ intelligit doctrinam. S. Ambrosius lib. de Initiandis, cap. 3. ait, totam vim

vim aquæ Baptiſmalis prouenire ab ipſa prædicatione. S. Auguſtinus tractatu 8. in Ioannem ait; Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat; niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur: quæ omnia indicant verba, quæ adhibentur in adminiſtratione Sacramentorum, non eſſe conſecratoria, ſed concionatoria. Denique in actibus Apoſtolorum habetur, quòd Sancti Apoſtoli priùs inſtruebant, quàm baptizarent.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd verba, quæ ſunt forma Sacramentorum, ſunt conſecratoria, & non tantùm promiſſoria, vel concionatoria: 2. Nec proferenda ſunt ordinariè in quacumque prouincia idiomate vulgari illius, ſed debent proferri idiomate per Eccleſiam approbato. 3. Præter verba autem conſecratoria, non requiritur eſſentialiter verbum promiſſionis, aut concionis ad efficiendum Sacramentum. Hæc concluſio quoad omnes ſuas partes eſt certa apud Catholicos.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum. In Scriptura determinantur verba quibus Sacramenta conficiuntur; Matth. vltimo, dicitur de Baptiſmo: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. In Euangeliis etiam habentur expreſſa verba quibus Chriſtus Dominus confecit Sacramentum Euchariſtiæ, & quibus iuſſit nos conficere, videlicet, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. ſed verba, quibus conficiuntur Sacramenta, dicuntur eſſe conſecratoria, & ritualia. Idem docent expreſſè Concilia, maximè Tridentinum, agens enim de ſingulis Sacramentis, ſingulorum formam, qua conficiantur, & qua illæ actiones reddantur ſacræ & Sacramentales, adducit. Idem etiam docent Sancti Patres. S. Ambroſius libr. 1. de Sacramentis cap.5. ait; Sacerdos vtitur verbis cœleſtibus; cœleſtia verba quæ ſunt? quòd Baptizemus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et libr.4 cap.4. dicit; Sacramentum Euchariſtiæ fieri conſecratione, conſecrationem autem fieri verbis tantùm Chriſti Domini, vnde vocat ea verba operatoria. Item S. Auguſtinus lib. 6. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 25. ait: Deus adeſt verbis Euangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt, & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum. Item S. Cyprianus Sermone de cœna Domini ait: Panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus: Ex quibus expreſsè habetur, verba, quæ ſunt forma Sacramentorum, eſſe conſecratoria. Ratio autem à priori nulla alia eſſe poteſt, niſi inſtitutio Chriſti Domini, qui rebus ſenſibilibus per verba conſecratis voluit nos ſanctificare.

Probatur & explicatur ſecunda pars concluſionis. Sicut enim materia Sacramentorum debet ſeligi propter eorum reuerentiam, quia ſancta ſunt ſanctè tractanda, vnde male faceret, qui extra neceſſitatem aquam turbidam in Baptiſmo miniſtraret, & ita de aliis Sacramentis: ſic forma Sacramentorum debet ſub idiomate ſelecto, & maioris venerationis impendi, quale eſt idioma quod non eſt commune & vulgare omnibus, ſed eſt tantùm in vſu apud homines eminentiores: experimur enim quòd ordinariè nimia familiaritas parit contemptum. Aliquando tamen licet proferre formam Sacramentorum idiomate vulgari: vt quando Sacramentum Baptiſmi conficitur à Laico ignorante, ne propter ignorantiam linguæ v.g. Latinæ deficiat in aliquo eſſentiali ipſius formæ. Item licitum eſt vulgari ſermone proferre formam Sacramenti Matrimonij; quia hoc Sacramentum conficitur ab ipſis contrahentibus, qui ordinariè neſciunt linguam Latinam.

Probatur tertia pars concluſionis, tum authoritate Eccleſiæ Catholicæ, quæ in adminiſtratione Sacramentorum non adhibet ordinariè verba promiſſionis, aut concionis: & tamen Hæretici fatentur Baptiſma collatum in Eccleſia Romana eſſe verum Sacramentum. Deinde contingit aliquando, quòd quando impenditur Baptiſma, nullus adſit adultus, ſed ſolus paruulus qui Baptizatur; tunc autem eſſent ſuperflua verba promiſſionis, aut concionis; quia non poſſent excitare paruulum ad ſperandum, aut credendum, cùm non poſſit vti ratione: Dicere autem quòd Deus illi accelerat pro tunc vſum rationis, eſt ſine fundamento; imò habetur fundamentum in contrarium, cùm paruuli, dum baptizantur, ſæpe lugeant, & oſtendant ſe moleſtè ferre hanc ablutionem, imò alia indigniora faciant, ob quæ, ſi cum libertate facerent, potiùs ſacrilegia committerent, quàm iuſtificarentur: ergo præter verba conſecratoria, non requiritur eſſentialiter in adminiſtratione Sacramentorum verbum promiſſionis, aut concionis.

AD primum ergo dicendum, quòd tunc eſt magica ſuperſtitio, quando quis credit aliqua verba poſſe aliquid ſupernaturale operari, vel ex ſe, vel per inuocationem Dæmonum: hoc autem non credunt Catholici; ſed credunt verba illa, quæ ſunt formæ Sacramentorum, nihil ex ſe poſſe operari niſi eleuentur à Deo ad producendum: & quia promiſit ſe eleuaturum; ideo credunt quòd gratiam operentur, niſi ſit obex ex parte ſuſcipientis.

AD ſecundum dicendum, quòd duo ſunt munera ſigilli ſiue ſignaculi: nam & facit fidem veritatis contentæ in epiſtolis, & occultat ſecreta contenta in eiſdem: Sacramenta non dicuntur ſignacula aut ſigilla ex priori munere, ſed tantùm ex poſteriori, quatenus res ſacras & myſticas occultant. Deinde aliqua Sacramenta

menta dicuntur specialiter signacula, quia imprimunt Characterem, propterea Baptismus solet vocari obsignatio, siue sigillum fidei.

Ad tertium dicendum, quòd quando adulti baptizantur, debuit præcessisse instructio mysteriorum fidei; alioquin non amplecterentur fidem Christi, nec vellent fieri Christiani: vnde cùm Apostoli mitterentur ad conuersionem omnium gentium, meritò eis iniungitur, vt prius instruant adultos, & postea baptizent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quæ verba præcisè sunt consecratoria, & forma huius Sacramenti. Ad authoritatem S. Hieronymi aliqui respondent eum explicasse hunc locum in sensu mystico, & non litterali: vel potest dici, quòd hæc verba quæ sunt consecratoria, & forma Sacramenti Baptismi, continent altissimam doctrinam fidei, nempe mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Ad authoritatem S. Ambrosij dicendum quòd nomine prædicationis Crucis, intelligit formam consecratoriam aquæ Baptismalis, vt patet ex ipsomet; nam 2. de Sacramentis cap. 5. ait, Sacerdotem mittere prædicationem Crucis in fontem aquæ; prædicatio autem quam requirunt Hæretici, non dirigitur ad aquam, sed ad creaturas rationales: forma autem Baptismi dicitur prædicatio Crucis Dominicæ, tùm quia Baptismus repræsentat passionem Christi, vt habetur ad Rom. 6. tum quia hæc verba habent efficaciam ex cruce Christi. Ad authoritatem S. Augustini dicendum, quòd in illo loco tractat ista verba S. Ioannis, quæ dixit Christus suis discipulis; Iam vos mundi estis propter sermones quos locutus sum vobis: & agit de virtute Verbi Dei in abstracto; vnde modò agit de verbo concionatorio, quod iustificat extra Sacramentum per fidem & dilectionem: modò agit de verbo consecratorio, vt cùm in præcedentibus dixerat; Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, quod nos in Sacramenti susceptione iustificat: ac proinde non licet ex hoc loco arguere, vel pro solo consecratorio, vel pro solo concionatorio. Deinde D. Thom. hic art. 7. ad 1. sic explicat August. Verbum operatur in Sacramentis; non quia dicitur, id est, non secundùm exteriorem sonum vocis: sed quia creditur, id est, secundùm sensum verborum, qui fide tenetur. Ad aliud patet ex dictis.

DVBIVM VI.

Vtrùm qualibet mutatio materia, & forma destruat Sacramentum.

SVpponendum est duplicem posse esse mutationem, tam materiæ, quàm formæ Sacramentorum; vnam quidem substantialem, accidentalem alteram: substantialis est in materia dupliciter; vel quando accipitur aliquid diuersum specie à re, quæ est instituta à Christo materia Sacramenti; vel quando ipsamet res sumitur contra communem vsum, vt si quis vteretur ad cõsecrandum pane cocto ad Solem; non enim communiter panis coquitur Sole, sed igne: accidentalis autem mutatio est, quando res, salua eius substantia, & vsu communi, aliquo modo alteratur. In forma autem tunc est mutatio substantialis intrinseca, siue se tenens ex parte ipsius, (nam de extrinseca procedente ex intentione Ministri modò non loquimur) quando mutatur sensus verborum: accidentalis autem est, quando cum illa remanet idem sensus verborum. Mutatio generaliter pluribus modis contingit in forma: Primò, per mutationem idiomatis. Secundò, quando loco verborum quæ sunt in vsu, assumuntur alia verba idem significantia. Tertiò, per transpositionem verborum. Quartò, per interruptionem siue interpolationem verborum. Quintò, per additionem. Sextò, per diminutionem. Septimò, per corruptionem partialis termini. Octauo, quando loco verborum assumuntur alia signa, vel nutus.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd mutatio substantialis siue essentialis, tam materiæ, 2. Quàm formæ, destruit Sacramentum; siue reddit Sacramentum nullum: 3. Non autem mutatio accidentalis; 4. Quamuis ordinariè sit illicita. Ita tenent communiter omnes Theologi.

Probatur prima, & secunda pars conclusionis. Ad solum Deum pertinet determinare res quæ sunt materia Sacramentorum, & verba quæ sunt eorum forma, vt dictum est supra; sed quando interuenit mutatio substantialis siue essentialis, iam non sunt eædem res, nec eadem verba, ac proinde nec eadem materia & forma determinata à Deo; vt patet ex ipsis terminis: sublata autem materia & forma propria Sacramentorum destruuntur Sacramenta, cùm sint partes essentiales ipsorum; nihil autem potest esse sine suis essentialibus: ergo mutatio substantialis siue essentialis, tam materiæ, quàm formæ, destruit Sacramentum, siue reddit Sacramentum nullum: ac proinde qui vteretur in administratione Sacramentorum materia, aut forma substantialiter mutata, committeret sacrilegium.

Probatur tertia pars conclusionis. Mutatio accidentalis reliquit substantiam & essentiam rei intactam: ergo cùm remaneant eædem substantialiter res, quas Christus assumpsit in materiam Sacramentorum; & eadem essentialiter verba, quæ assumpsit in formam, verè fiet Sacramentum, & ita mutatio accidentalis non destruit Sacramentum.

Probatur quarta pars conclusionis. Ordinariè est præceptum Ecclesiasticum, aut naturale

re

ne vllo modo mutetur materia; aut forma Sacramentorum. De materia patet; nam præceptum est, ne in Ecclesia Latina fiat consecratio in fermentato, & tamen constat quòd panis fermentatus differt tantùm accidentaliter ab azimo: & sic in aliis Sacramentis. Similiter est præceptum naturale, vt assumamus res mundas in materiam Sacramentorum, natura enim docet sancta esse sanctè tractanda; vnde malè faceret qui vteretur aqua sordida ad baptizandum, dum sine periculo baptizandi potest haberi aqua munda, committeret enim irreuerentiam. De forma etiam habetur præceptum, vt sub tali formula verborum fiat, & est praxis Ecclesiæ vt non mutetur, nisi in Matrimonio, & in Baptismo instante peculiari necessitate: ergo mutatio etiam accidentalis, tam formæ, quàm materiæ Sacramentorum est illicita. Si sit de industria, notabilis, aut adsit scandalum, erit peccatum mortale: si autem non sit notabilis, & abstit scandalum, propter paruitatem materiæ, erit tantùm peccatum veniale.

Vt autem magis determinetur in particulari, quando est mutatio substantialis, vel tantùm accidentalis, in forma Sacramenti, percurrenda sunt breuiter capita singula ex quibus potest in ea prouenire mutatio.

Quandocumque adhibentur verba synonima, & idem prorsus significantia, in quocumque idiomate proferantur, quamuis non sint ita frequentia in vsu, est tantùm mutatio accidentalis: vt si quis diceret. Ego te abluo, vel lauo in nomine Patris &c. Verè fieret Sacramentum.

Si autem ita transponantur verba, vt mutetur sensus formæ, est mutatio substantialis, & non conficitur Sacramentum: si verò non mutetur sensus, est tantùm mutatio accidentalis & conficitur Sacramentum.

Si post prolationem partis formæ sit talis interruptio, siue interpolatio, & mora temporis vsque ad prolationem alterius partis; vt secundùm viri prudentis æstimationem iudicetur esse magna, & videatur mutata intentio Ministri; est mutatio substantialis: vnde non conficitur Sacramentum. Si verò illa mora iudicetur breuis, est tantùm mutatio accidentalis, & conficitur Sacramentum; quia non videtur mutata intentio Ministri. Ratio est, quia forma cuiuslibet Sacramenti est vna, ac proinde moraliter continua: interruptio autem magna discontinuat orationem etiam moraliter; non autem interruptio parua.

Si per additionem in forma Sacramenti apponeretur aliquid, quod esset corruptiuum debiti sensus, vt si quis diceret, Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, vt dicunt Arriani; tunc est mutatio substantialis, & non conficitur Sacramentum, manifeste enim tollitur sensus formæ, quæ exprimit tres Personas diuinas, quæ non possunt esse cum hac inæqualitate. Si autem per additionem non tollatur debitus sensus, vt si quis diceret, Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti; tunc est mutatio tantùm accidentalis, & verè conficitur Sacramentum.

Si per diminutionem tollatur aliquid, quod pertineat ad essentiam formæ, ita vt non habeat completum proprium sensum; tunc est mutatio substantialis, & non conficitur Sacramentum. Si autem diminutio non tollat debitum sensum à forma, vt si quis consecrando relinqueret particulam (enim) & diceret, Hoc est corpus meum; tunc est mutatio tantùm accidentalis, & verè conficitur Sacramentum.

Si per corruptionem partialis termini mutetur sensus formæ respectu audientium, vt solet esse quando corruptio est in principio, vt si quis diceret; Ego te baptizo in nomine Matris, & Filij &c. Tunc est mutatio substantialis, & non conficitur Sacramentum. Si autem per corruptionem non mutetur sensus formæ respectu audientium, vt solet esse quando ex ignorantia fit corruptio in fine siue in terminatione verborum, vt si quis ignorans linguam Latinam diceret, Ego te baptizo in nomine Patrias, & filias &c. Tunc est mutatio tantùm accidentalis, & verè conficitur Sacramentum. Ratio est; quia licèt, Grammaticè loquendo, corruptio quæ est ex parte terminationis, æquè mutet sensum, ac illa quæ est ex parte principij; non tamen moraliter loquendo: non enim mutat apud vulgus, quod nescit quomodo debeant vocabula hæc terminari, scit tamen quomodo debeant incipere; & ita habetur vulgò perfectus sensus ratione totius propositionis. Quòd si hæc corruptio ex parte terminationis fieret datâ operâ, non conficeretur Sacramentum; quia præsumitur Minister non habere intentionem proferendi debitam formam Sacramenti, vt dicitur hîc à D. Thom. artic. 7. ad 3.

Si in alio quocumque Sacramento, præterquam in Matrimonio, loco verborum formalium adhiberentur pro forma nutus, vel alia signa; tunc esset mutatio substantialis, & verè non conficeretur Sacramentum: in solo Matrimonio est mutatio accidentalis, & cum his solis nutibus, & signis conficitur; hæc differentia est propter rationem superiùs adductam: ita communiter tenent Theologi propter praxim Ecclesiæ ex Apostolica traditione conseruatam; illud enim quod fuit semper in Ecclesia receptum, nec habet principium in aliquo Concilio, vel summo Pontifice, est Apostolica traditio, vt docet D. Augustinus. Quòd autem hæc praxis fuerit semper in Ecclesia, docet Concilium Florentinum in decreto super vnionem Græcorum Armenorum in tractatu de

de Sacramentis. Hæc omnia desumpta sunt ex D. Thom. hîc art. 7. & 8.

DVBIVM VII.

Vtrùm ex intentione Ministri pendeat, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis.

SVpponendum est, intentionem Ministri in mutatione formæ posse habere duplicem finem. Vel enim ex hac mutatione vult inducere aliquem ritum erroneum oppositum vero sensui formæ; vt si aliquis hæreticus Vbiquista consecrans diceret, Hîc est corpus meum, assumens, hîc, aduerbialiter, subintelligens corpus Christi ibi esse per vbiquitatem & immensitatē, non autem per transsubstantiationem: Vel ex hac mutatione non intendit inducere similem errorem; sed intendit facere quod facit Ecclesia, tamen animi gratiâ formam corruptè pronuntiat. Certum autem est hæc tria requiri ad validitatem Sacramenti, scilicet formam, materiā, & intentionem Ministri faciendi quod facit vera Ecclesia, & hæc tria sufficiunt, quamuis credat suam Sectam esse veram Ecclesiam, & ita intentio eius secundariò sit faciendi quod facit sua Secta: vnde primaria intentio est recta, secundaria verò erronea; sufficit autem rectitudo primæ intentionis, vt patet: nam Ecclesia Catholica admittit Baptismum Hæreticorum tanquam verum Sacramentum, quem constat conferri ex primaria quidem intentione recta, sed ex secundaria erronea.

Prima opinio tenet, quòd pendet quidem ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis, quando ex hac mutatione vult inducere aliquem ritum erroneum oppositum vero sensui formæ: secus verò si hoc non intendat. Probatur secunda pars (in prima enim conuenimus.) Ad valorem Sacramenti tria tantùm requiruntur, videlicet materia, forma, & recta intentio Ministri; vt habetur ex decreto Eugenij 4. pro instructione Armenorum: sed hæc tria in præsenti casu reperiuntur; supponitur enim esse debita materia; forma etiam, licèt quoad sonum corrumpatur, non tamen quoad sensum, quem retinet ex accommodatione vsus: supponitur tandem quòd adsit intentio faciendi quod vera facit Ecclesia: ergo non pendet ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis, quando ex hac mutatione non vult inducere aliquem ritum erroneum oppositum vero sensui formæ.

Secundò, Zacharias Summus Pontifex in can. retulerunt, de consecratione, distinct. 4. dixit, quòd si ille qui baptizauit in nomine Patria &c. intendebat introducere nouū ritum in Ecclesia, Sacramentum fuit nullum: ergo è contra si non intendebat introducere nouum ritum, Sacramentum fuit verum; & ita non pendet ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis, quando ex hac mutatione non vult inducere aliquem ritum erroneum oppositum vero sensui formæ.

Tertiò, valor Sacramentorum non pendet à scientia, vel ignorantia Ministri, nec ab eius bonitate vel malitia; hæc enim omnia sunt extrinseca Sacramentis: ergo si Sacramentum aliquod est validum; licèt adsit mutatio corruptiua formæ ex ignorantia Ministri, bona fide eam pronuntiantis; etiam erit validum, quando talis mutatio procedet ex eius malitia & scientia: vnde non pendet ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis, quando ex hac mutatione non vult inducere aliquem ritum erroneum oppositum vero sensui formæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd absolutè pendet ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis: 1. Siue intendat ex hac mutatione inducere in Ecclesia nouum ritum oppositum vero sensui formæ: 3. Siue hoc non intendat. Ita communiter Discipuli D. Thom. in præsenti.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc articulo 7. ad 3. vbi sic ait; Ille qui corruptè profert verba Sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia: & ita non videtur perfici Sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore, vel lapsu linguæ, si sit tanta corruptio, quæ omninò auferat sensum locutionis, non videtur perfici Sacramentum. Si verò non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam, nihilominus perficitur Sacramentum. Ecce quàm clarè D. Thom. docet mutationem corruptiuam formæ Sacramentorum, quæ procedit ex industria siue intentione Ministri, (abstrahendo quòd per hanc mutationem velit inducere nouum ritum, aut non:) impedire ne perficiatur Sacramentum: secùs verò si talis mutatio procedat ex errore, vel lapsu linguæ. Ratio eius est, quia qui scienter, & malitiosè corrumpit formam Sacramenti, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, quæ intendit & præcipit, vt debita forma Sacramentorum correctè proferatur à Ministro: vnde licèt actu intenderet facere quod facit Ecclesia; hanc tamen intentionem speculatiuam destruit opposita intentio virtualis practica, quæ fortius influit: sicut, proportione seruatā, ob eandem rationem, qui facit rem inhonestam, peccat, quamuis actu haberet intentionem non offendendi Deum. Licèt autem D. Thom. dicat, Non videtur intendere, Non videtur perfici

fici: non tamen inferendum est, sicut aliqui inferunt, quòd non sit talis eius sententia explicata: simili enim modo sæpe loquitur ex sua naturali modestia, quando res de qua agit est in controuersia: ergo absolutè pendet ex intentione Ministri quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis. Confirmatur; ex intentione Ministri pendet quòd verbum æquinocum, vel propositio æquiuoca mutet, aut non mutet formam Sacramentorum: si enim intendat verum sensum, est forma debita, & perficitur Sacramentum: si autem intendat sensum falsum, est forma corrupta, & non perficitur Sacramentum; vt patet in exemplo adducto à D.Thom. hîc art.8. Si enim quis baptizaret in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,& Beatæ Virginis Mariæ, intendens tantùm quòd Beata Virgo oret pro baptizato, tunc perficitur Sacramentum; si verò intenderet quòd Beata Virgo concurrat ad Baptismum, sicut Personæ Sanctissimæ Trinitatis, falsum significaret, & non perficeretur Sacramentum. Ratio huius est, quia secundùm Dialecticos propositiò æquiuoca secundùm se, nec est vera, nec falsa; sed est vera,quando à proferente intenditur verus sensus; falsa verò, quando intenditur sensus falsus: ergo multò magis pendet ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis. Si enim proferens verbum æquiuocum secundùm sensum oppositum vero sensui formæ Sacramentorum, (licèt speculatiuè habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia,) non conficit Sacramentum; & tamen illud verbum exterius præ se fert verum sensum: multò magis non conficiet Sacramentum, si ex industria proferat verbum corruptum, quod nullo modo continet verum sensum formæ Sacramentorum. Nec sufficit quòd illum contineat ex accommodatione vsus in ordine ad circunstantes ignorantes: sed debet attendi illa continentia, & significantia in ordine ad ipsum Ministrum, tanquam præcipuum in hac administratione.

Probatur secunda pars conclusionis, tum ex illo dicto Zachariæ Pontificis; tum ex dictis pro prima parte. Deinde, ad validitatem Sacramenti, debet Minister pronunciare formam eius sub eadem intentione, qua Christus pronuntiandam instituit, & sub eo sensu quem intendit, vt ex se patet: sed quando ex parte Ministri est in ea mutatio corruptiua, procedens ex intentione eius inducendi in Ecclesia nouum ritum oppositum vero sensui formæ, non pronuntiatur forma sub ea intentione, qua Christus pronuntiandam instituit, nec sub eo sensu quem intendit; vt etiam patet ex ipsis terminis: nam corruptè pronunciat ad inducendum nouum ritum oppositum vero sensui formæ: ac proinde forma sic corrupta intendit illum significare,& non illud quod Christus instituit significandum tali forma debitè prolata: ergo pendet ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ Sacramentorum sit essentialis, quando intendit ex hac mutatione inducere in Ecclesia nouum ritum oppositum vero sensui formæ. Denique, formæ Sacramentorum sunt pronuntiandæ modo humano, id est, verbum exterius debet exprimere, & significare verbum & conceptum mentis: vnde licèt secundùm accommodationem vsus verba corruptè prolata bona fide & ex ignorantia significent id quod Christus voluit significari; non tamen sic prolata ex intentione inducendi nouum ritum: quia potius exprimunt & significant nouum illum ritum, & ita non conficitur Sacramentum: ergo pendet ex intentione Ministri, quòd mutatio corruptiua formæ sit essentialis, quando ex hac mutatione intendit inducere in Ecclesia nouum ritum oppositum vero sensui formæ.

Probatur tertia pars conclusionis ex dictis in prima parte, quæ hanc etiam euidenter probant.

Ad primum ergo dicendum, quòd in illo casu, licèt adsit speculatiuè debita intentio Ministri faciendi quod facit Ecclesia; non tamen adest practicè, dum sciens & volens corrumpit formam, sine qua debitè prolata non potest fieri quod fit in Ecclesia.

Ad secundum dicendum, quòd Summus ille Pontifex determinauit id quod omninò est certum; scilicet quòd qui corrumpit formam Sacramentorum animo inducendi nouum ritum, non conficit Sacramentum: nihil tamen determinauit de eo qui datâ operâ corrumpit formam, sine tali animo inducendi nouum ritum, sed alia intentione: nec necessitas id exigebat, cùm ille qui sic baptizauerat, ex ignorantia formam Baptismi corrupisset.

Ad tertium dicendum, quòd licèt valor Sacramentorum non pendeat per se & directè, à scientia vel ignorantia Ministri, nec ab eius bonitate vel malitia; pendet tamen per accidens, & indirectè, in quantùm ex istis potest prouenire mutatio essentialis formæ, & defectus intentionis debitæ.

DVBIVM VIII.

Vtrùm sit licitum, in administratione Sacramentorum, sequi quamcumque opinionem probabilem.

SVpponendum est ex dictis, illicitum esse mutare formam, aut materiam Sacramentorum, vnde ex genere suo est peccatum mortale: in indiuiduo autem est etiam peccatum mortale, si talis sit mutatio, vt non conficiatur Sacramentum; vel sit dubium an conficiatur; vel si sit magna mutatio; vel adsit scandalum: & hoc

& hoc peccatum procedit, tum ex irreuerentia quæ committitur in re sacra, & ex hoc capite est sacrilegium; tum ex iniustitia quæ committitur vel præsumitur committi in proximum, defraudando eum fructu Sacramenti. Vnde in Sacramentorum vsu possunt duo considerari, scilicet ipsum Sacramentum præcisè, & effectus ipsius qui debet causari in suscipiente Sacramentum.

Item supponendum est quòd aliqua opinio potest esse tutior, sed tamen minus probabilis; vt, v.g. quòd contritio sit necessaria ad confessionem; tutius est enim accedere contritum, quàm solùm attritum: quòd autem hoc sit necessarium, est minus probabile. Alia opinio potest esse probabilior, sed minùs tuta. Alia potest esse simul & probabilior, & tutior. Alia denique potest esse & minus tuta, & minùs probabilis.

Prima opinio asserit licitum esse in administratione Sacramentorum sequi quamcumque opinionem probabilem sine scrupulo. Probatur; In omni materia morali licitum est sequi quamcumque opinionem probabilem: ergo & in administratione Sacramentorum.

Secundò, forma Baptismi qua vtuntur Græci, scilicet, Baptizetur seruus Christi &c. Non est ita certa, quin possit esse dubium de valore Sacramenti; quia Græci volunt introducere ritum illum, quo prætendunt Ministrum Sacramenti non esse in forma illius exprimendum: & tamen quia probabile est illam esse legitimam, Ecclesia Catholica illam permittit; vnde licitum est Græcis illam sequi: ergo in administratione Sacramentorum licitum est sequi quamcumque opinionem probabilem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd si præcisè consideretur Sacramentum, licet sequi in administratione Sacramentorum opinionem minùs tutam; dummodo sit probabilis: 2. Si autem consideretur effectus Sacramenti, opus est sequi tutiorem opinionem licèt non ita probabilem: 3. In casu tamen necessitatis licitum, imò bonum est sequi opinionem minùs tutam, & minus probabilem; dummodo sit satis probabilis. 4. Ex quo sequitur, quòd quando est dubium probabile de valore Sacramenti, debet sub conditione iterari. Hæc conclusio est communis inter Theologos quoad omnes suas partes.

Probatur prima pars conclusionis. Licitum est administrare Sacramenta; sicut & procedere in quacumque alia materia morali secundùm iudicium virorum prudentum, quod semper graui nititur fundamento: sed qui in administratione Sacramentorum sequitur opinionem probabilem, licèt minùs tutam, procedit secundùm iudicium virorum prudentum; pro opinione siquidem probabili, non intelligimus dictum cuiuscumque auctoris, sed dictum plurium anthorum prudentum, graui nixum fundamento, & communiter vt probabile receptum: ergo si præcisè consideretur Sacramentum, licet sequi in administratione Sacramentorum opinionem minùs tutam, dummodo sit probabilis.

Probatur secunda pars conclusionis. Si in administratione Sacramentorum, Minister non sequitur tutiorem opinionem, licèt non ita probabilem; facit iniuriam suscipienti: exponit enim se periculo non conficiendi Sacramentum, & consequenter defraudandi suscipientem fructu eius: quantumcumque enim aliqua opinio sit probabilior, tamen non est omninò certa, sicut est opinio tutior; semper enim opinio quantumcumque probabilior, includit formidinem alterius partis: ergo cùm non sit facienda iniuria suscipienti Sacramenta; si consideretur eorum fructus, qui semper considerandus est; opus est sequi tutiorem opinionem, licèt non ita probabilem.

Probatur tertia pars conclusionis. Quando in casu necessitatis Minister sequitur opinionem minus tutam, & minus probabilem, dummodo sit satis probabilis; ex vna parte, nullam committit irreuerẽtiam in Sacramentum, cùm illud tractet secundùm iudicium virorum prudentum; huic enim innititur opinio satis probabilis: ex alia verò parte, nullam facit iniuriam suscipienti; imò ei magnum facit beneficium: si enim non ita faceret Minister; ipse non susciperet Sacramentum, cùm supponatur esse in necessitate; sic autem faciendo, fortè confert ipsi verum Sacramentum, & communicat fructum eius: ergo in casu necessitatis licitum, imò bonum est in administratione Sacramentorum sequi opinionem minus tutam, & minus probabilem; dummodo sit satis probabilis: v. g. si quis inueniat paruulum recenter natum in euidenti periculo mortis, poterit ipsum baptizare aquâ sordidâ, quam dubitat esse corruptam, si tunc aliam habere non possit.

Probatur quarta pars conclusionis. Stante dubio rationabili de valore Sacramenti; si sub conditione iteretur, nulla committitur irreuerentia in Sacramentum, quia intentio Ministri est perficere Sacramentum, si ante non fuerat perfectum; si autem erat perfectum, nihil de nouo facit: in hoc autem nulla apparet irreuerentia; maximè cùm sit exigentia ex parte suscipientis, ne defraudetur fructu Sacramenti: ergo quando est dubium rationabile & probabile de valore Sacramenti, debet sub conditione iterari. Nec sequimur opinionem Soto dicentis, quòd debet esse maius dubium ad hoc vt iteretur Sacramentum, quod ex natura sua est initerabile, cùm sit contra naturam eius quòd iteretur. Dicendùm enim quòd, cùm in administratio

nistratione Sacramentorum, non sit attendenda præcisè natura ipsorum, sed etiam & maximè necessitas suscipientium, propter quos sunt instituta; non requiritur maius dubium de valore Sacramenti, ad hoc vt iteretur sub conditione Sacramentum, quod ex natura sua est initerabile: imò minus dubium requiritur. Ratio est, quia cùm semel tantùm conferatur, debet esse maior certitudo quòd fuerit collatum, quàm si sæpe conferretur: nam si illa, quæ sæpe conferuntur, non benè conferantur vna vice, alia vice poterunt benè conferri: quod non est in Sacramento quod ex natura sua iterari non potest: & ita multa sequerentur inconuenientia; nam si quis non sit ritè Baptizatus, non poterit ritè ordinari, cùm Baptismus sit ianua Sacramentorum, & consequenter consecrationes quas faceret, & absolutiones quas impenderet, essent irritæ. Nec iterum conficitur Sacramentum, si fuerat iam factum; vnde non iteratur.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt in aliis materiis purè moralibus, vt in contractibus, licitum sit sequi quamcumque opinionem probabilem: non tamen licitum est in administratione Sacramentorum, quæ non est purè moralis; nam ibi agitur de actionibus humanis, non quoad substantiam, sed quoad moralitatem bonitatis vel malitiæ, quæ attenduntur secundùm plures circunstantias, virorum prudentum iudicio examinandas, quod iudicium saluatur in opinione probabili: hic autem agitur de Sacramentis quoad substantiam, vtrùm verè & validè conferantur, an non.

Ad secundum dicendum, quòd quia forma Baptismi, vt profertur à Græcis, nullo modo est corrupta; ideò iudicatur ab Ecclesia Catholica, tanquam legitima; vnde nullum est dubium, quin conficiatur verè Sacramentum.

QVÆSTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de necessitate Sacramentorum.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primò, vtrùm sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.

¶ Secundò, vtrùm fuerint necessaria in statu ante peccatum.

¶ Tertiò, vtrùm fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.

¶ Quartò, vtrùm fuerint necessaria post Christi aduentum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

334

a.d. 1. qu. 1. a. 2. qu. 1. & 3. contra c. 110. & lib. 4. 53. fin. & ca. 56. qu. praed. a. 6. ad 2.

Ad primvm sic proceditur. Videtur, quòd Sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem. Dicit enim Apostolus 1. ad Timot. 4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Sed vsus Sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem, eo quod Sacramenta perficiuntur in significatione sensibilium rerum & verborum, vt dictum est. * ergo Sacramenta non sunt necessaria ad humanam salutem.

¶ 2 Præterea, 2. ad Cor. 12. ab Apostolo dicitur, Sufficit tibi gratia mea. Non autem sufficeret, si Sacramenta essent necessaria ad salutem. Non sunt ergo Sacramenta saluti humanæ necessaria.

¶ 3 Præterea, Posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis. Dicit enim Apo. ad Rom. 5. Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Non ergo requiruntur Sacramenta ad salutem humanam.

Sed contra est, quod August. * dicit 19. contra Faustum: In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur. Sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in vnum veræ religionis nomen. Ergo Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem. *l. 19. c. 11. to. 6.*

CONCLVSIO.

Cùm in nullum omnino religionis nomen homines adunari possint, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur, necessaria fuisse ad humanam salutem Sacramenta, manifestum est.

Respondeo dicendum, quod Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione. Quarum prima sumenda est ex conditione humanæ naturæ: cuius proprium est, vt per corporalia, & sensibilia, in spiritualia & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad diuinam prouidentiam, vt vnicuique rei prouideat secundùm modum suæ conditionis. Et ideo conuenienter diuina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus & sensibilibus signis, quæ Sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, vbi patitur morbum. Et ideo conueniens fuit, vt Deus per quædam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet: nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad euitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per Sacramentorum institutionem, homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscendum sibi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum.

Ad primum ergo dicendum, quòd corporalis exercitatio, inquantum corporalis, non multum vtilis est. Sed exercitatio per vsum Sacramentorum non est purè corporalis, sed quodammodo est spiritualis, scilicet per significationem, & causalitatem.

Ad secundum dicendum, quòd gratia Dei est sufficiens causa humanæ salutis. Sed Deus dat hominibus gratiam secundum modum eis conuenientem; & ideo necessaria sunt hominibus Sacramenta ad gratiam consequendam.

Ad tertium dicendum, quòd passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis. Nec propter hoc sequitur, quòd Sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem: quia operantur in virtute passionis Christi, & passio Christi quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta, secundum illud Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta.

Ad secvndvm sic proceditur. Videtur, quòd etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta. Quia sicut dictum est, * sacramenta sunt necessaria homini ad gratiam consequendam. Sed etiam in statu innocentiæ homo indigebat gratia: sicut in prima parte habitum est. * Ergo etiam in statu illo erant necessaria sacramenta. 335 *a.d. 1. q. 1. ar. 1. q. 3. art. prae. ad 2.*

¶ 2 Præterea, Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ, sicut dictum est. * Sed eadem est natura hominis ante peccatum & post peccatum. Ergo videtur, quod etiam ante peccatum homo indiguerit sacramentis. *p. p. q. 95. a. 4. ad 1. art. prae.*

¶ 3 Præterea, Matrimonium est quoddam Sacramentum, secundum illud Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia. Sed matrimonium fuit institutum ante peccatum, vt dicitur Genes. 2. Ergo sacramenta erant necessaria homini ante peccatum.

Sed contra est, quòd medicina non est necessaria nisi ægroto secundum illud Matthæi nono. Non est opus sanis medicina. Sed sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum.

CONCLVSIO.

In statu innocentiæ homo non indigebat Sacramentis, nec pro remedio peccati, nec pro perfectione animæ.

Respondeo dicendum, quod in statu innocentiæ ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat, non solum inquantum sacramenta ordinantur

ad remedium peccati, sed etiam inquantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem.

Ad primum ergo dicendum, quod homo in statu innocentiæ gratia indigebat: non tamen vt eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter & inuisibiliter.

Ad secundũ dicendum, quod eadem est natura hominis ante peccatum & post peccatum, non tamen est idem naturæ status. Nam post peccatum, anima etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus, ad sui perfectionem, quod in illo statu homini necesse non erat.

Ad tertium dicendum, quòd matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, non secundum quod est Sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ: Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, & Ecclesiam: sicut & omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.

ARTICVLVS III.

Vtrùm post peccatum ante Christum Sacramenta debuerint esse.

336 AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd post peccatum ante Christum sacramenta non debuerint esse. Dictum[a] est enim, quod per sacramenta passio Christi hominibus applicatur: & sic passio Christi comparatur ad Sacramenta, sicut causa ad effectum. Sed effectus non præcedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi aduentum.

[margin: q. 1. 3. 1. ar. 2. q. 4. a. 1. cum q. ad 3.]

¶ 2 Præterea, Sacramenta debent esse conuenientia statui humani generis, vt patet per[b] Aug. 19. contra Faustum. Sed status humani generis non fuit mutatus post peccatum, vsque ad reparationem factam per Christum. Ergo neque Sacramenta debuerunt immutari, vt præter Sacramenta Legis naturæ, alia statuerentur in lege Moysi.

[margin: lib. 19. cap. 16 & 17 tom. 5.]

¶ 3 Præterea, Quanto aliquid est magis propinquum perfecto, tanto magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis humanæ per Christum facta est, cui propinquiora fuerunt sacramenta veteris legis, quam ea quæ fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similiora Sacramentis Christi. Cuius tamen contrarium apparet, ex eo, quod sacerdotium Christi prædicitur esse futurum, secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron: vt habetur Heb. septimo. Non ergo conuenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

Sed contra est, quod[c] August. dicit 19. contra Faustum, quod prima sacramenta, quæ celebrabantur & obseruabantur ex lege, prænuntia erant Christi venturi. Sed necessarium erat ad humanam salutem, vt aduentus Christi prænuntiaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quædam disponi.

[margin: lib. 19. cap. 13. & pr. tom 6.]

CONCLVSIO.

Cum post peccatum nullus sanctificari possit, nisi per Christum, necessariò post peccatum, præcesserunt Christi aduentum aliqua Sacramenta, quibus fidem suam in Christum, homo protestaretur.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, inquantum sunt quædam sensibilia signa inuisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Et ideo oportebat ante Christi aduentum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Saluatoris aduentu. Et huiusmodi signa dicuntur Sacramenta. Et sic patet, quod ante Christi aduentum, necesse fuit quædam Sacramenta institui.

Ad primum ergo dicendum, quod passio Christi est causa finalis veterum Sacramentorum quæ scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. Causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideo non est inconueniens aliqua Sacramenta ante Christi passionem fuisse.

Ad secundum dicendum, quòd status humani generis post peccatum & ante Christum, dupliciter potest considerari. Vno modo secundum fidei rationem & sic semper vnus & idem permansit: quia scilicet iustificabantur homines per fidem futuri Christi aduentus. Alio modo potest considerari secundum intentionem & remissionem peccati, & expressæ cognitionis de Christo. Nam per incrementa temporum & peccatum cœpit in homine magis dominari: in tantum quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad recte viuendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari præcepta in lege scripta, & cum his quædam fidei Sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei: quia, vt Gre.[d] dicit. Per incrementa temporum creuit diuinæ cognitionis augmentum. Et ideo etiam necesse fuit quod in veteri lege quædam Sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur. Quæ quidem comparantur ad Sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum: quia scilicet ante legem non fuit determinate præfinitum homini, quibus Sacramentis vteretur, sicut fuit per legem, quod erat necessarium, & propter obtenebrationem legis naturalis, & vt esset determinatior fidei significatio.

[margin: ho. 16 in Ezech. a medio.]

Ad tertium dicendum, quòd Sacramentum Melchisedech, quod fuit ante legem, magis assimilatur Sacramento nouæ legis in materia, inquantum scilicet obtulit panem & vinum (vt habetur Gen. 14.) sicut etiam sacrificium nouæ legis oblatione panis & vini perficitur. Sacramenta tamen legis Mosaicæ magis assimilantur rei significatæ per Sacramentum, scilicet passioni Christi, vt patet de agno paschali, & aliis huiusmodi. Et hoc ideo, ne propter continuitatem temporis, si permaneret eadem Sacramentorum species, videretur Sacramentorum eiusdem esse continuatio.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod post Christum non debuerint esse aliqua Sacramenta. Veniente enim veritate, debet cessare figura. Sed gratia & veritas per Iesum Christum facta, vt dicitur Ioannis primo. Cum igitur Sacramenta sint veritatis signa siue figuræ, videtur quòd post Christi passionem, Sacramenta esse non debuerint. 337

[margin: 4. d. 1. q. 1. ar. 2. q. 3. & d. 2. ar. 4. q. 2. & 4. cont. cap. 57.]

¶ 2 Præterea, Sacramenta in quibusdam elementis consistunt, vt ex supra dictis patet †. Sed Ap. dicit Gal. 4. Cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes: nunc autem temporis plenitudine veniente, iam non sumus paruuli. Ergo videtur, quod non debemus Deo seruire sub elementis huius mundi, corporalibus Sacramentis vtendo.

[margin: † q. præc. ar. 4. & 3.]

¶ 3 Præterea, Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, vt dicitur Iacobi 1. Sed hoc videtur ad quandam mutationem diuinæ voluntatis pertinere, quod alia Sacramenta nunc hominibus exhibeat ad sanctificationem tempore gratiæ, & alia ante Christum. Ergo videtur, quod post Christum non debuerint alia Sacramenta institui.

Sed contra est, quod Aug. dicit contra Faustum 19.[*] quod Sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta: & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

*[margin: * l. 19. c. 13. tom. 6.]*

CONCLVSIO.

Cùm sicut patres per fidem Christi venturi saluati sunt, ita & nos per fidem Christi & nati & passi saluemur, præter veteris legis Sacramenta, quibus Christi mysteria futura prænuntiabantur; oportuit alia quædam esse in noua lege Sacramenta; quibus significarentur ea, quæ præcesserunt in Christo.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut antiqui patres saluati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos saluamur per fidem Christi iam nati & passi. Sunt autem sacramenta, quædam signa protestantia fidem, qua homo iustificatur. Oportet autem alia signa significare futura, præterita, seu præsentia. Vt enim August. † dicit 19. contra Faustum, eadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta: sicut ipsa verba, passurus & passus, non similiter sonant. Et ideo oportet quædam alia Sacramenta esse in noua lege, quibus significentur ea quæ præcesserunt in Christo, præter sacramenta veteris legis, quibus prænuntiabantur futura.

[margin: † li. 19. cap. 13. tom. 6.]

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Dion.[a] dicit in 5. eccle. hie. status nouæ legis, medius est inter statum veteris legis, cuius figuræ implentur in noua lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nude & perfecte manifestabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacramenta. Nunc autem quamdiu per speculũ & in ænigmate cognoscimus (vt dicitur 1. ad Cor. 13.) oportet nos per aliqua sensibilia signa, in spiritualia deuenire. Quod pertinet ad rationem Sacramentorum.

[margin: a cap. 5. Eccl. hier. par. 1. circa 1. a medio.]

Ad secundum dicendum, quòd sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena & infirma elementa: quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo vtentes illis sacramentis dicit Apostolus sub elementis mundi Deo seruisse: quia scilicet nihil aliud erant, quàm elementa huius mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent & causant: & ideo non est de eis similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod sicut Paterfamilias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem, quod diuersa præcepta familiæ suæ proponat pro temporum varietate, non eadem præcipiens hyeme, & æstate: ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum, ex hoc quòd alia sacramenta instituit post Christi aduentum, & alia tempore legis: quia illa fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ: hæc autem sunt congrua gratiæ præsentialiter demonstrandæ.

DISPVTATIO III.

De necessitate Sacramentorum.

CVM Sacramenta fuerint propter homines instituta, & homo fuerit in multiplici statu, videlicet innocentiæ siue naturæ integræ, Legis naturæ, Legis Scriptæ, & tandem Legis gratiæ: considerandum est vtrùm talis institutio fuerit ipsi necessaria pro quolibet statu.

DVBIVM

DVBIVM I.

Vtrùm in statu innocentiæ necessaria fuissent Sacramenta.

Svpponendum est, præsentem difficultatem non procedere de necessitate absoluta; sed de necessitate quæ oritur ex congruentia: vnde æquiualet isti; Vtrùm status innocentiæ ex se requisisset Sacramenta, siue, Vtrùm vsus Sacramentorum fuisset consentaneus statui innocentiæ: qui status innocentiæ in hoc consistit, vt per donum iustitiæ originalis mens subsit Deo; menti subsint inferiores animæ vires; & ipsi animæ subsit corpus. Si autem status innocentiæ perseuerasset; vel tunc homines nati in gratia fuissent in ea confirmati, vt docet S. Anselmus lib.1. Cur Deus homo; ac consequenter in omnibus perseuerasset status innocentiæ: vel aliqui decidissent à tali statu ex suggestione Diaboli, vel alio modo, vt de facto deciderunt primi Parentes peccato nobis originali, ipsis autem actuali: quod, vt probabilius, docet D. Thom.1. p.q.100. artic.2. ex authoritate S. Augustini, qui tamen casus non tam frequentes fuissent circa peccata materialia, quæ nunc procedunt ex deordinatione partis inferioris, quàm circa peccata spiritualia superbiæ,&c.

Prima opinio Durandi in 4. d. 1. quæst. 2. & aliorum asserit conueniens fuisse, vt in statu innocentiæ, si perseuerasset, forent Sacramenta. Probatur; natura humana ex sua ratione petit quòd per sensibilia cognoscat spiritualia: sed eadem fuisset tunc natura, ac nunc est: ergo tunc fuissent signa sensibilia ducentia in cognitionem spiritualium: hæc autem sunt Sacramenta, vt patet ex definitione Sacramenti.

Secundò, status aliquis viæ diuturnus, & aliis perfectior quoad gratiam, conuenienter exigit institutionem eorum mediorum quibus gratia perfectiori modo augeatur, vt sit proportio inter illum statum, & media ad eius finem: sed talis fuisset status innocentiæ, vt patet; nam supponitur quòd futurus esset diuturnus, & homines concepti & nati fuissent in gratia sanctificante: ergo status innocentiæ exegisset institutionem mediorum quibus gratia perfectiori modo augeretur: sed hæc media sunt Sacramenta quæ sunt signa sensibilia, & causant gratiam ex opere operato, qui modus causandi est perfectior, quàm modus causandi tantùm ex opere operantis; ergo in statu innocentiæ, si perseuerasset, fuissent Sacramenta.

Tertiò, ex Augustino lib.19. contra Faustum, cap.11. in nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: sed in statu innocentiæ, si perseuerasset, fuisset vera religio, cùm hæc sit de iure naturæ quæ tunc fuisset perfecta: ergo in statu innocentiæ, si perseuerasset, fuissent Sacramenta.

Quartò, si quid obstaret, cur non forent Sacramenta in statu innocentiæ, esset maximè ratio D.Thom. quia scilicet contra rectitudinem status innocentiæ esset, si anima perficeretur, vel quantùm ad scientiam, vel quantùm ad gratiam per aliquid corporale; quod fit in Sacramentis: sed hæc ratio nulla est, quia ex eodem D.Thom.1.p.q.101. Adam in statu innocentiæ accipiebat scientiam à rebus. Deinde quia in statu beatitudinis est vsus phantasmatum ad cognoscẽda multa supernaturalia extra Verbum; qui tamen status est multò perfectior statu innocentiæ: ergo in statu innocentiæ, si perseuerasset, fuissent Sacramenta.

Quintò, in statu innocentiæ fuissent sacrificia, vt communiter conceditur: ergo & Sacramenta, vt patet ex paritate rationis; nam sicut sacrificio colitur Deus, sic & Sacramento: & sicut sacrificium prodest sacrificanti, sic & Sacramentum prodest suscipienti.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd in statu innocentiæ de facto nulla fuerunt Sacramenta: 2. Nec in illo forent, si omnes perseueraturi fuissent in gratia: 3. Forent autem, si multi per peccata fuissent amissuri innocentiam: 4. Quibus Sacramentis diuersimodè potuissent vti, & peccatores, & innocentes: hi quidem ad augendam solummodo gratiam; illi verò, & ad augendã, & ad recuperandam. 5. Hæc autem Sacramẽta non fuissent eiusdem omninò rationis cum illis, quæ de facto fuerunt instituta in Lege naturæ, in Lege scripta, & in Lege gratię. Ita docent communiter Discipuli D. Thom. maximè Nugnus in præsenti.

Probatur primà, & secunda pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione D. Thom. hîc art.2. Status innocentiæ ex sua rectitudine petit, quòd superiora inferioribus dominentur, & nullo modo dependeant ab eis; vnde in eo mens subesse debet Deo, menti autem inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus: sed contra hanc rectitudinem & ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantùm ad scientiam, vel quantùm ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in Sacramentis; cùm anima sit superior ad omnia corporalia, vnde solùm per illuminationem Angelorum debet proficere quantùm ad scientiam supernaturaliũ, de qua hîc agitur; & quantùm ad gratiam per immediatam infusionem Dei: ergo in statu innocentiæ de facto nulla fuerunt Sacramenta, nec in illo forent, si omnes perseueraturi fuissent in gratia. Hæc ratio D. Thom. benè intellecta est efficacissima. Deinde probatur quòd de facto non fuerunt: nam Sacramenta sunt aliquæ Cæremoniæ sacræ; ac proinde stabiles: ergo non debuerunt institui

pro tam breui tempore quo durauit status innocentiæ. Nec obstat quòd in illo fuerit Matrimonium inter Adam & Euam, quod ab Apostolo ad Ephes. 5. vocatur Sacramentum magnum; & lignum vitæ quod à Sanctis Patribus vocatur etiam Sacramentum. Ad hoc enim dicendum, quòd in illo statu Matrimonium fuit tantùm institutum in officium naturæ: dicitur autem Sacramentum lato modo, quia fuit figura coniunctionis Christi cum Ecclesia, & hoc modo pene omnia quæ Christum præcesserunt, possunt dici Sacramenta, quia ordinabantur ad Christum. Sic etiam lignum vitæ dicitur Sacramentum, quia significabat aliquid mysticum, & spirituale.

Probatur tertia pars conclusionis. Dato illo casu, quòd multi per peccata fuissent amissuri innocentiam, in illis fuisset malitiosè peruersa rectitudo illius status; vnde cessat inconueniens à D. Thom. assignatum, cur homo perseuerante statu innocentiæ non posset subdi corporalibus, & sensibilibus; imò est conuenientia vt illis subdatur, in quantum debet medicinale remedium inde homini prouenire, vbi patitur morbum, subdendo se illis per affectum: ex alia verò parte conueniens est, vt Deus illis prouideret remedia efficacia eorum naturæ proportionata, qualia sunt Sacramenta; proprium est enim homini, vt per corporalia & sensibilia in spiritualia & intelligibilia deducatur: ergo in statu innocentiæ forent Sacramenta, si multi per peccata fuissent amissuri innocentiam.

Probatur quarta pars conclusionis. supposita Sacramentorum institutione in statu innocentiæ propter rationem dictam, potuerunt esse eadem quoad substantiam, ac nostra (solo excepto Baptismo, qui primariò & per se institutus fuit ad delendum peccatum originale, quod supponitur tunc non futurum) & ita potuit esse Confirmatio, item Eucharistia, admissa opinione contraria doctrinæ D. Thom. quòd etiamsi Adam non peccasset, Christus venisset: potuit esse Pœnitentia, extrema-Vnctione, Ordo, & Matrimonium: & habere eosdem penitus effectus quos nunc habent: totum hoc manifestum est; non enim apparet, cur non posset dari Sacramentũ quo roborarentur fideles ad protestandam veram fidem, quod est Confirmatio. Deinde data illa opinione de aduentu Christi, potuit institui idem Sacramentum Eucharistiæ; vel iuxta sententiam D. Thom. potuisset institui Sacramentum simile Eucharistiæ per modum cõuiuij spiritualis. De Pœnitentia etiam constat; supponitur enim quòd tunc fuissent peccata actualia, ad quæ delenda per se ordinatur Pœnitentia. Item constat de extrema-Vnctione quæ ordinatur ad tollendas reliquias peccatorum, quæ tunc fuissent. Tandem in illo statu fuissent sacrificia & coniugia; vnde potuerunt institui Sacramenta Ordinis ad consecrandos Sacerdotes; & matrimonij in ordine ad vinculum coniugale. His positis, innocentes non potuissent vsu Sacramentorum acquirere primam gratiam; supponimus enim quòd in illo statu eam reciperent cum natura, nec eam amitterent; vnde possent tantùm eam augere; & ita solùm possent suscipere Sacramenta viuorum, & quæ nullo modo ordinantur ad delenda peccata, videlicet Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, & Matrimonium; non autem Sacramenta mortuorum & quæ ordinantur ad delenda peccata, videlicet Pœnitentiam, & extremam-Vnctionem, quæ etiam Beatissima Virgo in Lege gratiæ non suscepit: quia in eis non potuissent habere proprium effectum; vnde eorum forma non fuisset vera. Peccatores autem potuissent acquirere primam gratiam, supponimus enim eam aliquando amissuros, & simul potuissent eam acquisitam augere; & ita potuissent suscipere omnia prædicta Sacramenta: ergo in statu innocẽtiæ diuersimodè potuissent vti Sacramentis & peccatores, & innocentes: hi quidem ad augendam solummodò gratiam; illi verò & ad augendam, & ad recuperandam.

Si dicatur, quòd si potuerunt institui Sacramenta, quibus vti poterant illi qui nunquam amisissent innocentiam; etiam potuerunt institui, si nullus fuisset amissurus innocẽtiam: nam ratio D. Thom. vel absolutè concludit, vel nullo modo: Respondetur, quòd ratio D. Thom. concludit si status innocentiæ perseuerasset in omnibus: admissa verò mixtione innocentum & peccatorum; & institutione Sacramentorum pro peccatoribus; non concludit: nam supposito quòd innocentes & peccatores simul viuerent, & profiterentur eandem religionem, debebant vti iisdem signis religionis, quæ sunt Sacramenta; dummodo eorum forma non contradiceret conditioni ipsorum. Quod potest hac instantia confirmari, Beatissima Virgo præseruata singulari priuilegio in statu innocentiæ, suscepit Sacramentum Confirmationis in die Pentecostes, & quotidie suscipiebat Sacramentum Eucharistiæ.

Probatur quinta pars conclusionis. Omnia Sacramenta quæ fuerunt instituta, vel in Lege naturæ, vel in Lege scripta, significabant Christũ venturũ, & gratiam virtute Passionis eius causandam; vnde erant signa prognostica. Sacramenta verò Legis gratiæ significant Christũ venisse, & gratiã virtute Passionis eius causatam, vnde sunt signa rememoratiua: sed si Adam non peccasset, & ita perseuerasset status innocentiæ, Christus absolutè non erat venturus, iuxta sententiã D. Thom. & secundùm alios, erat quidem venturus, sed non passibilis: ergo Sacramenta illius status non fuissent eiusdẽ omninò rationis cum illis, quæ de facto fuerunt instituta in Lege naturæ, in Lege scripta, & in Lege gratiæ.

AD

Ad primum ergo dicendum, quòd est quidem de ratione naturæ humanæ, quòd per sensibilia cognoscat spiritualia cognitione naturali, non autem cognitione supernaturali: hanc enim debet habere spiritualiter & inuisibiliter, per reuelationem, aut illuminationem Angelorum qui sunt ipsi superiores, non autem per res corporeas & sensibiles ipsi inferiores, quandiu ipsa conseruat suam rectitudinem: quia verò perdendo innocentiam perdidit etiam hanc rectitudinem, subiiciendo se rebus sensibilibus; ideo iustè à Deo ipsis subiicitur, vt ab eis & quantùm ad scientiam supernaturalium, & quantùm ad gratiam, perficiatur: vnde licèt sit eadem natura hominis ante & post peccatum: non tamen est idem naturæ status.

Ad secundum dicendum cum D. Thoma hîc ar. 2. ad. 1. quòd homo in statu innocentiæ gratiâ indiguisset; non tamen vt eam consequeretur per aliqua sensibilia signa; sed spiritualiter & inuisibiliter: & hoc fuit medium conueniens tali statui, & perfectiori modo sic acquisiuisset, quàm nunc acquirat per Sacramenta: vtrùm autem acquisiuisset perfectiorem, in diuinis latet arcanis.

Ad tertium dicendum; quòd Augustinus loquitur supposita iam corruptione naturæ. Deinde perseuerante illo statu, homines potuissent colligari aliquo consortio sacrificiorum, quæ sunt signacula religionis & Sacramenta lato modo.

Ad quartum dicendum, quòd nullum est inconueniens hominem accipere à rebus sensibilibus scientiam naturalem; cùm hoc sit illi naturale, per hoc quòd res sensibiles sint obiecta potentiarum eius: & hoc vult D. Thom. loco citato primæ partis: esset autem inconueniens quòd in illo statu innocentiæ acciperet à rebus sensibilibus scientiam rerum supernaturalium; quia hoc esset subiici illis, in his in quibus non est subiectus ex sua natura. Ad aliud dicendum quòd intelligere per conuersionem ad phantasmata est connaturale homini, vnde non est mirum quòd Beati possint ad libitum hoc modo intelligere: hæc autem phantasmata efformantur ob perfectionem illius status in quantum anima efformat in parte sensitiua phantasmata plurium quæ videt in Verbo; & ita non accipit à rebus sensibilibus scientiam supernaturalium, sicut acciperet in nostro casu, sed illam habet ex quadam redundantia visionis beatæ.

Ad quintum dicendum; quòd in statu innocentiæ si perseuerasset, fuissent vera sacrificia, vt communior docet opinio: quia ex D. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. 1. & 4. Sacrificium est de iure naturæ: & affert rationem; quia iure naturæ tenetur homo profiteri omnia esse Dei: quod facit sacrificãdo & offerẽdo Deo. Nec solùm fuisset Sacrificiũ laudis; sed etiam fuisset aliqua signa externa ad colendũ Deũ: quia cùm vera fuisset Ecclesia, fuisset etiam determinatus aliquis cultus diuinus. Nec tantùm simplices fuissent rerum oblationes: sed etiam fuissent rigorosa sacrificia, per hoc quòd tales res, v. g. animalia, in cultu Dei consumerentur; ad protestandum quòd Deus est supremus vitæ & mortis Dominus. Est autem dispar ratio de Sacrificio, & de Sacramento: Sacrificium enim per se primò ordinatur ad cultum diuinum, & in eo nulla inuoluitur imperfectio ex parte sacrificantis qui agit circa res; agere autem est perfectio: Sacramentum autem per se primò ordinatur ad perficiendum suscipientem, qui patitur à rebus sensibilibus; hæc passio autem importat imperfectionem repugnantem statui innocentiæ, vt dictum est.

DVBIVM II.

Vtrùm in Lege naturæ necessaria fuerint Sacramenta.

Svpponendum est, nomine Legis naturæ intelligi totum illud tempus, quod fluxit à peccato primi Parentis vsque ad tempora Moysis; quando Deus Legem in Tabulis scriptam dedit populo Israël. Lex igitur naturalis, vt hîc accipitur, opponitur Legi scriptæ, & non Legi supernaturali. Igitur illo tempore non ex præceptis positiuis, sed dictamine rationis, vt plurimùm, homines instruebantur, quid agere deberent. Semper tamen continua traditione à primis Parentibus deriuata viguit fides de Saluatore generis humani venturo: quia, vt docet D. Thom. hîc ar. 3. ad 2. status humani generis secundùm fidei rationem semper vnus & idem permansit, quia scilicet iustificabantur homines per fidem futuri Christi aduentus: ac proinde tunc erant præcepta supernaturalia Fidei, Spei, & Charitatis; quæ sunt connaturalia gratiæ; vnde non opus erat positione & institutione vt obligarent.

Prima opinio negat in Lege naturæ necessaria fuisse Sacramenta. Probatur; si in Lege naturæ fuissent Sacramenta, fieret vel in Sacris, vel in prophanis Scripturis aliqua mentio ipsorũ, cùm sint res grauissimæ ad Religionem pertinentes: sed nulla fit mentio in Scripturis Sacramentorum Legis naturæ: ergo non fuerunt; ac proinde non fuerunt necessaria.

Secundò; si fuissent necessaria in Lege naturæ Sacramẽta, necessaria maximè fuissent ad iustificationem, tam paruulorum, quàm adultorum: sed ad hoc non fuerunt necessaria; nam paruuli iustificabantur à peccato originali, & saluabantur in fide parentum: adulti verò iustificabantur per Sacrificia à peccatis actualibus, vt expresſè docet S. Gregorius 4. Moral. cap. 2. & refertur De consecratione distinct. 4. cap. quod autem, vbi sic habetur; Quod autem apud nos

valet aqua Baptiſmi, hoc apud veteres egit pro paruulis ſola fides, & pro adultis virtus ſacrificij; pro his autem qui ex ſtirpe Abrahæ prodierunt, myſterium Circumciſionis. Quod etiam docet Aug. lib. De nuptiis, & D.Thom. infra q. 70. ar. 4. ergo in Lege naturæ non fuerunt neceſſaria Sacramenta.

Tertiò; Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ, quod debet eſſe determinatum à Deo; nam ipſe ſolus cognoſcit naturam gratiæ quæ tali ſigno debet ſignificari: ſed in Lege naturæ non fuerunt determinata ſigna, quæ eſſent Sacramenta, vt docet D. Thom. hîc ar. 3. ad 2. alioquin in illa Lege fuiſſent præcepta poſitiua circa talia Sacramenta; conſtat autem quòd in Lege naturæ non fuerunt præcepta poſitiua: ergo in Lege naturæ non fuerunt Sacramenta.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd in Lege naturæ fuerunt Sacramenta vera: 2. Neceſſaria tam pro iuſtificandis paruulis à peccato originali, 3. Quàm pro iuſtificandis adultis à peccatis actualibus. 4. Quæ Sacramenta non fuerunt immediatè, & in particulari à Deo determinata; 5. Sed vel quilibet ſibi determinabat, vel, quod probabilius eſt, à tota Republica determinabantur. 6. Sacramentum, quo tollebatur peccatum originale, fuit neceſſarium neceſſitate medij: alia verò plura tantùm neceſſitate præcepti.

Probatur prima pars concluſionis authoritate S.Aug. & D.Thom. S.Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. ait, In nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur. D. Th. expreſsè probat hîc ar. 3. quòd poſt peccatũ ante Chriſti aduentum neceſſe fuerit quædam Sacramenta inſtitui: quòd per ly, ante, intelligat tam tempore Legis naturæ, quàm tempore Legis ſcriptæ conſtat ex ipſo textu; maximè ex Reſponſione ad 2. Deinde probatur tribus congruentiis adductis à D. Thom. hîc ar. 1. quibus probatur neceſſaria eſſe Sacramenta ſuppoſito peccato. Quòd autem illa Sacramenta eſſent verè, & propriè talia, probatur tum authoritate D.Thom. in art. 3. vbi de illis agit tanquam de veris Sacramentis, tum ratione D. Thom. ibidem adducta: quia hæc ſigna ſignificabant gratiam, quæ tunc conferebatur à Deo; ſiquidem fideles cognoſcebant ſe iuſtificari in ordine ad Chriſtum venturum: ſignificabant etiam gloriam quam ſperabant: ergo erant ſigna rei Sacræ, ac proinde Sacramenta vera.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Sanctorum Patrum. Aug. lib. 4. contra Iulianum cap. 5. ait: Non eſt credendum ante datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullo Sacramento eius opitulatos eſſe paruulis ſuis. Cyprianus in lib. De cardinalibus operibus Chriſti, cap. de Circumciſione ait: Sane originale peccatum, quod à primis Parentibus in totam generis humani ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari: licèt vim plenam ſignificantia non habuerint dona, donec ad rem ipſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine; & licèt Sacramentorum arcana omnibus non paterent; virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat: quia ab Adam vſque ad Noë ſacrificia Deo conſtat eſſe accepta, quæ vſque ad illud tempus ſine Legis diſtinctione diuinitus inſpirata, inſtitutione primi hominis celebraret &c. Dicimus ergo quòd Sacramentum, quo delebatur peccatum originale, in Lege naturæ, conſiſtebat in aliqua Sacra cæremonia, quâ fiebat proteſtatio & profeſſio exterior fidei, ſaltem implicitè, in Chriſtum venturum; vnde poteſt vocari actus exterior fidei: applicans verò debebat intendere facere quod faciebant veri Dei cultores ad tollendum peccatum originale. Hoc autem remedium adultis, & paruulis commune erat, vt poſtea fuit Circumciſio, & nunc eſt Baptiſmus: quamuis in adultis prærequirebatur aliqua diſpoſitio præuia, ſicut nunc requiritur. Confirmatur; Deus tam in Lege ſcripta, quàm in Lege gratiæ habuit peculiarem prouidentiam inſtituendi aliquod remedium ad tollendum peccatum originale: & licèt in Lege ſcripta non fiat mentio quomodo mundarentur ab illo fœminæ; certum tamen eſt quòd mundabantur, & forte eodem modo quo in lege naturæ qui adhuc perſeuerabat: ergo hanc eandem prouidentiam habuit inſtituendi ſimile remedium in Lege naturæ; cùm ſit par ratio, & æqualis neceſſitas.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Thom. hîc, ar. 3. ad 2. vbi ſolùm diſtinguit Sacramenta Legis ſcriptæ à Sacramentis Legis naturæ, tanquam determinatum ab indeterminato: ait enim; Et ideo etiam neceſſe fuit, quòd in veteri Lege quædam Sacramenta fidei, quam habebant de Chriſto venturo, determinarétur; quæ quidem comparantur ad Sacramenta quæ fuerunt ante Legem, ſicut determinatum ad indeterminatum: ſed certum eſt in Lege ſcripta fuiſſe vera Sacramenta pro iuſtificandis adultis à peccatis actualibus; fuerunt enim inſtitutæ Ceremoniæ ſacræ ad hunc effectum, vt conſtat ex antiquo Teſtamento; & probat D. Th. 1. 2. q. 102. quibus in toto rigore competit ratio Sacramenti, cùm eſſent ſigna viſibilia ſanctificationis humanæ: ergo ex D. Thom. fuerunt in Lege naturæ vera Sacramenta, neceſſaria pro iuſtificandis adultis à peccatis actualibus: quod etiam expreſsè docet infra q. 84. & 86. vbi ait Pœnitentiam eſſe quodammodo de iure naturæ, & fuiſſe Sacramentum Pœnitentiæ in Lege naturæ, licèt non determinatum ſicut in Lege gratiæ. Deinde non videtur aſſignabilis

..tio; cur Deus in Lege naturæ prouidere ..erit antiquis illis Patribus aliqua remedia, ..us adiuuarentur in delendis peccatis actua..s cùm illa prouiserit in Lege scripta, & ex..lentiori modo in Lege gratiæ: maximè cùm ..er eos fuerint multi Deo Charissimi, vt patet . Scripturis: ergo in Lege naturæ fuerunt Sa..amenta pro iustificandis adultis à peccatis ..ctualibus.

Probatur quarta pars conclusionis authorita..e & ratione D. Thom. hîc ar. 3. ad 2. vbi sic ait, Oportebat etiam quòd per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei: quia, vt Gregorius dicit, per incrementa temporum creuit Diuinæ cognitionis augmentum. Et ideo etiam necesse fuit, quòd in veteri Lege quædam Sacramenta fidei, quæ habebant de Christo venturo, determinarentur: quæ quidem comparantur ad Sacramenta quæ fuerunt ante Legem, sicut determinatum ad indeterminatum: quia scilicet ante Legem non fuit determinatè præfixum homini quibus Sacramentis vteretur, sicut fuit per Legem, quod erat necessarium & propter obtenebrationem Legis naturalis, & vt esset determinatior fidei significatio. Ratio igitur in hoc consistit, quòd Sacramenta, cùm sint cæremoniæ sacræ ad Religionem pertinentes, debent proportionari fidei illius status in quo sunt in vsu: ergo cùm status Legis naturæ, vt potè remotissimus à Christo, non exigeret fidem tam expressam & explicitam ipsius Christi; sic nec exigebat Sacramenta determinata à Deo, quæ essent expresse protestationes ipsius fidei. Idem docet S. Aug. lib. 19. contra Faustum. Deinde si in Lege naturæ fuissent à Deo immediatè & in particulari determinata Sacramenta pro tota Ecclesia illius status, fieret de illis aliqua mentio in Sacris litteris; maximè in libro Genesis qui continet historiam illius temporis: non enim sileretur res tam præcipua, cùm aliæ minores referantur; & referantur in aliis libris Sacramenta Legis scriptæ: quia fuerant immediatè, & in particulari à Deo determinata; vnde cùm nulla de illis fiat mentio, concludendum est non fuisse à Deo immediatè, & in particulari determinata.

Probatur & explicatur quinta pars conclusionis. Dicimus igitur fuisse à Deo reuelatum primo Parenti, quòd deberêt homines iustificari in aliquo signo externo, in quo fieret protestatio fidei in Saluatorem venturum, saltem implicitè: paruuli quidem à peccato originali; adulti verò à peccatis actualibus, profitentes se esse peccatores: non tamen fuit determinatum signum in particulari quo vti deberent; sed talis determinatio vel fuit relicta arbitrio cuiuslibet, vel Reipublicæ & Ecclesiæ illius temporis. Et hoc per continuatam traditionem à primo Parente toto illo tempore perseuerauit: Hæc est mens S. Cypriani, vt constat ex vltimis verbis authoritatis ipsius superius adductæ. Quòd autem sit probabilius hanc determinationem fuisse factam authoritate Reipublicæ, & Ecclesiæ illius temporis; ac proinde quòd illicitum esset his relictis vti aliis signis, probatur authoritate adducta S. Augustini dicentis, quòd in nullum nomen religionis coadunari homines possunt, nisi aliquo Sacramentorum visibilium consortio colligentur: & hoc procedit, quia homo ex natura sui est animal sociabile & politicum. Deinde ad Rempublicam benè institutam pertinet dirigere ciues, non solùm in ordine ad bonum temporale; sed etiam & maximè in ordine ad bonum spirituale: ergo cùm Sacramentorum vsus pertineat ad bonum spirituale, in Lege naturæ determinata fuerunt authoritate Reipublicæ, & Ecclesiæ, saltem particularis, pro diuersitate prouinciarum, vel aliquo decreto, vel introductione. Cum hoc tamen stat, vt alia signa possent assumi validè in Sacramenta; quia, vt dictum est, hæc determinatio signorum in particulari non erat de iure diuino; vnde non erat immutabilis quantùm ad valorem: licèt peccasset qui alia signa assumpsisset tum ratione scandali, tum ratione periculi, cui se exponebat non conficiendi verum Sacramentum, cùm posset errare non debitè assumendo alia signa tanquam improportionata fini significando. Cum dictis stat, Deum peculiari priuilegio aliqua Sacramenta determinasse aliquibus viris Sanctis in particulari, quibus alij vti poterant: sed quia non tenebantur, nec omnibus obseruanda proponebantur; ideo dictum est Sacramenta Legis naturæ non fuisse immediatè & in particulari determinata à Deo. Hoc peculiare priuilegium Legitur Gen. 14. concessum Melchisedech: nam dicitur Sacerdos Dei altissimi, quia ex Dei expressa reuelatione accepit panem & vinum ad Sacrificium, quod ex D. Th. hîc art. 3. ad 3. fuit etiam Sacramentum quo vtebatur ad se conseruandum in gratia. Item Iob, cap. vltimo habentur determinata à Deo sacrificia, quibus amici Iob mundati sunt, quæ proinde fuerunt Sacramenta.

Probatur & explicatur sexta pars conclusionis illud dicitur necessarium necessitate medii, quando ab illo tanquam medio ita pendet assecutio finis, vt sine illo talis finis acquiri non possit; vnde etiam hæc necessitas dicitur necessitas finis. Illud autem dicitur necessarium necessitate præcepti, quando finis absolutè quidem alio medio acquiri potest, est tamen præceptum Superioris, vt tali medio acquiratur. Hoc posito, sic procedit ratio: Illud est necessariũ necessitate medij, sine quo finis haberi non potest, vt dictum est: sed peccatum originale non poterat auferri sine illo Sacramento, supposita institutione diuina, vt fatentur omnes,

sicut

ſicut nec in Lege ſcripta ſine Circumciſione, & nunc in Lege gratiæ ſine Baptiſmo: ergo Sacramentum illud, quo tollebatur peccatum originale, fuit pro paruulis in actu, pro adultis verò ſaltem in voto neceſſarium neceſſitate medij. Nullus autem dubitat fuiſſe neceſſarium neceſſitate præcepti. Quòd denique plura alia Sacramenta fuerint tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti, conſtat: quia tam in Lege ſcripta, quàm in Lege gratiæ inueniuntur Sacramenta, quæ ſunt tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti: ergo multò magis in Lege naturæ, vbi Sacramenta non fuerunt immediatè, & in particulari determinata à Deo, ſicut determinata fuerunt in Lege ſcripta, & in Lege gratiæ; & conſequenter non habebant tantam connexionem cum fine, ſicut iſta: vnde ſi ſine iſtis finis acquiri poteſt, multò magis ſine illis, & ita fuerunt tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti.

Ad primum ergo dicendum; quòd cùm hæc Sacramenta Legis naturæ non fuerint immediatè, & in particulari à Deo determinata; non mirum quòd nulla habeatur mentio illorum in Scripturis, maximè diuinis.

Ad ſecundum dicendum, quòd quando Sancti Patres aſſerunt paruulos in Lege naturæ iuſtificatos & ſaluatos fuiſſe in fide parẽtum, non intendunt excludere illud ſignum externum, quod vocamus Sacramentum: ſed illud includunt tanquam ſignum proteſtatiuum fidei internæ. Adulti autem dicuntur tunc iuſtificati per Sacrificia, quia illa ſigna externa, quibus iuſtificabantur ſimul erant & Sacramenta, & Sacrificia; vel etiam quia illis Sacramentis coniungebantur Sacrificia.

Ad tertium dicendum, quòd non eſt de ratione generica Sacramenti, quòd ſit determinatum immediatè à Deo in particulari: ſed ſufficit quòd ſit ab illo determinatum in communi; quod concedimus Sacramentis Legis naturæ: huic autẽ non repugnat dicere, quòd tunc fuerint aliqua præcepta poſitiua: dicitur enim Lex naturæ, quia tunc homines vt plurimùm ducebantur inſtinctu naturæ ad operandum; ſed illâ poſtmodùm obtenebratâ, opus fuit Lege ſcripta, quæ illos in omnibus penè dirigeret.

DVBIVM III.

Vtrùm in ſtatu Legis ſcriptæ fuerint Sacramenta.

Svpponendum eſt, ſtatum Legis Scriptæ computari ab illo tempore quo Moyſi duci populi Iſraëlitici, ex Ægypto in Terram promiſſionis properanti, in monte Sina data fuit Lex miniſterio Angelorum, in Tabulis lapideis ſcripta, vt eam toti populo promulgaret in poſterum obſeruandam. Cum hoc tamen ſtat, tempus illud quod fluxit à vocatione Abraham vſque ad Legem datam, aliquo modo pertinere ad hunc ſtatum; quia tunc incœpit myſterium Circumciſionis, qua hic populus ſpecialiter eligebatur à Deo. Lex autem ſcripta ſolùm populum Iſraëliticum ad ſui obſeruantiam obligabat.

Poteſt eſſe opinio, quòd in ſtatu Legis ſcriptæ non fuerint Sacramenta. Probatur; Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ, ſiue ſanctificationis humanæ: ſed nullum fuit tale ſignum in ſtatu Legis ſcriptæ; nam omnia ſigna, quæ tunc fuerunt, vocantur ab Apoſtolo egena & infirma Elementa; quod immeritò fieret, ſi eſſent ſigna rei Sacræ: ergo in ſtatu Legis ſcriptæ non fuerunt Sacramenta.

Secundò; ſi in ſtatu Legis ſcriptæ fuit aliquod Sacramentum, maximè fuit ad delendum peccatum originale; hoc enim fuiſſet magis neceſſarium: ſed non conſtat fuiſſe in ſtatu Legis ſcriptæ aliquod Sacramentum ordinatum ad delendum peccatum originale; nam Circumciſio, quæ poſſet aſſignari, ſolis maribus adhibebatur: & his potiùs tanquam in ſignum populi à Deo electi, quàm in remedium peccati originalis, vt conſtat ex Scriptura: ergo in ſtatu Legis Scriptæ non fuerunt Sacramenta.

Tertiò; ſi in ſtatu Legis ſcriptæ fuerunt Sacramenta, vel fuerunt omnes illæ Cæremoniæ ſacræ quæ tunc obſeruabantur, vel tantùm aliquæ: ſed neutrum dici poteſt; Non primum, quia videtur inconueniens ita multiplicari Sacramenta in illo ſtatu: Nec ſecundum; quia cùm omnes illæ Cæremoniæ eſſent ſacræ, & à Deo inſtitutæ, non eſt maior ratio, cur aliquæ potiùs quàm aliæ eſſent Sacramenta: ergo in ſtatu Legis ſcriptæ non fuerunt Sacramenta.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd in ſtatu Legis Scriptæ plura fuerunt Sacramenta. 2. Præcipua autem inter ipſa fuerunt illa quæ expreſſiùs præfigurabant Sacramenta Legis gratiæ. Ita communiter Theologi.

Probatur prima pars concluſionis: tum communi conſenſu Sanctorum Patrum, & Theologorum cum D.Thom. hîc art.4. & 1.2. quæſt. 102. præcipuè art. 5. vbi de illis agit expreſsè, eorum conuenientiam referens; tum authoritatibus & congruentiis, quibus ſupra probatum eſt fuiſſe Sacramenta in Lege naturæ; eandem enim efficaciam habent ad probandum quòd fuerint Sacramenta in ſtatu Legis ſcriptæ, vt conſideranti patet.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Excellentia figuræ conſiſtit in expreſſione rei figuratæ, vt ex ſe patet; cùm enim totum eſſe figuræ formaliter conſideratæ ſit in ordine ad figuratum, excellentia figuræ conſiſtit in maiori expreſſione ipſius figurati, ſiue in maiori conformitate ad ipſum: ſed Sacramenta Legis Scriptæ fuerunt

fuerunt figuræ Sacramentorum Legis gratiæ; quia, vt ait Apostolus, Omnia in figura contingebant illis: ergo præcipua inter Sacramenta Legis scriptæ fuere illa, quæ expressiùs præfigurabant Sacramenta Legis gratiæ. Quænam autem Sacramenta Legis scriptæ correspondebant Sacramentis Legis gratiæ? sic exprimit D. Thom. 1.2.q.192.art.5.ad 3. Circumcisioni respondet Baptismus, qui est fidei Sacramentum; vnde dicitur ad Col. 2. Circumcisi estis in Circumcisione Domini nostri Iesu Christi, consepulti ei in Baptismo. Conuiuio verò agni Paschalis respondet in noua Lege Sacramentum Eucharistiæ. Omnibus autem purificationibus veteris Legis respondet in noua Lege Sacramentum Pœnitentiæ. Consecrationi autem Pontificis & Sacerdotum respondet Sacramentum Ordinis. Deinde affert rationem cur in Lege scripta non essent Sacramenta figuralia correspondentia aliis tribus Sacramentis Legis gratiæ, subiungens; Sacramento autem Confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri Lege aliquod Sacramentum, quia nondum aduenerat tempus plenitudinis, eo quòd neminem ad perfectum adduxit Lex. Similiter autem & Sacramento extremæ-Vnctionis, quod est quædam immediata præparatio ad introïtum gloriæ, cuius aditus nondum patebat in veteri Lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri Lege, prout erat in officium naturæ; non autem prout est Sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta: Vnde & in veteri Lege dabatur libellus repudij, quod est contra Sacramenti rationem.

Ad primum ergo dicendum cum D.Thom. hic art.4. ad 2. quòd Sacramenta veteris Legis, Apostolus vocat egena & infirma Elementa; quia gratiam non continebant, nec causabant; sicut continent & causant Sacramenta Legis gratiæ: ad rationem autem Sacramenti vt sic, non requiritur quòd causet gratiam, sed sufficit quòd eam significet causatam.

Ad secundum dicendum, quòd in statu Legis scriptæ fuit Sacramentum pro delendo peccato originali; pro maribus videlicet Circumcisio propter conuenientiam quam D. Thom. 1.2. quæst. 102. art. 5. assignat: pro fœminis autem erat aliud, forte idem quod in Lege naturæ, quod adhuc perseuerabat: cùm Deus tantùm illud mutasset in Circumcisionem in ordine ad mares, quæ præcipuè fuit ordinata à Deo ad delendum peccatum originale, & secundariò etiam ad distinctionem populi Israëlitici ab aliis.

Ad tertium dicendum, quòd ex illis sacris cæremoniis Legis scriptæ, illæ tantùm quæ significabant sanctificationem humanam, erant Sacramenta: aliæ verò erant tantùm Sacramentalia; vt proportione seruatâ dicimus in Lege gratiæ, in qua sunt tantùm septem Sacramenta, licèt sint plures cæremoniæ sacræ, quæ dicuntur Sacramentalia, vt sumptio aquæ benedictæ, &c.

DVBIVM IV.

Vtrùm Sacramenta Legis gratiæ sint perfectiora Sacramentis Legis scriptæ.

Svpponendum est tanquam de fide, id quod iam probatum est, & iterùm probabitur infra; in Lege gratiæ esse septem vera Sacramenta: Et sunt Baptismus, ordinatus per se primò ad delendum peccatum originale: Confirmatio, ordinata ad robur animæ renatæ per Baptismum, vt confiteatur fidem; sicut enim Baptismus est regeneratio spiritualis, sic Confirmatio est augmentum siue accretio spiritualis: Eucharistia, ordinata ad conseruandam vitam spiritualem per modum nutrimenti: Pœnitentia, ordinata ad tollendos animæ morbos, videlicet peccata, per modum medicinæ & purgationis spiritualis: Extrema-Vnctio, ordinata ad tollendas reliquias peccatorum quibus debilitatur anima, vt sic perfectè purgata possit perfectè resistere dæmonum tentationibus in agonia, in qua sunt vehementiores: & tandem Ordo & Matrimonium, quæ potiùs ordinata sunt ad bonum totius Ecclesiæ, quàm ad bonum particularium: Ordo quidem, ad multiplicandos Ecclesiæ Ministros: Matrimonium autem, ad multiplicandos eiusdem Ecclesiæ filios.

Prima opinio, sed hæretica, negat Sacramenta Legis gratiæ esse perfectiora & excellentiora Sacramentis Legis Scriptæ. Ita docent Hæretici moderni. Probatur; Sacramentum est signum rei sacræ, sicenim definitur; perfectio autem signi alia est materialis consistens in entitate ipsius rei significantis, alia est formalis consistens in similitudine rei significatæ ad rem significatam, quatenus illam perfectè exprimit, & adæquat: sed Sacramenta Legis gratiæ nullam perfectionem ex prædictis habent supra Sacramenta Legis scriptæ; nam v.g. agnus Paschalis non est quid imperfectius in sua entitate, quàm panis & vinum, nec minus exprimit Christum qui dicitur Agnus Dei, quàm illa; imò è contra: ergo Sacramenta Legis gratiæ non sunt perfectiora & excellentiora Sacramentis Legis Scriptæ.

Secundò, nihil aliud habent Sacramenta Legis gratiæ supra Sacramenta Legis scriptæ; nisi quòd illa significant Christum præsentem, hæc verò significabant Christum futurum: sed potest fieri quòd signum rei futuræ sit æquè perfectum, imò perfectius signo rei præsentis: ergo Sacramenta Legis gratiæ non sunt perfectiora & excellentiora Sacramētis Legis scriptæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd est de fide Sacramenta nouæ Legis, siue Legis gratiæ esse perfectiora, & excellentiora Sacramentis antiquæ Legis, siue Legis scriptæ. Ita communiter docent Theologi.

Probatur conclusio authoritate Scripturæ Sacræ, & Conciliorum: Sanctus Paulus sæpe dicit Sacramenta Legis Scriptæ fuisse figuras Sacramentorum Legis gratiæ. Et ad Coloss. 2. faciendo allusionem illorum ad Sacramenta Ecclesiæ, vocat ea egena & infirma Elementa: quę omnia manifestè probant Sacramenta Legis gratiæ esse multò perfectiora & excellentiora Sacramentis Legis scriptæ. Concilium Tridentinum sess. 7. de Sacramentis in genere, canone 2. sic determinat: Si quis dixerit ea ipsa nouæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi; anathema sit. Eius autem intentum est damnare hunc errorem Hæreticorum dicentium Sacramenta Legis gratiæ non esse perfectiora Sacramentis Legis scriptæ. Idem similiter definitur exprefsè in Concilio Florentino, tractatu de Sacramentis: vnde talis est communis consensus totius Ecclesiæ.

Probatur Secundò authoritate Sanctorum Patrum, & Theologorum. S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 13. dicit, quòd Sacramenta veteris Legis sunt ablata quia impleta; & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Idem docet S. Ambrosius libr. de Sacramentis, cap. 4. & 6. Idem passim docet D. Thom. tum in præsenti tractatu de Sacramentis in genere, tum 1. 2. qu. 102. & communiter cum eo Theologi.

Probatur tertiò ratione. Illa Sacramẽta sunt perfectiora, quæ perfectiori modo significant; cùm Sacramenta sint signa rei sacræ essentialiter; perfectio autem formalis signorũ desumitur à perfectiori modo significandi siue exprimendi, hoc enim est tantùm in illis formale & essentiale: sed Sacramenta Legis gratiæ perfectiori modo significant quàm Sacramenta Legis scriptæ: quia Sacramenta Legis scriptæ solis rebus constabant; Sacramenta autem Legis gratiæ, & rebus magis significantibus, & verbis determinatè significantibus constant: quòd verba, quæ sunt forma Sacramentorum, determinatè significent; satis eorum relatione patet: quòd autem res, quæ sunt materia, sint magis significantes, patet comparatiuâ inductione: nam ablutio Baptismalis magis significat munditiam à peccato originali quàm Circumcisio. Sumptio Eucharistiæ vt pote continentis realiter Christum verum Deum & hominem, fontem totius sanctitatis, magis significat conuiuium spirituale, quàm esus agni Paschalis. Actus pœnitentis, videlicet confessio cum dolore de peccatis, connaturaliùs repræsentat remissionem ipsorum, quàm illæ expiationes quæ fiebant in Lege scripta, & sic de aliis: ergo Sacramenta Legis gratiæ sunt perfectiora & excellentiora Sacramentis Legis scriptæ. Deinde, Sacramenta Legis gratiæ vltra hoc quòd significant gratiam, illam verè causant, physicè, vt dicetur disputatione sequenti; Sacramenta autem Legis scriptæ solùm significabant gratiam, & nullo modo physicè causabant, solummodo concurrebant ad eius causalitatem per modum conditionis sine qua non: sed perfectius est gratiam significare simul & causare, quàm tantùm significare: ergo Sacramenta Legis gratiæ sunt perfectiora Sacramentis Legis scriptæ. Hæ autem rationes probant, non solùm Sacramenta Legis gratiæ excedere in perfectione Sacramenta Legis scriptæ sibi correspondentia; sed etiam probant quodlibet Sacramentum Legis gratiæ excedere quodlibet Sacramentum Legis scriptæ. Denique inter Sacramenta Legis gratiæ sunt aliqua, quæ imprimunt characterem spiritualem, siue dant virtutem & potestatem animæ, quod nulli Sacramento Legis scriptæ competebat; quod indicat excellentiam Sacramentorum Legis gratiæ supra Sacramenta Legis scriptæ: ergo Sacramenta Legis gratiæ sunt perfectiora & excellentiora Sacramentis Legis scriptæ.

AD primùm ergo dicendum, quòd Sacramenta Legis gratiæ perfectiùs repræsentant & significant, quàm Sacramenta Legis scriptæ, tum ratione materiæ, tum & maximè ratione formæ, vt dictũ est; vnde sunt signa perfectiora perfectione formali, quæ maximè attenditur in signis; perfectio autem materialis, & entitatiua se habet per accidens: quamuis in exemplo allato adhuc sit maior perfectio entitatiua in Sacramento Eucharistiæ, quod non dicit panem & vinum, vt volunt Hæretici: sed Corpus & Sanguinem Christi Domini sub speciebus panis & vini, sub quibus per concomitantiam est etiam diuinitas; quæ omnia sine dubio excedunt perfectionem agni Paschalis.

AD secundum dicendum; quòd Sacramenta Legis gratiæ habent supra Sacramenta Legis scriptæ multa alia; nempe quòd expressiùs & perfectiùs significent sanctitatem, & quòd illam causent. Quòd autem significent Christum præsentem; Sacramenta verò Legis scriptæ significarent ipsum futurum, est radix maioris & perfectioris significationis; conueniens enim est, vt res præsens actu perfectiùs significetur, quàm dum erat futura,

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia, in sex articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de effectu Sacramentorum. Et primo de effectu eorum principali, qui est gratia. Secundo, de effectu secundario, qui est character.

¶ Circa primum quæruntur sex.
¶ Primo, vtrum Sacramenta nouæ legis sint causa gratiæ.
¶ Secundo, vtrum gratia Sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.
¶ Tertiò, vtrum Sacramenta contineant gratiam.
¶ Quartò, vtrum sit in eis aliqua virtus ad causandam gratiam.
¶ Quinto, vtrum talis virtus in Sacramentis deriuetur à passione Christi.
¶ Sextò, vtrum Sacramenta veteris legis, gratiam causarent.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta sint causa gratiæ.

338 AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quòd Sacramenta non sint causa gratiæ. Non enim idem videtur esse signum & causa, eo quod ratio signi videtur magis effectui competere. Sed Sacramentum est signum gratiæ. Non igitur est causa eius.

*Inf. art. 6. & qu. 64 a. 1. & 2. d. 40. a. 3. & 4. d. 1. q. 1. & a. 4. q. 1. & ar. 3. q. 1. & 4. cont. cap. 57. & 74. princ. & vol. 2. in prin. & ver. q. 27. art. 4. & quod. 12 art. 14. * l. 12. c. 16. in medio tom. 3. † tra. 80. a med. to. 9*

¶ 2 Præterea, Nullum corporale agere potest in rem spiritualem, eo quod agens honorabilius est patiente, vt Augustinus dicit * 12. Super Genesim ad litteram. Sed subiectum gratiæ est mens hominis, quæ est res spiritualis. Non ergo Sacramenta possunt gratiam causare.

¶ 3 Præterea, illud quod est proprium Dei, non debet alicui creaturæ attribui. Sed causare gratiam est proprium Dei secundum illud Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Cum ergo Sacramenta consistant in quibusdam verbis & rebus creatis, non videtur, quod possint gratiam causare.

SED contra est, quod Augustinus † dicit super Ioannem quod aqua Baptismalis corpus tangit, & cor abluit. Sed cor non abluitur, nisi per gratiam. Ergo causat gratiam, & pari ratione alia Ecclesiæ Sacramenta.

CONCLVSIO.

Tametsi solus Deus effectiua & principalis causa gratiæ sit, Sacramenta tamen nouæ legis causant ipsam per modum instrumenti.

RESPONDEO dicendum, quòd necesse est dicere Sacramenta nouæ Legis, per aliquem modum gratiam causare. Manifestum est enim, quòd per Sacramenta nouæ Legis, homo Christo incorporatur, sicut de Baptismo dicit Apostolus ad Galat. 3. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non autem efficitur homo membrum Christi, nisi per gratiam. Quidam tamen dicunt, quòd non sunt causa gratiæ aliquid operando, sed quia Deus, Sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex Regis ordinatione, non quòd denarius ille aliquid operetur ad habendum prædictæ pecuniæ quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas Regis. Vnde & Bernardus † dicit in quodam sermone de cœna Domini, Sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersæ, sunt traditæ Sacramentis.

Bernar. in ser. de cœna, ante fin. eius.

Sed si quis rectè consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus, non est nisi quoddam signum regiæ ordinationis de hoc, quòd pecunia recipiatur ab isto. Similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur Sacramenta nouæ Legis nihil plus essent, quàm signa gratiæ: cum tamen ex multis sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta nouæ Legis non solum significant, sed causant gratiam.

Et ideo aliter dicendum, quòd duplex est causa agens, principalis, & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo nihil potest causare gratiam nisi Deus: quia gratia nihil est aliud, quàm quædam participata similitudo diuinæ naturæ, secundum illud 2. Pet. 1. Magna nobis & pretiosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ. Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo mouetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti: sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta nouæ legis gratiam causant. Adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Vnde Augustinus * dicit 19. contra Faustum. Hæc omnia, sacramentalia, fiunt & transeunt: virtus tamen, scilicet Dei, quæ per ista operatur, iugiter manet. Hoc autem propriè dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Vnde & Tit. 3. dicitur: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

cap. 19. in prin. to. 6.

AD primum ergo dicendum, quod causa principalis non propriè potest dici signum effectus, licet occulti, etiam si ipsa sit sensibilis & manifesta. Sed causa instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti: eo quod non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus, inquantum mouetur à principali agente. Et secundum hoc Sacramenta nouæ legis, simul sunt causæ, & signa: & inde est quòd sicut communiter dicitur efficiunt quod figurant. Ex quo etiam patet quod habent perfectè rationem Sacramenti, inquantum ordinantur ad aliquid sacrum non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ.

AD secundum dicendum, quòd instrumentum habet duas actiones: Vnam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam: sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim facit lectum. Et similiter Sacramenta corporalia, per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam: sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propriam virtutem: abluit animam inquantum est instrumentum virtutis diuinæ: nam ex anima & corpore vnum fit. Et hoc est quod August. * dicit, quod corpus tangit, & cor abluit.

loco citato in arg. sed contra.

AD tertium dicendum, quod ratio illa procedit de eo, quod est causa gratiæ per modum principalis agentis. Hoc enim est proprium Dei, vt dictum est *.

In cor. a.

ARTICVLVS II.

Vtrùm gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd gratia Sacramentalis non addat aliquid super gratiam virtutum & donorum. Per gratiam enim virtutum & donorum perficitur anima sufficienter, & quantum ad essentiam animæ, & quantum ad potentias eius, vt patet ex his, quæ in secunda parte * dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animæ perfectionem. Ergo gratia Sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorum. 339

inf. q. 72. a. 7. ad 2. & 4. dist. 7. q. 2. a. 2. q. 3. Et d. 17. q. 1. a. 4. q. 1. p. 2. q. 110. a. 3. & 4.

¶ 2 Præterea, Defectus animæ ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum & donorum: quia nullum est peccatum, quod non contrarietur alicui virtuti. Gratia ergo Sacramentalis, cum ordinetur ad defectus animæ tollendos, non potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorum.

¶ 3 Præterea, Omnis additio vel subtractio in formis, variat speciem: vt dicitur 8. † Metaphysic. Si ergo gratia Sacramentalis addat aliquid super gratiam virtutum & donorum, sequitur, quod æquiuocè dicatur gratia. Et sic nihil certum nobis ostenditur, ex hoc quod sacramenta dicantur gratiam causare.

l. 8. te. 10 tom. 3.

SED contra est, quod si gratia Sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum & virtutum, frustra Sacramenta habentibus & dona & virtutes conferrentur. In operibus autem Dei nihil est frustra. Ergo videtur, quod gratia Sacramentalis aliquid addat super gratiã virtutum & donorum.

CONCLVSIO

Gratia Sacramentalis super gratiam virtutum & donorum addit quoddam diuinum auxilium ad finem Sacramenti consequendum, sicut dona & virtutes super gratiam addere videntur quandam perfectionem determinatam, ad proprios potentiarum actus perficiendos.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut in secunda parte dictum est. *) gratia secundum se considerata, perficit essentiam animæ, inquantum participat quandam similitudinem diuini esse. Et sicut ab essentia animæ fluunt eius potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramẽta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana, sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, & fit membrum Christi, qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes & dona addunt super gratiam communiter dictam, quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum: ita gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia Sacramentalis addit super gratiam virtutum & donorum.

p. 2. q. 110. a. 3. & 4.

AD primum ergo dicendum, quòd gratia virtutum & donorum sufficienter perficit essentiam & potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ. Sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiritur Sacramentalis gratia.

AD secundum dicendum, quod per virtutes & dona excluduntur sufficienter vitia & peccata, quantum ad præsens & futurum, inquantum scilicet impeditur homo, per virtutes & dona à peccando. Sed quantum ad præterita peccata, quæ transeunt actu: & permanent reatu, adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

AD tertium dicendum, quòd ratio Sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Vnde sicut non æquiuocè dicitur animal communiter dictum, & pro homine sumptum: ita non æquiuocè dicitur gratia communiter sumpta, & gratia Sacramentalis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis contineant gratiam.

AD TERTIVM sic proceditur Videtur quòd sacramenta nouæ legis non contineant gratiam. Contentum enim videtur esse in continente. Sed gratia non est in Sacramento, 340

4. d. 1. a. 4. q. 4. & q. 27 a. ...

neque sicut in subiecto (quia subiectum gratiæ non est corpus, sed spiritus) neque sicut in vase: quia vas est locus mobilis, vt dicitur in 4. † Physico. Esse autem in loco, non convenit accidenti. Ergo videtur, quod sacramenta nouæ legis non contineant gratiam.

lib. 4. tt. 41. tt. 2.

¶ 2 Præterea, Sacramenta ordinantur ad hoc, quod homines per ea gratiam consequantur. Sed gratia cum sit accidens, non potest transire de subiecto in subiectum. Ergo pro nihilo esset gratia in Sacramentis.

¶ 3 Præterea, Spirituale non continetur à corporali, etiam si in eo sit: non enim anima continetur à corpore, sed potius continet corpus. Ergo videtur, quod gratia, cum sit quiddam spirituale, non contineatur in Sacramento corporali.

Sed contra est, quod Hugo de sancto Victore dicit, quod Sacramentum ex sanctificatione inuisibilem gratiã continet.

lib. de sacra. par. 19. c. 1.

CONCLVSIO.

Sacramenta nouæ legis continent gratiam, sicut causa instrumentalis effectum continere dicitur.

Respondeo dicendum, quod multipliciter aliquid dicitur esse in alio, inter quos duplici modo gratia est in Sacramentis. Vno modo sicut in signo: nam Sacramentum est signum gratiæ. Alio modo sicut in causa: nam sicut dictum est*, Sacramentum nouæ legis est instrumentalis gratiæ causa. Vnde gratia est in Sacramento nouæ legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus est in causa vniuoca: neque etiam secundum aliquam formam propriam & permanentem proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non vniuocis, puta, res generatæ in Sole. Sed secundum quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluens & incompleta in esse naturæ, vt infra dicetur †.

art. præced.

ar. seq.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia non dicitur esse in Sacramento sicut in subiecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, secundum quod dicitur Ezech. 9. Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

Ad secundum dicendum, quod quamuis accidens non transeat à subiecto in subiectum: transit tamen à causa per instrumentum aliqualiter in subiectum, non ut eodem modo sit in eis, sed in vnoquoque secundum propriam rationem.

Ad tertium dicendum, quod spirituale existens perfecte in aliquo: continet ipsum, & non continetur ab eo. Sed gratia est in Sacramento secundum esse fluens & incompletum, Et ideo non inconuenienter sacramentum dicitur continere gratiam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causatiua.

341 AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quòd in Sacramentis non sit aliqua virtus gratiæ causatiua. Virtus enim gratiæ causatiua, est virtus spiritualis. Sed in corpore non potest esse virtus spiritualis, neque ita, quod sit propria ei (quia virtus fluit ab essentia rei, & ita non potest eam transcendere) neque ita, quod recipiat eam ab alio: quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modum recipientis. Ergo in sacramentis non potest esse aliqua virtus gratiæ causatiua.

inf. q. 78. a. 4. & 4. d. 1. q. 1. a. 4. q. 2. a. 3. q. 2. art. 3. & quol. 12. a. 15.

¶ 2 Præterea, Omne quod est, reducitur ad aliquod genus entis; & ad aliquem gradum boni. Sed non est dare in quo genere entis sit talis virtus (vt patet discurrenti per singula) nec etiam potest reduci ad aliquem gradum bonorum: neque enim est inter minima bona, quia Sacramenta sunt de necessitate salutis: neque etiam inter media bona, cuiusmodi sunt potentiæ animæ, quæ sunt quædam potentiæ naturales neque etiam inter maxima bona, quia nec est gratia nec virtus mentis. Ergo videtur, quod in Sacramentis nulla sit virtus, gratiæ causatiua.

¶ 3 Præterea, Si talis virtus est in Sacramentis, non causatur in eis nisi per creationem à Deo. Sed inconueniens videtur, quod tam nobilis creatura, statim esse desinat Sacramento perfecto. Ergo videtur quòd nulla virtus sit in Sacramentis ad gratiam causandam.

¶ 4 Præterea, Idem non potest esse in diuersis. Sed ad Sacramentum concurrunt diuersa, scilicet verba & res. Vnius autem Sacramenti non potest esse nisi virtus vna. Ergo videtur, quòd in Sacramentis nulla sit virtus.

Sed contra est, quod Augustinus * dicit super Ioannem. Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Et Beda * dicit, quòd Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis.

* August. tra. 80 in Io. post medium 9.
* in hom. euange. quod communi in oct. Epi. id habetur in homiliario totius anni einsdem.

CONCLVSIO.

Est in Sacramentis quædam instrumentalis virtus ad inducendum gratiam quæ est Sacramenti effectus, proportionata instrumento non permanens quidem, sed transiens, sicut instrumentum nisi à principali agente motum, non operatur.

Respondeo dicendum, quòd illi, qui ponunt quod Sacramenta non causant gratiam, nisi per quandam concomitantiam, ponunt, quòd in Sacramento non sit aliqua virtus, quæ operetur ad Sacramenti effectum, est tamen virtus diuina Sacramento assistens, quæ Sacramentalem effectum operatur. Sed ponendo, quòd Sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quòd in sacramento sit quædam virtus instrumentalis ad inducendum Sacramentalem effectum: Et hæc quidem virtus proportionatur instrumento. Vnde comparatur ad virtutem absolutam & perfectam alicuius rei, sicut comparatur instrumentum ad agens principale. Instrumentum enim (vt dictum * est) non operatur nisi inquantum est motum à principali agente, quod per se operatur: Et ideo virtus principalis agentis habet permanens & completum esse in natura: virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex vno in aliud, & incompletum: sicut & motus est actus imperfectus, ab agente in patiens.

art. 1. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quòd virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, inquantum scilicet corpus potest moueri ab aliqua substãtia spirituali, ad aliquem effectum spiritualem inducendum. Sicut & in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, inquantum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spiritualem.

Ad secundum dicendum, quod sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti, sicut alteratio ad qualitatem, ita virtus instrumentalis non est proprie loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus & speciem virtutis perfectæ.

Ad tertium dicendum, quòd (sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento) ex hoc ipso, quòd mouetur ab agente principali, ita & sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi, & applicatione ministri ad vsum sacramenti. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania: Nec mirum quòd aquam, hoc est, substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus peruenire: peruenit plane & penetrat conscientiæ vniuersa latibula: quamuis enim ipsa sit subtilis, & tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, occultans vitæ causas, ad secreta mentis subtilior pertransit.

Ad quartum dicendum, quòd sicut eadem vis principalis agentis instrumentaliter inuenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine vnum: ita etiam eadem vis sacramentalis inuenitur in verbis & rebus, prout ex verbis & rebus perficitur vnum sacramentum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis habeant virtutem ex passione Christi.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd sacramenta nouæ legis non habeant virtutem ex Passione Christi. Virtus enim sacramentorum est ad gratiam causandum in anima, per quam spiritualiter viuit. Sed sicut † Augustinus dicit super Ioan. Verbum prout erat in principio apud Deum, viuificat animas, secundum autem quod est Caro factum, viuificat corpora. Cum igitur passio Christi pertineat ad Verbum, secundum quod est Caro factum; videtur quod non possit causare virtutem Sacramentorum. 341

inf. q. 64. a. 6. & 4. d. 1. q. 1. a. 4. q. 3. & d. 6. q. 1. a. 4. q. 1.
† tra. 19. à mb. & 23. ante me. 1. 9.
* tra. 80. in euang. Ioan. post me. tom. 9.

¶ 2 Præterea, Virtus sacramentorum videtur ex fide dependere: quia sicut dicit * Aug. super Io. Verbum Dei perficit sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur. Sed fides nostra non solum respicit passionem Christi, sed etiam alia mysteria humanitatis ipsius, & principalius etiam diuinitatem eius. Ergo videtur, quòd sacramenta non habeant specialiter virtutem à passione Christi.

¶ 3 Præterea, Sacramenta ordinantur ad hominum iustificationem secundum illud 1. ad Cor. 6. Abluti estis & iustificati estis. Sed iustificatio attribuitur Resurrectioni: secundum illud Ro. 4. Resurrexit propter iustificationem nostram. Ergo videtur, quòd sacramenta magis habeant virtutem à Resurrectione Christi, quam ab eius Passione.

Sed contra est, quod super illud Rom. 5. in similitudinem præuaricationis Adæ. * &c. dicit glo. ex latere Christi dormientis in cruce, fluxerunt sacramenta, per quæ salutata est Ecclesia. Sic ergo sacramenta videntur habere virtutem ex passione Christi.

glo. ord. super illud, Qui est figura formæ futuri.

CONCLVSIO.

Cùm per Christi humanitatem & passionem non modo meritorie, sed etiam satisfactorie operatus fuerit Deus nostram à peccatis liberationem & sanctificationem, omnem suam efficaciam habere oportet legis sacramenta à passione Christi.

Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est*) sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum, vnum quidem separatum, vt baculus: aliud autem coniunctum, vt manus. Per instrumentum autem coniunctum mouetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ, est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum coniunctum: sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus salutifera à diuinitate Christi, per eius humanitatem, in ipsa sacramenta deriuetur. Gratia autem sacramentalis ad duo præcipue ordinari videtur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, inquantum transeunt actu, & remanent reatu: & iterum ad perficiendam animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem vitæ Christianæ. Manifestum est autem ex his, quæ supra dicta sunt, quod Christus liberauit nos à peccatis nostris, præcipue per suam passionem: non solum efficienter & meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem initiauit ritum Christianæ religionis, offerens seipsum oblationem & hostiam Deo, vt dicitur Eph. 5. Vnde manifestum est, quòd sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodam modo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum. In cuius signum de latere Christi pendentis in cruce, fluxerunt aqua & sanguis: quorum vnum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta.

art. 1. huius q.

qu. 49. & 48.

Ad primum ergo dicendum, quòd Verbum, prout erat in principio apud Deum, viuificat animas, sicut agens principale, caro

le, vero tamen eius, & mysteria in ea perpetrata operantur instrumentaliter ad animæ vitam. Ad vitam autem corporis non solum instrumentaliter, sed etiam per quandam exemplaritatem, vt supra dictum est.*

q.56.a.2. Ad secundum dicendum, quòd per fidem, Christus habitat in nobis (vt dicitur Ephes. 3.) & ideo virtus Christi copulatur nobis per fidem. Virtus autem remissiua peccatorum, speciali quodam modo pertinet ad passionem ipsius Christi: & ideo per fidem passionis eius specialiter homines liberantur à peccatis, secundum illud Roma. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et ideo virtus sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipue est ex fide passionis Christi.

Ad tertium dicendum, quòd iustificatio attribuitur resurrectioni ratione termini ad quem, qui est nouitas vitæ per gratiam. Attribuitur tamen passioni ratione termini à quo, scilicet quantum ad dimissionem culpæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Sacramenta veteris legis gratiam causarunt.

343 AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod etiam sacramenta veteris legis, gratiam causarunt. Quia (sicut dictum est*) sacramenta nouæ legis habent efficaciam ex fide passionis Christi. Sed fides passionis Christi fuit in veteri lege, sicut & in noua: habemus enim eundem Spiritum fidei, vt habetur 2. ad Cor. 4. Sicut ergo sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, ità etiam sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

s.2.q. 103. a.2. & q.107. a.1. ad 3. & 4. d.1. q.1.a.5. q.1. * a.praced.

¶ 2 Præterea, Sanctificatio non fit nisi per gratiam. Sed per sacramenta veteris legis, homines sanctificabantur: dicitur enim Leuitici 8. Cumque sanctificasset Moyses Aaron & filios eius in vestitu suo, &c. Ergo videtur, quod sacramenta veteris legis gratiam conferebant.

¶ 3 Præterea, sicut Beda* dicit in homilia circumcisionis, Idem salutiferæ curationis auxilium, circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ tempore gratiæ consueuit. Sed baptismus nunc confert gratiam. Ergo circumcisio gratiam conferebat. Et pari ratione alia sacramenta legalia: quia sicut baptismus est ianua sacramentorum nouæ legis, ita & circumcisio erat ianua sacramentorum veteris legis. Propter quod & Apostolus dicit Gal. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est, vniuersæ legis faciendæ.

Inter prin. & med. illius in homeliarum. conuar an. no anni mediani.

Sed contra est, quod Gala. 4. dicitur. Conuertimini iterum ad infirma & egena elementa. gl.* id est, ad legem, quæ dicitur infirma, quia perfecte non iustificat. Sed gratia perfecte iustificat. Ergo sacramenta veteris legis, gratiam non conferebant.

gl.ord. ibi.

CONCLVSIO.

Cùm efficiens causa suo effectu posterior esse nequeat: Sacramenta legis veteris Christi passionem, (quæ causa est nostræ iustificationis) antegressa, nullam in se virtutem ad conferendam gratiam iustificantem habuisse, sed solam fidem Patres iustificantem ostendisse, constat.

RESPONDEO dicendum, quòd non potest dici, quòd sacramenta veteris legis conferrent gratiam iustificantem per se ipsa, id est, propria virtute, quia sic non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud Gal. 2. Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est. Sed nec potest dici, quod ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam iustificandi. Sicut enim ex prædictis patet,* virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem & sacramenta, differenter tamen. Nam continuatio, quæ est per fidem, fit per actum animæ: continuatio autem quæ est per sacramenta fit per vsum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, mouere secundum quod præcedit in actu animæ: sicut finis, qui est posterior tempore, mouet agentem, secundum quod est apprehensus & desideratus ab ipso. Sed illud, quod nondum est in rerum natura, non mouet secundum vsum exteriorum rerum. Vnde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est, quod à passione Christi, quæ est causa humanæ iustificationis conuenienter deriuatur virtus iustificatiua ad sacramenta nouæ legis, non autem ad sacramenta veteris legis, & tamen per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui patres, sicut & nos. Sacramenta autem veteris legis, erant quædam illius fidei protestationes, inquantum significabant passionem Christi & effectus eius. Sic ergo patet, quod sacramenta veteris legis, non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solum significabant fidem per quam iustificabantur.

art. prec.

Ad primum ergo dicendum quòd antiqui patres habebant fidem de passione Christi futura, quæ secundum quod erat in apprehensione animæ, poterat iustificare. Sed nos habemus fidem de passione Christi præcedenti, quæ potest iustificare etiam secundum realem vsum sacramentalium rerum, vt dictum est.*

In corp. art.

Ad secundum dicendum, quòd illa sanctificatio erat figuralis: per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui diuino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum passionem Christi.

Ad tertium dicendum, quòd de circumcisione multiplex fuit opinio; quidam enim dixerunt, quòd per circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. Sed hoc non potest esse: quia homo non iustificatur à peccato, nisi per gratiam: secundum illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Et ideo alij dixerunt quod per circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotiuos culpæ, sed non quantum ad effectus positiuos gratiæ. Sed hoc etiam videtur esse falsum: quia per circumcisionem dabatur pueris facultas perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus effectus positiuus gratiæ. Et præterea secundum ordinem causæ formalis, priores sunt naturaliter effectus positiui, quàm priuatiui, licet secundum ordinem causæ materialis sit è conuerso: forma enim non excludit priuationem, nisi informando subiectum. Et ideo alij dicunt, quod circumcisio conferebat gratiam, etiam quantum ad aliquem effectum positiuum, qui est facere dignum vita æterna: non tamen quantum ad hoc, quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum. Quod & aliquando mihi visum est, sed diligentius consideranti apparet hoc etiam non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitam æternam. Et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio sicut & alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei iustificantis. Vnde Apost. dicit Roman. 4. quod Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiæ fidei. Et ideo in circumcisione conferebatur gratia, inquantum erat signum passionis Christi futuræ, vt infra patebit.* q.70. a.4.

DISPVTATIO IV.

De causalitate Sacramentorum nouæ Legis in ordine ad gratiam, principalem effectum.

POSTQVAM de quidditate, & necessitate Sacramentorum actum est; de ipsis in ordine ad suos effectus agendum est: & primò in ordine ad gratiam, principalem effectum; omnibúsque communem.

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis verè & propriè causent gratiam.

SVpponendum est in præsenti difficultate, solùm quæri, an Sacramenta sint aliquo modo causa gratiæ, non descendendo ad modum causalitatis, de quo agitur disputatione sequenti. Certum autem est Sacramenta nouæ Legis non esse causam formalem gratiæ, cùm distinguantur à gratia adæquatè, sunt enim quid materiale, gratia verò aliquid spirituale: constat autem quòd causa formalis non distinguitur adæquatè à suo effectu. Deinde Sacramēta non sunt causa materialis gratiæ, quasi gratia actu in eis contineatur, sicut continetur medicina in vase: res enim spiritualis, qualis est gratia, non potest sic contineri in re corporea, qualia sunt Sacramenta: vel quasi gratia de potentia passiua ipsorum educatur, quomodo materia prima dicitur causa materialis formarum substantialium; quod enim sic continetur in causa materiali, & educitur de potentia passiua ipsius, debet in ipsa subiectari; constat autem quòd gratia non subiectatur in Sacramentis, sed in substantia animæ rationalis. Denique Sacramenta non sunt causa finalis gratiæ, imò potiùs gratia est finis Sacramentorum; cùm gratia non sit propter Sacramenta, sed potiùs Sacramenta sint propter gratiam: tota igitur difficultas reducitur ad genus causæ efficientis.

Prima opinio, sed hæretica, negat Sacramenta nouæ Legis esse causam efficientem gratiæ, siue verè & propriè causare gratiam. Hanc opinionem

opinionem olim sequuti dicuntur Begardi & Beguinæ: nunc autem sequuntur Hæretici moderni, Lutherus lib. de captiuitate Babylonica cap. de Baptismo, Kemnitius in suo examine Concilij Tridentini ad Canones 5.6.& 7.de efficacia Sacramentorum,& alij qui dicunt Sacramenta esse tantùm sigilla promissionum nobis à Deo factarum, quæ fidem nostram excitant & confirmant. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, quæ nullibi expressè docet Sacramenta causare gratiam, & sæpe docet nos iustificari per fidem; Marci vltimo: Qui crediderit,& baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur: vbi salus attribuitur fidei, & damnatio attribuitur infidelitati. Item S. Paulus dicit quòd exercitatio corporalis parum prodest. Item S. Petrus in sua Canonica cap. 3. ait; Octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio cordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per Resurrectionem Iesu Christi: vbi Apostolus iustificationem nostram attribuit ablutioni internæ quæ est per fidem Resurrectionis Christi, non ablutioni externæ quæ est per Sacramentum: ergo Sacramenta nouæ Legis non causant gratiam.

Secundò probatur authoritate Sanctorum Patrū. Aug. tract. 80. super Ioan. dicit, quòd Baptismus nō habet quòd iustificet, nisi à verbo Christi; non quia dicitur, sed quia creditur. Item Ser. 30. de verbis Domini, dicit Baptismū iustificare, quia adhibetur per fidem. S. Bernardus in quodam Sermone de cœna Domini, ait; Sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersę sunt traditæ Sacramentis: iste autem modus, si rectè consideretur, non transcendit rationem signi; vt docet D.Thom. ergo ex Sanctis Patribus Sacramenta nouæ Legis verè & propriè non causant gratiam.

Tertiò probatur multiplici ratione. Sacramenta nouæ Legis secundùm formam, videlicet significationem, sunt ens rationis, quod non potest causare effectū realem; nunquam enim effectus est perfectior suâ causâ: secundùm materiam verò, sunt inferioris rationis; tum respectu gratiæ, quæ est spiritualis; tum respectu animæ rationalis in qua gratia causari debet: ergo Sacramenta nouæ Legis non causant gratiam. Deinde, absurdum est dicere quòd necessitamur quærere salutem in istis materialibus; qui enim dicunt Sacramenta iustificare, abstrahunt homines à Deo. Denique, si Sacramenta causarent gratiam, deberent administrari paruulis, qui propter suam innocentiam sunt optimè dispositi: ergo cùm id non sit vsitatum in Ecclesia; dicendum est quòd Sacramenta nouæ Legis non causant gratiam.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum secundùm fidem, quòd Sacramenta nouæ Legis causant gratiam: 2. Et consequenter omnes virtutes infusas, tam Theologicas, quàm Morales. Ita docent omnes Catholici.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum. De Baptismo dicitur ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: per lauacrum aquæ, intelligitur communiter à Sanctis Patribus ablutio Baptismalis: per verbum vitæ, intelligitur forma Baptismi constans verbis, quibus externa ablutio diuinitus eleuatur ad causandam ablutionem internam à peccato originali, & consequenter ad dandam vitam Animæ, quæ propterea dicitur regenerari per Baptismum: Et ad Titum cap. 3. Per lauacrum regenerationis saluos nos fecit. Hæc efficacia Baptismi fuit prænuntiata à Prophetis: Isaiæ cap. 1. dicitur; Lauamini, mundi estote. Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum. Zachariæ cap. 13. In die illa erit fons patens Domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. De Confirmatione dicitur in actibus Apostol. cap. 8. & 19. quòd per manuum impositionem dabatur Spiritus Sanctus, & consequenter gratia; quia Spiritus Sanctus non inhabitat in nobis nisi per gratiam: certum est autem quòd in illis primis Ecclesiæ temporibus, ex peculiari Dei dispensatione propter necessitatem, conferebatur Sacramentum Confirmationis per manuum impositionem. De sacra Eucharistia sæpe dicitur in Scriptura quòd sit vita animæ, & qui eam sumit, viuet in æternum, vt Ioannis 6. quæ intelligi non possunt, nisi concedatur quòd causet gratiam, qua spiritualiter nutritur anima. De Pœnitentia habetur multoties in Scripturis quòd iustificat, & remittit peccata: quod fieri non potest nisi per infusionem gratiæ, vt communiter docent Theologi in materia de Iustificatione: in epistola S. Iacobi cap. 5. habetur; Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini &c.: vnde ad salutem necessaria est confessio peccatorum, cui cooperatur oratio iusti assidua. De extrema Vnctione ibidem habetur; Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei; dicitur autem oratio fidei saluare infirmum, vt indicetur forma huius Sacramenti, quæ impenditur per modum deprecationis. De aliis duobus Sacramentis, quæ potiùs sunt in bonum commune Ecclesiæ, quàm suscipientium, videlicet de Ordine & Matrimonio, quantum ad causalitatem gratiæ, non

non habeatur tam expressa mentio in Scriptura: habetur tamen expressa determinatio de omnibus in Conciliis, vt Florentino in decreto super vnionem Graecorum & Armenorum in tractatu de Sacramentis; & Tridentino sess. 7. canone 6. determinatur: Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit. Et canone 7. Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantùm est ex parte Dei; etiam si ritè eam suscipiant, sed aliquando, & aliquibus; anathema sit: ergo secundùm fidem Sacramenta nouæ Legis causant gratiam.

Secundò probatur authoritate Sanctorum Patrum. August. in Psalm. 73. ait Sacramenta noui Testamenti dare salutem. Et lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 3. dicit Baptismum facere nouos homines, & omnia peccata delere. Idem alibi docet etiam de aliis Sacramentis. Hieronymus in cap. 1. Isaiæ ait: Pro superioribus victimis, & holocaustis Euangelij, mihi placet Religio, vt baptizemini in sanguine meo per lauacrum regenerationis, quod potest peccata dimittere. Ambrosius lib. de initiandis, cap. 3. dicit aquam Baptismi fieri dulcem ad gratiam, quando Sacerdos mittit in illam prædicationem Dominicæ Crucis. Gregorius lib. 9. Epistolarum, epistola 39. asserit ita remitti peccata in Baptismo, sicut in mari rubro verè Ægyptij mortui sunt. Chrisostomus homilia 60. ad populum ait, Deum per visibilia signa (scilicet Sacramenta) nobis inuisibilem largiri virtutem. Cyprianus in sermone de ablutione pedũ, & de cœna Domini expresè docet, Baptismum, & Eucharistiam conferre gratiam. Cyrillus Alexandrinus libr. 2. in Ioan. cap. 42. ait: Quemadmodum viribus ignis intensiùs aqua calefacta, non aliter quàm ignis vrit: sic Spiritus Sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, quâ baptizati corpus abstergunt. Gregorius Nissenus in lib. de Baptismo sic ait: Baptisma peccatorum expiatio est. Leo sermone 4. de Natiuitate ait: Omni homini renascenti Baptismus instar est vteri virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem; vt peccatum, quod ibi euacuauit sacra Conceptio, hîc soluat ablutio. Idem docet Basilius oratione 13. quæ est de Baptismo. Bernardus in sermone de cœna Domini, & communiter omnes alij Sancti Patres: quorum communis authoritas circa aliquid indicat illud esse dogma fidei. Huic authoritati respondent Hæretici, Sanctos Patres loqui vel hyperbolicè, vel per locutionem metonymicam, attribuentes signo quod conuenit rei significatæ: sed his tanquam pertinacibus relictis, sinceram Sanctorum Patrum mentem cum Ecclesia Catholica admittimus: ergo secundùm fidem Sacramenta nouæ Legis causant gratiam.

Tertiò probatur ratione. Nisi concedatur Sacramenta nouæ Legis verè & propriè causare gratiam, sequitur eorum formas esse falsas; nam forma Baptismi indicat fieri ablutionem à peccato originali, (quæ fit per gratiam) media ablutione Sacramentali facta per Ministrum Ecclesiæ. In Pœnitentia adhuc clariùs habetur; nam eius forma, Ego te absoluo, denotat Ministrum Ecclesiæ remittere peccata medio hoc Sacramento, quæ remissio per infusionem tantùm gratiæ obtinetur: sed est contra fidem asserere quod formæ Sacramentorum sunt falsæ: ergo secundùm fidem Sacramenta nouæ Legis causant gratiam. Deinde, communiter conceditur Sacramenta nouæ Legis esse medicinas spirituales animæ, vnde debent causare animæ sanitatem, sicut medicinæ materiales causant sanitatem corporis: sed hæc sanitas animæ consistit in gratia: ergo Sacramenta nouæ Legis causant gratiam. Denique, Sacramenta Legis scriptæ fuerunt figuræ Sacramentorum Legis gratiæ, & conferebant effectum qui similiter fuit figura effectus Sacramentorum Legis gratiæ; quia vt ait Apostolus, Omnia in figura contingebant illis: sed Sacramenta Legis scriptæ verè & propriè causabant sanctitatem externam & legalem, quæ est figura sanctitatis internæ quæ fit per gratiam: ergo Sacramenta nouæ Legis verè & propriè causant gratiam, & mediâ illâ sanctitatem internam.

Probatur secunda pars conclusionis. Virtutes infusæ consequuntur gratiam ad instar proprietatum; nam gratia recipitur in essentia animæ, eique dat esse supernaturale; vt autem possit elicere actiones supernaturales suo esse conformes, requiritur vt potentiæ animæ, quæ debent esse principia formalia & proxima talium actionum, perficiantur & eleuentur ad ordinem supernaturalem, per virtutes infusas concomitantes ipsam gratiam: ergo cùm Sacramenta nouæ Legis verè & propriè causent gratiam; consequenter etiam causant omnes virtutes infusas, tam Theologicas, quàm Morales.

Ad primum ergo dicendum, quòd sæpe in Scriptura dicitur Sacramenta nouæ Legis causare gratiam, vt visum est; quam non causat fides, nisi dispositiuè: ad salutem autem requiritur tam fides, quàm Baptisma, imò vt suscipiatur Baptisma ab adultis, fides prærequiritur: sed ad perditionem sufficit defectus fidei; quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu. Ad aliud dicendum quòd S. Paulus intelligit de exercitatione purè corporali, quæ nullo modo ordinatur ad spiritualem, sicut

ficut ordinatur ista. Ad aliud dicendum quòd Sanctus Petrus tantùm vult, quòd ipsa aqua, vt est entitas naturalis, non iustificat: sed hoc facit secundùm quòd eleuatur à Deo, præsuppositâ bonâ conscientiâ in adultis: vbi ly, interrogatio bonæ conscientiæ, facit allusionem ad interrogationem Ecclesiæ, an baptizandus renunciet Diabolo, Mundo ac pompis eius.

Ad secundum dicendum, quòd S. Augustinus tantùm vult, verba, quæ sunt forma Sacramenti Baptismi, non iustificare secundùm se, & ratione soni externi; sed secundùm quòd creduntur, siue secundùm sensum; ratione cuius gratiam causant, & vt sic sunt quid credibile per fidem: non quòd requiratur quòd sit fides in Ministro de eorum efficacia, vt infra dicetur. Ad D. Bernardum dicendum, quòd facit comparationem inter Sacramenta, & illa alia signa, tantùm quoad effectum simpliciter: non autem quoad modum efficiendi; illa enim alia signa efficientiam solùm habent moralem, Sacramenta verò habent physicam, vt infra dicetur.

Ad tertium dicendum, quòd Sacramenta operantur, & causant in anima gratiam, ratione materiæ, sed determinatæ per formam siue significationem: & adhuc non secundùm quòd est entitas naturalis, sed vt eleuata virtute diuina. Ad aliud dicendum, quòd est maximè conueniens, vt homo ex institutione diuina quærat salutem in illis, in quibus ex instinctu Diaboli quæsiuit diuinitatem. Ad aliud dicendum, quòd paruuli ante vsum rationis sunt incapaces plurium Sacramentorum, vel defectu materiæ respectu Pœnitentiæ, & extremæ-Vnctionis; vel defectu reuerentiæ, respectu Eucharistiæ; vel defectu deliberati consensus, respectu Matrimonij: vnde hæc Sacramenta non possunt illis administrari.

DVBIVM II.

In quo consistat virtus, quâ Sacramenta nouæ Legis causant gratiam.

SVpponendum est, in Sacramentis nouæ Legis esse aliquam virtutem causatiuam gratiæ, etiam secundùm specificam rationem. Hoc supponendum quantùm ad primam partem est contra Durandum, qui dicit, quòd nulla sit virtus actiua in Sacramentis causatiua gratiæ, sed quòd sint tantùm signa, propter quæ Deus causat gratiam. Quantùm ad secundam partem; est contra alios, qui admittunt quidem in Sacramentis virtutem causatiuam gratiæ secundùm gradus genericos, sed non secundùm rationem supernaturalitatis, aut gradum specificum; quod sic explicant: Aqua in Baptismate producere potest frigus, humiditatem, & similes qualitates corporales; ac proinde potest producere quamcumque qualitatem, secundùm quòd est qualitas. Probatur tamen, & quidem quoad primam partem; Sacramenta nouæ Legis sunt instrumenta Dei ad causandam gratiam, vt dicetur disputatione sequenti: sed in omni instrumento actuali est aliqua virtus ei impressa à principali agente, quâ eleuatur; vt possit attingere ipsius effectum, cùm naturalem eius virtutem excedat: ergo in Sacramentis nouæ Legis est aliqua virtus causatiua gratiæ. Quoad secundam verò partem, probatur; Si Sacramenta nouæ Legis non causarent gratiam secundùm rationem specificam, sequeretur quòd non essent causæ instrumentales illius, at causæ principales remotæ; quia de ratione instrumenti vt sic, est attingere effectum principalis agentis excedentem propriam virtutem, in virtute tamen principalis agentis: de ratione verò causæ principalis remotæ est attingere propria virtute effectum secundùm gradus genericos tali virtuti proportionatos: ergo si Sacramenta nouæ Legis non causarent gratiam secundùm rationem specificam supernaturalem, propriam ipsorum virtutem excedentem, sed tantùm secundùm gradus genericos qualitatis, habitus, &c. ipsorum virtuti proportionatos, non essent causæ instrumentales gratiæ, at causæ principales remotæ, cuius contrarium inferiùs probabitur.

Prima opinio Suaris, & aliorum asserit virtutem, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, non importare aliquid superadditum entitati ipsorum Sacramentorum, sed esse ipsammet entitatem vt Deo causæ principali subordinatam, ratione cuius subordinationis eleuatur, & constituitur potens operari supernaturalia; hàncque potentiam vocat obedientialem actiuam. Probatur authoritate S. Augustini, D. Thomæ, & Venerabilis Bedæ: S. Augustinus De Genesi, ad litteram cap. 17. dicit quòd Deus habet virtutem, vt possit facere quòd sterilis pariat, & arbor floreat. D. Thom. in 4. d. 8. quæst. 2. art. 3. ad 4. dicit quòd sicut est potentia in creatura, vt in ea fiat quicquid Deus voluerit; sic etiam est potentia, vt mediante illa Deus operetur quæcumque alia. Et hic art. 4. ad 2. dicit quòd virtus est in Sacramentis, sicut in voce sensibili, ad causandam intellectionem: virtus autem ista quæ est in voce sensibili, non est quid ipsi superadditum, sed est ipsamet vox. Venerabilis Beda asserit Christum Dominum dedisse virtutem aquis quando baptizatus est, per tactum mundissimæ carnis suæ sed ex his authoritatibus constat res materiales sine vllo superaddito ex præcisa subordinatione quam habent ad Deum, esse potentes ad producendos effectus supernaturales: ergo virtus, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, non importat aliquid superadditum

tum entitati ipsorum Sacramentorum.

Secundò; Imperium diuinum est infinitæ virtutis, ita vt se solo efficiat, vt res de nihilo producantur: ergo multo magis sufficit, ad hoc vt causæ secundæ ipsi subordinatæ operentur effectus excedentes propriam earum virtutem; vnde sicut datur potentia obedientialis passiua, datur etiam actiua. Quod totum declaratur exemplo caloris, qui ex hoc ipso præcisè quòd procedit ab igne, & est illi subordinatus, secluso quocumque superaddito, potest producere instrumentaliter substantiam ignis excedentem propriam eius virtutem. Vnde Sacramenta non indigent aliqua virtute superaddita ad causandam gratiam.

Tertiò, probatur ex inconuenientibus; nam talis virtus superaddita, si daretur in Sacramentis, vel esset spiritualis, vel corporea; neutrum dici potest; Non spiritualis, quia reciperetur & subiectaretur in re corporea, quod est impossibile, omne enim quod recipitur, ad modum recipitur: Non corporea; quia non esset proportionata effectui spirituali producendo, nempe gratiæ. Deinde; si datur talis virtus superaddita Sacramentis, debet esse qualitas; cùm sit operatiua, & nullũ aliud accidens sit operatiuum præter qualitatem; non autem potest esse qualitas aut permanens, aut transiens: de permanente constat ex D. Thom. 1. 2. quæst. 109. vbi docet gratiam miraculorum non posse esse qualitatem permanentem, quia ille qui eam haberet, esset supra totum ordinem naturæ: quod idem contingeret Sacramentis, si eis concederetur illa virtus quæ esset qualitas permanens: de transeunte verò par est ratio; quia qualitas permanens & transiens non distinguuntur specie. Denique, vel illa virtus, si daretur in Sacramentis, ex natura sua esset proportionata gratiæ producendæ, vel esset improportionata ad illam producendam: primum dici non potest; quia gratia cùm sit ordinis supernaturalis & diuini, excedit omnem naturam: si dicatur secundùm, requiritur noua virtus, qua præcedens fiat proportionata; & idem quereretur de ista secunda virtute, & sic in infinitum: ergo virtus, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, non importat aliquid superadditum entitati ipsorum Sacramentorum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum quòd virtus, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, non est sola subordinatio & coniunctio Sacramentorum cum virtute diuina: 2. Nec est identificata cum entitate Sacramentorum: 3. Sed est aliquid ipsis superadditum; 4. Quo simul eleuantur & applicantur; 5. Supernaturale, & spirituale, 6. Productum physicè ab humanitate Christi, tanquam ab instrumento diuinitatis coniuncto. Ita communiter Thomistæ.

Probatur prima pars conclusionis. Quod est ex se impotens ad aliquid faciendum, non potest reddi potens, nisi intrinsecè siue in seipso mutetur; quod enim non mutatur, semper est eodem modo ac erat antea: sed per ipsam præcisam subordinationem & coniunctionem Sacramentorum cum virtute diuina, si secludatur aliquid superadditum, Sacramenta non mutantur intrinsecè & in seipsis, vt supponitur: ergo cùm ex se sint impotentia ad causandam gratiam, non redduntur potentia per ipsam præcisam subordinationem & coniunctionem sui cum virtute diuina: & consequenter virtus, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, non est sola subordinatio & coniunctio Sacramentorum cum virtute diuina.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. quæst. vnica de virtutibus art. 10. ad 2. vbi docet quòd in rebus est potentia actiua respectu effectuum naturalium. Et 1. 2. quæst. 109. art. 1. sic ait; Vnaquæque autem forma indita rebus creatis à Deo habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundùm suam proprietatem; vltra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam: sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne. Tum sequenti ratione; Si virtus, qua Sacramenta causant gratiam, sit identificata cum eorum entitate, sequitur quòd Sacramenta sint instrumenta connaturalia ad producendam gratiam; quod sic ostenditur: Vt aliquid sit instrumentum connaturale, tres tantùm conditiones requiruntur, vt communiter conceditur: Prima, quòd habeat ex sua natura virtutem proportionatam ad producendum effectum; Secunda, quòd concursus agentis principalis sit illi debitus propter exigentiam; Tertia, quòd actio & effectus proportionentur tali instrumento: Sed ex Aduersariis istæ tres conditiones reperiuntur in Sacramentis; prima quidem, quia illa potẽtia obedientialis actiua, quam dicunt esse identificatam cum entitate Sacramentorum, ex se respicit gratiam, & ab ea specificatur, de ratione quippe potentiæ actiuæ, vt pote respectiuæ, est quòd specificetur à proprio effectu, tanquam à termino suæ actionis, ac proinde est illi proportionata; secunda etiam, quia concursus ei exhibitus est secundùm inclinationem eius, nam quælibet potentia inclinat ad suam operationem, & consequenter exigit talem concursum; tandem tertia; quia potentia illa est superioris ordinis, sicut eius operatio & effectus: vnde Sacramẽta ex Aduersariis essent instrumenta connaturalia ad producendam gratiam; quod nullus tamen Catholicus dicet: ergo virtus, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, non est identificata cum entitate Sacramentorum.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quem communiter sequuntur eius Discipulis vnde

vnde malè citatur ab Aduersariis Caietanus quasi dissentiens; ipse enim non negat istam virtutem esse quid superadditum, sed negat contra Capreolum esse qualitatem perfectam. Tum deinde omnibus rationibus, quibus impugnatur potentia obedientialis actiua, quas adduximus in Philosophicis. Tum denique ratione deducta ex D. Thom. 1.2. quæst. 109. artic. 1. Vnaquæque forma indita rebus creatis à Deo, habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundùm suam proprietatem, vltra autem non potest nisi per aliquam formam superadditam, sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne: sed Sacramenta nouæ Legis non possunt in gratiam secundùm suam proprietatem; cùm illa secundùm suam entitatem & proprietatem naturalem sint ordinis naturalis; gratia verò sit actus ordinis supernaturalis & diuini, ac proinde excedens & improportionatus: ergo non potest illam causare nisi per aliquam formam superadditam; & ita virtus, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, est aliquid ipsis superadditum. Si dicatur quòd D. Thomas ibi loquitur de causa principali, & non de instrumentali, qualis est quodcumque Sacramentum: Contra; primò, quia D. Thom. ibi loquitur absolutè: nam licèt in illo loco velit probare de causa aliqua principali, videlicet de intellectu respectu cognitionis supernaturalis; affert tamen instantiam de causa instrumentali, videlicet de aqua calefacta respectu calefactionis, ad quam concurrit tantùm vt instrumentum ignis, & adhuc non propriè & rigorosè, quia virtute propriæ formæ non cooperatur calefactioni ipsius ignis; sed tantùm se habet vt deferens eius virtutem: deinde ex Aduersariis, intellectus in ordine ad cognitionem supernaturalem, vt visionem beatificam, non est causa principalis; at tantùm instrumentalis.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Omnis causa subordinata primæ, siue sit principalis, siue instrumentalis, ad hoc vt agat, debet duo recipere ab eadem causa prima cui subordinatur, scilicet virtutem actiuam, siue principium formale agendi, quo constituitur in actu primo; & motionem qua constituitur in actu secundo, siue qua actu applicatur ad agendum, siue reducitur de actu primo in actum secundum: virtus autem non se tenet ex parte applicationis, sed ex parte principij actiui, quia per talem virtutem, tanquam per principium formale agendi causa subordinata eleuatur ad operandum id quod antea non poterat operari; motio autem, si sit simplex, se tenet ex parte applicationis tantùm, & non ex parte principij actiui, cùm illud supponat perfectè & adæquatè completum & constitutum in actu primo, & de actu primo solùm illud reducat in actum secundum: si verò illa motio sit virtuosa, simul se tenet ex parte principij formalis, & ex parte applicationis; nam ex vna parte supplet virtutem permanentem, vnde constituit principium actiuum in actu primo; ex alia verò parte est motio, vnde applicat ad operandum. Horum habemus exempla tam in supernaturalibus, quàm in naturalibus: in supernaturalibus quidem; vt Christianus eliciat actum fidei prærequiritur fides, quæ est virtus permanens, constituens intellectum in actu primo ad credendum: deinde debet à Deo moueri ad credendum motione purè applicatiua, quamuis sit supernaturalis quia debet esse proportionata, & Deo agenti, & principio formali, & actui eliciendo fidei, quæ omnia sunt ordinis supernaturalis: vt autem Catecumenus eliciat actum fidei supernaturalis; cùm non habeat habitum fidei, ac proinde non sit constitutus in actu primo, debet à Deo moueri motione supernaturali, qua simul constituatur in actu primo potens elicere, & reducatur in actum secundùm: vnde talis motio simul eleuat & applicat, & quamuis hoc totum simul duratione reali fiat; tamen prius natura eleuat, quàm applicet, quia actus primus est priùs, saltem naturâ, quam secundus, ab isto enim valet consequentia ad illum. De hac motione virtuosa habemus etiam exempla in materialibus: nam videmus, quòd si quis simpliciter tangat Cytharam, vel aliud instrumentum musicum, edit sonum; vnde talis tactus tantùm applicat; si autem tangat artificiosè edit sonum harmoniosum; vnde talis tactus artificiosus siue virtuosus simul eleuat & applicat instrumentum ad harmoniosum sonum, quem ex se præcisè edere non poterat: & ita eodem motu simul pulsatur & artificiosè pulsatur. Idem proportione seruata dicimus in Sacramentis, quòd scilicet eadem motione diuina simul eleuantur, & applicantur ad causandam gratiam, & hæc motio supernaturalis, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, est virtus Sacramentalis.

Probatur quinta pars conclusionis. Et quidem quòd illa virtus debeat esse supernaturalis, patet ex dictis; nam procedit à Deo vt authore supernaturali, siue vt agente supra leges naturæ: deinde cõstituit in actu primo supernaturali entitates Sacramentorũ, siue eleuat ad ordinem supernaturalẽ, vt sint proportionatæ & potentes producere effectum supernaturalem gratiæ: sed quod procedit à Deo vt authore supernaturali, est supernaturale, vt patet ex ipsis terminis: similiter illa forma quæ dat esse supernaturale & reddit potentiam potentem in ordine supernaturali, est supernaturalis; quia hæc causat tantùm formaliter communicando seipsam, constat autem quòd effectus formalis supernaturalis non procedit nisi à causa formali supernaturali,

naturali; maximè quia causa formalis & eius effectus non distinguntur adæquatè: ergo virtus illa superaddita Sacramentis est supernaturalis. Quòd etiam sit spiritualis, probatur authoritate D. Thom. hîc art. 4. ad 3. vbi sic ait; Sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento, ex hoc ipso quòd mouetur ab agente principali, ita & Sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi, & applicatione Ministri ad vsum Sacramenti. Deinde ratione; Ista virtus datur Sacramentis, ad hoc vt illa eleuet, & reddat proportionata gratiæ, quæ est effectus producendus, vt dictum est, & communiter conceditur: ergo debet esse spiritualis: nam ideo Sacramenta ante eius receptionem erant improportionata, quia erant omninò materialia: ergo vt per eam fiant proportionata, debent aliquo modo fieri spiritualia, per receptionem videlicet virtutis spiritualis. Nec valet instantia Aduersariorum; quòd phantasma corporeum instrumentaliter producit species intelligibiles spirituales: Dicimus enim quòd priùs quàm agat, recipit virtutem spiritualem ab intellectu agente illuminante phantasma, qui est causa principalis illarum specierum, cuius instrumentum est phantasma sic eleuatum.

Probatur sexta pars conclusionis. Ad dignitatem Christi Domini pertinet, quòd omnes gratiæ & omnes alij effectus supernaturales ab ipso physicè procedant; non solùm vt est Deus, ac proinde principaliter; sed etiam vt est homo ac proinde instrumentaliter: & hoc priuilegium habet vt possit concurrere nunc physicè ad gratiam (cùm tamen ante Incarnationem concurreret moraliter) ex sacratissima sua Passione: sed humanitas Christi Domini non concurreret physicè vt instrumentum coniunctum diuinitatis ad gratiam Sacramentalem, nisi illa virtus qua eleuantur Sacramenta, ab ipsa physicè procederet: quia humanitas Christi non attingit gratiam Sacramentalem, nisi mediis Sacramentis tanquam instrumentis separatis, quæ debent physicè applicari ab instrumento coniuncto, vt patet inductione in omnibus; nam malleus, securis, serra, & similia instrumenta separata applicantur physicè à manu quæ est instrumentum coniunctum: ergo virtus, qua Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, procedit physicè ab humanitate Christi, tanquam ab instrumento diuinitatis coniuncto. Aliqui volunt & cum fundamento in D. Thom. hîc art. 5. quòd etiam procedat physicè à Passione Christi, quæ virtualiter perseuerat in sacris stigmatibus.

Ad primum ergo dicendum, quòd tam S. Augustinus, quàm D. Thom. in primo loco vult tantùm quòd Deus possit assumere creaturas ad faciendum illa etiam quæ superant ipsarum naturam; & hoc libentissimè concedimus: sed difficultas procedit de modo quo assumit, vel nihil illis addendo, vel aliquid addendo. Imò D. Thom. in ipsomet articulo citato expressè docet nostram conclusionem: vnde mirum est, quòd Aduersarij credant D. Thom. tam citò esse oblitum suæ doctrinæ, vt in Responsione ad 4. dicat contrarium eius quod docuit immediatè ante in corpore articuli. Quantùm ad secũdum locum; Dicendum, quòd illud exemplum fuit solùm adductum à D. Thom. vt ostenderet aliquod corporale habere virtutem agendi in spirituale: quòd verò ista virtus in Sacramentis sit quid superadditum, non autem in voce sensibili, est extra propositum, non enim exemplum tenet in omnibus. Deinde potest dici quòd per vocem sensibilem intelligit phantasma: & tunc exemplum tenet etiam in hoc quòd ista virtus sit superaddita: nam, vt dictum est, phantasma eleuatur ab intellectu agente per aliquam virtutem spiritualem transeuntem, ad hoc vt producat speciem intelligibilem, quæ virtus est plurimùm similis huic virtuti Sacramentali; non tamen est supernaturalis. Ita D. Thom. hîc art. 4. ad 1. vbi sic ait: Sicut & in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantùm procedit à conceptione mentis; & hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis, inquantùm ordinantur à Deo ad effectum spiritualem. Ad authoritatem Venerabilis Bedæ dicendum quòd tantùm vult dicere Christum Dominum dedisse virtutem aquis in actu primo, siue in actu signato; in quantùm designauit, siue instituit aquam in materiam Baptismi.

Ad secundum dicendum, quòd imperium diuinum ex sua infinita virtute habet, vt efficiat quicquid non implicat; implicat autem quòd vtatur aliqua re naturali ad causandum effectum supernaturalem, absque eo quòd eam eleuet ad ordinem supernaturalem, constituendo eam in actu primo per aliquid supernaturale: vnde non sequitur, quòd si datur potentia obedientialis passiua, debeat etiam dari actiua; est enim magna disparitas: quia potentia obedientialis passiua denotat aliquem defectum in creatura, & aliquam indigentiam, ratione cuius est capax recipiendi aliquam perfectionem qua caret: potentia autem actiua dicit maximam perfectionem, nam denotat creaturam esse potentem ad producendum omne illud quod respicit talis potentia: & sic sequeretur quòd Sacramenta secundùm propriam entitatem & virtutem continerent gratiam, quod est falsum. Ad exemplum caloris; Dicendum quòd est magna disparitas: nam calor est proprietas ignis ac virtus eius, procedens ab illo necessariò secundùm totum impetum naturæ; vnde non mirum quòd ex vi suæ originis absque aliquo superaddito possit producere ignem, cùm sit virtus ignis: creaturæ verò non sunt virtus

virtus Dei, sed effectus, & procedunt à Deo limitatæ, aliàs essent infinitæ: vnde non possunt agere supra suam virtutem naturalem; nisi priùs eleuentur per aliquid superadditum.

Ad tertium dicendum, quòd illud quod recipitur permanenter, & commensuratiuè, induit rationem subiecti in quo recipitur; secus verò si non ita recipiatur, vt patet in animabus perfectorum animalium, quæ recipiuntur in subiecto diuisibili, & tamen ipsæ sunt indiuisibiles: quod maximè verum est in istis motionibus transeuntibus, quæ non dantur ad hoc vt subordinentur subiecto, sed vt potiùs subordinent subiectum Deo agenti principali, & eleuent ad ordinem supernaturalem; & ita accidens spirituale potest recipi in subiecto corporeo; & hoc naturaliter, vt diximus de illa virtute quæ ab intellectu agente imprimitur phantasmati, vt docet D. Thom. hîc artic. 4. ad 1. & constat in anima rationali quæ recipitur in materia prima: vtrùm autem accidens corporeum possit recipi in subiecto spirituali? dubitant Authores; Dicendum tamen, quòd diuinitus potest recipi, nisi aliunde habeat peculiarem repugnantiam; vnde si quantitas non potest recipi in Angelo, hoc non est quia est accidens corporeum, sed quia est tale accidens, quod receptum facit formaliter extensum ipsum subiectum, extensio autem repugnat Angelo. Ad aliud dicẽdum quòd illa virtus est aliquid transiens siue citò fluens & incompletum ex D. Thoma hic artic. 3. reductiuè pertinens ad genus qualitatis, & ad speciem potentiæ; quia aliquando est complementum ipsius, vt in præsenti cõtingit; & quia semper applicat ad actum secundum: qualitas autem permanens & transiens distinguuntur specie; & licèt non distinguerentur, sufficit diuersus modus existendi permanenter, ad hoc vt negetur qualitatem actiuam in ordine ad actus supernaturales posse recipi in subiecto: quia, vt ait D. Thomas tale subiectum esset supra totum ordinem naturæ; nam per illam esset habitualiter & permanenter potens operandi omnes effectus supernaturales possibiles: quod non habet per hanc virtutem transeuntem; tum quia citò transit, tum quia non est eadem pro omnibus; sed diuersa pro singulis. Ad aliud dicendum, quòd ista virtus, cùm sit ordinis supernaturalis, est proportionata gratiæ, eo modo quo virtus instrumentalis est proportionata effectui principalis agentis; vnde reddit Sacramenta instrumenta proportionata gratiæ, quæ excedit quidem naturam rerum naturalium; sed non rerum supernaturalium.

DVBIVM XII.

Vtrùm Sacramenta causent gratiam immediatè; ita vt sit terminus immediatus actionis Sacramentalis.

SVpponendum est contra Durandum in 4. dist. 1. quæst. 1. & alios, quòd Sacramenta non concurrunt ad productionem gratiæ tantùm vt pura conditio sine qua non, quæ nihil operatur per verum influxum physicum, dicitur tamen concurrere ad productionem effectus, quia necessariò requiritur eius præsentia ad hoc quòd causa principalis [illegible] agat: constat enim ex dictis, quòd verè & propriè causant gratiam, ac proinde per verum influxum aliquid operando. Probatur; Causa sine qua non, non est, nec dicitur absolutè causa, sed conditio: Sacramenta autem tam ex Patribus, quàm ex Conciliis supra citatis sunt, & dicuntur absolutè causa gratiæ. Deinde, est axioma Theologicum, quòd Sacramenta Legis gratiæ faciunt quod significant; non autem Sacramenta Legis scriptæ: quæ tamen concurrebant vt conditio sine qua non ad gratiam, quia in eorum vsu concedebatur: & consequenter Sacramenta Legis gratiæ perfectiori modo ad illam concurrunt, quàm per modum conditionis sine qua non; & sic concurrunt per verum influxum ad eius productionem.

Prima opinio docet gratiam, etiam Sacramentalem, produci immediatè à Deo: Sacramenta verò dici causare gratiam, per hoc quòd causent in anima vltimam dispositionem necessariam ad receptionem gratiæ, quæ dispositio est character in illis Sacramentis quæ characterem imprimunt; in aliis verò est quidam ornatus animæ. Hanc opinionem docuit Alensis, S. Bonauentura, & D. Thomas in 4. dist. 1. quæst. 1. artic. 4. illam sequuntur Capreolus, & Ferrariensis; & tandem Scotus, qui negat absolutè posse etiam de potentia Dei absoluta, instrumentum aliquod attingere immediatè effectum superioris ordinis: & solùm concedit posse disponere ad receptionem illius; vnde in præsenti docet quòd Sacramenta non attingunt immediatè gratiam, sed tantùm vltimam dispositionem præuiam eius receptioni. Alij, vt Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. artic. 1. ad 4. dicit Sacramenta non attingere productionem gratiæ; sed tantùm illam vnire animæ; vnde comparat actionem Sacramentalem iustificantem hominem actioni generatiuæ hominis, quæ non attingit productionem animæ rationalis, hæc enim immediatè procedit à Deo per creationem; sed illam vnit materiæ præuiis dispositionibus præparatæ. Probatur vniuersaliter hæc opinio: Gratia creatur, juxta illud Psalmi; Gratiam, & gloriam dabit Dominus; quod indicat speciali modo gratiam & gloriam à Deo procedere

procedere scilicet per creationem: sed ex doctrina D. Thom. nullum instrumentum potest attingere immediatè terminum creationis: ergo Sacramenta non attingunt immediatè gratiam Sacramentalem.

Secundò, Communiter conceditur quòd gratia ob summam suam dignitatem, & excellentiam infunditur à Deo: sed hoc indicat quòd immediatè ab ipso producitur; sicut, quia anima rationalis dicitur infundi à Deo, conceditur quòd immediatè ab ipso per creationem producatur: ergo Sacramenta non attingunt immediatè gratiam Sacramentalem.

Tertiò, Omnis forma perfecta requirit in subiecto aliquam dispositionem ad sui receptionem, vt patet inductione in anima rationali, & aliis: cuius ratio est, quia sicut in ordine naturæ perfectio talis ordinis paulatim acquiritur; sic & in ordine gratiæ: sed gratia est forma perfectissima, cùm sit perfecta participatio naturæ diuinæ: ergo præsupponit aliquam dispositionem in anima productam per Sacramenta; vnde hæc, & non gratia, est terminus immediatus actionis Sacramentalis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramenta nouæ Legis, non solùm causant aliquam dispositionem præuiam in anima requisitam ad introductionem gratiæ: 1. Nec tantùm attingunt vnionem eiusdem gratiæ cum anima: 3. Sed immediatè causant gratiam; ita vt gratia sit terminus immediatus actionis Sacramentalis. Ita nunc docent penè omnes Theologi cum D. Thom. hîc art. 1. vbi retractat, vt ait Caietanus, quod docuerat super Quartum Sententiarum: expressè enim docet Sacramenta nouæ Legis causare gratiam vt instrumenta Dei, ait enim; Duplex est causa agens, principalis & instrumentalis: Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus; & hoc modo non potest causare gratiam, nisi Deus; quia gratia nihil aliud est, quàm quædam participata similitudo diuinæ naturæ, secundùm illud 2. Petri 1. Magna nobis & pretiosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ. Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum quo mouetur à principali agente, vnde effectus non assimilatur instrumento: & hoc modo Sacramenta nouæ Legis gratiam causant; adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam: constat autem in doctrina D. Thom. quòd instrumenta attingunt immediatè effectum causæ principalis: quia, vt ait ad 2. perficit instrumentalem actionem exercendo actionem propriam.

Probatur prima pars conclusionis. Quod tantùm concurrit dispositiuè ad productionem alicuius, non potest dici quòd concurrat vt causa instrumentalis ad talem productionem, vt ex se patet; nam v. g. semen hominis concurrit disponendo materiam primam, ad quam dispositionem, & intuitu illius sequitur creatio animæ rationalis: & tamen nullus dicit quòd semen concurrat vt causa instrumentalis ad talem creationem: sed ex Conciliis, & communi consensu Theologorum cum D. Thom. iam citato, Sacramenta concurrunt, vt vera causa instrumentalis, ad productionem gratiæ Sacramentalis: ergo non solùm causant aliquam dispositionem præuiam, in anima requisitam ad introductionem gratiæ. Deinde, hæc dispositio, quam dicunt Aduersarij causare Sacramenta, vel esset dispositio præuia; vel subsequens: sed neutra dici potest; Non præuia, quia in anima nulla est repugnantia, siue contraria dispositio ad receptionem gratiæ; constat autem quòd dispositiones præuiæ tantùm exiguntur in subiecto ad expellendum dispositiones contrarias formæ introducendæ: Nec potest dici subsequens; quia dispositiones subsequentes sunt à forma introducta, & non immediatè à causa efficiente etiam principali, cuius tantùm sunt effectus secundarius; vnde illa dispositio non posset dici immediatè producta à Sacramentis, sed solùm mediante gratia, quam deberent immediatè producere; quod tamen negant Aduersarij.

Probatur secunda pars conclusionis. Vnire formā subiecto non est causare talem formam; vt patet, non enim generans hominem dicitur causare animam rationalem, quia eam vnit materiæ: sed ex Conciliis, maximè Tridentino sess. 7. canone 6. Sacramenta nouæ Legis verè causant & conferunt gratiam quam continent: ergo Sacramenta nouæ Legis non tantùm attingunt vnionem gratiæ cum anima.

Probatur tertia pars conclusionis, primò prædicta authoritate Concilij Tridentini: si enim Sacramenta nouæ Legis verè continent gratiam quam significant, sunt verè causa productiua ipsius; hæc enim continentia debet esse in genere causæ efficientis instrumentariæ, cùm non sit in genere causæ materialis; nec in solo genere signi, vt patet ex ipsis verbis; nam præter continentiam in genere signi expressam his vocibus (quam significant) ponit aliam: sed causa productiua alicuius effectus, illum immediatè attingit producendo, si illum prius virtute continebat, prout ly, immediatè, denotat quòd verè illum producit per influxum ad illum terminatum, & non tantùm aliquam dispositionem, aut vnionem eius cum subiecto: ergo Sacramenta nouæ Legis immediatè causant gratiam. Deinde, si quid obstaret, cur Sacramenta nouæ Legis non causarent gratiam immediatè, esset fundamentum Aduersariorum, quia scilicet gratia creatur: sed hoc fundamentum est falsum; nam quod fit dependenter à subiecto,

subiecto, non tantùm vt ab occasione, sed vt à vera causa materiali, non creatur, vt patet in productione animarum: anima quippe rationalis, quia fit dependenter à subiecto tantùm vt ab occasione, verè creatur; aliæ verò animæ, quia fiunt dependenter à subiecto non tantùm vt ab occasione, sed vt à vera causa materiali, non creantur, & verè sunt terminus, quo, generationis: constat autem quòd gratia fit dependenter ab anima, vt à vera causa materiali, de cuius potentia educitur; sic enim fieri dependenter à subiecto est de ratione accidentis; & ita conuenit gratiæ quæ est verum accidens, nisi velimus in eius productione sine fundamento admittere miraculum, cum quo posset produci sine hac dependentia à subiecto, non tamen sine ordine ad illud: ergo Sacramenta nouæ Legis immediatè causant gratiam.

Ad primum ergo dicendum, quòd gratia non creatur, nec gloria; educuntur enim de potentia obedientiali animæ: earum tamen productio peculiari titulo attribuitur Deo, quia solus Deus est causa principalis ipsarum.

Ad secundum dicendum, quòd infusio non excludit causam secundam, & maximè instrumentalem: vnde licèt importet operationem causæ primæ, cõpatitur tamen cooperationem causæ secundæ instrumentalis.

Ad tertium dicendum, quòd non requiruntur dispositiones præuiæ in subiecto ad introductionem cuiuscumque formæ perfectæ; nisi in tali subiecto sint cõtrariæ dispositiones physicæ & positiuæ ipsi formæ introducẽdæ: quod non reperitur in præsenti casu.

DVBIVM IV.

Vtrùm omnia Sacramenta nouæ Legis causent primam, & secundam gratiam.

Svpponendum est, Sacramenta nouæ Legis communiter diuidi in Sacraméta viuorum, & in Sacramenta mortuorum: siue alia sunt Sacramenta ordinata pro viuentibus vita spirituali animæ per gratiam, quæ sunt tria in bonum singularium personarum, videlicet Confirmatio, Eucharistia, & Extrema Vnctio; & duo in bonum totius Reipublicæ Christianæ, videlicet Ordo, & Matrimonium. Alia verò sunt Sacramenta ordinata pro mortuis in vita spirituali, siue peccatoribus carentibus gratia sanctificante quæ est vita animæ, videlicet Baptismus, & Pœnitentia. Ex quo patet, quòd illa priora ex vi primariæ suæ institutionis habent causare augmentum gratiæ, quia præsupponunt gratiam in subiecto: posteriora verò ex vi primariæ suæ institutionis habent causare primam gratiam, quia sunt ordinata ad delenda peccata, cum quibus non stat gratia. Dubium autem est vtrùm vice versa Sacramenta viuorum causent aliquando primam gratiam, & Sacramenta mortuorum causent secundam: Sub nomine verò primæ gratiæ, intelligitur gratia quando primò incipit esse, siue hoc fit prima vice, siue fit reparata post peccatum: sub nomine secundæ gratiæ, intelligitur augmentum gratiæ.

Prima opinio Scoti & aliorum, asserit Sacramenta viuorũ semper causare secundam gratiam, & nunquam primam. Probatur authoritate D. Thom. qui agens de Sacramentis in particulari, concedit tantùm Baptismo, & Pœnitentiæ, quæ sunt Sacramenta mortuorum, causare primam gratiam: aliis autem tantùm concedit causare secundam gratiam: de Confirmatione, infra quæst. 72. & de Eucharistia quæst. 79. ergo Sacramenta viuorũ semper causant secundam gratiam, & nunquam primam.

Secundò; Sacramenta viuorum sic nominantur, quia conferuntur viuentibus vita spirituali animæ quæ est per gratiam; sicut Sacramenta mortuorum sic nominantur, quia conferuntur carentibus vita spirituali per priuationem gratiæ; vnde sicut ista præsupponunt in subiecto carentiam siue priuationem gratiæ; sic illa præsupponunt gratiam: ergo nunquam causant primam gratiam, at semper secundam.

Tertiò; Confirmatio est in vita spirituali, sicut potentia agmentatiua in vita naturali; & Eucharistia sicut potentia nutritiua, vt dictum est ex D. Thom. sed potentia augmentatiua, & potentia nutritiua in naturalibus præsupponunt vitam: ergo etiam in spiritualibus, ac proinde primam gratiam, quâ tali vita viuimus: vnde non possunt illam causare; sed tantùm augmentum eius.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd quamuis ex vi suæ primariæ institutionis Sacramenta mortuorum causent tantùm primam gratiam, & Sacramenta viuorum tantùm secundam: 2. Ex vi tamen secundariæ institutionis Sacramenta mortuorum causant secundam gratiam; 3. Et Sacramenta viuorum primam. Ita Nugnus, & alij Discipuli D. Thom. in præsenti.

Probatur prima pars conclusionis, de qua nulla est difficultas inter Catholicos, tum authoritate Conciliorum, & maximè Tridentini, tum communi consensu Theologorum, tum argumentis pro prima opinione adductis, quæ efficaciter hanc partem conclusionis probant. Deinde, Baptismus ex vi primariæ suæ institutionis est ordinatus ad delendum peccatum originale, & peccata actualia quæ cum originali in adultis coniunguntur: Pœnitentia verò est ordinata ad delenda peccata actualia mortalia, quæ sola sũt materia necessaria illius, (quamuis etiam remittat venialia quæ sunt materia sufficiens) sed hæc remissio fit per infusionem

primæ

primæ gratiæ, qua priuabant peccata, vt fides docet: ergo Sacramenta mortuorum ex vi suæ primariæ institutionis causant tantùm primam gratiam. Quòd autem Sacramenta viuorum ex vi suæ primariæ institutionis causent tantùm secundam gratiam, demonstrant argumenta facta pro prima opinione.

Probatur secunda pars conclusionis. Si quis ante susceptionem actualem & realem Baptismi iustificetur, vel propter actum contritionis, vt conceditur de Cornelio Centurione, vel ex actu amoris Dei, vel ex pura Dei misericordia, & postea susciperet Baptismum, (tenetur enim illum recipere, etiamsi sciret se iustificatum) reciperet gratiam, quam semper causant Sacramenta in non ponentibus obicem: non primam, quia iam præsupponitur: ergo secundam. Similiter, si quis accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ confiteatur tantùm peccata venialia, vel etiam mortalia iam dimissa, quia non commisit alia, verè recipit gratiam, vt est indubicatum apud fideles, & comprobatum laudabili vsu Ecclesiæ: non primam, quia subiectum supponitur existens in gratia: ergo secundam, ac proinde Sacramenta mortuorum ex vi secundariæ suæ institutionis aliquando causant secundam gratiam.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D. Thom. infra quæst. 79. artic. 3. vbi hoc expressè docet de Eucharistia: ait enim; Hoc Sacramentum perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet: forte enim primò non fuit sufficienter contritus: sed deuotè & reuerenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam Charitatis quæ contritionem perficit & remissionem peccati. Quod sic declaratur: Si quis commiserit peccatum mortale, & postea oblitus suscipiat Eucharistiam, vel extremam Vnctionem, vel etiam alia viuorum Sacramenta cum ordinaria dispositione, credens se debitè ad illa accedere, non apparet cur debeat negari illum recipere gratiam in illo vsu Sacramentorum, cùm malitiosè non opponat obicem; Concilium enim Tridentinum sess. 7. can. 6. definit Sacramenta nouæ Legis, nulla posita limitatione continere gratiam, eámque conferre non ponentibus obicem: ergo Sacramenta viuorum ex vi secundariæ suæ institutionis causant aliquando primam gratiã. Deinde, conceditur communiter Sacramenta mortuorum sæpe causare secundam gratiam, non obstante primaria eorum institutione: ergo etiam ex iisdem principiis debet concedi Sacramenta viuorum aliquando causare primam gratiam, non obstante primaria eorum institutione: maximè, cùm sit maior necessitas primæ gratiæ, quàm secundæ gratiæ, pertinuit ad summam Dei bonitatem; prouidere vt Sacramenta viuorum aliquando causarent primam gratiam in suscipientibus sine malitia.

Ad primum ergo dicendum, quòd authoritas negatiua non multùm probat. Deinde dicendum, quòd D. Thom. virtualiter docet Sacramenta viuorum aliquando causare primam gratiam, per hoc quòd absolutè docet Sacramenta causare gratiam in suscipientibus non ponentibus obicem. Denique expressè docet de Eucharistia, vt visum est.

Ad secundum dicendum, quòd hæc differentia in Sacramentis viuorum & mortuorum, desumitur ex primaria institutione ipsorum, qua habent quòd illa solùm conferantur viuentibus vita spirituali; ista verò carentibus vita spirituali. Cum hoc tamen stat, vt ex secundaria institutione illa proficiant mortuis dando primam gratiam, ista verò viuentibus dando secundam gratiam.

Ad tertium dicendum, quòd ex primaria quidem sua institutione Confirmatio est quasi potentia augmentatiua, & Eucharistia quasi potentia nutritiua: ex secundaria tamen institutione omnia Sacramenta viuorum sunt quasi potentia generatiua, quia omnia aliquando dant primam gratiam, & consequenter vitam spiritualem animæ.

DVBIVM V.

Vtrùm omnia Sacramenta noua Legis causent æqualem gratiam.

Svpponendum est, quòd ex duplici capite potest procedere, quòd gratia, quæ recipitur in vsu Sacramentorum sit maior, vel æqualis, vel minor: videlicet ex parte suscipientium, & ex parte Sacramentorum: ex parte quidem suscipientium, in quantùm accedunt cum maiori, vel æquali, vel minori dispositione; certum est enim quòd dispositio subiecti confert ad perfectionem effectus: ex parte autem Sacramentorum, in quantùm Sacramenta singula quasi ex propria virtute, & ex vi suæ institutionis habere possunt causare tantam gratiam, quæ vel sit æqualis, vel maior, vel minor, & in hoc sensu procedit præsens difficultas, id est, vtrùm omnia Sacramenta nouæ Legis ex propria virtute causent de facto æqualem gratiam, vel vnum causet maiorem, & aliud minorem in suscipientibus æqualiter dispositis.

Prima opinio asserit, Sacramenta nouæ Legis non habere ex vi suæ institutionis, & quasi ex propria virtute causare determinatam gratiam; sed modò vnum causare maiorem, modò aliud; imò idem cum æquali dispositione suscipientium modò causare maiorem gratiam, modò minorem. Probatur; Virtus diuina non est alligata Sacramentis, cùm illis liberè, & non necessariò communicetur: ergo potest Deus ad

ad libitum communicare æqualem virtutem omnibus Sacramentis: & sic causabunt æqualem gratiam: non enim causant, nisi virtute diuina sibi communicata.

Secundò; Sacramenta nouæ Legis non habent ex institutione diuina causare quasi propria virtute determinatam gratiam; sed modò causant maiorem, modò minorem, vt Deus voluerit, propter bonitatem Ministri, vel deuotionem parentum; quod maximè apparet in Baptismo, qui inæqualem gratiam confert paruulis; nam cùm multi moriantur cum sola gratia baptismali, & habeant omnes in cœlo inæqualem gloriam (cùm debeant reparare ruinas Angelorum, qui omnes fuerunt inæquales in gratia, quæ data fuit illis, iuxta perfectionem naturalem, maior aut minor; & fuissent inæquales in gloria) sequitur quòd recipiant in Baptismo inæqualem gratiam, quæ est semen gloriæ, & cui gloria commensuratur: ergo potest fieri quòd omnia Sacramenta nouæ Legis causent æqualem gratiam.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd singula Sacramenta nouæ Legis habent ex vi suæ institutionis causare quasi propria virtute determinatum gradum gratiæ: 2. Nec omnia causant æqualem; sed vnumquodque causat maiorem, aut minorem secundùm propriam perfectionem.

Probatur prima pars conclusionis authoritate S. Augustini, & D. Thom. S. Augustinus tractatu 6. in Ioannem expressè docet, Baptisma, à quocumque conferatur, semper habere eundem & æqualem effectum: ait enim, Si pro diuersitate meritorum Baptisma sanctum est, quia diuersa sunt merita, diuersa erunt Baptismata, & tantò quisque aliquid melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepisse; quod adducit tanquam inconueniens: vnde sic concludit; Quare ergo si vnus ab illo, v. g. iusto & sancto baptizaretur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ; vnum tamen, & par, & æquale est quod acceperunt, nisi quia hic est qui baptizat. D. Thom. autem infra qu. 69. art. 8. id expressè probat de Baptismo, ex illo ad Ephes. 4. Vna fides, vnum Baptisma: vniformis autem causæ est vniformis effectus: ergo Baptismus habet æqualem effectum in omnibus. In corpore verò articuli sic ait; Per se quidem effectus Baptismi, est id ad quod Baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam, & hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad Baptismum. Vnde quia omnes pueri æqualiter se habent ad Baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in Baptismo. Quod proportionabiliter dicendum est de aliis Sacramentis: ergo singula Sacramenta nouæ Legis habent ex vi suæ institutionis causare quasi propria virtute determinatum gradum gratiæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum: Ecclesia cantat in officio Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, quòd per ipsum mens impletur gratia; quod indicat abundantiam gratiæ in eius sumptione communicari. Sancti Patres mira de fructu huius Sacramenti præ aliis dicunt, maximè D. Thom. in toto opusculo de ipso edito: ergo eius fructus est maior fructu aliorum, ac proinde non omnia Sacramenta nouæ Legis ex vi suæ institutionis causant æqualem gratiam, sed vnumquodque causat maiorem, aut minorem, secundùm propriam perfectionem. Deinde, causæ inæquales in perfectione, cæteris paribus, causant quantùm est ex parte ipsarum inæquales effectus, vt ex se patet: sed secundùm fidem Sacramenta nouæ Legis sunt inæqualia in perfectione, vt definit Concilium Tridentinum sess. 7. canone 3. his verbis; Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit: ergo non omnia Sacramenta nouæ Legis causant æqualem gratiam. Denique, est sententia communis & pia, quòd alia Sacramenta non causant gratiam, nisi dependenter ab Eucharistia, quæ tamen ex seipsa virtutem habet gratiam conferendi, in quantùm verè & realiter continet authorem & fontem gratiæ Christum Iesum Deum verum & hominem: & hoc docet D. Thom. infra quæst. 79. art. 1. ad 1. his verbis; Hoc Sacramentum ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius Sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per se ipsum sicut adulti, vel voto Ecclesiæ sicut paruuli: Vnde ex efficacia virtutis ipsius est, quòd etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quā spiritualiter viuificetur: sed ex hac dependentia aliorum Sacramentorum ab Eucharistia quoad productionem gratiæ, rectè infertur ipsam Eucharistiam esse ex se efficaciorem in producendo maiorem gratiam: ergo non omnia Sacramenta nouæ Legis causant æqualem gratiam, sed vnumquodque causat maiorem, vel minorem secundùm propriam perfectionem.

AD primum ergo, dicendum, quòd virtus diuina secundùm se quidem non est alligata Sacramentis, vnde sine illis posset producere gratiam; & similiter posset mediis illis conferre maiorem: sed conueniens fuit propter adductas rationes, vt singulis taxaret quantam gratiam conferrent, iuxta cuiusque perfectionem: & hanc infallibiliter causant.

AD secundum, dicendum cum D. Thom. iam citato, quòd pueri in Baptismo recipiunt æqualem

æqualem gratiam: & licet homines sint ordinati ad reparandas ruinas Angelorum, & ad occupandas eorum sedes; hoc tamen non est sic intelligendum, quòd non possint esse plures homines in eadem sede vnius Angeli, siue quòd omnes homines sint inæquales in gratia & gloria, sicut Angeli; hoc enim est falsum, & rationem assignat D. Thom. infra quæst. 69. art. 8. ad 3. his verbis: Diuersa capacitas naturalium in hominibus non est ex diuersitate mentis, quæ per Baptismum renouatur, cùm omnes homines eiusdem speciei existẽtes, in forma conueniant, sed est ex diuersa dispositione corporum; secus autem est in Angelis, qui differunt specie: & ideo Angelis dantur dona gratuita secundùm diuersam capacitatem naturalium, non autem hominibus.

DVBIVM VI.

Vtrùm idem Sacramentum semper, & in omnibus causet æqualem gratiam.

SVpponendum est tanquam certum ex dubio præcedenti, quòd si attendatur efficacia vniuscuiusque Sacramenti ex parte ipsius, secluso ordine ad maiorem, vel minorem dispositionem subiecti suscipientis, est omninò determinata, iuxta maiorem vel minorem perfectionem ipsius Sacramenti, ad causandam tantam gratiam. Et in hoc sensu non est dubium, quin idem Sacramentum semper, & in omnibus causet æqualem gratiam: sed dubium est, an attenta maiori, vel minori dispositione subiecti, idem Sacramentum quantùm est ex se, & ex opere operato, vt dicitur, causet semper & in omnibus æqualem gratiam: ita vt maior gratia, quæ secundùm fidem confertur suscipienti magis disposito, ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. sit tantùm ex opere operantis; & ita correspondeat dispositioni suscipientis, & non efficaciæ Sacramenti.

Prima opinio docet idem Sacramentum semper, & in omnibus causare æqualem gratiam in sensu explicato. Probatur; Per hoc quòd aliquid remouet prohibens, non auget virtutem agentis: sed dispositio subiecti requiritur ad susceptionem Sacramenti, tantùm vt remouens prohibens: ergo non auget virtutem Sacramenti, vt sic possit causare maiorem gratiam; ac proinde semper & in omnibus causat æqualem.

Secundò; Si idem Sacramentum causet inæqualem gratiam, nunc maiorem, nunc minorem, iuxta inæqualem dispositionem suscipientium, sequitur quòd nullam causet gratiam in eo qui nullam habet dispositionem positiuam; nam sicut maior dispositio est causa maioris gratiæ colla[illegible]æ, sic dispositio simpliciter est causa collation[illegible] gratiæ simpliciter: vnde si nulla

R.P. Philipp[illegible] Carm. discal. Disp. Theolog. in 3. P.

fuerit dispositio, nulla conferetur gratia.

Tertiò; Si aliquis accedat ad Sacramentum cum dispositione; ex hoc præcisè, siue ex opere operantis habebit gratiam correspondentem tali dispositioni: si ex alia parte propter hanc eandem dispositionem Sacramentum conferat ex opere operato maiorem gratiam, quàm conferret, si nulla esset dispositio; sequitur quòd dabitur duplex gratia, propter dispositionem suscipientis, quod est inconueniens: ergo idem Sacramentum semper & in omnibus causat æqualem gratiam.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd idem Sacramentum secundùm speciem semper causat æqualem gratiam in subiecto æqualiter disposito: 2. Causat autem maiorem in subiecto magis disposito. Ita communiter Theologi in præsenti.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. infra quæst. 69. art. 8. ad 1. vbi loquens de Baptismo sic ait; Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad Baptismum: vnde quia omnes pueri æqualiter se habent ad Baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in Baptismo. Deinde dictum est dubio præcedenti, quòd ex diuina institutione determinatum fuit cuilibet Sacramento in specie, quantam gratiam ex se causaret independenter ad dispositionem subiecti, quæ est minima quam causat: ergo idem Sacramentum secundùm speciem semper causat æqualem gratiam in subiecto æqualiter disposito.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. loco proximè citato, vbi sic ait: Adulti verò qui per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad Baptismum: quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad Baptismum accedunt; & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt: Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat; licèt ignis, quantùm est de se, æqualiter ad omnes suum calorem fundat: Ergo idem Sacramentum secundùm speciem causat maiorem gratiam in subiecto magis disposito. Deinde, probatur ratione indicata à D. Thom. In naturalibus experimur quòd causa melius applicata, & in subiecto magis disposito producit ex opere operato perfectiorem effectum: ergo etiam in supernaturalibus: sed quando quis accedit ad Sacramentum magis dispositus, tunc causa gratiæ, scilicet merita Christi, meliùs ipsi magis disposito per Sacramenta applicatur: ergo producit ex opere operato perfectiorem effectum; & consequenter idem Sacramentum secundùm speciem causat maiorem gratiam in subiecto magis disposito. Denique

que hoc videtur determinatum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi dicit quòd vnusquisque per Sacramenta recipit gratiam secundùm propriam dispositionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd dispositio quæ est in suscipiente Sacramenta, non solùm remouet prohibens, sed etiam magis applicat ei merita Christi per Sacramenta, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd omnia Sacramenta nouæ Legis causant ex institutione diuina in non ponentibus obicem determinatum gradum gratiæ, independentem à dispositione positiua suscipientium; vnde licèt nulla sit in eis dispositio, dummodo non sit obex, producitur hic determinatus gradus gratiæ. Nota, quòd dictum est Sacramenta producere aliquem gradum gratiæ independenter à dispositione positiua, non tamen independenter à dispositione negatiua, quæ consistit in remotione obicis: vt putà in adulto accedente ad Baptismum requiritur dolor peccatorum actualium, si habeat, quia implicat eum iustificari sine actu proprio, quo reparet deordinationem voluntariam ab vltimo fine, remanet enim habitualiter auersus, quamdiu de nouo non se conuertit ad eum actu voluntatis, vel formaliter, vel virtualiter. Et hæc dispositio negatiua, est simpliciter necessaria ad effectum Sacramentorum; dispositio autem positiua est tantùm necessaria ad melius esse, & ad hoc vt Sacramenta producant perfectiorem effectum.

Ad tertium, dicendum, quòd non est inconueniens concedere, quòd detur illa duplex gratia, siue duplex augmentum ipsius; vnum correspondens dispositioni ex opere operantis, & aliud correspondens eidem ex opere operato Sacramenti: imò est valde pium hoc dicere, & demonstrat vtilitatem Sacramentorum.

DVBIVM VII.

Vtrùm gratia Sacramentalis aliquid addat gratiæ communiter dictæ.

SVpponendum est, nomine gratiæ communiter dictæ, intelligi gratiam virtutum & donorum: quæ essentialiter dicit habitum supernaturalem, receptum in substantia animæ, eámque sanctificantem: qui habitus est quædam participatio diuinæ essentiæ formalissimè consideratæ: quâ iusti fiunt diuinæ consortes naturæ, vt ait S. Petrus: & quia operari sequitur esse ideo ad illum habitum supernaturalem, qui ordinatur ad dandum præcisè esse supernaturale, propterea residet in substantia animæ cuius est esse, & non operari proximè; consequuntur alij habitus supernaturales, tanquam proprietates ipsius, recepti in potentiis animæ, quibus ipsæ eleuantur ad ordinem supernaturalem, & constituuntur in actu primo potentes operari actiones supernaturales: sunt enim virtus totalis proxima operandi: & hi habitus sunt virtutes, & dona Spiritus Sancti: virtutes dantur ad simpliciter operandum; dona verò dantur ad hoc vt potentiæ sint faciles mobiles à Spiritu Sancto, in ordine ad aliquas operationes excellentes: hoc totum requiritur, & non sufficiunt solæ virtutes, propter resistentiam naturæ humanæ corruptæ. Hi autem omnes habitus consequuntur gratiam sanctificantem in quocumque sit, & quomodocumque producatur, siue in vsu Sacramentorum, siue extra Sacramenta: propterea gratia communiter dicta, dicitur gratia virtutum & donorum. Nunc quæritur, vtrùm gratia Sacramentalis aliquid addat huic gratiæ iam descriptæ.

Prima opinio asserit gratiam Sacramentalem addere aliquem habitum gratiæ communiter dictæ: vel aliquam entitatem modalem. Primum modum dicendi sequitur Capreolus in 4. d.1.quæst.3. hunc autem habitum dicit esse characterem, quando Sacramenta illum imprimunt; in aliis verò Sacramentis esse quendam ornatum animæ: sequitur etiam Paludanus ibidem, qui gratiam Sacramentalem distinguit in septem habitus essentialiter distinctos. Secundum modum dicendi sequitur Nugnus in præsenti, qui dicit hanc entitatem modalem & perfectionem realem tria præstare gratiæ communiter dictæ: nam primò facit quòd gratia, non quidem vt est in nobis, sed vt est à Christo, sit quasi passio & potentia, in quantùm Sacramenta nos incorporant Christo. Deinde facit hominem facilè mobilem à Spiritu Sancto in ordine ad proprias operationes correspondentes tali Sacramento. Denique facit ipsam gratiam habitualem difficilè mobilem à subiecto. Probatur vniuersaliter hæc opinio triplici authoritate D. Thomæ: prima habetur hîc artic.2. vbi dicit, quòd gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, sicut addunt virtutes & dona: constat autem ex eodem D. Th. 1.2.quæst.68. virtutes & dona esse habitus realiter distinctos à gratia habituali. Secunda habetur ibidem ad 3. vbi ait, quòd ratio Sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus: vnde supponit quòd gratia communiter dicta sit genus ad gratiam habitualem sanctificantem, & ad gratiam Sacramentalem, & ita gratia sanctificans, & gratia Sacramentalis sunt distincti habitus specie. Tertia habetur infra quæst.72. artic.7. ad 3. vbi dicit quòd gratia Sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectiuum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum: quod sine dubio debet esse habitus: ergo gratia

gratia Sacramentalis addit habitum aliquem gratiæ communiter dictæ.

Secundò, gratiæ Sacramentales à diuersis Sacramentis productæ distinguntur specie, ex D.Thom. infra quæst.72. art. 3. ad 3. vbi dicit quòd gratia Baptismi, & gratia Confirmationis distinguuntur specie, quantùm ad id quod addit gratia Sacramentalis super gratiam communiter dictam: & ratio est manifesta, quia ipsa Sacramenta distinguuntur specie; quam distinctionem non aliunde habent quàm à diuersis gratiis, ad quas producendas ordinantur tanquam ad finem: vnde sunt ipsæ gratiæ habitus specie distincti inter se: ergo etiam distinguuntur à gratia communiter dicta, iuxta illud axioma Philosophicum; Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: & quæ non sunt eadem inter se, nec sunt eadem vni tertio.

Tertiò, diuersi effectus realiter & specie distincti, petunt diuersas causas: & diuersi actus procedunt à diuersis habitibus, vt patet in materia virtutum, quæ ideo multiplicantur: sed ex D.Th. hîc art. 2. gratiæ Sacramentales habent effectus realiter & specie distinctos ab effectu gratiæ communiter dictæ: ergo gratiæ Sacramentales, sunt distincti & diuersi habitus, ab habitu gratiæ communiter dictæ.

Quartò, auxilia actualia supernaturalia debent essent proportionata principio habituali elicitiuo actuum; nam etiam in ordine naturali concursus attemperatur causæ, & non causa concursui: ergo cùm auxilia actualia, quæ dantur in ordine ad diuersos specie effectus diuersorum Sacramentorum, sint diuersæ speciei; etiam ipsæ gratiæ Sacramentales, quæ sunt principia horum effectuum, sunt habitus inter se specie distincti, & multò magis à gratia communiter dicta; aut saltem ipsi superaddent modos & perfectiones reales diuersæ speciei.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd gratia Sacramentalis addit aliquid gratiæ communiter dictæ: 2. Quod tamen non est character, aut aliquis ornatus; 3. Nec habitus ab illa distinctus; 4. Nec modus realis illam intrinsecè perficiens: 5. Sed importat ipsam gratiam communiter dictam, & simul in ipsa dicit exigentiam diuinorum auxiliorum, in ordine ad speciales effectus necessarios in vita Christiana, ad quos ordinantur ipsa Sacramenta, & ipsa gratia Sacramentalis. Ita nunc tenent omnes ferè Theologi.

Probatur prima pars conclusionis expressa authoritate D.Thom. hîc art. 2. eiúsque ratione, quam sic proponit: Ordinantur Sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christian[illegible], sicut Baptismus ordinatur ad quandam spiri[illegible]alem regenerationem, quá homo moritur [illegible]iis, & fit membrum Christi; qui quidem e[illegible]ctus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ: & eadem ratio est in aliis Sacramentis. Sicut igitur virtutes & dona addunt super gratiam communiter dictam, quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum: ita gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona quoddam diuinum auxilium, ad consequendum Sacramenti finem: & per hunc modum, gratia Sacramentalis addit super gratiam virtutum & donorum.

Probatur secunda pars conclusionis. D.Tho. in hac quæst. 62. agit de gratia Sacramentali; & quæstione sequenti agit de charactere, tanquam de effectu diuerso: ergo ex D.Thom. illud, quod superaddit gratia Sacramentalis gratiæ communiter dictæ, non est character, aut aliquis ornatus. Deinde; Gratia Sacramentalis ita se habet ad gratiam communiter dictam, vt non possit esse sine illa; qui enim peccando amisit gratiam sanctificantem, non potest dici habere gratiam Sacramentalem, vt constat ex communi vsu loquendi: solet enim dici de iis qui nunquam mortaliter peccauerunt, quòd gratiam Baptismalem semper conseruarunt: sed secundùm fidem character potest esse sine gratia sanctificante communiter dicta: ergo illud, quod superaddit gratia Sacramentalis gratiæ communiter dictæ, non est character, aut similis ornatus.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate D.Thom. iam citata, vbi dicit, quòd gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona quoddam diuinum auxilium: sed in doctrina D.Thom. auxilium diuinum non importat habitum, at aliquid actuale: ergo illud, quod superaddit gratia Sacramentalis gratiæ communiter dictæ, non est habitus ab illa distinctus. Deinde; Gratia Sacramentalis datur ad hoc, ex D.Thom. vt benè operemur secundùm finem vniuscuiusque Sacramenti: sed ad hoc non requiritur habitus peculiaris, distinctus ab ipsa gratia communiter dicta vt includit virtutes & dona; per hanc enim sumus habitualiter potentes operari quemcumque actum supernaturalem proprium viatorum; at tantùm requiritur aliquid actuale, per quod actu operemur, videlicet motio supernaturalis: ergo illud, quod superaddit gratia Sacramentalis gratiæ communiter dictæ, non est habitus ab illa distinctus. Denique, quia est inauditum ponere septem habitus gratiæ Sacramentalis distinctos à gratia communiter dicta.

Probatur quarta pars conclusionis. Ille modus realis, qui potest fingi tanquam perficiens gratiam sanctificantem; vel illam perficit intendendo, vel reddendo difficilè mobilem à subiecto, vel reddendo efficaciorem in ordine ad operationem ita vt habeat rationem potentiæ;

tiæ; vel tandem quia reddit subiectum facilè mobile à Spiritu Sancto: sed nullo ex his modis potest illam perficere: Non primo; quia intensio cõuenit gratiæ secundum se, & non tantùm gratiæ sacramentali: Non secundo; quia gratia communiter dicta, cùm sit habitus, iam ex natura sua est difficilè mobilis à subiecto, & ita ab intrinseco: ab extrinseco autem redditur difficilè mobilis per auxilia actualia Dei confortantis subiectum, vel per maiorem radicationem in subiecto; & non per istum modum: Non tertio; quia ex D. Thom. 1. 2. quæst. 111. gratia virtutum & donorum communiter dicta perficit animã, tam quoad esse spirituale, quàm quoad ipsum opus & operationem, & hoc in ordine ad actus omnium virtutum, tam Theologicarum, quàm Moralium supernaturalium, quæ pertinẽt ad communem statum Christianorum, ac proinde in ordine ad omnes actus supernaturales, ad quos necessarius fingi potest iste modus: vnde istæ virtutes infusæ ex D. Thom. non solùm habent rationem habitus, in quantùm dant facilè, constanter, & delectabiliter operari; sed etiam habent rationem potentiæ, quia dant simpliciter operari. Non quarto; quia ad aliquos actus extraordinarios & valde excellentes eliciendos, non tam ex propria deliberatione, quàm instinctu Spiritus Sancti, quo potiùs homines aguntur, quàm agant; sufficiunt dona Spiritus Sancti communiter dicta, nec requiruntur alia ad actus ordinarios, procedentes ex perfecta deliberatione, quales sunt actus ordinati ad finem Sacramentorum, vt ex se patet: ergo illud, quod superaddit gratia Sacramentalis gratiæ communiter dictæ, non est modus realis illam intrinsecè perficiens.

Probatur & explicatur quinta pars conclusionis, quam inter Thomistas docent Caietanus in præsenti, Soto, & alij. Dicimus igitur, quòd illud quod gratia Sacramentalis superaddit gratiæ communiter dictæ, est exigentia gratiæ actualis, siue diuinorum auxiliorum specialium, quæ Deus confert & conferre tenetur ex pacto, illis qui susceperint Sacramenta, quando occurrit aliqua occasio agendi aliquid ad quod ordinantur Sacramenta: quæ auxilia sunt specialia in vnoquoque Sacramento. v. g. quia Confirmatio ordinatur ad roborandam fidem, per istum Sacramentum confertur gratia sanctificans cum omnibus virtutibus infusis & donis: insuper quando occurrit necessitas profitendi fidem corã Tyrannis & inimicis Christi, Deus ex exigentia gratiæ in illo Sacramento ad hunc finem collatæ, dat quædam maiora auxilia, vel specialiora, putà quædam gaudia spiritualia, singulares illustrationes: item diuturniora & frequentiora, vt Confirmatus illam generosè profitendo triumphet: vnde videmus quòd aliquando aliqui, qui pessimè vixerunt, in tali occasione constantissimi fiunt & Martyrium cum gaudio subeunt: & licèt etiam non Confirmatis conferat similia auxilia, hæc tamen non sunt infallibilia, & sunt quasi de lege extraordinaria. Idem proportionabiliter dicendum est in aliis Sacramentis, vt in Baptismo, ad conseruandam vitam spiritualem. In Eucharistia, ad eam fouendam & confirmandam. In Pœnitentia, ad resistendum vitiis & peccatis. In extrema vnctione, ad fortiter dimicãdum in agonia contra tentationes Dæmonum. In Ordine, ad rectè exercendas actiones Hierarchicas. In Matrimonio ad honestè & piè viuendum in vinculo coniugali. Igitur cùm Deus peculiari pacto teneatur conferre hæc auxilia specialia; conferendo ipsam gratiam sanctificantem in Sacramentis, quasi in actu primo, siue in actu signato dicitur illa conferre, & postea debito tempore intuitu illius gratiæ in Sacramentis collatæ, & ad exigentiam illius, conferre illa auxilia in actu secundo siue in actu exercito: vnde gratia Sacramentalis dicit gratiam sanctificantem exigentem illa auxilia specialia, ipsáque auxilia suo tempore conferenda. His positis probatur, tum authoritate D. Thom. hîc art. 2. iam citata, vbi dicit, quòd gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona quoddam diuinum auxilium, ad consequendum Sacramenti finem; nomine autem diuini auxilij in schola D. Thom. intelligitur gratia actualis. Deinde ex impugnatione aliarum opinionum: si enim gratia Sacramentalis non superaddit gratiæ communiter dictæ aliquem habitum, aut aliquid habituale, debet addere aliquid actuale. Denique, hoc pertinet ad dignitatem Sacramentorum, quòd per illa habeantur tam auxilia habitualia, videlicet gratiam cum omnibus virtutibus & donis; quàm actualia, vt explicatum est: ergo gratia Sacramentalis importat ipsam gratiam communiter dictam, & simul in ipsa dicit exigentiam diuinorum auxiliorum, in ordine ad speciales effectus necessarios in vita Christiana, ad quos ordinantur ipsa Sacramenta, & ipsa gratia Sacramentalis: vnde gratia Sacramentalis dicit duplicem respectum, vnum ad pactum Dei, quo statuit dare suo tempore auxilia specialia, suscipientibus Sacramenta, necessaria ad consequendum finem Sacramentorum, & alterum ad ipsa auxilia specialia Dei, ad quæ habent ius acquisitum ex tali pacto suscipientes Sacramenta.

Ad primum ergo, dicendum, quòd in illo loco D. Thom. intendit primò probare, quòd gratia Sacramẽtalis superaddit gratiæ communiter dictæ, sicut virtutes & dona ipsi superaddunt: sed in assignando quid superaddat, dicit quòd est quoddam diuinum auxilium, & in hoc differt à virtutibus & donis, quæ superaddunt habitus. In secundo loco, D. Th. ponit exemplum de genere & specie ad hoc tantùm, vt ostendat

ostendat gratiam Sacramentalem addere supra gratiam communiter dictam, sicut species addit supra genus; comparatio autem non tenet in aliis. In tertio autem loco per effectiuum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentū, intelligit non habitus; sed ista auxilia diuina specialia, quæ propriissimè sunt effectiua, & magis quàm habitus, quia immediatè applicant ad operationem, & faciunt facere.

Ad secundum dicendum, quòd cùm gratia Sacramentalis præter gratiam communiter dictam, importet diuersa auxilia specialia, iuxta diuersitatem finis singulorum Sacramentorum; benè dixit D. Thomas quòd gratia Baptismi, & gratia Confirmationis, & sic de aliis, distinguntur specie, quantùm ad id, quod addit gratia Sacramentalis super gratiam communiter dictam, id est quantum ad illa diuersa auxilia quæ distinguuntur specie. Sacramenta verò distinguntur inter se ex diuerso modo causandi gratiam, & ex diuerso eorum fine.

Ad tertium, dicendum, quòd si gratia Sacramentalis habet effectus specie distinctos ab effectibus gratiæ communiter dictæ, hoc debet reduci ad specialia auxilia actualia specie distincta. Hoc tamen non dicit D. Thomas; sed dicit quòd Sacramenta, ordinantur ad speciales effectus necessarios in vita Christiana, qui effectus sunt actus virtutum, quæ consequuntur gratiam communiter dictam.

Ad quartum dicendum, quòd auxilia actualia debent esse proportionata principio habituali elicitiuo actuum, in ordine; ita vt sint eiusdem ordinis naturalis, vel supernaturalis: in ratione autem quasi specifica debent esse proportionata actibus, ad quos eliciendos communicantur; ad quos ordinantur tanquam ad finem proximum, à quo debent specificari. Sicut in naturalibus concursus specialis attemperatur effectui producendo. Dicimur autem fieri habiles ad operandum, per gratiam Sacramentalem, in quantùm includit habitus virtutum & donorum.

DISPVTATIO V.

De modo causalitatis Sacramentorum, & quando causant.

Ad perfectam efficaciæ Sacramentorum Legis gratiæ notitiam, examinandum restat quomodò, & quando causant: vtrùm scilicet causent moraliter, aut physicè? vtrùm principaliter, aut instrumentaliter? vtrùm ex opere operantis, aut ex opere operato? vtrùm in tempore, aut in instanti, & similia.

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramenta noua Legis causent gratiam physicè.

Svpponendum est ex dictis, Sacramenta nouæ Legis verè & propriè causare gratiam, hoc enim tanquam certum de fide probatum est: sed dubium remanet, an causent physicè, an tantùm moraliter: tunc aliquid dicitur causare physicè, quando causat per realem influxum, qui propriè pertinet ad causam efficientem: dicitur autem causare moraliter, quod non causat per verum influxum; sed vel per modum finis alliciendo, vel per modum conditionis sine qua non.

Prima opinio docet Sacramenta nouæ Legis tantùm causare gratiam moraliter. Hanc sequuntur aliqui extra Scholam D. Thom. Probatur authoritate Concilij Tridentini, & Sanctorum Patrum. Concilium sess. 6. cap. 7. explicans causas iustificationis, docet, Deum esse causam efficientem ipsius, Christum Dominum meritoriam & moralem præcipuam, & tandem Sacramētum Baptismi esse instrumentalem, & debet subintelligi moralem: non enim potest perfectiori modo esse causa, quàm sit Christus, qui tantùm est causa moralis. Sancti Patres plurimi attribuunt soli Deo, quòd sit causa gratiæ, & dicunt quòd Sacramenta sunt tantùm quædam signa, propter quæ Deus confert gratiam: sed hoc importat tantùm causalitatem moralem, quam expressè ponit Bernardus citatus à D. Thoma hîc artic. 1. dicit enim in quodam sermone de cœna Domini; Sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersæ, sunt traditæ Sacramentis: ergo Sacramenta nouæ Legis causant tantùm moraliter gratiam.

Secundò; Ens morale quatenus tale, potest tantùm moraliter agere; quia sicut operari sequitur esse, ita modus operandi sequitur modum essendi: sed Sacramenta sunt entia moralia; nam compositio illorum ex verbis & rebus non est physica, at tantùm moralis: ergo Sacramenta nouæ Legis causant tantùm moraliter gratiam.

Tertiò, ad causalitatem physicam multæ requiruntur conditiones. Prima, quòd causa existat: Secunda, quòd sit contactus inter causam agentem & passum: Tertia, quòd sint eiusdem ordinis; aut saltem quòd causa non sit inferioris ordinis ipso passo: sed hæ conditiones non reperiuntur in causalitate Sacramentorum: Non prima; nam Sacramenta causant gratiam quando iam non sunt, maximè quando causant recedente fictione: Non secunda; vt apparet in Pœnitentia, & Matrimonio, vbi pœnitens sæpe

sæpe multùm distat à Sacerdote absoluente, & aliquando contrahentes multùm ab inuicem distant, dum præbent consensum, putà quando fit per procuratores: nec Deus potest dispensare in hac conditione; cùm nec ipse possit agere in distans: Non denique tertia; quia Sacramenta sunt signa materialia, & debent agere in animam spiritualem: ergo Sacramenta nouæ Legis non causant gratiam physicè, at tantùm moraliter.

Quartò; Ex opposito sequuntur multa inconuenientia. Primum est, quòd Sacramenta excellentiori modo causarent gratiam, quàm mors & passio Christi, quæ cùm non existant, non possunt illam causare physicè, at tantùm moraliter; imò quàm ipsa humanitas Christi Domini, quæ non potest à cœlo in terram per tantam distantiam homines accedentes ad Sacramenta physicè attingere: hoc autem est maximum inconueniens; nam ex vna parte Sacramenta habent totam suam efficaciam à morte & passione Christi; vnde non possunt excellentiori modo causare quàm ipsa: ex alia verò parte humanitas Christi est instrumentum coniunctum diuinitatis, Sacramenta verò sunt instrumenta separata; est autem impossibile quòd instrumentum separatum excellentiori modo operetur, quàm instrumentum coniunctum, cùm illud applicetur & dependeat in sua operatione ab isto. Secundum inconueniens est, quòd contra doctrinam D. Thom. posset assumi aliqua creatura, imò de facto assumeretur tanquam instrumentum physicum ad creandum; nam ex vna parte gratia creatur, cùm tota producatur, nec educatur de potentia animæ, quæ nullam potentiam dicit ad gratiam, hæc est enim ordinis superioris: ex alia etiam parte productio gratiæ in anima peccatoris, siue iustificatio impij est maius opus, quàm creatio, vt ait S. Augustinus tractatu 72. in Ioannem. Tertium inconueniens est, quòd res materiales, quales sunt Sacramenta, plus efficaciæ haberent ad causandam gratiam, quàm actus virtutum perfectissimi, & magis proportionati ipsi gratiæ, qui tamen eam causant tantùm moraliter: ergo Sacramenta nouæ Legis non causant gratiam physicè, sed tantùm moraliter.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramenta nouæ Legis, non tantùm causant gratiam moraliter; 2. Sed etiam physicè. Ita nunc tenent ferè omnes Theologi, etiam extra Scholam D. Thom.

Probatur prima pars conclusionis. Sacramenta nouæ Legis causant gratiam applicando merita Christi Domini suscipientibus ea: ergo sicut merita Christi Domini causant in nobis gratiam moraliter; quia scilicet intuitu ipsorum nobis datur gratia; sic Sacramenta causant in nobis gratiam moraliter, quia scilicet intuitu ipsorum datur nobis accedentibus gratia.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sanctorum Patrum, & in primis D. Th. in præsenti, maximè art. 1. in corpore, & in responsione ad 2. item toto articulo 4. vbi tam expressè loquitur, vt in hoc nulla sit difficultas inter eius Discipulos. August. tractatu 80. in Ioannem ait: Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat. Ambrosius libr. 1. de Pœnitentia cap. 2. ait: Impossibile videbatur, vt peccatum ablueret aqua: sed quod impossibile erat, fecit Deus esse possibile, qui tantam donauit nobis gratiam. Et libro de Sacramentis cap. 5. Non omnis aqua sanat; sed aqua sanat quæ habet gratiam Christi. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem, ait: Sicut intensiùs aqua calefacta calorem viribus ignis efficit, non aliter quàm ignis, sic Spiritus Sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, quæ baptizatum abstergunt. Sed hæc omnia important causalitatem physicam, vt ipsis terminis patet: ergo Sacramenta nouæ Legis causant gratiam physicè.

Secundò, probatur authoritate Conciliorum, libro 3. Actuum primi Concilij Nicæni dicitur: Aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam. Item, per sacram inuocationem plenas sanctificationis spiritus, & ignis diuini aquas considera. Concilium Tridentinum sess. 7. canone 6. 7. & 8. definit Sacramenta nouæ Legis continere gratiam, & eam conferre suscipientibus, etiam ex opere operato, & in Catechismo eiusdem Concilij authoritate edito parte 2. cap. 1. habetur; Quo autem pacto tanta res & tam admirabilis (scilicet gratia sanctificans) per Sacramentum efficiatur, vt, quemadmodum Sancti Augustini sententiâ celebratum est, aqua corpus abluat & cor tangat: id quidem humana ratione, atque intelligentia comprehendi non potest; constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura ea vi præditam esse, vt penetrare ad animam queat: at fidei lumine cognoscimus omnipotentis Dei virtutem Sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsæ naturales præstare non possunt: sed hæc important causalitatem physicam, vt patet ex ipsis terminis: ergo Sacramenta nouæ Legis causant gratiam physicè.

Tertiò, probatur authoritate Sacræ Scripturæ. Ioannis 3. dicitur de Baptismo; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c. quem locum explicans Chrisostomus homilia 35. in Ioannem ait: Futurum erat Baptisma plenum potestatis & gratiæ, Angelus motæ aquæ virtutem sanandi largiebatur: ita & in nobis non simplex aqua, sed cum Spiritu gratiam accipit, omnia abluit peccata. Ioannis 6. dicitur de Eucharistia; Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat

meam

meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in eo S. Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 14 de efficacia Carnis Christi loquens ait: non solummodo verbo atque imperio, vt Deus, vtebatur, verùm etiam Carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, vt reipsa ostenderet Carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse. Sed hæ authoritates Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum exponentium eam, importat causalitatem physicam in Sacramentis: ergo Sacramenta nouæ Legis causant gratiam physicè.

Quartò, probatur ratione; Eadem est ratio in ordine ad causandum effectus supernaturales in Sacramentis, quæ in humanitate Christi; cum hac tamen distinctione, quòd humanitas est instrumentum coniunctum, & Sacramenta sunt instrumenta separata; nam sicut humanitas habet virtutem causandi supernaturalia, quia fuit assumpta à Verbo; sic Sacramenta debent habere proportionalem virtutem, quia fuerunt à Verbo Incarnato assumpta in ordine ad causandam gratiam, vnde vocantur Fontes Saluatoris, dicitur enim Isaiæ cap. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: Ex diuerso tamen modo assumptionis procedit, quòd humanitas assumpta ad vnitatem personæ sit instrumentum coniunctum, & Sacramenta extrinsecè tantùm assumpta sint instrumenta separata: sed humanitas Christi physicè causat effectus supernaturales, & specialiter gratiam, vt docet Scriptura, & Sancti Patres. Lucæ, 6. dicitur; Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. S. Cyrillus Alexandrinus libro 2. in Ioannem cap. 15. ait, ad facienda signa diuinis verbis suis inerat virtus, & lib. 4. cap. 14. ait, quòd si solo contactu suo corpora reintegrantur; quomodo non viuemus, qui Carnem illam gustamus, & manducamus; qui modi loquendi important causalitatem physicam: ergo Sacramenta nouæ Legis causant gratiam physicè. Deinde, Concilium Florentinum sub finem ponit hoc discrimen inter Sacramenta nouæ Legis, & antiquæ; quòd Sacramenta antiquæ Legis non causabant quæ significabant, sicut causant Sacramenta nouæ Legis: sed Sacramenta Legis antiquæ causabant moraliter gratiam, quia fundabantur in meritis & passione Christi venturi, idest intuitu ipsorum Deus conferebat gratiam modo infra explicando: ergo Sacramenta nouæ Legis habent alium nobiliorē modum causandi gratiam, ac proinde illam causant physicè. Denique, si Sacramenta nouæ Legis causant tantùm moraliter gratiam, vel hoc est per modum deprecationis, vel per modum meriti, vel per modum pretij; hæc enim tantùm possunt assignari ex parte instrumenti moralis: sed nullo ex his modis p[illegible]ecisè causant, vt constat ex eorum formis, qu[illegible] non sunt deprecatoriæ (exceptâ formâ extremæ Vnctionis ob specialem rationem) & non important causam finalem, sicut importat meritum & pretium, at important causam efficientem, vt, Ego te baptizo &c. Te absoluo; & sic de aliis: ergo Sacramenta nouæ Legis causant gratiam non tantùm moraliter, vt causabant Sacramenta antiquæ Legis per modum meriti, applicando scilicet merita Christi venturi; at illam verè causant physicè.

Ad primum ergo dicendum, quòd Concilium post enumeratam vtramque causam principalem iustificationis, videlicet physicam ipsum Deum, & moralem Christum, subiungit Baptismum vt causam instrumentalem vtriusque causæ principalis: nec sequitur quòd concurrat nobiliori modo ad causandam gratiam; quia Christus ratione diuinitatis est causa principalis physica; ratione verò humanitatis est causa principalis moralis, & simul causa instrumentalis coniuncta; at Sacramenta in vtroque ordine sunt tantùm instrumenta, & adhuc separata. Ad authoritatem Sanctorum Patrum; Dicendum, quòd intendunt dicere solum Deum esse causam principalem gratiæ: & si qui sint, qui dicant Sacramenta nouæ Legis esse tantùm signa & instrumenta moralia; plures sunt, qui dicunt esse instrumenta physica; imò plures ex his qui videntur expressiùs docere contrarium, vt Bernardus, solùm comparant Sacramenta signis tantùm moraliter causantibus, quantùm ad substantiam operandi, siue quantùm ad id quod est operari; non quantùm ad modum.

Ad secundum, dicendum, quòd si ens morale constet aliqua parte physica, sicut constant Sacramenta, ratione illius potest agere physicè: & talis actio est totius, sed non totaliter.

Ad tertium, dicendum, quòd prima conditio debet sic intelligi, quòd illud quod debet agere physicè existat, vel ratione sui, aut alicuius suæ partis; quod est formaliter existere: vel ratione alicuius sui effectus, quod est virtualiter existere: Sacramenta autem existunt per aliquid sui, quando causant gratiam, vt dicetur postea: quòd si nullo modo existant, tunc per accidens causant tantùm moraliter, vt quando causant recedente fictione. Secunda conditio est tantùm instrumēti agentis modo connaturali, qui modus diuinitus potest ab eis separari, ita vt agant in distans: Deus autem hoc non potest; tum quia nihil potest esse distans ab eo qui est immensus, & omnia continet; tum quia, cùm sit immutabilis non potest separari à suo modo connaturali agendi. Tertia conditio est tantùm instrumenti connaturalis, Sacramenta autem suapte natura non sunt talia: at eleuantur diuina virtute, & fiunt instrumenta supernaturalia, vnde possunt agere in animam

animam spiritualem, & effectus supernaturalés.

Ad quartum, dicendum, quòd ex dicta doctrina nullum sequitur inconueniens. Non primum; quia mors & passio Christi secundùm aliquos causant physicè gratiam, quia virtualiter existunt in sacris stigmatibus Christi: secundùm autem Thomistas humanitas passa causat physicè; & ipsa Passio est causa saltem moralis efficaciæ Sacramentorum, quod sufficit, vt non dicantur Sacramenta excellentiori modo causare gratiam, quàm mors & passio Christi. Ad illud de humanitate, dicendum, quòd diuina virtute agit phisicè in distans, vel per actus imperij, vel alio modo; vnde humanitas & sanguis Christi in se considerati causant gratiam physicè: si autem considerentur sanguis vt voluntariè fusus, & humanitas vt passa pro nobis, sunt causa meritoria & moralis principalis nostræ iustificationis. Nec secundum; quia gratia non creatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ: accidens autem, quod fit dependenter à subiecto per eductionem, non creatur. Ad illud Augustini, dicendum, quòd quamuis ex parte termini iustificatio impij sit maius opus, quàm creatio, quia creationis terminus est quid naturale; iustificationis autem, aliquid supernaturale; non tamen ex parte modi tendendi; quia scilicet creatio fit ex nullo præsupposito subiecto, & ex nihilo: vnde non admittit instrumentum physicum, quod necessariò petit actionem præuiam ad actionem principalis agentis, quod hîc non potest esse, quia nullum præsupponitur subiectum in quo exerceatur: iustificatio autem impij supponit subiectum ipsum impium, vnde admittit instrumentum. Nec tandem est tertium inconueniens; quia Sacramenta non habent hanc efficaciam propria virtute, sed tantùm virtute diuina qua eleuantur: & qua possent eleuari actus virtutum, si Deus ita instituisset; vnde non mirum si illa causent physicè, isti verò tantùm moraliter. Hæc autem causalitas physica non se extendit ad remissionem pœnarum, quia Sacramenta non sunt ad hoc primariò instituta, & ita illam causant solùm moraliter.

DVBIVM II.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis causent tantùm instrumentaliter gratiam.

Supponendum est, causam tam physicam, quàm moralem, diuidi in principalem & instrumentalem: Causa principalis physica est illa, quæ propria virtute producit effectum: Instrumentalis physica est illa, qua mediante producitur effectus; ita tamen vt operetur circa effectum, ad quod requiritur vt habeat duas actiones; vnam propriam siue propria virtute, respectu cuius est causa principalis; aliam virtute principalis agentis, respectu cuius est instrumentum. Actio propria instrumenti est præuia, & vt plurimùm dispositiua ad aliam: hæ autem actiones aliquando sunt duæ totaliter, & adæquatè distinctæ, aliquando non distinguntur adæquatè, vt constat in scissione artificiosa, in qua scissio est propria actio serræ ratione dentaturæ, modus autem in arte, artificiosæ, siue quòd sit artificiosa, est eius tanquam instrumenti, virtute principalis agentis. Causa principalis moralis est illa, quæ inclinat ex parte obiecti, quod potest fieri vel imperando, vel consiliando, vel quocunque alio modo alliciendo, vt merito, pretio, precibus, minis, &c. Causa instrumentalis moralis est illud, quo causa principalis moralis vtitur ad alliciendum, vt meritum, pretium, &c.

Prima opinio asserit Sacramenta nouæ Legis causare gratiam principaliter, & non tantùm instrumentaliter. Probatur; Virtus instrumentalis, siue quâ eleuantur & applicantur instrumenta ad agendum, est aliquid fluens & incompletum in esse naturæ, vt docet D. Thom. hîc art. 3. & 4. sed virtus quâ agunt Sacramenta non est aliquid fluens; nam de Baptismo docet venerabilis Beda quòd sit aliquid permanens; ait enim quòd Christus Dominus dedit virtutem aquis, quando baptizatus est, per tactum mundissimæ suæ Carnis. De Eucharistia docet D. Thom. infra quæst. 79. art. 1. ad. 1. vbi ait; Hoc Sacramentum ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi. De Confirmatione, & extrema Vnctione patet, quia habent materiam consecratam, & hoc de necessitate, ex qua conseeratione habent virtutem permanentem causatiuam gratiæ: ergo Sacramenta nouæ Legis causant gratiam principaliter, & non tantùm instrumentaliter.

Secundò; admisso hoc, quòd talis virtus, quâ Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, sit aliquid fluens & incompletum; non inde sequitur quòd Sacramenta causent tantùm instrumentaliter gratiam: nam virtus, qua catecumeni eliciunt actus fidei est huiusmodi, sicut & virtus qua Beatus Paulus vidit adhuc in via diuinam essentiam secundùm doctrinam S. Augustini, & D. Thomæ, & tamen certum est quòd in tali casu intellectus est causa principalis horum actuum supernaturalium: ergo Sacramenta non tantùm instrumentaliter, sed principaliter causant gratiam.

Tertio; Instrumentum debet indispensabiliter habere duas actiones: vnam propria virtute, quæ sit præuia & dispositiua subiecti ad effectum principalis agentis: aliam virtute principalis agentis: sed Sacramenta nouæ Legis non habent, nec possunt habere hanc propriam actionem præuiam dispositiuâ subiecti ad effectum

ctum principalis agentis; quia tale subiectum est anima rationalis spiritualis, quam Sacramenta, vt pote materialia non possunt attingere propria virtute: nec sufficit quòd propria virtute attingant corpus; nam si hoc sufficeret, posset dici quòd semen hominis concurreret ad creationem animæ rationalis; nam propria virtute attingit materiam disponendo: ergo cùm hoc non dicatur, maximè in Schola D. Thom. nec potest dici quòd Sacramenta nouæ Legis causent gratiam instrumentaliter; ac proinde, si causant physicè, causant principaliter.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd solus Deus est causa principalis physica gratiæ: 2. Christus Dominus causa principalis moralis: 3. Sacramenta verò nouæ Legis sunt tantùm causa instrumentaria, tam physica, quàm moralis. Ita tenent communiter omnes Theologi.

Probatur conclusio quoad omnes partes authoritate Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. vbi eam sic expressè docet: Huius iustificationis causæ sunt; finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & vngens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem dilectissimus vnigenitus suus Dominus noster Iesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima Passione ligno Crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. Instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.

Secundò probatur authoritate & ratione D. Thom. hîc art. 1. vbi sic ait: Duplex est causa agens, principalis & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus: sicut ignis suo calore calefacit: & hoc modo non potest causare gratiam nisi Deus, quia gratia nihil aliud est, quàm quædam participata similitudo diuinæ naturæ, secundùm illud 2. Petri 1. Magna nobis & preciosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ. Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ; sed solùm per motum quo mouetur à principali agente: vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta nouæ Legis gratiam causant: adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Vnde Augustinus dicit 19. contra Faustum: Hæc omnia (scilicet Sacramentalia) fiunt & transeunt, virtus tam[illegible], scilicet Dei quæ per ista operatur, iugiter ma[illegible]et. Hoc autem propriè dicitur instrumentum[illegible], per quod aliquis operatur. Vnde R. P. Philip[illegible] Carm. discal. Disp. Theolog. in 3. p.

& ad Titum 3. dicitur; Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

Probatur specialiter prima pars conclusionis. Causa principalis physica debet in propria forma & virtute præhabere effectum producendum; vel formaliter, si sit causa vniuoca; vel virtualiter, si sit causa æquiuoca, vt constat ex Physicis: sed solus Deus continet in propria virtute, & præhabet in propria forma gratiam sanctificantem, quia gratia sanctificans est ordinis supernaturalis & diuini; imò est ipsa participatio diuinæ essentiæ formalissimè considerata: & solus Deus est author supernaturalis, siue agens supra naturam; & habens diuinam essentiam: ergo solus Deus est causa principalis physica gratiæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Omnis gratia, aliique omnes effectus supernaturales dantur nobis propter merita Christi Domini: ita vt eius merita sint ratio finalis propter quam nobis conceduntur, vt communiter docent Theologi, & probatum fuit in tractatu de Incarnatione: sed causa meritoria alicuius, dicitur causa principalis moralis, quia mouet moraliter alliciendo: ergo Christus Dominus est causa principalis moralis gratiæ.

Probatur tertia pars conclusionis. Sacramenta nouæ Legis, cùm sint res materiales, non possunt propria virtute producere gratiam, qualitatem spiritualem in anima spirituali; quia causa agens propria virtute nunquam est inferioris ordinis respectu effectus, & passi, vt patet; qualis est res materialis respectu rei spiritualis: vnde debet illis communicari aliunde virtus, vt illam producant: sed quod agit non per propriam virtutem penitus, at per virtutem aliunde communicatam (quod dignoscitur quando res producenda est penitus extra sphæram actiuitatis ipsius) quomodo agunt Sacramenta, est tantùm causa instrumentaria, vt etiam patet: ergo Sacramenta nouæ Legis sunt tantùm physica causa instrumentaria gratiæ. Quòd autem sint causa instrumentaria moralis probatur, mediis ipsis applicantur nobis merita Christi Domini; illa enim Christus Dominus instituit, quasi media quibus positis sua merita in nobis haberent effectum: ita vt, licèt gratiam physicè non causarent, illam tamen tanquam medium impetrarent: sed illud dicitur causa moralis instrumentaria, quo causa principalis moralis vtitur ad causandum moraliter, siue ad alliciendum impetrando, aut quouis alio modo: ergo Sacramenta nouæ Legis sunt causa instrumentaria moralis gratiæ.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Venerabilis Beda solùm vult aquas accepisse virtutem à Christo Domino in actu primo, quia fuerunt designatæ pro materia Baptismi: non autem in actu secundo, quasi in exercitio talis virtus fuerit illis collata, qua conferrent gratiam.

tiam. Ad D. Thom. dicendum, quòd solùm intendit virtutem illam communicatam speciebus Sacramentalibus, qua eleuantur ad causandam gratiam, esse propriam huius Sacramenti præ aliis, quia talis virtus procedit ab humanitate Christi, tanquam ab instrumento coniuncto, quæ est realiter in hoc Sacramento, & non in aliis. Ad aliud, dicendum, quòd Sacramenta Confirmationis, & extremæ-Vnctionis non habent virtutem causatiuam gratiæ, præcisè ex hac consecratione materiæ, quamuis requiratur vt sit debita materia: sed tunc illis conceditur, quando talis materia sub debita forma applicatur, & transit illa virtus cum actione Sacramentali.

Ad secundum, dicendum, quòd est magnum discrimen inter Sacramenta & potentias vitales: nam Sacramenta, vt dictum est; non possunt esse quocumque modo causæ principales physicæ gratiæ; vnde ab intrinseco petunt hanc virtutem instrumentalem: potentiæ autem vitales possunt esse, & de facto sunt causæ principales physicæ suorum actuum supernaturalium (quamuis indigeant virtute supernaturali, quâ proximè constituantur in actu primo operandi) vnde connaturaliter petunt eleuari per habitus; & quòd aliquando eleuentur per virtutem transeuntem, est per accidens; & consequenter non transfert ipsas de ordine causarum principalium in ordinem instrumētorum, quia sunt incapaces, vt sint instrumenta respectu actuum, qui continentur intra latitudinem sui obiecti, & ad quos eliciendos sunt per se ordinatæ, quasi habentes ex sua natura totam virtutem radicalem; vnde sola virtute proxima indigent ad eos eliciendos.

Ad tertium, dicendum, quòd Sacramenta nouæ Legis habent has duas actiones, præuiam quidem, quæ est abluere, virtute propria: conferre autem gratiam, quæ est actio instrumentalis, & aliquo modo distincta ab alia, habent virtute Dei. Non autem semper est necesse, quòd actio præuia instrumenti sit directè dispositiua subiecti in ordine ad effectum principalis agentis, vt patet in miraculis quæ Christus Dominus fecit mediâ sanctissimâ suâ humanitate tanquam instrumento; nam quando suscitauit S. Lazarum, sola voce vsus est, qua ei diuinum imperium intimauit; aliquando vtebatur solo contactu: aliquando vtebatur mediis quasi oppositis actioni miraculosæ, sicut quando adhibuit lutum oculis cæci nati, quod potiùs debuerat excæcare videntem, quàm cæcum illuminare. Vnde quòd actio illa præuia sit dispositiua, prouenit ex hoc quòd instrumentum sit connaturale, & æstimatur ex indigentia: quando autem non est tale, vt contingit in præsenti; sufficit quòd præuia illa actione aliquo modo applicetur virtus principalis agentis: cuius exemplum habemus in aqua calefacta, quæ calefacit tantùm vt instrumentum ignis, & attingendo corpus, (quod est eius actio præuia) solùm defert & applicat virtutem ignis agentis principalis, scilicet calorem. Sacramenta autem non solùm attingunt corpus, sed attingunt totum compositum, quod constat animâ & corpore; verum quidem est quòd attingunt immediatè corpus, vt quo; sed autem contactus eleuatur ad attingendam etiam immediatè animam, vt quo. Vnde ad instantiam dicendum quòd non est paritas; quia productio gratiæ est realiter eius receptio, cùm sit eductio) & tantùm formaliter ab ea distinguitur. Creatio autem animæ rationalis non est realiter eius receptio in materia, sed sunt duæ realiter actiones; quæ tamen fiunt in eodem instanti reali, nam Deus creando animam, infundit; & infundendo, creat; & creatio tantùm est prior prioritate naturæ. Et ita semen disponendo materiam, solùm concurrit ad receptionem & vnionem animæ rationalis cum ea; non autem ad eius creationem: Sacramenta autem concurrunt simpliciter ad productionem gratiæ in anima, tam vt est eductio de potentia eius obedientiali, quàm vt est receptio. Eadem autem formaliter virtus instrumentalis, quâ eleuantur Sacramenta, inuenitur in verbis & rebus, prout ex verbis tanquam forma, & rebus tanquam materia perficitur vnum Sacramentum, eo modo quo eadem vis principalis agentis, instrumentaliter inuenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine vnum, vt docet D. Thom. hîc art. 4. ad 4. quamuis materialiter multiplicetur.

DVBIVM III.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis causent gratiam ex opere operato.

Supponendum est, gratiam posse conferri dupliciter, vel ex opere operantis, vel ex opere operato. Confertur ex opere operantis, quando correspondet ipsi operi operantis secundùm se, quia tale opus independenter à Sacramento ex se habet talem valorem, vt ei debeatur talis gratia, vt patet in contritione & dilectione Dei extra Sacramentum; his enim de iustitia, iuxta earum intensionem debetur gratia proportionata. Confertur autem gratia ex opere operato in vsu Sacramentorum, quando ex ipsa operatione Sacramenti præcisè confertur, independenter à dispositione Ministri & suscipientis: non quòd omnis eorum dispositio excludatur; debet enim esse recta intentio in vtroque, in Ministro quidem faciendi quod facit Ecclesia, in suscipiente autem adulto suscipiendi quod intendit Ecclesia, requiritur etiam fides, & similia: sed sic dicitur conferri independenter à dispositione suscipientis; vel quia nulla

nulla requiritur vt in paruulo qui baptizatur; vel quia dispositio quæ requiritur, non est sufficiens ad gratiam secundùm se, vt in accidente ad Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione; vel quia saltem non est sufficiens ad tantam gratiam quæ confertur; quia, vt dictum est, suscipienti Sacramentum cum dispositione vt quatuor, confertur maior gratia quàm vt quatuor; vnde in hoc triplici euentu confertur gratia, vel maior gratia virtute Sacramenti præcisè independenter à dispositione subiecti, & consequenter ex opere operato.

Prima opinio, sed hæretica, tenet Sacramenta nouæ Legis tãtùm causare gratiam ex opere operantis & nullo modo ex opere operato; quia non aliter causant, quàm excitando fidem per quam iustificamur. Ita dicunt Hæretici moderni Lutherus, Caluinus, & Alij. Probatur; Ex Sacra Scriptura habetur, quòd sola fides iustificat, vt Abacuch 2. Iustus ex fide viuit: Ad Rom. 4. Credidit Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam: Marci vltimo; Qui non crediderit, condemnabitur: Ad Ephes. 5. Mundans eam per lauacrum aquæ in verbo vitæ; verbum autem vitæ est verbum creditum; sed causare gratiam est iustificare vt patet: ergo Sacramenta tantùm causant gratiam ex opere operantis, & nullo modo ex opere operato.

Secundò, Fideles non sunt deterioris conditionis in Lege noua, ac erant in Lege antiqua, in ordine ad assecutionem gratiæ; imò sunt melioris conditionis, propterea Lex noua dicitur Lex gratiæ: sed melior est cõditio assequentis gratiam ex opere operantis, quàm assequentis ex opere operato, meliùs est enim habere gratiam dependenter à suis operibus meritoriis, quàm habere dependenter à rebus materialibus, qualia sunt Sacramenta: ergo cùm in antiqua Lege Sacramenta conferrent gratiam ex opere operantis; etiam in noua Lege sic conferunt.

Tertiò, Si aliquod Sacramentorum nouæ Legis conferret gratiam ex opere operato, esset maximè Baptismus, in quo nullum opus operantis apparet: sed nec Baptismus confert gratiam ex opere operato; quia est impossibile quòd aliquis peccator iustificetur sine actu proprio; cùm enim sit auersus voluntariè à Deo, debet hanc deordinationem voluntariè reparare, quod non potest fieri sine actu proprio; vnde in materia Pœnitentiæ cõmunior opinio docet, quòd non potest remitti peccatum actuale sine tali actu; eadem autem reperitur auersio voluntatis à Deo in peccato originali, ac in peccato actuali: ergo Sacramenta nouæ Legis tantùm causant gratiam ex opere operantis, & nullo modo ex opere operato.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd Sacramenta nouæ Legis causant gratiam, non tantùm ex opere operantis: sed etiam ex opere operato. Hæc conclusio est de fide, vnde est communis omnium Theologorum.

Probatur conclusio authoritate Concilij Tridentini sess. 7. canone 8. vbi eam sic definit; Si quis dixerit per ipsa nouæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

Secundò, probatur communi consensu Sanctorum Patrum, vt constat ex multis authoritatibus eorum adductis dubio 1. huius disputationis; & maximè D. Thom. in tota hac quæstione, vbi ponit in ipsis Sacramentis nouæ Legis virtutem & efficaciam causandi gratiam; quam articulo vltimo negat Sacramentis antiquæ Legis; quę tamen illam causabant ex opere operantis, vt postea dicetur: ergo ex D. Thom. Sacramenta nouæ Legis illam causant nobiliori modo scilicet ex opere operato.

Tertiò, probatur duplici ratione. Prima deducitur ex authoritate Apostoli, qui vocat Sacramenta antiquæ Legis, egena & infirma Elementa, si comparentur cum Sacramentis nouæ Legis; vnde ex Apostolo Sacramenta nouæ Legis sunt efficaciora ad causandam gratiã, quàm Sacramenta antiquæ Legis: ergo cùm Sacramenta antiquæ Legis tantùm causarent gratiam ex opere operantis, Sacramenta nouæ Legis debent causare ex opere operato. Secunda est validissima contra Hæreticos; ipsi fatentur quòd paruuli iustificantur in Baptismo, ac proinde tunc recipiunt gratiam; quia ex Concilio Tridentino sess. 6. canone 11. definitur, iustificationem fieri per infusionem gratiæ; sic enim habetur; Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei; anathema sit: sed in paruulis dum Baptizantur nulla est dispositio, nec habent vsum rationis ad eliciendos actus fidei, quod apparet ex eo quòd refugiunt baptizari, & flent dum baptizantur; quę si facerent cum deliberatione, potiùs committerent sacrilegium, quàm iustificarentur: & ex alia parte potest Baptismus eis conferri ab iniquo Ministro, cuius administratio sit sacrilega, & non meritoria; vt ipsimet Hæretici tenentur concedere: ergo in Baptismo collato paruulis gratia causatur tantùm virtute Sacramenti, & propter operationem Sacramentalem, & consequenter ex opere operato. Quòd si hoc concedatur Baptismo ab Hæreticis, facilè de aliis Sacramentis probabitur ex paritate rationis.

Ad primum ergo, dicendum, quòd duo priora loca Scripturæ intelligenda sunt de fide viua, quæ per dilectionẽ operatur. Ad tertium locum

R. P. Philipp. Carm. discal. Disp. Theolog. in 3. P.

locum, dicendum, quòd quidem sequitur; Qui non crediderit, condemnabitur; quia necessaria est fides ad salutem: sed non sequitur, Qui crediderit, iustificabitur; quia fides sine operibus mortua est. Ad quartum, dicendum, quòd verbum concionatorium non iustificat alio modo, quàm excitando nos ad credendum & bene operandum: sed verbum consecratorium iunctum materiæ iustificat; quod propterea ibi vocatur verbum vitæ, quia iustificando dat vitam spiritualem animæ.

AD secundum, dicendum, quòd per Sacramenta nouæ Legis confertur nobis gratia, tam ex opere operantis, quàm ex opere operato, & consequenter multò maior, quàm conferretur per Sacramenta Legis antiquæ: vnde si quis accedat dispositus vt quatuor, recipiet gratiam vt quatuor correspondentem eius dispositioni; & insuper aliam portionem gratiæ recipit ex opere operato ipsius Sacramenti: siue clariùs, si talis extra Sacramentum propter suam dispositionem reciperet gratiam vt quatuor, in Sacramento recipit multò maiorem propter virtutem ipsius Sacramenti. Deinde certiùs confertur gratia per Sacramenta nouæ Legis, quàm conferretur per Sacramenta Legis antiquæ: ac ita fideles sunt multò melioris conditionis in Lege noua, quàm fuerint in antiqua Lege.

AD tertium, dicendum, quòd omnia Sacramenta nouæ Legis causant gratiam ex opere operato; hoc tamen magis apparet in Baptismo, in quo paruuli iustificantur sine proprio actu; cur autem non requiratur actus proprius in iustificatione paruulorum à peccato originali; sicut requiritur in iustificatione adultorum à peccatis actualibus, est quia paruuli non sunt auersi & deordinati ab vltimo fine per actum voluntatis propriæ, sed per actum voluntatis alienæ scilicet primi Adam ipsis imputatæ; vnde ad iustificationem eorum non requiritur actus voluntatis propriæ, sed sufficit actus voluntatis alienæ scilicet Christi secundi Adam ipsis imputatæ. Adulti autem, quia peccando actualiter auertunt se, & deordinant se proprio actu ab vltimo fine; ideo requiritur etiam actus proprius vt reparetur talis deordinatio, & sic iustificentur: donec enim se ad vltimum finem liberè conuertant sunt ab illo habitualiter auersi.

DVBIVM IV.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis causent gratiam in instanti.

SVpponendum est, Sacramenta non conferre gratiam physicè, antequam realiter suscipiantur: vnde quando dicitur, quòd Sacramenta in voto suscepta causant gratiam, non est sic intelligendum quòd causent gratiam physicè & ex opere operato, cùm sit impossibile aliquid agere physice antequam existat, cùm sic operari sequatur esse; sed est intelligendum quòd causent gratiam moraliter, & ex opere operantis; id est, Deus confert gratiam propter desiderium quòd habetur suscipiendi Sacramenta, & in ordine ad actualem sumptionem quæ habetur in voto: hic modus moraliter operandi proportionatur existentiæ Sacramentorum in actu signato, qui sufficit causæ finali, cuius est agere moraliter. Hoc autem desiderium suscipiendi Sacramenta, ad hoc vt habeat talem effectum, debet esse vel formale vel virtuale.

Prima opinio Nugni in præsenti asserit Sacramenta causare gratiam in instanti extrinseco, quando verum est dicere; Nunc primò non sunt, immediatè ante erant. Probatur; Sacramenta non causant gratiam nisi sint completa, vt patet: sed Sacramenta non sunt completa & perfecta in instanti intrinseco, sed tantùm in extrinseco, quando verum est dicere, Nunc primò non sunt; quia, vt patet ex Physicis, de ratione successiuorum (qualia sunt Sacramenta) est vt terminentur extrinsecè: ergo Sacramenta causant gratiam in instanti extrinseco. Maximè quia Sacramenta causant gratiam eo modo, quo dispositiones præuiæ causant formam; constat autem dispositiones præuias tantùm causare formam, quando primò non sunt, cùm ante introductionem formæ fiat resolutio vsque ad materiam primam iuxta doctrinam D. Thom.

Secunda opinio asserit Sacramenta causare gratiam in tempore: sed Authores huius opinionis discrepant inter se, aliqui enim volunt quòd sit in illo tempore immediatè sequenti illud instans, in quo verum est dicere de vnoquoque Sacramento, Nunc non est, immediatè pòst erit. Alij volunt quòd sit in illo tempore quod immediatè præcedit illud instans, in quo verum est dicere; Nunc non est Sacramentum, immediatè ante erat: vnde hi omnes intelligunt de tempore indeterminato. Alij denique volunt quòd sit in toto illo tempore, quod includitur inter ista duo instantia, & quo durat actio Sacramentalis. Probatur; Sacramenta non causant gratiam nisi sint actu, quia causant physicè, causalitas autem physica supponit existentiam causæ: sed Sacramenta incipiunt in tempore, durant per tempus, & desinunt in tempore: hoc enim est proprium rei successiuæ, qualis est actio Sacramentalis: ergo Sacramenta causant gratiam in tempore, siue causent quando incipiunt, siue quandiu durant, siue quando sunt intrinsecè completa, & desinunt,

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd quamuis non sit impossibile Sacramenta causare gratiam in tempore; 2. Causant tamen in instanti intrinseco quo complentur: 3. Non autem in instan-
[illegible] ti extrin

ti extrinseco. Ita tenent plures Discipuli D. Thom.

Probatur prima pars conclusionis. Producitur gratia Sacramentalis intensa, non enim est indiuisibilis: ergo est possibile quòd successiuè producatur, ac proinde non est impossibile, nec ex parte principij producentis, quod est successiuum, scilicet actionis Sacramentalis; nec ex parte termini producti scilicet gratiæ, quæ habet latitudinem gradualem; Sacramenta causare gratiam in tempore. Deinde, In opinione illorum, qui negant Sanctissimam Virginem fuisse conceptam sine peccato originali, & asserunt fuisse sanctificatam immediatè post illud instans, debet admitti tunc gratiam causari in tempore; non enim instantia se immediatè consequuntur, sed post instans sequitur tempus. Denique, non videtur impossibile quòd creatio fiat in tempore, etiamsi sit rei indiuisibilis, de facto enim aliquod indiuisibile adæquat aliquod diuisibile, vt anima rationalis suum corpus: ergo etiam productio gratiæ per Sacramenta poterit fieri in tempore.

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis. Dicimus igitur, quòd licèt actio Sacramentalis, v.g. ablutio in Baptismate, considerata physicè & ex parte Ministri illam exercentis, sit successiua: tamen considerata sub ratione signi, & vt se tenet ex parte materiæ & formæ quas applicat (sub qua ratione debet considerari, tam ipsa actio Sacramentalis, quàm materia & forma Sacramentorum) non ita est successiua, quin sit aliquo modo permanens, id est, licèt aqua successiuè applicetur, tamen in aliquo instanti reali intrinseco verum est dicere, Nunc est ablutio: & ita hæc oblutio determinata per formam eleuatur ad causandam gratiam. Idem dicendum ex parte formæ, quòd licèt locutio, quâ proferuntur verba quæ sunt forma Sacramenti, sit successiua & terminetur extrinsecè: ipsa tamen verba prolata vt significantia terminantur intrinsecè, ita vt sit verum dicere in aliquo instanti intrinseco, Nunc est completa significatio formæ Sacramenti: maximè cùm significatio potiùs pendeat à morali æstimatione quàm ab aliquo physico: tunc illud, quod est in illo instanti intrinseco de materia aut forma Sacramenti, eleuatur ad causandam gratiam in virtute aliorum pertinentium ad integritatem Sacramenti, quæ iam præcesserunt; non enim requiritur quòd totum Sacramentum sit actu ad hoc vt causet, sed sufficit quòd sit aliquid actu Sacramenti, in quo totum virtute remanet. Ex quo patet Sacramenta causare in instanti gratiam in tota ea intensione in qua producitur, iuxta diuersitatem ipsorum.

Probatur tertia pars conclusionis. Sacramenta nouæ Legis causant gratiam physicè, vt dictum est: [illegible] ad causalitatem physicam requiritur quòd a[illegible]ens sit actu in seipso, est enim impossibile quòd id quod non est actu, operetur actu; quia operari supponit esse; sicut actus secundus actum primum; quod proportionaliter est in genere causæ finalis, nunquam enim finis moraliter & metaphoricè mouet, nisi sit modo sibi debito, id est obiectiuè: sed Sacramenta in illo instanti extrinseco non sunt, propterea dicitur instans ipsis extrinsecum: ergo Sacramenta non causant gratiam in instanti extrinseco. Deinde, admisso quòd Sacramenta nouæ Legis causarent gratiam tantùm moraliter, adhuc non possunt causare in instanti extrinseco, quia sunt signa demonstratiua gratiæ: non autem possunt demonstrare nisi sint actu: nec gratia potest per illa demonstrari, nisi sit producta illis actu demonstrantibus, nam demonstrare & demonstrari sunt correlatiua, quæ mutuò se ponunt: ergo absolutè & secundùm se non possunt Sacramenta nouæ Legis causare gratiam in instanti extrinseco.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Sacramenta in ratione signi complentur in instanti intrinseco, vt explicatum est: licèt vt sunt actiones physicæ & successiuæ, terminentur tantùm extrinsecè: sed ratio signi est sola essentialis & formalis in Sacramento, alia se habent de materiali. Ad aliud, dicendum, quòd dispositiones præuiæ non concurrunt efficienter ad productionem formæ, sed tantùm materialiter & dispositiuè; maximè quia, vt dictum est in Physicis, forma substantialis non producitur per actionem per se primò ad ipsam terminatam, sed emanat tanquam terminus secundarius alterationis præcedentis, & ita emanat ex materia disposita & sigillata præuiis illis dispositionibus, quæ pereunt immediatè ante instans generationis: Sacramenta autem verè & physicè causant gratiam, vt dictum est; ac proinde debent esse, dum causant.

Ad secundum, dicendum, quòd licèt actio Sacramentalis incipiat in tempore, duret per tempus, & desinat in instanti extrinseco ipsi, intrinseco autem desitioni completæ: tamen durat etiam per instantia media, & in aliquo verum est dicere, quòd in ratione signi est completa: & tunc causat gratiam, quæ cùm sit spiritualis qualitas, petit produci tota simul & consequenter in instanti.

DVBIVM V.

Vtrùm Sacramenta noua Legis causent gratiam recedente fictione.

Svpponendum est, duplicem esse fictionem in vsu Sacramentorum. Prima est, quando quis fingit se ea recipere; cùm tamen non habeat intentionem recipiendi; & tunc nullo modo fit Sacramentum. Secunda fictio est, quando quis fingit se debitè & deuotè recipere Sacra

Sacramentum, quàm tamen sacrilegè illud recipiat; per hoc quòd non sit debitè dispositus; & tunc licèt verè perficiatur Sacramentum, est tamen informe, & nullam causat gratiam propter incapacitatem subiecti. Potest autem distingui duplex dispositio necessaria ad receptionem Sacramentorum; vna dicitur negatiua, & consistit in remotione dispositionum contrariarum, quæ sunt malæ affectiones: alia dicitur positiua, & consistit in debita reuerentia. Ad fructuosam receptionem Sacramenti semper requiritur dispositio negatiua, id est, ad recipiendum fructum Sacramentorum, debent remoueri dispositiones contrariæ, quæ sunt omnia peccata mortalia, tam actualia, quàm habitualia: & ratio est quia peccatum est obex gratiæ; vnde quandiu non remouetur, voluntariè manet, & ita impedit gratiam; implicat enim quòd aliquis sit simul inimicus Dei per peccatum, & amicus per gratiam. Ita docet sæpe Concilium Tridentinum sess. 6. & 14. quòd adultus debet iustificari mediis propriis actibus & per aliquem dolorem peccati, scilicet actualis; nam si supponatur possibile, quòd esset solum peccatum originale, non requireretur proprius actus doloris de ipso, cùm non sit commissum propria voluntate, sed sufficeret credere, sperare, & accedere ad Baptismum. Augustinus etiam docet, quòd Sacramenta sunt omnibus communia, sed non gratia Sacramentorum. Et tandem Ecclesia canit cum D.Thom. Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Peccata venialia, tam habitualia siue quæ præcesserunt, quàm actualia siue quæ committuntur in ipsa receptione Sacramentorum, non sunt dispositiones contrariæ impedientes fructum Sacramenti, vt patet: non enim est in potestate nostra omnia euitare sine peculiari priuilegio Dei; quamuis possimus vitare singula, vt dicitur in materia de Gratia. Deinde, Si peccata venialia non impediunt fructum bonorum operum quando eis admiscētur, multò minus impediunt fructum Sacramentorum quæ causant gratiā ex opere operato. Ad remotionem dispositionum cōtrariarum siue peccatorum mortalium non requiritur actus contritionis, quo ipsa deleantur, sicut requireretur extra Sacramentum; sed sufficit actus attritionis. Requiritur etiam ad fructum Sacramentorum percipiendum aliqua dispositio positiua, idest aliqua reuerentia, quia natura docet Sancta sanctè esse tractanda: vnde qui ita accederet, vt nullam omninò adhiberet reuerentiam, grauiter peccaret.

Prima opinio negat Sacramenta nouæ Legis causare gratiam recedente fictione. Ita docent Aliqui absolutè. Alij cum limitatione; nam Magister Sententiarum in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. solùm excipit Baptismum, quem fatetur causare gratiam recedente fictione. Durandus in 4. dist. 4. quæst. 4. excipit Baptismum & Pœnitentiam. Alij vt D.Thom. in 4. dist. 4. art. 2. quæst. 3. Paludanus quæst. 5. & Syluester verbo Baptismus, excipiunt tria Sacramenta imprimentia Characterem, videlicet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Probatur absolutè hæc opinio; Sacramenta nouæ Legis causant gratiam physicè: sed recedente fictione non possunt causare physicè, quia ad causalitatem physicam requiritur existentia causæ; constat autem quòd quando recedit fictio, iam non sunt Sacramenta: ergo Sacramenta nouæ Legis non causant gratiam recedente fictione.

Secundò; Per opera facta in peccato mortali non meremur gratiam, nec recedente peccato intuitu eorum datur nobis gratia: & multò minus propter actionem peccaminosam datur gratia: ergo nec Sacramentum susceptum in peccato mortali recedente fictione conferret gratiam; nec receptio Sacramenti peccaminosa & sacrilega illam causabit.

Tertiò; Si Sacramenta nouæ Legis causarent gratiam recedente fictione, bonum esset toto tempore vitæ illa recipere cum fictione, & in fine vitæ benè recipere; nam tunc taliter suscipienti conferretur simul gratia maxima, correspondens illi quæ diuisim fuisset collata in singulis Sacramentorum sumptionibus, vnde esset maximus Sanctus, & maximè Deo gratus: sed hoc videtur ridiculum asserere, nam de iniquitate sua reciperet mercedem: ergo Sacramenta nouæ Legis non causant gratiam recedente fictione.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd omnia Sacramenta nouæ Legis causant gratiam recedente fictione: 2. Quod est plusquam certum de Baptismo: 3. Vnde confertur maior gratia in debita sumptione Sacramenti, in quo recedit fictio, quàm conferretur si non præcessisset talis fictio. Ita docet expressè D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. artic. 4. quæst. 1. & cum eo eius Discipuli communiter, Capreolus ibidem quæst. 2. Caietanus tom. 1. opusculorum tract. 5. de Confessione informi, Nugnus in præsenti, & Alij.

Probatur prima pars cōclusionis. Omnia Sacramenta nouæ Legis habent virtutē causandi gratiā ex meritis Christi Domini; vnde quātùm est ex parte sui sēper illam causant, nisi inueniāt obicem in recipiente, vt definit Conc. Tridentinum sess. 7. canon. 6. ergo recedente fictione, quæ fuit obex, illam causant; omnis enim causa, quæ solùm non producit effectum propter positum impedimentū, illo sublato statim producit. Si dicatur, quòd recedente fictione, iam Sacramenta non sunt; dicendum quòd licèt non sint actu, tamen sunt in acceptatione diuina; quod sufficit vt moraliter causent. Deinde, communiter conceditur, & debet concedi

quòd

quòd Baptismus causat gratiam recedente fictione, vt statim dicetur: ergo debet etiã concedi de aliis Sacramentis ob eandem rationem indicatam, vt sigillatim ostenditur suo ordine. Gratia Sacramentalis correspõdens Sacramento Cõfirmationis est nimis necessaria Christiano militi, maximè propter exigentiam quam dicit auxiliorum Dei, ad fortiter resistendum inimicis Christi, & ad constanter fidem eius profitendam: vt non conferatur postea, si Confirmatio fuerit recepta cum fictione, posito quòd Sacramentum Confirmationis non possit iterari. De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento dubium esse non potest, quòd hanc efficaciam habeat causandi gratiam recedente fictione, si aliis Sacramentis concedatur, cùm sit omnium excellentissimum, à quo omnia alia dependent in sua causalitate, vt in proprio tractatu magis expendetur. De Pœnitentia expresè docet D. Thom. loco citato; & ratio est manifesta: ponatur enim quòd in aliquo casu possibili recipiatur informis; sicut cùm quis adhibita sufficienti diligentia quæ excuset à peccato, prætermittit confiteri aliquod peccatum commissum, de quo nec formaliter, nec virtualiter habet contritionem: non tenetur pœnitens iterum confiteri peccata iam confessa in confessione informi: vnde recedente postea fictione, quando conteritur de peccato oblito, talis confessio habet suum effectum & remittuntur peccata illa. De extrema Vnctione, patet; nam potest fieri, quòd quis recipiat hoc Sacramentum malè dispositus, ita vt non habeat suum effectum: si postea conteratur, debet concedi quòd remittuntur ei reliquiæ peccatorum, & conferetur gratia debita huic Sacramento: & hoc colligitur, quia non iteratur in eadem infirmitate hoc Sacramentum; & tamen certum est quòd si non haberet suum effectum recedente fictione, deberet iterari propter maximam necessitatem gratiæ, & auxiliorum Dei in illa agonia contra tentationes tunc vehementiores Dæmonum. Denique de Ordine & Matrimonio suadetur, ad rectè exhibendas actiones Hierarchicas, & ad debitè viuendum in vinculo coniugali requiruntur speciales gratiæ, quæ non conferuntur, dum hæc Sacramenta recipiuntur cum fictione: si postea, recedente fictione, intuitu & virtute talium Sacramentorum, hæ gratiæ non conferrentur, propter earum necessitatem hæc Sacramenta deberent iterari, cuius contrarium obseruat Ecclesia; nam collatio eiusdem Ordinis non iteratur, nec idem Matrimonium inter eosdem coniuges: ergo omnia Sacramenta nouæ Legis causant gratiam recedente fictione.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate S. Augustini lib. 1. de Baptismo cap. 12. & lib. 3. cap. 13. tum sequenti ratione: Peccatum originale per solum Baptismum remittitur: sed posito quòd aliquis receperit Baptismum cum fictione, si recedat talis fictio per contritionem, verè remittitur peccatum originale, ac proinde virtute Baptismi priùs cum fictione suscepti: si enim non esset plusquam certum, quòd recedente fictione Baptismus remittit peccatum originale conferendo gratiam, propter tantam necessitatem remittendi peccatum originale, Ecclesia iteraret Baptismum; ergo cùm non iteret, & prohibeat iterari, plusquam certum est Baptismum causare gratiam recedente fictione.

Probatur tertia pars conclusionis. Nisi conferatur maior gratia in debita sumptione Sacramenti, in quo recedit fictio, quàm conferretur si non præcessisset talis fictio; tunc Sacramentum cum fictione susceptum non causaret gratiam recedente fictione: nam ex suppositione illa portio gratiæ, quæ confertur in debita sumptione Sacramenti in quo recedit fictio, non est maior, quàm si non præcessisset talis fictio: vnde colligitur, quòd tota procedit ex Sacramento debitè sumpto, & nihil eius correspondet Sacramento fictè sumpto: & sic non causaret gratiam recedente fictione, cuius contrarium ostensum est: ergo confertur maior gratia in debita sumptione Sacramenti in quo recedit fictio, quàm conferretur si non præcessisset talis fictio.

Ad primum ergo, dicendum, quòd in hoc casu Sacramenta nouæ Legis causant tantùm gratiam moraliter; licet ordinariè causent physicè, dum habent suum effectum in actuali susceptione. Alij dicunt quòd in actuali sumptione Sacramenti eliciuntur actus quibus determinatur intellectus & voluntas, quæ determinatio manet, & est quædam virtus Sacramenti; vnde postea recedente fictione hæc determinatio eleuatur ad causandam physicè gratiam, & ratione huius quasi virtutis eius Sacramentum causat. Sed tamen prima responsio est facilior & probabilior.

Ad secundum, dicendum, quòd non est paritas; nam opera facta in statu peccati mortalis non fundantur in principio vitæ: Sacramenta autem fundantur in principio vitæ, vnde sunt semper viua, & semper possunt suum effectum producere, dummodo non sit impedimentum ex parte suscipientium: qualia sunt bona opera facta extra statum peccati mortalis, remanent enim viua in acceptatione diuina, nec sunt mortua per peccatum superueniens, sed tantùm mortificata: nec est receptio Sacramenti quæ causat gratiam, sed est ipsum Sacramentum receptum, & receptio est tantùm conditio.

Ad tertium, dicendum primò, quòd est melius paruam habere gratiam non offenso Deo, quàm offendendo Deum comparare maximam, sicut compararet ille qui susciperet hoc modo

modo Sacramenta cum fictione. Dicendum secundò, quòd ille, qui toto tempore vitæ suscipit Sacramenta cum fictione, meretur vt Deus neget illi in fine vitæ auxilia efficacia, quibus tunc debitè illa suscipiat; quòd si Deus talia concedat ei auxilia, verum est quòd recipit totam illam gratiam; sed hoc est per accidens, & ex pura Dei misericordia qua ei applicatur virtus præcedentium Sacramentorum cum fictione sumptorum. Dicendum tertiò iuxta eos qui dicunt omnia merita reuiuiscere, & totam redire gratiam in iustificatione, de quo alibi dicetur, quòd ille qui semper debitè recepit Sacramenta, multò habet maiorem gratiam, quàm ille qui recepit cum fictione; quando in fine vitæ iustificatur, quia Sacramentum idem in melius disposito causat maiorem gratiam etiam ex opere operato: vnde quando postea iustificatur vterque, qui benè recepit Sacramenta, recipit tunc maiorem gratiam: quòd si nunquam excidat à gratia, semper habebit maiorem propter rationem dictam, quia gratia Sacramentalis semper augetur virtute præcisa Sacramenti, & in magis disposito adhuc magis, vt dictum est.

DVBIVM VI.

Vtrùm Sacramenta veteris Legis causarent gratiam.

Svpponendum est, in veteri Lege fuisse vera Sacramenta, vt supra dictum est; tam pro paruulis emundandis à peccato originali, scilicet Circumcisio pro maribus, & aliud de quo non constat determinatè pro fœminis; quàm pro adultis: in eorum autem vsu duo requirebantur ad consecutionem gratiæ, vt docet D. Thom. hîc art. 5. videlicet fides in Christum venturum: nam, vt ait, per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui Patres, sicut & nos: quod debet intelligi de fide implicita; explicitè enim tantum tenebantur credere in Saluatorem futurum. Deinde requirebantur istæ sacræ cæremoniæ, quas vocamus Sacramenta, quibus Antiqui protestabatur hanc fidem propter analogiam, quam dicebant ad Christum, & ad mysteria fidei nostræ, omnia enim in figura contingebant illis. Quòd fides requireretur patet; nam Deus ad excellentiam Christi Domini voluit, quòd omnes iustificarentur dependenter ab ipso, & ita qui præcesserunt, iustificabantur per fidem in ipsum. Quòd etiam illæ cæremoniæ requirerentur, patet tum vsu illo continuato in antiqua Lege expresso Dei mandato, tum authoritate Sanctorum Patrum: nam Bernardus ait, Quod aqua Baptismi abluit, hoc petra Circumcisionis abrasit: & Beda in homilia Circumcisionis, Idem salutiferæ curationis auxilium Circumcisio in Lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptismus agere reuelatæ tempore gratiæ consueuit.

Prima opinio est, quòd in antiqua Lege Circumcisio causabat gratiam paruulis ex opere operato. Probatur, Circumcisio infallibiliter causabat gratiam paruulis, iustificabat enim à peccato originali, iustificatio autem non fit nisi per gratiam secundùm illud Roman. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius: sed non causabat ex opere operantis, nec ex parte ipsius paruuli suscipientis, qui non poterat mereri; nec ex parte parentum, aut Ministri, quia poterant circumcidere existentes in peccato mortali, constat autem quòd tunc non poterant mereri nec sibi, nec aliis: ergo Circumcisio causabat gratiam paruulis ex opere operato, non enim superest alius modus causandi.

Secunda opinio asserit Sacramenta veteris Legis nullo modo causare gratiam. Probatur, illa Sacramenta vocantur ab Apostolo ad Gal. 4. Elementa infirma & egena; quod non posset dici, si aliquo modo causarent gratiam. Deinde, alibi dicit idem Apostolus quòd opera Legis non iustificabant: sumptio autem Sacramentorum erat opus Legis. Denique, seclusa Dei promissione nullus meretur gratiam de condigno: in antiqua verò Lege tantùm erat promissio bonorum temporalium: ergo Sacramenta non causabant gratiam suscipientibus, nec ex opere operantis.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd nullum Sacramentum veteris Legis causabat gratiam ex opere operato: 2. Omnia verò causabant in adultis èx opere operantis: 3. Circumcisio autem causabat tantùm in paruulis, vt conditio sine qua non. Ita communiter Discipuli D. Thom.

Probatur prima pars conclusionis, tum duplici authoritate Apostoli adducta in secunda opinione: tum expressa authoritate D. Thom. hîc toto articulo 5. eiúsque ratione: quia scilicet passio Christi, à qua procedit virtus causatiua gratiæ in Sacramentis, nondum fuerat in rerum natura: vnde sic concludit, manifestum est quòd à passione Christi, quæ est causa humanæ iustificationis, conuenienter deriuatur virtus iustificatiua ad Sacramenta nouæ Legis: non autem ad Sacramenta veteris Legis: tum denique authoritate Eugenij IV. qui in litteris vnionis, ponit in hoc discrimen inter Sacramenta nouæ Legis, & veteris Legis; quòd Sacramenta veteris Legis significabant tantùm gratiam, & Sacramenta nouæ Legis etiam causant gratiam quam significant: ergo nullum Sacramentum veteris Legis causabat gratiam ex opere operato. Imò hoc videtur definitum in Concilio Tridentino sess. 7. canone 2. vbi ait: Si quis dixerit ea ipsa nouæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia

quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi; anathema sit. Differentiam autem ponit Concilium in efficacia, nam sequentibus canonibus vsque ad octauum inclusiuè explicat efficaciam Sacramentorum nouæ Legis.

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis. Dicimus quòd adulti, qui suscipiebant Sacramenta antiquæ Legis, si iam erant in gratia, merebantur, & ita recipiebant maiorem gratiam: si verò non erant in gratia, ex religioso vsu Sacramentorum, mouebant diuinam bonitatem ad conferenda sibi auxilia supernaturalia, quibus disponerentur ad iustificationem. Conclusio sic explicata probatur: Opus virtutis factum in gratia & charitate propter Deum, est meritorium augmenti gratiæ & vitæ æternæ; factum autem extra gratiam mouet diuinam bonitatem ad conferenda auxilia supernaturalia dispositiua ad iustificationem: sed susceptio Sacramentorum antiquæ Legis erat opus virtutis obseruantiæ Legis, & Religionis: ergo in iustis erat meritoria augmenti gratiæ & vitæ æternæ: in peccatoribus autem obtinebat auxilia Dei disponentia ad iustificationem: sed hoc est causare gratiam ex opere operantis, idest omninò dependenter à dispositione suscipientis: ergo omnia Sacramenta veteris Legis causabant gratiam in adultis ex opere operantis.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate D.Th. hic art.5. ad 3. vbi excludit omnem efficientiam à Circumcisione, & ait quòd in ea conferebatur gratia, inquantùm erat signum passionis Christi futuræ: tum sequenti ratione; Circumcisio non causabat gratiam in paruulis ex opere operato, vt dictum est in prima parte conclusionis: nec ex opere operantis, vt efficaciter probat argumentum primæ opinionis: ergo tantùm superest dicere, quòd causabat in paruulis, tantùm vt conditio sine qua non: vnde adhibito signo Circumcisionis in paruulis, & alio signo in puellis, tanquam conditione sine qua non, Deus immediatè & infallibiliter gratiam conferebat ex pacto cum Abraham inito, vt constat ex Sacris Scripturis, maximè ex illo ad Rom. 4. Abraham accepit signum Circumcisionis signaculum iustitiæ fidei.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Circumcisio non causabat quidem gratiam ex opere operantis, vt ratio probat; sed non inde sequitur quòd eam causaret ex opere operato, vt probatum est: at tantùm causabat vt conditio sine qua non.

Ad secundum, dicendum, quòd illæ duæ authoritates Apostoli probant quidem & efficaciter, quòd Sacramenta veteris Legis nullam in se habebant efficaciam causandi gratiam; ac proinde quòd non causarent ex opere operato: sed non probant quòd eorum susceptio non esset meritoria, vt pote actus virtutis Religionis, & obseruantiæ Legis: ac proinde quòd intuitu huius actus in vsu Sacramentorum non conferebatur gratia, quod est ipsa causare gratiam ex opere operantis: & quia hic vsus Sacramentorum erat protestatio fidei Christi venturi, & mysteriorum nostræ fidei; ideo tunc dicebantur iustificari per fidem in Christum. Ad aliud dicendum, quòd in antiqua Lege non solùm Deus promisit bona temporalia, sed etiam promisit multa bona spiritualia, vt constat ex Scripturis; & maximè suscipientibus Sacramenta, nam aliqua adhibebantur in expiationem peccatorum: & de Circumcisione dicitur quòd erat signaculum iustitiæ fidei; quæ sine dubio sunt bona spiritualia.

QVÆSTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum, qui est character, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de alio effectu Sacramentorum, qui est character.

¶ Et circa hoc quæruntur sex.

¶ Primò, vtrùm ex Sacramentis causetur character aliquis in anima.

¶ Secundò, quid sit ille character.

¶ Tertio, cuius sit character.

¶ Quartò, in quo sit sicut in subiecto.

¶ Quintò, vtrum insit indelebiliter.

¶ Sextò, vtrùm omnia Sacramēta imprimāt characterem.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd Sacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. 344
Character enim significare videtur quoddam signum distinctiuum. Sed distinctio membrorum Christi ad alios, fit per æternam prædestinationem, quæ non ponit aliquid in prædestinato, sed solum in Deo prædestinante: vt in prima parte * habitum est. Dicitur enim Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: nouit Dominus qui sunt eius. Ergo Sacramenta non imprimunt characterem in anima. (q. 1.3. q. 8. ar. 4. q. 8. cap.; p. p. q. 23. art. 3.)

¶ 2 Præterea, Character signum est distinctiuum. Signum autem (vt Augustinus dicit in 2. de doctrina * Christiana) est quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima quod aliquam speciem sensibus ingerat. Ergo videtur, quòd in anima non imprimatur aliquis character per Sacramenta. (l. 2. circa prin. to. 3)

¶ 3 Præterea, Sicut per Sacramenta nouæ legis distinguitur fidelis ab infideli: ita etiam per Sacramenta veteris legis. Sed Sacramenta veteris legis non imprimebant aliquem characterem in anima: vnde & dicuntur iustitiæ carnis, secundum quod Apost. ad Heb. 9. Ergo videtur quòd neque Sacramenta nouæ legis imprimunt characterem.

Sed contra est, quod Apost. dicit secundæ ad Cor. primo, Qui vnxit nos, Deus est: & qui signauit nos, & dedit pignus, Spiritus in cordibus nostris. Sed nihil aliud importat character, quàm quandam signationem. Ergo videtur, quod Deus per Sacramenta nobis suum characterem imprimat.

CONCLVSIO.

Cùm Christi fideles per Sacramenta ad aliquid diuinum ad Dei cultum spectans deputentur, oportet illos per Sacramenta aliquo spirituali charactere insigniri.

Respondeo dicendum, quòd sicut ex prædictis patet *, Sacramenta nouæ legis, ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, & ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ vitæ. Quicunque autem ad aliquid certum deputatur, consueuit ad illud consignari, sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri: eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur. Vnde Augustinus † dicit in 2. contra Parmenianum. Si militiæ characterem in corpore suo, non militans pauidus exhorruerit: & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, & impetrata iam venia militare cœperit, nunquid homine liberato, atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? an forte minus hærent Sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota. (q. 62. a. 5; contra ep. Parm. lib. 2. c. 13. parum a me. to. 7.)

Ad primum ergo dicendum, quòd fideles Christi ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur signaculo prædestinationis diuinæ. Sed ad actus conuenientes præsenti Eccle-

 sie

sic deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, qui character nuncupatur.

Ad secundum dicendum, quod character animæ impressus, habet rationem signi, inquantum per sensibile Sacramentum imprimitur: per hoc. n. scitur aliquis esse baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character vel signaculum dici potest per quandam similitudinem, omne quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile. sicut Christus dicitur figura, vel character paternæ substantiæ, secundum Apost. Heb. primo.

q. 62. a. 6. Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, Sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem, ad aliquem spiritualem effectum operantem. Et ideo in illis Sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character: sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat Rom. 4.

ARTICVLVS II.

Vtrùm character sit spiritualis potestas.

345
4. di. 4. qu. 1. ar. 1.
AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd character non sit spiritualis potestas. Character enim idem videtur esse quod figura: vnde Hebr. 1. vbi dicitur, Figura substantiæ, eius in Græco habetur loco figuræ, character. Sed figura est in quarta specie qualitatis, & ita differt à potestate, quæ est in secunda specie qualitatis. Character ergo non est spiritualis potestas.

c. 2. Eccles. hier. pa. 3. parū ante med. ¶ 2 Præterea, Dion.* dicit 2. c. Eccl. hier. quòd diuina beatitudo accedentem ad beatitudinem in sui participationem recipit & proprio suo lumine, quasi quodam signo ipsi tradit suam participationem. Et sic videtur quod character sit quoddam lumen. Sed lumen ad tertiam speciem qualitatis videtur pertinere. Non ergo character est potestas, quæ videtur ad secundam speciem qualitatis pertinere.

¶ 3 Præterea, A quibusdam character sic diffinitur: Character est signum sanctum communionis fidei, & sanctæ ordinationis datum à hierarcha. Signum autem est in genere relationis, non autem in genere potestatis. Non ergo character est spiritualis potestas.

lib. 5. met. tex. 17. t. 3. ¶ 4 Præterea, Potestas habet rationem causæ & principij: vt patet quinto Met.* Sed signum, quod ponitur in definitione characteris magis pertinet ad rationem effectus. Character ergo non est spiritualis potestas.

li. 2. ethic. 5. in princ. tom. 5. SED contra est quod* Philosophus dicit in 2. ethic. Tria sunt in anima, potentia, habitus & passio. Sed character non est passio, quia passio citò transit, character autem indelebilis est, vt infra dicetur.* Similiter etiam non est habitus, quia nullus habitus est qui se possit ad bene, & male habere: character autem ad vtrumque se habet: vtuntur enim eo quidam bene: alij vero male. Quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis, nullus vtitur male: & habitu malitiæ, nullus bene. Ergo relinquitur, quod character sit potentia.

CONCLVSIO.

Cùm charactere homines per Sacramenta insigniantur ad ea peragenda, quæ diuini sunt cultus, necessarium est illum esse quartam animæ collatam spiritualem potestatem, quæ ad genus qualitatis sub secunda eius reducitur specie.

artic. præc. RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est, Sacramenta nouæ legis characterem imprimunt, inquantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ religionis. Vnde Dionys.* In c. 2. Ecclesiast. hier. cum dixisset, quòd Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum, subiungit, Perficiens eum diuinũ, & communicatorem diuinorum. Diuinus autẽ cultus consistit vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo aliis. Ad vtrumque autẽ horum requiritur quædam potentia, nam ad tradendũ aliquid aliis requiritur potentia actiua: ad recipiendum autem requiritur potentia passiua. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea quæ sunt diuini cultus. Sciendum tamen, quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis: sicut etiam supra dictũ est* de virtute, quæ est in sacramentis. Habere enim Sacramenti characterem competit ministris Dei, minister autem habet se per modum instrumenti: vt philosophus* dicit in 1. Politic. Et ideo sicut virtus, quæ est in Sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens & incompletum: ita etiam character non propriè est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

q. præced. art. 4. li. 1. ca. 3. aliquãtulũ à princ. tom. 5.

AD primum ergo dicendum, quod figura est quædam terminatio quantitatis. Vnde propriè loquẽdo, non est nisi in rebus corporeis: in spiritualibus autem dicitur metaphoricè. Non autem ponitur aliquid in genere vel specie, nisi per id, quod de eo propriè prædicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

AD secundum dicendum, quod in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile: & ideo non est in tertia specie qualitatis: vt quidam dixerunt.

AD tertium dicendum, quòd relatio quæ importatur in nomine Signi, oportet quod super aliquid fundetur. Relatio autem huius signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animæ: quia sic conueniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio: & hoc est essentia characteris. Vnde non oportebit quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt.

In cor. ar. & a prae. AD quartum dicendum, quòd character habet rationem signi per comparationem ad sacramẽtum sensibile, à quo imprimitur: sed secundum se consideratus, habet rationẽm principij, per modum iam dictum*.

ARTICVLVS III.

Vtrùm character Sacramentalis, sit character Christi.

AD TERTIVM sic proceditur, Videtur, quod character Sacramentalis non sit character Christi. Dicitur enim Eph. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. Sed consignatio importatur in nomine characteris. Ergo Character Sacramentalis, magis debet attribui Spiritui sancto quam Christo. 346
4. d. 4. q. 1. ar. 2. & ar. 5. q. 5.

¶ 2 Præterea, Character habet rationem signi. Est autem signum gratiæ, quæ per Sacramentum confertur: gratia autem infunditur animæ à tota Trinitate. Vnde dicitur in Ps. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Ergo videtur, quod character Sacramentalis non debeat specialiter attribui Christo.

¶ 3 Præterea, Ad hoc aliquis characterem accipit, vt eo à cæteris distinguatur. Sed distinctio sanctorum ab aliis fit per charitatem, quæ sola distinguit inter filios regni, & filios perditionis: vt August.* dicit 15. de Tri. vnde & ipsi perditionis filij characterem bestiæ habere dicuntur: vt patet Apoc. 13. Charitas autem non attribuitur Christo, sed magis Spiritui sancto: Secundum illud Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vel etiam Patri, secundum illud 2. ad Cor. vl. Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei. Ergo videtur, quod character Sacramentalis, non sit attribuendus Christo. Lib. 15. ca. 18. in pr. tom. 3.

SED contra est, quod quidam sic diffiniunt characterem. Character est, distinctio à charactere æterno impressa animæ rationali, secundum imaginem consignans trinitatem creatam, Trinitati creanti & recreanti, & distinguens à non configuratis secũdum statum fidei. Sed Character æternus est ipse Christus secundum illud Hebr. primo. Qui cum sit splendor gloriæ & figura vel character substantiæ eius. Ergo videtur, quod character sit propriè attribuendus Christo.

CONCLVSIO.

Character, qui per Sacramenta imprimitur ad ea peragenda, quæ diuini sunt cultus, character Christi est, quo Christo fideles configurantur.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut ex supradictis patet*) character propriè est signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, vt ordinatum in aliquem finem: sicut charactere insignitur denarius ad vsum commutationum, & milites charactere insigniuntur quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primo quidem & principaliter ad fruitionem gloriæ. Et ad hoc insignitur signaculo gratiæ secundum illud Eze. 9. Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium. Et Ap. 7. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Secundò autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei: & ad hoc propriè deputatur character Sacramentalis. Totus autem ritus Christianæ religionis deriuatur à sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quòd character Sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum Sacramentales characteres: qui nihil aliud sunt, quam quædam participationes sacerdotij Christi ab ipso Christo deriuatæ. artic. 1. huius quæ.

AD primum ergo dicendum, quod Apostolus ibi loquitur de consignatione † secundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam, quæ fit per gratiam: quæ Spiritui sancto attribuitur, inquantum ex amore procedit, quod Deus nobis aliquid gratis largiatur, quod ad rationem gratiæ pertinet. Spiritus autem sanctus amor est: vnde & 1. ad Cor. 12. dicitur, diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. al. configuratione.

AD secundum dicendum, quod character Sacramentalis est res respectu Sacramenti exterioris, & est Sacramentum respectu vltimi effectus. Et ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui. Vno modo secundum rationem Sacramenti: & hoc modo est signum inuisibilis gratiæ, quæ in Sacramento confertur. Alio modo secũdum propriam rationem characteris: & hoc modo est signũ configuratiuum alicui principali apud quem residet auctoritas eius, ad quod aliquis deputatur, sicut milites qui deputantur ad pugnam insigniantur signo ducis: quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum Christianum cuius auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur. Vnde propriè est character Christi.

AD tertium dicendum, quòd charactere distinguitur aliquis ab alio per comparationem ad aliquem finem, in quem ordinatur qui characterem accipit: sicut dictum est* de charactere militari, quo in ordine ad pugnam distinguitur miles Regis à milite hostis. Et similiter character fidelium est, quo distinguuntur fideles Christi à seruis diaboli, vel in ordine ad vitam æternam, vel in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ. Quorum primum fit per charitatem & gratiam vt obiectio procedit: secundum autem fit per characterem Sacramentalem. Vnde & character bestiæ intelligi potest per oppositam, vel obstinatam malitiam, qua aliqui deputantur ad pœnam æternam, vel professio illiciti cultus. art. 1. huius q.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm character sit in potentiis animæ, sicut in subiecto.

347
4. dist. 4. q. 1. art. 2. q. 1. & a. 3. q. 3. p. 1. quæst. 112. ar. 4.
AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod character non sit in potentiis animæ sicut in subiecto. Character enim dicitur esse dispositio ad gratiam. Sed gratia est in essentia animæ, sicut in subiecto, vt in 1. parte dictum est.* Ergo videtur quod character sit in essentia animæ, non autem in potentiis.

¶ 2 Præ

¶ 2 Præterea, Potentia animæ, non videtur esse subiectum alicuius, nisi habitus vel dispositionis. Sed character (vt dictum est *) non est habitus vel dispositio, sed magis potentia, cuius subiectum non est nisi essentia animæ. Ergo videtur, quod character non sit sicut in subiecto, in potentia animæ, sed magis in essentia ipsius.

ar. 2. huius qu.

¶ 3. Præterea, Potentiæ animæ rationalis distinguuntur per cognitiuas & appetitiuas. Sed non potest dici, quod character sit tantum in potentia cognitiua, neque etiam tantum in potentia appetitiua (quia non ordinatur, neque ad appetendum) similiter etiam non potest dici quod sit in vtraque, quia idem accidens non potest esse in diuersis subiectis. Ergo videtur, quod character non sit in potentia animæ sicut in subiecto, sed magis in essentia.

art. præc. in arg. sed cont.

Sed contra est, quod (sicut in præmissa definitione * characteris continetur) character imprimitur animæ rationali secundum imaginem. Sed imago Trinitatis in anima, attenditur secundum potentias. Ergo character in potentiis animæ existit.

CONCLVSIO.

Cùm charactere insigniantur fideles ad suscipiendum, vel alios tradendum, quæ sunt diuini cultus, qui in actibus quibusdam consistit, non in essentia, sed in potentia animæ necesse est characterem esse.

art. præc.

Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est *) character est quoddam signaculum: quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quæ sunt diuini cultus. Diuinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem propriè ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto in essentia animæ, sed in eius potentia.

Ad primum ergo dicendum quòd subiectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem eius ad quod propinquè disponit: non autem secundum rationem eius, ad quod disponit remotè, vel indirectè. Character autem directè quidem & propinquè disponit animam ad ea quæ sunt diuini cultus exequenda. & quia hæc idoneè non fiunt sine auxilio gratiæ (quia vt dicitur Ioan. 4. Eos qui adorant Deum in spiritu & veritate adorare oportet) ex consequenti diuina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam dignè impleant ea, ad quæ deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum, secundum rationem actuum ad diuinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiæ.

Ad secundum dicendum, quòd essentia animæ est subiectum potentiæ naturalis quæ ex principiis essentiæ procedit. Talis autem potentia non est character: sed est quædam spiritualis potentia, ab extrinseco adueniens. Vnde sicut essentia animæ, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter viuit: ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Habitus enim & dispositio pertinent ad potentiam animæ: eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiæ sunt principia. Et eadem ratione omne quod ad actum ordinatur, est potentiæ tribuendum.

In eo art.

Ad tertium dicendum, quòd (sicut dictum est *) character ordinatur ad ea quæ sunt diuini cultus. Qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet, quod character sit in cognitiua potentia animæ, in qua est fides.

ARTICVLVS V.

Vtrùm character insit animæ indelebiliter.

348 AD QVINTVM sic proceditur. Videtur quòd character non insit animæ indelebiliter. Quanto enim aliquod accidens est perfectius, tanto firmius inhæret. Sed gratia est perfectior, quam character: quia character ordinatur ad gratiam sicut ad vlteriorem finem. Gratia autem amittitur per peccatum. Ergo multo magis character.

4. dist. 4. q. 1. art. 3. q. 3. 4. & Rom. 7. dist. 2.

¶ 2 Præterea, Per characterem, aliquis deputatur diuino cultui, sicut dictum est *. Sed aliqui a cultu diuino transeunt ad contrarium cultum, per apostasiam a fide. Ergo videtur, quod tales amittant characterem Sacramentalem.

a. 1. & 2. huius qu.

¶ 3 Præterea, Cessante fine cessare debet & id quod est ad finem, alioquin frustra remaneret: sicut post resurrectionem non erit matrimonium, quia cessabit generatio, ad quam ordinatur matrimonium. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, non remanebit in patria, in qua nihil agetur in figura, sed totum in nuda veritate. Ergo character Sacramentalis non manet in perpetuum in anima, & ita non inest indelebiliter.

lib. 2. c. 13. a med. 1. 7.

Sed contra est, quòd August. dicit in * 2. contra Parmenianum: Non minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis nota militiæ. Sed character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur in eo qui veniam meretur ab Imperatore post culpam. Ergo nec character Sacramentalis deleri potest.

CONCLVSIO.

Cùm character sit quædam in fidelibus Sacramentalis participatio sacerdotii Christi, necesse est eum indelebiliter animæ inesse.

art 3. huius qu.

Respondeo dicendum, (quòd sicut dictum est †) character Sacramentalis est quædam participatio sacerdotii Christi in fidelibus eius: vt scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu Sacramentorum, & eorum quæ pertinent ad diuinum cultum: Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem, sed potestas sacerdotii eius comparatur ad characterem, sicut id quod est plenum & perfectum ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem

Christi est æternum: secundum illud Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et inde est, quod omnis sanctificatio quæ fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam Ecclesiæ vel altaris manet consecratio semper, nisi destruantur. Cum igitur anima sit subiectum characteris secundum intellectiuam partem, in qua est fides, (vt dictum est *) manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima.

art. præced. ad 3. arg.

Ad primum ergo dicendum, quòd aliter est in anima gratia, & aliter character. Nam gratia est in anima sicut quædam forma habens esse completum in ea: character autem est in anima, sicut quædam virtus instrumentalis: vt supra † dictum est. Forma autem completa est in subiecto, secundum conditionem subiecti: & quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium quamdiu est in statu viæ, consequens est, quòd gratia insit animæ mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis: & ideo character indelebiliter inest animæ, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotii Christi, a quo deriuatur character, sicut quædam instrumentalis virtus.

art. 3.

Ad secundum dicendum, quòd sicut Augustinus * dicit ibidem: Nec ipsos apostatas videmus carere baptismate: quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur. & ideo amitti non posse iudicatur. Et huius ratio est: quia character est virtus instrumentalis, vt dictum † est. Ratio autem instrumenti consistit in hoc quod ab alio moueatur: non autem in hoc quòd ipsum se moueat, quod pertinet ad voluntatem. Et ideo quantumcunque voluntas moueatur in contrarium character non remouetur, propter immobilitatem principalis mouentis.

li. 2. cont. Donat. post. a pri. in 7. In solut. præc.

Ad tertium dicendum, quod quamuis post hanc vitam non remaneat exterior cultus: remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in his qui vicerunt, ad gloriam, & in his qui sunt victi, ad pœnam.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per omnia Sacramenta nouæ legis imprimatur character.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod per omnia Sacramenta nouæ legis imprimatur character. Per omnia enim Sacramenta nouæ legis fit aliquis particeps sacerdotii Christi. Sed character Sacramentalis nihil est aliud, quam participatio sacerdotii Christi: * vt dictum est. Ergo videtur, quod per omnia Sacramenta nouæ legis imprimatur character. 349

Inf. q. 72. ar. 5. & 4. d. 4. q. 2. ar. 4. q. 2. & 3. & q. 3. art. 2. qu. 3. & d. 7. q. 2. ar. 1. q. 2. art. 1. q. 8. & q. 3. a. 3. q. 3. & d. 23. qu. 1. ar. 2. q. 3.

¶ 2 Præterea, Character se habet ad animam in qua est, sicut consecratio ad res consecratas. Sed per quodlibet Sacramentum nouæ legis homo recipit gratiam sanctificantem: vt supra dictum est. Ergo videtur, quod per quodlibet Sacramentum nouæ Legis, imprimatur character.

ar. 3. & 3. huius q.

¶ 3 Præterea, Character est res & Sacramentum. In quolibet autem Sacramento nouæ legis est aliquid quod est res tantum, & aliquid quod est * Sacramentum tantum, & aliquid quod est res & Sacramentum. Ergo per quodlibet Sacramentum nouæ legis imprimitur character.

qu. præc. a. 1.

Sed contra est, quod Sacramenta in quibus imprimitur character, non reiterantur, eo quòd character est indelebilis, vt dictum est †. quædam autem Sacramenta iterantur, sicut patet de pœnitentia & matrimonio. Ergo non omnia Sacramenta imprimunt characterem.

ar. præc.

CONCLVSIO.

Cùm per Baptismum tantum Confirmationem & Ordinem, ordinetur homo ad recipiendum vel tradendum ea, quæ sunt diuini cultus, tria tantum sunt nouæ legis Sacramenta, quæ characterem imprimunt.

Respondeo dicendum, quòd (* sicut supra dictum est) Sacramenta nouæ legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, & ad cultum diuinum. Est autem omnibus Sacramentis commune, quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quod gratiam conferunt. Non autem omnia Sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum: sicut patet de pœnitentia, per quam homo liberatur à peccato: non autem per hoc Sacramentum, exhibetur homini aliquid de nouo, pertinens ad diuinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem aliquod Sacramentum ad diuinum cultum tripliciter: vno modo per modum ipsius actionis: alio modo per modum agentis: tertio modo per modum recipientis. Per modum quidem ipsius actionis pertinet ad diuinum cultum Eucharistia: in qua principaliter diuinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiæ sacrificium. Et per hoc idem Sacramentum non imprimitur homini character: quia per hoc Sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud vlterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis: cum potius sit finis & consummatio omnium Sacramentorum, vt † Dionys. dicit 3. cap. Eccles. Hierarch. Continet tamen in seipso Christum, in quo non est character: sed tota sacerdotii plenitudo.

q. 62. art. 1. & 5.

c. 3. eccl. hier. circ. pr. illius.

Sed ad agens in Sacramentis, pertinet Sacramentum Ordinis: quia per Sacramentum deputantur homines ad Sacramenta aliis tradenda. Sed ad recipientes pertinet Sacramentum baptismi: quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta. Vnde Baptismus dicitur esse ianua omnium Sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo Confirmatio: vt infra suo loco dicetur †. Et ideo per hæc tria sacramenta character imprimitur, scili-

q. 72. a. 5.

cet per Baptismum, Confirmationem & Ordinem.

Ad primum ergo dicendum quòd per omnia Sacramenta fit homo particeps sacerdotij Christi, vtpote percipiens aliquem effectum eius. Non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum, quod pertineat ad cultum sacerdotij Christi. Quod quidem exigitur ad hoc quod Sacramentum characterem imprimat.

Ad secundum dicendum, quòd per omnia sacramenta sanctificatur homo, secundum quod sanctitas importat mundationem à peccato, quæ fit per gratiam. Sed specialiter per quædam Sacramenta, quæ characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam consecratione, vtpote deputatus ad diuinum cultum. Sicut etiam res inanimatæ sanctificari dicuntur, in quantum diuino cultui deputantur.

In materia eius quæ in spe. Ad tertium ergo dicendum quòd licet character sit res & sacramentum, non tamen oportet omne id quod est res & sacramentum, esse characterem. Quid autem sit res & sacramentum, in aliis sacramentis infra dicetur.

DISPVTATIO VI.

De Charactere, secundario effectu Sacramentorum nouæ Legis.

Qvia sunt aliqua Sacramenta in Lege noua, quæ præter effectum communem omnibus, videlicet gratiam, habent causare Characterem: ideo de hoc secundario eorum effectu agendum est, postquam de primario actum est.

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramenta nouæ Legis imprimant Characterem.

Svpponendum est, nomine Characteris intelligi in præsenti, signum aliquod spirituale impressum animæ, ad eam perficiendá in his quæ pertinent ad cultum Dei secundùm ritum Christianæ vitæ: siue vt eam reddat aptam & potentem ad suscipienda, vel ad tradenda aliis mysteria diuina secundùm vsum Religionis Christianæ. Igitur hîc agitur de solo Charactere impresso; nam est alius qui dicitur Character imprimens, & est ipsum Sacramentum, vt ait Augustinus; Attende ad hæc verba, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ipse est Character Imperatoris mei.

Prima opinio, sed hæretica, negat Sacramenta nouæ Legis imprimere Characterem, hanc docet Lutherus in suo libro de captiuitate Babylonica cap. de Ordine, Caluinus in sua antidoto Concilij Tridentini ad 9. Canonem sessionis 7. & alibi, Kemnitius in suo examine Concilij Tridentini, 2. parte ad 9. canonem 7. sessionis, & alij. Probatur: Nulla fit mentio in Sacris Scripturis, nec in antiquis Conciliis, quòd Sacramenta nouæ Legis imprimant Characterem, vt docent Scotus dicens hanc veritatem tantùm haberi propter authoritatem Ecclesiæ in cap. maiores, de Baptismo. Durandus in 4. d. 4. quæst. 1. art. 1. vbi ait, dicamus Characterem esse; quia loquendum est cum multis; ibique fatetur hanc veritatem solùm haberi propter modernos ita asserentes: sed in materia Sacramentorum non debemus loqui nisi cum fundamento Sacræ Scripturæ, & authoritate antiquorum Conciliorum, omnisque nouitas in hac re est periculosa, vt ait Apostolus: ergo Sacramenta nouæ Legis non imprimunt Characterem.

Secundò; Sancti Patres nullam mentionem faciunt huius Characteris impressi: & si loquuntur aliquando de Charactere, intelligunt de Charactere imprimente, qui est Sacramentum, vel de aliquo signo externo; sicut Augustinus in libr. de gestis, vbi ait; Character extrinsecus agnoscitur & approbatur: & addit, quòd si aliquis baptizaretur in nomine Donati, reciperet Characterem Donati; quæ omnia tantùm important signum extrinsecum, vnde Gabriel in 4. d. 6. quæst. 2. art. 1. ait: Characterem esse ponendum, nec ratio necessaria demonstrat, nec euidens authoritas probat: ergo Sacramenta nouæ Legis non imprimunt Characterem.

Tertiò; Nulla est ratio sufficiens admittendi Characterem impressum in anima: non vt sit dispositio ad gratiam, quia omnia Sacramenta nouæ Legis, etiam in voto suscepta causant gratiam; & tamen non omnia imprimunt Characterem, & nullum imprimit nisi actu suscipiatur: non vt per ipsum dignoscantur fideles, quia Deus illos in se nouit absque vllo signo, & Beati vident in Deo; Damnati autem & viatores non possunt propria cognitione videre hoc signum spirituale supernaturale: non denique, vt fideles deputentur ad certa officia Ecclesiæ; cùm ad hoc sufficiat deputatio externa, sicut sufficiebat in antiqua Lege: ergo cùm Character sit superfluus, non debet admitti, quòd Sacramenta nouæ Legis illum imprimant: si enim nihil est superfluum in ordine naturæ, multò minus in ordine gratiæ qui est perfectior.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum secundùm fidem, quòd Sacramenta nouæ Legis imprimunt Characterem: 2. Non quidem omnia; 3. Sed tantùm tria, videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Ita tenent omnes Catholici.

Probatur prima pars Conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum. De Charactere Baptismi dicitur ad Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum Sanctum in quo signati estis: ergo per aliquod signum, quod vocamus Characterem. De charactere Confirmationis dicitur 2. ad Cor. 1. Qui vnxit nos Deus, & signauit nos. Respondet Caluinus quòd Deus signauit nos per Sacramenta, ea nobis applicando quasi quædam sigilla diuinarum promissionum. Sed hæc responsio est violenta, & impropria, debuisset enim dici, (Signauit nobis) subintelligendo (promissionis;) nam verbû (signo) non regit duos accusatiuos. Concilia aliqua determinarunt hanc veritatem, vt Florentinum, & Tridentinum

dentinum sess. 7. canone 9. vbi sic habetur; Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt; anathema sit.

Secundò, probatur authoritate Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum Innocentius III. docet in cap. maiores, extra de Baptismo & eius effectu, tanquam doctrinam antiquam, & apud Theologos receptissimam, quòd aliqua Sacramenta nouæ Legis imprimunt Characterem. Idem vnanimiter docent Sancti Patres, licèt non semper vtantur nomine Characteris, sed sæpe vtuntur nomine signi, signaculi, & similium. Basilius homilia 13. ait; Nisi Characterem in te cognoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit? Augustinus lib.6. de Baptismo cap. 1. vocat illum Dominicum Characterem: & tractatu 5. & 6. in Ioannem ait; Si baptizatus charitatem non habet, Characterem quidem impositũ habet. Et in 2. contra Parmenianum, Si militiæ Characterem in corpore suo non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, & venia impetrata militare iam cæperit, nunquid homine liberato, atque correcto Character ille repetitur: ac non potius agnitus approbatur? an forte minus hærent Sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota? Hieronymus super cap.4. ad Ephes. ait Deum imprimere animæ signaculũ Spiritus Sancti: Gregorius Nazian. oratione 40. vocat Baptismum sigillum; quia, vt ait Nicetas eius interpres, per eum consignati, cuiusnam Domini sumus, cognoscimur.

Tertiò probatur duplici ratione, prima est ad hominem contra hæreticos; Ex ipsis non iteratur Baptismus, etiamsi prima vice fuerit susceptus cum fictione: ergo tunc habuit aliquem effectum; si enim non habuit effectum, non apparet cur non debeat iterari, sicut iteratur apud ipsos Sacramentum cœnæ. Si concedant quòd habuit effectum; hic non potest esse gratia, cùm gratia non conferatur indignè suscipienti: ergo habuit alium effectum, qui vocatur Character. Secunda ratio, est congruentia quam affert hîc art. 1. D.Thom. Sacramenta nouæ Legis ordinantur, ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, secundùm ritum Christianæ vitæ: sed moris est apud homines, vt qui deputantur ad aliquod officium publicum, consignentur aliquo signo, sicut milites qui ascribebantur ad militiam antiquitùs, solebant quibusdam Characteribus corporalibus insigniri, eo quòd deputabantur ad aliquid corporale: ergo cùm homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale, pertinens ad cultum Dei: consequens est quòd per ea fideles aliquo spirituali Charactere insigniantur; ac proinde Sacramenta nouæ Legis imprimunt Characterem.

Probatur secunda & tertia pars conclusionis, tum prædicta definitione Concilij Tridentini, tum communi consensu Ecclesiæ; propterea enim hæc tantùm tria non iterantur, sicut iterantur alia; tum ratione D. Thom. hîc art.6. Non omnia Sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum, quasi per ea homines ordinentur ad aliquid aliud vlterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis, ad quod requiritur spiritualis potestas: sed sunt tantùm tria Sacramenta, per quæ sic homines ordinentur directè ad diuinum cultum; per Ordinem quidem ad agendum in Sacramentis, scilicet ad Sacramenta aliis tradenda: per Baptismum verò, ad recipiendum; quia per ipsum accipiunt potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta; vnde Baptismus dicitur esse Ianua omnium Sacramentorum; ad idem etiam ordinatur Confirmatio quodam modo: ergo per hæc tria tantùm Sacramenta Character imprimitur.

Ad primum ergo, dicendum, quòd in Sacris Scripturis fit mentio de Charactere Sacramentali; vt ostensum est: in Conciliis autem antiquissimis non fit mentio; quia ordinariè Concilia nihil determinant, nisi data occasione hæresum: & ita cùm tunc non fuerint hæreses de Charactere Sacramentali, sed omnes tunc crederent traditioni Ecclesiæ, nihil circa hoc determinarunt: satis tamen antiquus est Innocentius III. qui hanc doctrinam tanquam antiquam & receptam in Ecclesia tradit: vnde malè dicit Durandus, dum hanc veritatem asserit esse modernam.

Ad secundum dicendum, quòd multi Sancti Patres faciunt mẽtionem Characteris Sacramentalis, vt etiam ostensum est: Nec S. Augustinus in his locis contrariatur huic veritati: nam primus locus simpliciter & sincerè intellectus significat, quòd Character intrinsecus extrinsecè siue extrinsecùs agnoscitur & approbatur per Sacramenta; nam eo ipso quòd videmus aliquem accipere vnum ex his tribus Sacramentis, agnoscimus in illo imprimi Characterem. In alio autem loco loquitur ex hypothesi, idest, posito quòd aliquis baptizatus in nomine Donati reciperet verum Sacramentum, reciperet etiam Characterem Donati.

Ad tertium, dicendum, quòd Character Sacramentalis non datur quidem tanquam dispositio ad gratiam recipiendam: sed datur, vt eo insigniti sint apti & potentes ad aliquid vlterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis, vt dictum est; & etiam vt dignoscantur præ aliis, tanquam specialiter ad hæc electi à Deo; quod Beatis cedet in gloriam, Damnatis autem in confusionem sempiternam. Nec sufficit ad hæc officia Ecclesiæ externa deputatio, sicut suffi-

ciebat in antiqua Lege: quia Sacramenta nouæ Legis multò excedunt Sacramenta veteris Legis; & ideo in Sacramentis veteris Legis non requirebatur aliquis spiritualis Character, quia illa Sacramenta non habebant in se spiritualem virtutem, ad aliquem spiritualem effectum operandum: sicut habent Sacramenta nouæ Legis.

DVBIVM II.

Vtrùm Character sit semper secundarius effectus Sacramentorum.

SVpponendum est Sacramenta, quæ imprimunt Characterem, simul & semel in eodem instanti reali illum imprimere in intellectu, quo causant gratiam in substantia animæ: quamuis priùs naturâ causent gratiam, quàm imprimant Characterem: hoc enim exigit ordo naturæ, quòd priùs perficiatur substantia animæ, quàm eius potentiæ. Nec tamen propterea Character dicitur effectus secundarius, aut gratia effectus primarius: sed hæc denominatio debet prouenire ex institutione Sacramenti; vnde sensus præsentis dubij est, vtrùm tria Sacramenta imprimentia Characterem sint primariò instituta ad producendam gratiam, & secundariò ad producendum Characterem. Nec rursus fit ista comparatio inter Gratiam, & Characterem ex parte excellentiæ vtriusque; quasi illud dicatur effectus primarius, quod est excellentius; & illud dicatur effectus secundarius, quod est minùs excellens: sic enim sine dubio respectu cuiuscumque Sacramenti gratia est primarius effectus, & Character secundarius; gratia enim cùm sit participatio diuinæ naturæ formalissimè considerata, est excellentissimus & perfectissimus habitus inter omnes supernaturales: vnde D. Thom. instituit quæstionem præcedentem de effectu principali Sacramentorum, qui est gratia.

Prima opinio Nugni asserit Characterem semper esse secundarium effectum Sacramentorum. Probatur authoritate D. Thom. qui vbique vocat gratiam principalem & primarium effectum Sacramentorum: ergo Character semper est secundarius. Deinde Sacramenta sunt medicinæ: ergo primariò sunt instituta ad conferendam sanitatem animæ per gratiam, & tantùm secundariò ad conferendum Characterem.

Secunda opinio est in alio extremo, dicens Characterem semper esse primarium effectum illorum Sacramentorum quæ illum imprimunt. Probatur authoritate D. Thom. hîc art. 4. ad 1. vbi dicit quòd gratia datur ad finem Characteris: ergo Character est primariò intentus. Deinde, hæc Sacramenta semper causant Characterem, etiam recepta cum fictione; non autem sic recepta causant gratiam: ergo Character est effectus primarius. Denique, Character est effectus correspondens rationi specificæ horum Sacramentorum, & absolutè requisitus ad finem ipsorum, qui consistit in tradendo vel recipiendo Sacramenta; gratia autem est effectus correspondens tantùm rationi genericæ Sacramentorum, & tantùm ad melius esse requisitus ad finem ipsorum; nam sine gratia absolutè possunt tradi, & recipi Sacramenta; non autem sine Charactere: ergo Character est effectus primarius Sacramentorum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum; quòd respectu Baptismi, & Confirmationis gratia est primarius effectus, & Character secundarius: 2. Respectu verò Ordinis è contra Character est primarius effectus, & gratia secundarius.

Probatur prima pars conclusionis. Baptismus ad hoc primariò est institutus, vt per ipsum deleatur peccatum originale, vt constat ex Sacris Scripturis, & expressè habetur definitum in Concilio Tridentino sess. 5. in decreto, De peccato originali. Confirmatio autem est primariò ad hoc instituta, vt fideles recipiant robur ad confitendum fidem: sed peccatum originale deletur per gratiam, & similiter tale robur animæ habetur per gratiam: ergo respectu Baptismi & Confirmationis gratia est primarius effectus, & Character secundarius; qui imprimitur in Baptismo, vt populus à Deo electus, & à peccato originali sanctificatus dignoscatur; in Confirmatione autem, vt milites Christi, qui eius fidem contra inimicos pugnando profiteri debent, Christianæ militiæ signo decorentur.

Probatur secunda pars conclusionis. Sacramentum Ordinis est primariò institutum, à Christo Domino, vt medio ipso sit in Ecclesia verum Sacerdotium, cuius est exercere actus Hierarchicos, consecrandi Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento Eucharistiæ: ac dimittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, vt definit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. ex authoritate Sacræ Scripturæ, & continuata traditione Ecclesiæ: & hoc indicat nomen Ordinis siue Ordinationis. Et postea cap. 3. probat per sacram Ordinationem conferri gratiam: ergo respectu Sacramenti Ordinis, Character est primarius effectus, & gratia secundarius.

AD primum ergo, dicendum, quòd D. Thom. vocat absolutè gratiam, primarium & principalem effectum Sacramentorum, vel ratione dignitatis & excellentiæ ipsius gratiæ supra Characterem; vel quia in omnibus Sacramentis, excepto Ordine, gratia est primarius effectus, etiam ratione institutionis Sacramenti, & Character secundarius: Et nos etiam, propter has rationes in præcedenti disputatione vocamus gratiam, principalem & primarium effectum

Sacramen

Sacramentorum: in præsenti vero vocamus Characterem, secundarium eorum effectum. Ad aliud, dicendum, quòd alia quidem omnia Sacramenta sunt primariò instituta, vt medicinæ quædam spirituales animæ: solus Ordo est primariò institutus in ordine ad actus Hierarchicos.

Ad secundum, dicendum, quòd D.Thom. loquitur ibi de gratia actuali, siue de auxiliis diuinæ gratiæ collatis intuitu Sacramentorum, & non de ipsa gratia habituali: vel si loquitur de gratia habituali, eius authoritas tantùm procedit in Sacramento Ordinis. Ad aliud, dicendum, quòd omnia Sacramenta nouæ Legis semper causant gratiam, quantùm est ex parte sua: sed quando recipiuntur cum fictione, ponitur obex gratiæ, non autem Characteri; & ideò semper imprimitur Character, & non semper causatur gratia. Ad aliud, dicendum, quòd gratia est effectus correspondens etiam rationi specificæ Sacramentorum: & quòd Sacramenta alia, excepto Sacramento Ordinis, primariò sunt ordinata ad perficiendam animam in se absolutè, & secundariò in his quæ pertinent ad cultũ Dei secundùm ritum Christianæ vitæ: vnde gratia quæ animam perficit in se absolutè, est primarius eorum effectus: Character autem, qui eam perficit in his quæ pertinent ad cultum Dei, est effectus secundarius.

DVBIVM III.

Vtrum Character sit aliquid spirituale, realiter distinctum à subiecto.

Svpponendum est constra Durandum in 4. dist.4.quæst.1.num.1. Characterem non esse tantùm ens rationis: & hoc iam ita certum est, vt contrarium dicere sit hæreticum, vel saltem erroneum: quia in Concilio Tridentino multa dicuntur de Charactere, quæ non possunt esse vera, nisi dicatur quòd Character sit aliqua forma realis superaddita. Deinde, de fide est, quòd tria tantùm Sacramenta imprimunt Characterem; & tamen certum est quòd omnia septem Sacramenta ponunt in suscipiente aliquem respectum rationis, inquantùm eos ordinant ad diuina: vnde Character est aliquid reale, & non respectus rationis. Denique, Character Sacerdotalis est actiuus; est enim virtus qua Sacerdos cõuertit panem & vinum in Corpus & Sanguinẽ Christi: constat autem quòd ens rationis non est actiuum, aliàs effectus excederet causam in perfectione: & consequenter Character non est ens rationis. Nec multùm vrgent quæ affert Durandus; videlicet ex hac positione quòd Character sit aliquid reale, exurgere de ipso multas difficultates: Item quòd Character sit Sacramentum; de ratione autem Sacramenti vt sic formaliter est quòd sit signum, ac proinde respectus rationis. Dicendum est enim, quòd in omnibus sunt plures difficultates, nec tamen propterea desistendum est ab eorum speculatione; & sicut in aliis possunt vinci difficultates, sic & in Charactere, qui non est purum Sacramentum; sed est res simul & Sacramentum: vnde non solùm importat aliquid reale pro materiali, & aliquid rationis pro formali, vt importat purum Sacramentum: sed tam pro materiali, quàm pro formali dicit aliquid reale, licèt adsit aliquis respectus rationis.

Prima opinio asserit Characterem non distingui à subiecto realiter, tanquam rem à re, sed tantùm realiter formaliter, quasi quidam modus. Probatur; Ex hoc quòd aliquis deputatur ad aliquod officium, non est necesse quòd illi superaddatur aliqua forma realis realiter, tanquam res à re ab ipso distincta; sed sufficit ad hoc noua formalitas, vt patet quando miles fit Centurio, & quando Calix, & vestes Sacerdotales deputantur ad sacra ministeria; nihil enim reale accipiunt, at tantùm respectum aliquem: ergo cùm per Characterem homo deputetur ad diuina mysteria, non debet esse distinctus à subiecto realiter, tanquam res à re; aliàs multiplicarentur entitates sine necessitate.

Secundò; Virtus quâ eleuantur & applicantur Sacramenta ad agendum, solùm distinguitur à proprio subiecto realiter formaliter, & non tanquam res à re; cùm sit aliquid incompletum & fluens, ac proinde non sit res, at tantùm modus: ergo idem dicendum de Charactere, qui est virtus quâ homines eleuantur ad agendum, & recipiendum in Sacramentis.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Character distinguitur realiter materialiter, tanquam res à re, à proprio subiecto; 2. Cùm sit quædam potestas spiritualis superaddita. Ita tenent communiter discipuli D.Thom.

Probatur prima pars conclusionis, tum anthoritate Concilij Tridentini, in quo sæpe dicitur quòd aliqua Sacramenta imprimunt Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, qui modus loquendi indicat Characterem esse aliquam entitatem de nouo superadditam animæ: tum ratione; Character est quædam potestas siue potentia spiritualis supernaturalis, superaddita animæ, vt modo dicetur: ergo distinguitur realiter, etiam materialiter tanquam res à re ab anima: sicut in naturalibus potentia ordinata ad aliquem actum realiter distinguitur à proprio subiecto; hoc enim proprium est est solius Dei, quòd immediatè operetur per suam essentiam, non indigens aliqua virtute superaddita, sicut indigent ad operandum omnes creaturæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate

ritate Concilij Tridentini, vbi sæpe dicitur quòd Character est quædam potestas spiritualis. Deinde, authoritate & ratione D. Thom. quam hîc tradit art. 2. his verbis: Sacramenta nouæ Legis Characterem imprimunt: inquantùm per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundùm ritum Christianæ Religionis: diuinus autem cultus consistit, vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo aliis. Ad vtrumque autem horum requiritur quędam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia actiua, ad recipiendum autem requiritur potentia passiua: & ideo Character importat quandam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea quæ sunt diuini cultus.

AD primum ergo dicendum, quòd quando aliquis deputatur ad aliquod officium excedēs virtutem eius naturalem, debet necessariò recipere aliquam formam superadditam ipsi, realiter distinctam, qua proportionetur tali officio: Vnde ad primam instantiam, dicendum, quòd homines, vt deputent aliquem ad aliquod officium, supponunt illum idoneum, & ideò nihil in eo ponunt: Deus autem deputando facit aptum; ac proinde per aliquid superadditum. Ad aliam, dicendum, quòd calix & vestes sacerdotales ordinantur tantùm ad vsum, non autem ad agendum: vnde nihil intrinsecum debent recipere, sicut recipit Sacerdos qui deputatur ad agendum ea quæ excedunt virtutem eius.

AD secundum, dicendum, quòd virtus qua eleuantur & applicantur Sacramenta, distinguitur realiter tanquam res à re, ab ipsis Sacramentis; quamuis sit quid incompletū & fluens: quia est vera res supernaturalis, & non tantùm modus. Et idem dicendum de Charactere: non enim possunt identificari realiter, quæ sunt diuersi ordinis scilicet naturalis & supernaturalis; & ita sunt duæ res.

DVBIVM IV.

Vtrùm Character immediatè subiectetur in solo intellectu.

SVpponendum est ex D. Thom. hîc art. 3. Characterem Sacramentalem dici Characterem Christi, quia nihil aliud est quàm quædam participatio sacerdotij Christi, ab ipso Christo deriuata; in quantum per Characterem deputatur quisque fidelis ad recipiendum, vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei secundùm ritum Christianæ Religionis: totus autem ritus Christianæ Religionis deriuatur à sacerdotio Christi. Non autem sic est intelligendum, quasi in Christo sit aliquis Character, cuius participatio sit Character Sacramentalis; hoc enim communiter negatur à Theologis: & à D. Thom. hîc art. 5. Sed debet intelligi, quòd Christus Dominus in quantum homo sit summus Sacerdos, & sanctissima eius humanitas Verbo hypostaticè vnita concurrit, ex vi huius vnionis, ad omnes effectus supernaturales, tanquam instrumentum coniunctum diuinitatis. Vnde vt aliquo modo, ei, qui est caput Ecclesiæ, eius membra fideles conformentur, Deus intuitu meritorum ipsius, & concurrente physicè sacratissima eius humanitate, imprimit in illis Characterem Sacramentalem, qui est participatio illius potestatis excellentiæ, quæ est in Christo, ex vi vnionis hypostaticæ præcisè, vt ita accidentaliter habeāt, quod Christus substantialiter habet.

Prima opinio negat Characterem immediatè subiectari in intellectu: plures in hoc conueniunt, sed differunt in assignando eius subiecto. Durandus asserit Characterem esse ens rationis, & ita non habere subiectum: sed facta hypothesi quòd sit ens reale, debet subiectari in membris exterioribus quibus conficiuntur Sacramenta. Alensis in 4. parte quæst. 19. membro 3. asserit subiectari, tam in essentia animæ quàm in eius potentiis. Marsilius in 4. quæst. 4. art. 1. Gabriel ibidem dist. 6. quæst. 2. art. 3. dubio 2. Suares & alij dicunt subiectari in sola essentia animæ. Tandem Scotus in 4. dist. 6. quæst. 11. dicit subiectari in voluntate. Probatur hæc opinio sigillatim secundùm omnes modos dicendi: Character est virtus instrumentalis ex D. Thom. hîc art. 2. ordinata ad vsum Sacramentorum, & consequenter debet subiectari in instrumento immediato, quo conficiuntur Sacramenta: sed membra exteriora sunt instrumentum immediatum conficiens Sacramenta, vt patet: ergo Character Sacramentalis subiectatur in membris exterioribus quibus conficiuntur Sacramenta, & non in intellectu.

Secundò; Character definitur, vt asserit D. Thom. hîc art. 3. quòd sit distinctio à Charactere æterno, impressa animæ rationali secundùm imaginem, consignans Trinitatem creatam Trinitati creanti & recreanti; & distinguens à non configuratis secundùm statum fidei: sed anima per suas potentias est imago Trinitatis creantis & recreantis; per memoriam quippe fœcundam assimilatur Patri æterno fœcundissimo: per intellectum Filio qui est Verbum intellectus diuini: per voluntatem Spiritui Sancto, qui est amor terminus diuinæ voluntatis: ergo Character subiectatur: tam in substantia animæ, quàm in eius potentiis, & non immediatè in solo intellectu.

Tertiò; Concilium Tridentinum sess. 7. canone 9. definit tria Sacramenta, imprimere Characterem in anima: ergo debet intelligi de essentia animæ. Deinde; Character est signum quo dignosci debent fideles ab aliis: ergo debet poni tanquam in subiecto in eo quod magis apparet, constat autem quòd essentia animæ

animæ magis apparet, quàm eius potentiæ. Denique; Character non datur ad intelligendum, aut volendum; nec vt actus primus, cùm non det simpliciter operari; nec vt actus secundus, cùm non sit ipsa operatio: ergo non subiectatur in intellectu aut voluntate, sed in sola substantia animæ, in qua etiam subiectatur gratia quam significat, & ad quam eius actio terminatur.

Quartò; officium Characteris est, vel conficere, vel recipere, vel aliis conferre Sacramenta, quæ sunt actus virtutis Religionis, quæ subiectatur in voluntate, cùm sit pars iustitiæ: ergo Character subiectatur in voluntate, cùm sit principium actiuum horum actuum: quia cùm sint actus immanentes petunt necessariò habere principium sui elicitiuum in eodem subiecto, in quo ipsi sunt. Deinde; Character inducit obligationem: sed obligatio pertinet ad voluntatem: ergo & Character.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Character Sacramentalis non subiectatur in corpore: 2. Nec immediatè in essentia animæ; sed in aliqua eius potentia, 3. Quæ non est Voluntas, at Intellectus. Ita communiter Discipuli Diui Thomæ.

Probatur prima pars conclusionis, tanquam de fide authoritate Concilij Tridentini sess. 7. canone 9. vbi sic definitur: Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit: ergo Character recipitur & subiectatur in anima, & non in corpore. Deinde, ex eadem Concilij authoritate habetur, Characterem esse signum quoddam spirituale: sed signũ spirituale connaturaliter petit subiectum spirituale: ergo Character subiectatur in anima spirituali; & non in exterioribus membris corporalibus. Denique, ex eadem Concilij authoritate habetur Characterem esse signum indelebile: sed si subiectaretur in membris exterioribus non esset indelebilis, cùm illa membra possint abscindi, & totum corpus post mortem dissoluatur: ergo Character non subiectatur in corpore.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate; tum ratione duplici D.Thom. hîc art.4. Primam format in argumento, Sed contra, ex definitione Characteris: Character imprimitur animæ rationali secundùm imaginem: sed imago Trinitatis in anima attenditur secundùm potentias: ergo Character in potentiis animæ existit. Secundam autem sic proponit in corpore articuli: Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quæ sunt diuini cultus: diuinus autem cultus in quibusdam actibus consistit; ad actus autem propriè ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse: & ideo Character non est sicut in subiecto in essentia animæ, sed in eius potentia. Nec potest dici ad hanc rationem D.Thom. quòd sit Character, simul in essentia animæ & in eius potentia: cùm idem accidens, vt est Character, non possit immediatè subiectari in duobus; sed si est accidens operatiuum, quale est Character, debet immediate subiectari in potentia operatiua, quam constituit in actu primo ad operandum, vt patet inductione in omnibus.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate S.Dionysij cap.2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vbi Characterem appellat, Lumen, vnde dicitur de S. Philippo Nerio quòd cognouit vnum Sacerdotem ex Charactere, quem videbat relucere in eius fronte: lumen autem spirituale subiectatur in intellectu. Deinde probatur authoritate, & ratione D. Thom. hîc art. 4. ad 3. vbi sic ait: Character ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus: qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa: & ideo oportet quòd Character sit in cognitiua potentia animæ in qua est fides: constat autem quòd cognitiua potentia animæ est intellectus. Idem docet expressè art. 5. Denique probatur inductione: Character Baptismi est signaculum fidei: ergo est in intellectu in quo est fides. Character Confirmationis datur ad confitendum fidem interiùs, & exteriùs etiam quando vrget necessitas: sed talis confessio interna est in intellectu, cùm sit actus fidei qui elicitur ab intellectu: ergo & iste Character, qui est principium elicitiuum cum intellectu, huius actus immanentis. Character Ordinis debet subiectari in illa potentia, cuius actus concurrit immediatè ad effectum ipsius Characteris; cùm talis actus ex vna parte sit formaliter immanens, ac proinde quòd concurrit ad productionem ipsius, per modum virtutis elicitiuæ, debet esse in eadem potentia, nam eam constituit in actu primo in ordine ad talem actum immanentem: ex alia verò parte Character debet esse virtus elicitiua talis actus, cùm medio illo actu producat suum effectum: sed actus intellectus, nempe dictio & verbum immediatè concurrit ad effectum Characteris, scilicet ad Consecrationem: ergo Character Ordinis est in intellectu, & non in voluntate.

AD primum ergo, dicendum, quòd anima per intellectum mouet, & applicat membra exteriora ad vsum Sacramenrorum: vnde non est necesse quòd Character sit in ipsis membris, sed sufficit quòd sit in intellectu; vt patet in simili, nam virtutes Morales & Theologales sunt tantùm in potentiis animæ; & tamen applicant membra externa ad suos actus exteriores.

AD secundum, dicendum, quòd sufficit vt Character imprimatur in aliquid animæ scili-

cet in intellectum, ad hoc vt dicatur imprimi in ipsam animam, quæ per suas potentias est imago sanctissimæ Trinitatis.

Ad tertium similiter dicendum, quòd rectè Concilium definit Characterem imprimi in anima, quia imprimitur in intellectu qui est aliquid animæ. Ad aliud, dicendum, quòd Character principaliùs datur, vt sit principium actus pertinentis ad cultum diuinum, quàm vt sit signum; vnde ruit fundamentum huius rationis: Deinde potentiæ animæ sunt notiores ipsâ animâ quoad nos. Ad aliud dicendum, quòd Character non est in intellectu, vt principium intellectionis absolutè, sed vt comprincipium talis intellectionis & dictionis, quæ vt procedit v.g. à Charactere Ordinis, fit transsubstantiatio; vnde est in intellectu per modum actus primi dantis simpliciter operari, cùm sit tota virtus proxima respectu huius actus qui est transsubstantiatio. Nec est necesse quòd principium & terminus actionis sint in eodem aut simili subiecto; imò contrarium accidit ordinariè quando actio est aliquo modo transiens, vt contingit in præsenti: Nec similiter necesse est quod signum & signatum sint in eodem aut simili subiecto; imò ordinariè hoc non est.

Ad quartum dicendum, quòd isti actus non sunt eliciti à virtute Religionis, at tantùm imperati; sicut & oratio est actus imperatus à Religione, & tamen est actus intellectus. Ad aliud dicendum, quòd obligatio quidem pertinet ad voluntatem; sed non id omne quod inducit obligationem: sicut Lex inducit obligationem, & tamen non est actus voluntatis.

DVBIVM V.

Vtrùm Character sit indelebilis.

SVpponendum est, præsentem difficultatem non procedere absolutè, idest, vtrùm Character sit ita indelebilis, vt nec à Deo deleri possit: nam certissimum est quòd possit deleri, quia est entitas realiter distincta à suo subiecto, nec est necessariò illi connexa, cùm adueniat ab extrinseco & in tempore: vnde potest separari. Sed quærimus; vtrùm positis rebus vt nunc sunt, & relictis in se naturis rerum, Character sit semper remansurus in anima.

Prima opinio asserit Characterem non esse indelebilem. Probatur; Videtur indecens dicere, quòd participatio sacerdotij Christi, qualis est Character, remaneat in Damnatis inimicis Christi: ergo Character non est indelebilis, cùm deleatur in Damnatis. Deinde, Character est protestatio fidei: ergo cùm fides aliquando cesset, etiam Character debet cessare.

Secunda opinio Nugni, & aliorum docet Characterem esse omnibus modis, etiam ab intrinseco, & ex natura sua indelebilem. Probatur; Tripliciter est aliqua res corruptibilis ex natura sui: Primò maximè per se, scilicet ratione sui contrarij: Secundò, per accidens ratione subiecti: Tertiò, moraliter & meritoriè, quo pacto corrumpitur gratia & virtutes infusæ: sed nullo istorum modorum Character est corruptibilis: Non primo; quia cùm sit qualitas spiritualis, non habet contrarium: Non secundo; quia subiectatur in intellectu qui est incorruptibilis: Non tertio; quia cùm sit virtus instrumentaria, non dependet à motu voluntatis creatæ, sed sequitur conditionem principalis agentis ipsius Dei, & Christi influentis, ergo Character est omnibus modis indelebilis, etiam ab intrinseco & ex natura sua.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd Character Sacramentalis est indelebilis toto tempore vitæ: 2. Et etiam post mortem; 3. Non tamen ab intrinseco, sed solùm ab extrinseco. Hæc conclusio quoad primam & secundam partem est de fide; vnde communis inter Theologos.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 7. canone 9. iam citato: vbi definitur, Characterem esse signum quoddam spirituale & indelebile. Deinde, ratio quare tria Sacramenta imprimentia Characterem non iterantur, est ex eodem Concilio, loco citato, quia remanet Character: ergo Character Sacramentalis est indelebilis toto tempore vitæ. Nec valet obiicere quòd voluntariè suscipitur, & consequenter potest deponi: dicendum est enim quòd nulla est consequentia; nam votum fit voluntariè; & tamen non potest solui ab eo à quo fit.

Probatur secunda pars conclusionis eadem authoritate Concilij; nam Concilium dicit simpliciter & absolutè, quòd Character Sacramentalis est indelebilis; ergo hoc debet simpliciter intelligi, ac proinde dicendum quòd est indelebilis etiam post mortem. Deinde probatur authoritate & ratione D.Thom. hic art. 5. Character Sacramentalis est quædam participatio Sacerdotij Christi in fidelibus eius: sed Sacerdotium Christi est æternum secundùm illud Psalmi, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: & aliunde anima est subiectum Characteris secundùm intellectiuam partem, quæ est perpetua & incorruptibilis etiam post mortem: ergo Character est indelebilis etiam post mortem. Denique, est vsus in Ecclesia quòd si aliquis fidelis Sacerdos moriatur, & postea miraculosè resurgat, nec iterum Baptizatur, nec Confirmatur, nec Ordinatur de nouo: ergo signum est quòd in Ecclesia pro certo habetur quemcumque Characterem Sacramentalem etiam post mortem esse indelebilem. Quod confirmatur à D.Thom. loco citato, nam in corporeis, vt in Calice, Altari, Ecclesia, &c. tandiu durat consecratio, quandiu durat res

in

in qua recipitur: sed Character est quædã consecratio, & recipitur in anima secundùm potentiam intellectiuam, quæ permanebit in æternum: ergò & ipse Character permanebit in æternum, vnde est indelebilis etiam post mortem.

Probatur tertia pars conclusionis. Ex D. Th. hic artic. 5. Ideo Character indelebiliter manet in anima, ac proinde durabit in æternum, quia Sacerdotium Christi, cuius est participatio, & similiter intellectus in quo subiectatur, durabit in æternum: sed hoc importat tantùm Characterem esse indelebilem ab extrinseco, & quasi per accidens; nam virtus instrumentaria, qualis est Character ex natura sua est quid incompletum & fluens, vt sæpe hic docet D. Thom. vnde si permanet indelebiliter, non est quòd hoc petat ab intrinseco; sed habet ex continuato influxu principalis agentis ob illam rationem ipsi extrinsecam, scilicet ob permanentiam æternam Sacerdotij Christi: vnde si desineret tale Sacerdotium (quod licèt ex hypothesi sit impossibile; tamen absolutè est Deo possibile) etiam desineret Character; non enim potest esse participatio Sacerdotij Christi desinente ipso Sacerdotio: quod satis indicat hanc æternam permanentiam conuenire Characteri tantùm ab extrinseco, & non ab intrinseco scilicet ad exigentiam propriæ naturæ: ergo Character Sacramentalis non est indelebilis ab intrinseco, at tantùm ab extrinseco.

Ad primum ergo, dicendum cum D. Thom. hic art. 5. ad 3. quòd quamuis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, qui maximè consistit in protestatione fidei; remanet tamen finis illius cultus: & ideo post hanc vitam remanet Character, & in Bonis ad eorum gloriam: & in Malis ad eorum ignominiam: sicut etiam militaris Character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in his qui vicerunt ad gloriam: & in his qui sunt victi ad pœnam. Vnde quòd remaneat in Damnatis Character, non est indecens Sacerdotio Christi, cuius Character est participatio; sicut nec indicens est Deo quòd creaturæ damnentur, quæ sunt eius participationes.

Ad secundum, dicendum, quòd Character Sacramentalis ex hoc ipso quòd est virtus instrumentaria, est corruptibilis ex sua natura, vt dictum est: quia virtus instrumentaria ex se est incompleta, & fluens, nec durat nisi quandiu durat actio, ad quam eliciendam communicatur: vnde si ampliùs duret, hoc ei prouenit ab extrinseco, scilicet ab agente principali ob aliũ finem eam continuante.

DVBIVM VI.

In quo Prædicamento ponatur Character Sacramentalis.

Supponendum est, Characterem Sacramentalem diuidi, tanquam in suas species, in Characterem Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: tam Character Baptismi, quàm Confirmationis sunt species infimæ. Character autem Ordinis est species subalterna, quæ subdiuiditur in alias species infimas Characteris: nam quilibet Ordo imprimit proprium specie Characterem; non enim possunt esse plures solo numero distincti in eodem subiecto, cùm sint accidentia, & repugnet plura accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto, vt probatur in Metaphysica: nec idem Character productus in primo Ordine intẽditur per alios Ordines; nam Character, cùm sit potentia spiritualis, non est intensibilis aut remissibilis: vera enim potentia non intenditur, id est, eadem non fit maior aut perfectior in seipsa: quamuis possit dari vna perfectior quàm alia, & vna possit perfici per entitatem superadditam. Quòd si calor v.g. intendatur, hoc ei conuenit in quantum est naturalis dispositio subiecti; non vt est potentia.

Prima opinio Scoti in 4. dist. 6. quæst. 4. asserit Characterem Sacramentalem poni in prædicamento Relationis. Probatur; Character est quoddam signum spirituale, vt definit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 9. sed signum ponitur in prædicamento Relationis: ergo & Character Sacramentalis.

Secunda opinio Suaris asserit Characterem Sacramentalem poni directè in prædicamento Qualitatis. Probatur; Ratio quæ posset persuadere illum poni tantùm reductiuè, est quia est virtus instrumentalis: sed calor est virtus instrumentalis ignis ad comburendum; & tamen ponitur directè in Prædicamento: ergo & Character. Deinde; Ideo D. Thom. dicit quòd Character Sacramentalis ponitur tantùm reductiuè in Prædicamento, quia est quid fluens: sed hoc est falsum, nam Character est indelebilis per totam æternitatem; vnde est permanens: ergo non ponitur tantùm reductiuè in Prædicamento: maximè cùm multa alia imperfectiora Charactere ponantur directè in Prædicamento.

Tertia opinio Alensis 4. part. quæst. 19. art. 1. asserit Characterem Sacramentalem poni directè & propriè in prædicamento Qualitatis sub prima specie habitus non operatiui; non autem sub specie potentiæ naturalis. Probatur; Ex vna parte Character Sacramentalis est qualitas, quæ inest subiecto difficulter ab illo mobilis, ornans ipsum; quod conuenit habitui: ex alia verò parte non fluit ab essentia eius in quo est, nec producit aliquem actum, nec ordinatur ad aliquid

faciendum, aut recipiendum, vt patet discurrendo per omnia quæ fiunt, aut recipiuntur in vsu Sacramentorum: & si quis Character videretur actiuus, esset Character Ordinis; qui tamen non efficit Consecrationem, sed est ipsa forma verborum: ergo Character Sacramentalis ponitur directè in prædicamento Qualitatis, sub prima specie habitus non operatiui, non autem sub specie potentiæ naturalis. Quòd si est potentia, tantùm est potentia moralis, quæ importat signum ordinatum ad aliquod munus, quod potest perfici ab illo qui habet tale signum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Character Sacramentalis ponitur in aliquo Prædicamento: 2. Non quidem directè, sed tantùm reductiuè. 3. Illud autem est prædicamentum Qualitatis, 4. Et ponitur sub secunda specie Potentiæ. Ita tenent communiter Discipuli D.Thom.in præsenti.

Probatur prima pars conclusionis contra Richardum in 4.dist. 5. quæst.1. art.2. & alios qui negant entia ordinis supernaturalis poni in Prædicamentis Aristotelis. Ratio ponendi accidentia in prædicamentis desumitur ex diuerso modo quo afficiunt subiectum, & respiciunt illud, vt communiter docent Philosophi: sed accidentia ordinis supernaturalis, & in particulari Character Sacramentalis, eodem modo afficiunt & respiciunt subiectum, quo accidentia ordinis naturalis; nam educuntur de potentia passiua ipsius subiecti, & insunt ipsi per inhæsionem: ergo accidentia ordinis supernaturalis, vt Character Sacramentalis, ponuntur in aliquo Prædicaměto. Deinde; Omne quod constat genere & differentia, ponitur in aliquo Prædicamento, cum hac differentia; quòd si sit verum genus & vera differentia, ponitur propriè & directè; si autem non sit verum genus nec vera differentia, at tantùm quasi genus & differentia; ponitur tantùm reductiuè: quia genus & differentia sunt termini essentiæ, ipsam limitantes ad determinatam speciem: quicquid autem ponitur in prædicamento, debet esse determinatæ speciei propriæ, si directè ponatur; vel quasi speciei, si tantùm reductiuè ponatur: sed Character Sacramentalis constat genere & differentia, vel quasi genere & differentia, vt constabit ex modò dicendis: ergo Character Sacramentalis ponitur in aliquo Prædicamento.

Probatur secunda pars conclusionis, authoritate, & ratione D.Thom. hîc art.2. vbi loquens de Charactere, ipsúmque vocans potentiam spiritualem, sic ait: Hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est de virtute quæ est in Sacramentis: habere enim Sacramenti Characterem competit Ministris Dei; Minister autem habet se per modum instrumenti, vt Philosophus dicit in primo Politicæ: Et ideò sicut virtus quæ est in Sacramentis non est in genere per se, sed per reductionem, eo quòd est quiddam fluens & incompletum, ita etiam Character non propriè est in genere vel in specie, sed reducitur ad secundam speciem Qualitatis. Quæ ratio sic breuiter reducitur in formam: Entia incompleta non ponuntur per se & directè in Prædicamento, at tantùm reductiuè: sed Character Sacramentalis est ens incompletum, cùm sit virtus instrumentalis; nam, ex Aristotele, Minister se habet vt instrumentum: ergo Character Sacramentalis non ponitur per se & directè in aliquo Prædicamento, at tantùm reductiuè. In solutione argumentorum in contrarium, examinabimus dicta Aduersariorum circa hanc rationem D.Thomæ.

Probatur tertia pars conclusionis contra Scotum, qui ponit Characterem Sacramentalem in prædicamento Relationis: tum authoritate, tum ratione D.Thom. hîc artic. 2. in corpore quidem dicit, quòd Character reducitur ad secundam speciem Qualitatis: & in responsione ad 3. probat quòd non ponitur in prædicamento Relationis; sic autem ait: Relatio quæ importatur in nomine signi, oportet quòd super aliquid fundetur. Relatio autem huius signi quod est Character, non potest fundari immediatè super essentiam animæ, quia sic conueniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, & hoc est essentia Characteris. Vnde non oportet quòd sit in genere Relationis, sicut quidam posuerunt. Deinde; Relatio non producitur directè per actionem, cùm ex Aristotele non detur ad illam per se motus; vnde solùm fit per resultantiam ad productionem alterius: sed Character Sacramentalis directè producitur per Sacramenta, vt constat ex dictis, nam Concilium Tridentinum docet sess.7. canone 9. quòd tria Sacramenta imprimunt Characterem in anima, quod indicat productionem eius directam: ergo Character Sacramentalis non ponitur in prædicamento Relationis, de quo solùm posset esse difficultas; sed in prædicamento Qualitatis.

Probatur quarta pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione D. Thomæ eodem art.2. in corpore quidem sic ait: Character non propriè est in genere vel in specie, sed reducitur ad secundam speciem Qualitatis. In responsionibus verò argmentorum probat quòd non ponatur in tertia & quarta specie; quòd non ponatur in tertia, sic probat in responsione ad primum: In tertia specie Qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates: Character autem non est lumen sensibile: & ideo non est in tertia specie Qualitatis, vt quidam dixerunt. Quòd autem non sit in quarta specie, sic probat in responsione ad primum:

Figura

Figura est quædam terminatio Quantitatis: vnde propriè loquendo, non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphoricè: non autem ponitur aliquid in genere, vel in specie, nisi per id quod de eo propriè prædicatur: & ideo Character non potest esse in quarta specie Qualitatis, licèt hoc quidam posuerint. Quòd verò non sit Habitus, sufficienter probat in corpore, per hoc quòd ostendit Characterem Sacramentalem esse virtutem instrumentalem incompletam, & ex natura sua fluentem, quod repugnat Habitui; imò & dispositioni, quæ important aliquid completum & permanens. Deinde probatur directè, quòd sit reductiuè in secunda specie Qualitatis quæ est Potentia, ratione D. Thom. loco citato: Sacramenta nouæ Legis Characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundùm ritum Christianæ Religionis: diuinus autem cultus consistit, vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo aliis: ad vtrumque autem horum requiritur quædam potentia; nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia actiua, ad recipiendum autem requiritur potentia passiua: & ideo Character importat quandam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea quæ sunt diuini cultus. Confirmatur specialiter de Charactere Baptismi, & Ordinis. Qui non est baptizatus non recipit validè alia Sacramenta: ergo signum est quòd per Characterem Baptismalem habet potentiam passiuam recipiendi alia Sacramenta. De Charactere autẽ Ordinis probatur, tum ex ipsa ordinatione, in qua dicitur; Accipe potestatem, &c. tum quia habitu supernaturali nullus potest malè vti, cùm ex malo fine totaliter vitietur actus, ac proinde non possit esse actus virtutis supernaturalis: quicquid autem procedit ab habitu supernaturali, debet esse actus virtutis supernaturalis: sed Character Sacerdotalis est qualitas supernaturalis, & illo potest quis indifferenter benè aut malè vti, nam potest vel bono, vel malo fine consecrare, aut absoluere: ergo hic Character Sacramentalis non est habitus supernaturalis: sed ponitur sub secunda specie Potentiæ.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Character Sacramentalis est quidem signum: sed præter rationem signi, habet suam essentiam quæ est fundamentum huius rationis signi, & talem essentiam dicimus esse qualitatem spiritualem.

Ad secundum, dicendum, concessa maiori, quòd calor non est pura virtus instrumentalis, qualis est Character Sacramentalis: sed est simul proprietas ignis: vnde est virtus completa & permanens, & ita ponitur directè in prædicamento, Character autem est quid incompletum. Ad aliud dicendum, quòd Character Sacramentalis ex natura sua est quid fluens, licèt per accidens & ab extrinseco permaneat semper, vt dictum est. Ad aliud dicendum, quòd vt aliquid ponatur directè in prædicamento, inter alia requiritur, vt sit completum in natura, quod deest Characteri; contingit igitur quòd aliqua imperfectiora ponantur directè in prædicamento, vt lapis; & alia perfectiora non ponantur nisi indirectè, vt anima rationalis. Et Deus qui est perfectissimus, nullo modo ponitur.

Ad tertium, dicendum, quòd tam potentia, quàm habitus sunt, qualitas difficilè mobilis à subiecto, ornans ipsum: & hoc principaliùs conuenit potentiæ, quàm habitui, nam potentia est magis intima, & ordinariè necessariò connexa subiecto, tanquam proprietas ab illo emanans: differunt autem in hoc quòd habitus non datur ad simpliciter operandum, sicut datur potentia: nam habitus naturalis datur tantùm ad facilè, constanter, & delectabiliter operandum: supernaturalis autem, quamuis sit tota virtus proxima operandi; supponit tamen radicalem potentiæ, concurrentis principaliter ad actum supernaturalem qui est intra sphæram proprij obiecti: nam v.g. actus fidei est actus cognitionis obiecti supernaturalis, adhærentis ipsi ex reuelatione diuina, ratio autem cognitionis conuenit intellectui secundùm propriam virtutem: quæ tamen indiget eleuari per habitum fidei, aut per aliud auxilium supernaturale, ad hoc vt attingat tale obiectum supernaturale. Cùm igitur Character detur ad simpliciter operari (nam v.g. in Consecratione, actus ille intellectus concurrẽs ad Consecrationem, nullo modo ex se est operatiuus ad extra: & quòd operetur sic, totum habet à Charactere) sequitur quòd Character sit potentia, & non habitus, vt magis nunc explicabitur. Ad aliam partem, dicendum, quòd est proprium potentiæ tantùm naturalis fluere ab essentia, Character autem est potentia supernaturalis. Ad aliud quod subiungitur, dicendum quòd ex institutione diuina, tam Character Baptismi, quàm Character Confirmationis ordinantur ad recipiendum aliquid in vsu Sacramentorum, quod sine ipsis non reciperetur, videlicet gratiam actualem, quæ ex Dei pacto datur Baptizatis & Confirmatis solùm, & ab illis solis potest recipi connaturaliter, stante hoc pacto Dei: insuper Character Baptismi reddit simpliciter potentem ad recipienda alia Sacramenta & fructum ipsorum, sine ipso enim non conferuntur validè: ex quo sequitur quòd vterque Character est potentia passiua; & non habitus, tum quia est receptiuus habitus gratiæ, vnus autem habitus non est receptiuus alterius habitus, at tantùm proprij actus: tum quia, vt dictum est, Character existens in intellectu practico, est indifferens ad bonum & malum vsum in propria materia, siue ad actum religiosum, & irreligiosum: potest enim

enim quis profiteri fidem, recipere Sacramenta, consecrare, absoluere, & similia tam propter bonum finem, quàm propter malum: & hi actus sunt proprij Characteris Sacramentalis. Hanc autem indifferentiam non habent habitus, vt ostensum est. Character autem Ordinis est potentia actiua; ordinatur enim ad agendum: nam v. g. Character Sacerdotalis reddit subiectum potens concurrendi physicè instrumentaliter ad Consecrationem: virtus siquidem eleuatiua formæ Consecrationis, procedit physicè ab ipso Ministro tanquam instrumento Dei causæ principalis, & ab ipso Ministro communicatur formæ virtute Characteris, quo constituitur potens in actu primo: vnde hic Minister magis pertinet ad ordinem gratiæ, quàm Minister in Sacramento Baptismi: hic enim non manet potens in actu primo: sed tantùm fit potens in vsu Sacramenti, in quantum virtute motionis diuinæ, tunc ipsi communicatæ, eleuatur simul & applicatur ad causandam gratiam mediatè, in quantum ab ipso tanquam instrumento Dei communicatur Sacramento virtus causatiua gratiæ. Idem proportionaliter dicendum est de Charactere Sacerdotali in ordine ad Absoluendum, quod dictum est in ordine ad consecrandum.

QVÆSTIO LXIIII.

De causa Sacramentorum, in decem articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de causis Sacramentorum siue per auctoritatem, siue per ministerium.

¶ Et circa hoc quæruntur decem.

¶ Primo, vtrùm solus Deus interius operetur in Sacramentis.

¶ Secundò, vtrùm institutio Sacramentorum sit solum à Deo.

¶ Tertiò, de potestate, quam Christus habuit in Sacramentis.

¶ Quartò, vtrùm illam potestatem potuerit aliis communicare.

¶ Quintò, vtrùm potestas ministerij in Sacramentis, conueniat malis.

¶ Sextò, vtrùm mali peccent dispensando Sacramenta.

¶ Septimò, vtrùm Angeli possint esse ministri Sacramentorum.

¶ Octauò, vtrùm intentio ministri requiratur in Sacramentis.

¶ Nono, vtrùm requiratur ibi recta fides: ita scilicet, quòd infidelis non possit tradere sacramenta.

¶ Decimo, vtrùm requiratur ibi recta intentio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm solus Deus operetur interius ad effectum Sacramenti.

350 AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd non solus Deus, sed etiam minister interius operetur ad effectum Sacramenti: interior enim sacramenti effectus est, vt homo purgetur à peccatis, & illuminetur per gratiam. Sed ad ministros Ecclesiæ pertinet purgare, illuminare & perficere: vt patet per Dion.* in 5. c. cæl. hier. Ergo videtur, quod non solus Deus, sed etiam ministri Ecclesiæ interius operentur ad sacramenti effectum.

Inf. a. 5. & 4. d. 5. q. 2. a. 3. q. 6. c. 5. 82. p. per totam.

¶ 2 Præterea, in collatione sacramentorum quædam orationum suffragia ponuntur. Sed orationes iustorum sunt magis apud Deum exaudibiles, quàm quorumcunque, secundum illud Io. 9. Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc Deus exaudit. Ergo videtur, quòd maiorem effectum sacramenti consequatur ille, qui recipit ipsum à bono ministro. Sic ergo & minister aliquid operatur ad interiorem effectum, & non solus Deus.

¶ 3 Præterea, Dignior est homo, quàm res inanimata. Sed res inanimata aliquid operatur ad interiorem effectum: nam aqua corpus tangit, & cor abluit: vt Augu.* dicit super Io. Ergo homo aliquid operatur ad interiorem effectum sacramenti, & non solus Deus.

Tr. 80. in Ioan. post med. t. 9.

SED contra est, quod dicitur Roma. 8. Deus est qui iustificat. Cum ergo interior effectus omnium sacramentorum sit iustificatio, videtur, quòd solus Deus operetur interiorem effectum Sacramenti.

CONCLVSIO

Quanquam Deus solus, vt agens principale ad interiorem effectum Sacramenti operetur, ministerialiter tamen homo ad idem operari potest.

RESPONDEO dicendum, quòd operari aliquem effectum, contingit dupliciter, vno modo per modum principalis agentis: alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti: tum quia solus Deus illabitur animæ, in qua sacramenti effectus existit, non autem potest aliquid immediatè operari, vbi non est. Tum quia gratia quæ est interior sacramenti effectus, est à solo Deo, vt in secunda parte dictum est.* Character etiam, qui est interior quorundam Sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quæ manat à principali agente, quod est Deus. Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, inquantum operatur per modum ministri, nam eadem ratio est ministri & instrumenti: vtriusque enim actio exterius adhibetur; sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus.

P. 2. quæ. 112. a. 1.

AD primum ergo dicendum, quod purgatio, secundum quod attribuitur ministris Ecclesiæ, non est à peccato. Sed dicuntur diaconi purgare, inquantum vel immundos eiiciunt à cœtu fidelium: vel eos sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionem. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicuntur sacrum populum: non quidem gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo, vt patet per Dion.* ibidem.

Loco citato in arg. 1.

AD secundum dicendum, quòd orationes quæ dicuntur in sacramentorum collatione proponuntur Deo non ex parte singularis personæ, sed ex parte totius Ecclesiæ, cuius preces sunt apud Deum exaudibiles: secundum illud Matt. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. Nihil tamen prohibet quin deuotio viri iusti, ad hoc aliquid operetur. Illud tamen quod est sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiæ vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in sacramentis: vt dictum est.* Vnde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum, per deuotionem ministri. Nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum à Deo.

q. 62. a. 5.

AD tertium dicendum, quod res inanimatæ non operantur aliquid ad interiorem effectum, nisi instrumentaliter, vt dictum est. Et similiter homines non operantur ad sacramentorum interiorem effectum, nisi per modum ministerij: vt dictum est.*

In co art.

ibid.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Sacramenta sint solum ex institutione diuina.

351 AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd sacramenta non sint solum ex institutione diuina. Ea enim quæ sunt diuinitus instituta, traduntur nobis in sacra Scriptura. Sed quædam aguntur in sacramentis, de quibus nulla fit mentio in sacra Scriptura, puta, de Chrismate, quo homines confirmantur: & de oleo quo sacerdotes inunguntur; & de multis aliis tam verbis, quam factis, quibus vtimur in Sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solum ex institutione diuina.

4. dist. 7. q. 1. a. 1. q. 2. ar. & dist. 1. q. 1. a. 1.

¶ 2 Præterea, Sacramenta sunt quædam signa. Res autem sensibiles naturaliter quædam significant, nec potest dici quod Deus quibusdam significationibus delectetur, & non aliis: quia ipse omnia quæ fecit approbat. Hoc autem proprium videtur esse dæmonum, vt quibusdam signis ad aliquid alliciantur: dicit enim August. 21. de ciuit. Dei, Alliciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diuersitate diuersis, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis. Non ergo videtur, quod sacramenta indigeant esse ex institutione diuina.

Li. 21 c. 6. parum ante med. t. 5.

¶ 3 Præterea, Apostoli vicem Dei gesserunt in terris: vnde Apostolus dicit secunda ad Corint. 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, id est ac si ipse Christus donasset. Sic ergo videtur, quod Apostoli & eorum successores possint noua Sacramenta instituere.

SED contra est, quod ille instituit aliquid, qui dat ei robur & virtutem: sicut patet de institutoribus legum. Sed virtus Sacramenti est à solo Deo, vt patet † ex prædictis. Ergo solus Deus potest instituere sacramentum.

art. praced. & q. 62. a. 1. & 5.

CONCLVSIO.

Cùm virtus sacramenti sit à solo Deo, solus ille Sacramentorum institutor est.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut ex supradictis patet †) Sacramenta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem à principali agente. Agens autem respectu sacramenti est duplex, scilicet instituens sacramentum, & vtens sacramento instituto, applicando scilicet ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo, qui vtitur sacramento: quia non operatur nisi per modum ministerij. Vnde relinquitur, quod virtus sacramenti sit ab eo, qui instituit sacramentum. Cum igitur virtus sacramenti sit à solo Deo, consequens est, quod solus Deus sit sacramentorum institutor.

ar. praced.

AD primum ergo dicendum quod illa quæ aguntur in sacramentis per homines instituta non sunt de necessitate sacramenti: sed ad quandam solemnitatem, quæ adhibetur sacramentis, ad excitandam deuotionem & reuerentiam in his qui sacramenta suscipiunt. Ea verò quæ sunt de necessitate

te sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus & homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione: sicut Apostolus dicit primæ ad Corint. 11. Cætera cum venero disponam.

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles aptitudinem quandam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura: sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione diuina. Et hoc est quod Hugo* de sancto Victo. dicit, quod sacramentum ex institutione significat. Prælegit tamen Deus quasdam res alijs ad significationes sacramentales, non quia ad eas contrahatur eius effectus, sed vt sit conuenientior significatio.

Lib. 1. de sacr. ... p. 9. c. 2.

Ad tertium dicendum, quod Apostoli & eorum successores, sunt vicarij Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem & fidei sacramenta. Vnde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta: sed per sacramenta quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus, secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.

352 Ad tertivm sic proceditur. Videtur, quòd Christus secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum. Dicit enim Ioan. Baptista, vt habetur Ioan. 1. Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Sed baptizare in Spiritu sancto est interius gratiam Spiritus sancti conferre, Spiritus sanctus autem descendit super Christum inquantum homo, non inquantum Deus, quia sic ipse dat Spiritum sanctum. Ergo videtur, quod Christus secundum quod homo habuerit potestatem, interiorem effectum sacramentorum causandi.

¶ 2 Præterea, Matt. 9. Dominus dicit, Sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Sed remissio peccatorum est interior effectus sacramenti. Ergo videtur, quod homo, interiorem effectum sacramentorum operetur.

¶ 3 Præterea, institutio sacramentorum pertinet ad eum, qui tanquam principale agens operatur ad interiorem sacramenti effectum. Manifestum est autem, quod Christus sacramenta instituit. Ergo ipse est qui interius operatur sacramentorum effectum.

¶ 4 Præterea, Nullus potest sine sacramento effectum sacramenti conferre, nisi propria virtute, sacramenti effectum operetur. Sed Christus sine sacramento contulit sacramenti effectum: vt patet in Magdalena, cui dixit, Dimittuntur tibi peccata. Ergo videtur, quod Christus secundum quod homo, operetur interiorem sacramenti effectum.

¶ 5 Præterea, illud in cuius virtute sacramentum operatur, est principale agens ad interiorem effectum. Sed sacramenta habent virtutem ex passione Christi & inuocatione nominis eius secundum illud primæ ad Cor. 1. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Ergo Christus inquantum homo operatur interiorem effectum sacramenti.

Sed contra est, quòd Aug.* dicit, quòd in sacramentis diuina virtus secretius operatur salutem. Diuina autem virtus est Christi secundum quod est Deus, non autem secundum quod est homo: Ergo Christus non operatur interiorem sacramenti effectum, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

CONCLVSIO.

Christus in quantum Deus, potestatem authoritatis in Sacramentis habuit; in quantum verò homo, habuit ministerij principalis potestatem, seu excellentiæ, quatenus ipse est qui per passionem suam meritoriè & effectiuè operatus fuit omnium salutem, & meruit, vt in illius nomine sanctificarentur, & instituerentur Sacramenta, qui absque Sacramentis potuit solus homines iustificare.

Respondeo dicendum, quòd interiorem Sacramentorum effectum operatur Christus & secundum quod est Deus, & secundum quod est homo, aliter tamen & aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per authoritatem: secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritoriè & efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est* enim quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ iustificationis, & meritoriè & effectiuè, non quidem per modum principalis agentis, siue per authoritatem sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum diuinitatis eius: vt supra dictum est*. Sed tamen quia est instrumentum coniunctum diuinitati in persona, habet quandam principalitatem & causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ, vt ex supradictis patet. † Et ideo sicut Christus in quantum Deus, habet potestatem authoritatis in sacramentis ita in quantum homo, habet potestatem ministerij principalis, siue potestatem excellentiæ. Quæ quidem consistit in quatuor: Primo quidem in hoc quod meritum & virtus passionis eius operatur in sacramentis, vt supra dictum est †. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem (secundum illud Roma. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius) quam fidem per inuocationem nominis Christi protestamur, ideo secundo ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod in eius nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quòd ipse qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius è conuerso, quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quòd ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre.

Et per hoc patet responsio Ad obiecta, vtraque enim pars obiectionum, secundum aliquid vera est: vt dictum est †.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus potestatem suam quam habuit in Sacramentis, potuerit ministris communicare.

353 Ad qvartvm sic proceditur. Videtur, quod Christus potestatem suam, quam habuit in Sacramentis, non potuerit ministris communicare. Vt enim argumentatur Aug.* contra Max. Si potuit & non voluit, inuidus fuit. Sed inuidia longe fuit à Christo, in quo fuit summa plenitudo charitatis. Ergo cum Christus non communicauerit suam potestatem ministris, videtur, quod non potuerit communicare.

¶ 2 Præterea, Super illud Ioan. 14. Maiora horum faciet, dicit August. † Prorsus maius hoc esse dixerim, scilicet vt ex impio iustus fiat, quàm creare cœlum & terram. Sed Christus non potuit communicare discipulis, quod crearent cœlum & terram. Ergo neque quod iustificarent impium. Cum igitur iustificatio impij fiat per potestatem Christi, quam habet in sacramentis, videtur, quod potestatem suam, quam in sacramentis habuit, non potuerit ministris communicare.

¶ 3 Præterea, Christo, inquantum est caput Ecclesiæ, competit vt ab ipso gratia deriuetur ad alios: secundum illud Io. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Sed hoc non fuit alijs communicabile, quia sic Ecclesia esset monstrosa, multa capita habens. Ergo videtur, quod Christus potestatem suam non potuerit ministris communicare.

Sed contra est, quod super illud Ioan. 1. Ergo nesciebam eum, dicit Aug.* quod non nouerat potestatem baptismi, ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum. Hoc autem non ignorasset Ioannes, si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo suam potestatem Christus ministris communicare.

CONCLVSIO.

Non potuit Christus authoritatis potestatem cuiquam conferre, sicut nec diuinam essentiam, sed excellentiæ potestatem potuit ministris suis communicare: dando eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, & solo imperio, absque Sacramentorum ritu, effectum Sacramenti conferrent.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est †. Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem. Vnam authoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus; & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec diuina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ quæ competit ei secundum quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem: vt eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, vt ad inuocationem nominum ipsorum, sanctificarentur sacramenta, & vt ipsi possent sacramenta instituere, & sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo.

Ad primum ergo dicendum, Christus non ex inuidia prætermisit potestatem excellentiæ, Ecclesiæ ministris communicare: sed propter fidelium vtilitatem, ne in homine spem ponerent, & ne essent diuersa sacramenta. Ex quibus diuisio in Ecclesia oriretur: sicut apud illos, qui dicebant, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ: vt dicitur primæ ad Cor. 1.

Ad secundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de potestate authoritatis, quæ conuenit Christo secundum quod est Deus. licet & potestas excellentiæ possit authoritas nominari per comparationem ad alios ministros. Vnde super illud primæ ad Corint. 1. Diuisus est Christus dicit glo. † quod potuit eis dare authoritatem baptismi quibus contulit ministerium.

Ad tertium dicendum, quòd ad hoc inconueniens euitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alij vero secundario.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per malos ministros Sacramenta conferri possint.

354 Ad qvartvm sic proceditur. Videtur, quòd per malos ministros sacramenta conferri non possint. Sacramenta enim nouæ legis, ordinantur ad emundationem culpæ, & collationem gratiæ. Sed mali, cum sint immundi, non possunt alios a peccato mundare (secundum illud Eccl. 34. Ab immundo quis mundabitur?) & etiam cum gratiam non habeant, non videtur, quòd gratiam conferre possint: quia nullus dat quod non habet. Non ergo videtur, quod per malos sacramenta conferri possint.

¶ 2 Præterea. Tota virtus sacramentorum deriuatur à Christo: vt dictum est †. Sed mali sunt præcisi à Christo: quia non habent charitatem, per quam membra capiti vniuntur: secundum illud primæ Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet,

monet, & Deus in eo. Ergo videtur, quod per malos sacramenta conferri non possint.

¶ 3 Præterea, Si desit aliquid horum, quæ debitum est esse in sacramentis, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma, vel debita materia. Sed debitus minister sacramenti est ille, qui caret macula peccati: secundum illud Leuit. 21. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius. Ergo videtur, quod si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

Sed contra est, quod August. dicit * super illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum, &c. Quid in Christo non nouerat Ioannes? † potestatem baptismi, ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum: sed ministerium plane transiturum in bonos & malos: quid tibi facit malus minister, vbi bonus est dominus?

Trac. 5. in Io. i. circa med. tom. 9

CONCLVSIO.

Ministri Ecclesiæ, cum instrumentaliter operentur in Sacramentis, Sacramenta conferre possunt, siue boni, vel mali sint.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est † ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in Sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri & instrumenti. Sicut autem supra dictum est, † instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem eius, à quo mouetur. Et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod corpus medici (quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum vel infirmum: & sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Vnde ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre, etiam si sint mali.

ar. 1. & 3. huius qu.

q. 62. art. 1. & 3

Ad primum ergo dicendum, quod ministri Ecclesiæ neque à peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute: sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta. Et ideo effectus consequitur in suscipientibus Sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum.

Ad secundum dicendum, quod per charitatem membra Christi vniuntur suo capiti, vt ab eo vitam recipiant: quia, vt dicitur prima Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, & à se separatum, quantum ad corporis vnionem, dummodo sit coniunctum per quandam motionem: aliter enim operatur artifex per manum, & aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis & per bonos, tanquam per membra viuentia, & per malos, tanquam per instrumenta carentia vita.

Ad tertium dicendum, quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Vno modo sicut existens de necessitate sacramenti, quod quidem si desit, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma vel debita materia. Alio modo est aliquid debitum esse in sacramento secundum quandam decentiam, & hoc modo debitum est, vt ministri sacramentorum sint boni.

ARTICVLVS VI.

Vtrum mali ministrantes Sacramenta, peccent.

355 AD Sextum sic proceditur. Videtur, quod mali ministrantes sacramenta, non peccent. Sicut enim ministratur Deo in sacramentis, ita per opera charitatis. vnde dicitur Hebr. vlt. beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Sed mali non peccant si ministrent Deo in operibus charitatis, quinimo hoc est eis consulendum, secundum illud Daniel. 4. Consilium meum tibi placeat, peccata tua eleemosynis redime. Ergo videtur, quod mali non peccent sacramenta ministrando.

4. d. 5. qu. 1. 2. qu. 4. co. & dis. 19. q. 1. ar. 2. co. & dis. 24. qu. 1. a. 3. q. 1. & a. 3. q. 1. & 3.

¶ 2 Præterea, Quicunque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati, secundum illud Roman. 1. Digni sunt morte, non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed si mali ministri peccent, sacramenta ministrando, illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo etiam ipsi peccarent, quod videtur inconueniens.

¶ 3 Præterea, Nullus videtur esse perplexus: quia sic homo cogeretur desperare quasi non potens peccatum euadere. Sed si mali peccarent, sacramenta tradendo essent perplexi: quia etiam quandoque peccarent, si sacramenta non traderent: puta, cum eis ex officio incumbit necessitas (dicitur enim primæ Cor. 9. Væ mihi si non euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit) quandoque etiam propter periculum: sicut si puer in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus. Ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando.

Sed contra est, quod Diony. dicit 1. cap. eccl. Hierarch. † quod malis non est fas nec tangere symbola, id est sacramentalia signa. Et in epistola ad Demophylum * dicit, Talis, scilicet peccator, audax videtur, sacerdotalibus manum apponens: & non timet neque verecundatur, diuina præter diuinitatem exequens, & Deum putans ignorare quæ ipse in semetipso cognouit, & decipere æstimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, & audet immundas infamias (non dicam orationes) super diuina signa Christi formiter enuntiare.

lib. 1 Eccl. hier. declarando ad fi. & ep. 8. q. incip. Hebraicas historias, parum ante med.

CONCLVSIO.

Cum ministri Domino conformari debeant, mali ministros se exhibentes Dei & Ecclesiæ in Sacramentorum dispensatione, peccant: quorum peccatum cum ad Dei irreuerentiam spectet, ex suo genere mortale est.

Respondeo dicendum, quod aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non secundum quod oportet, vt patet per Philosophum in lib. 2. Eth. † Dictum * est autem conueniens esse vt sacramentorum ministri sint iusti: quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Leui. 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: & Ecclesiastici 10. Secundum iudicem populi sic & ministri eius. Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

Ex lib. 2. ethic. c. 3. & 6. non ber. pr. & li. 3. c. 7. tom. 5. † ar. prox. ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad iustitiæ sanctitatem, sicut quædam iustitiæ partes. & ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit iustus amplius sanctificatur: si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed sacramenta in seipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem, & ideo præexigitur in ministro sanctitas iustitiæ, vt congruat suo ministerio. Et ideo congrue agit & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

Ad secundum dicendum, quod ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesiæ, non inquantum est talis persona, sed inquantum est minister Ecclesiæ. Et ideo quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius: sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur (puta, cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit sacramentum; quia communicat peccato ipsius.

Ad tertium dicendum, quod ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare: quia potest pœnitere de peccato, & licite ministrare. Non est autem inconueniens, quod sit perplexus supposito quodam, scilicet quod velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare. sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subueniret necessitatem patienti. Secus est autem in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus: vt infra patebit.

q. 67. art. 3. & 4.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Angeli possint Sacramenta ministrare.

AD Septimum sic proceditur. Videtur, quod Angeli possint sacramenta ministrare. Quicquid enim potest minister inferior, potest & superior: sicut quicquid potest diaconus, potest sacerdos, sed non conuertitur. Sed Angeli sunt superiores ministri in ordine hierarchico, quàm etiam quicunque homines: vt patet per Dion. in lib. coel. hier. * Ergo cum homines possint ministrare in sacramentis, videtur, quod multo magis Angeli. 356

4. dist. 5. q. 2. ar. 1.

cap. 9. cœl. hie. parum ante med.

¶ 2 Præterea, Homines sancti assimilantur Angelis in cœlo, vt dicitur Matth. 22. Sed aliqui sancti in cœlo existentes, possent ministrare in sacramentis: quia character sacramentalis est indelebilis: vt dictum est. † Ergo videtur, quod etiam Angeli possint in sacramentis ministrare.

q. pr. a. 5.

¶ 3 Præterea, Sicut supra dictum est, * diabolus est caput malorum, & mali sunt membra eius. Sed per malos possunt ministrari sacramenta. Ergo videtur, quod etiam per dæmones.

q. 8. art. 7.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum. Sed Angeli boni vel mali, non sunt ex hominibus. Ergo ipsi non constituuntur ministri in his quæ sunt ad Deum, id est, in sacramentis.

CONCLVSIO.

Cum soli homines Christo conformentur, ad ipsos solos, non ad Angelos sacramenta ministrare pertinet, quanquam Angelis conferri possit potestas conferendi sacramenta.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est *) tota virtus sacramentorum à passione Christi deriuatur, quæ est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli, sed potius secundum passionem dicitur modico ab Angelis minoratus vt patet Hebr. 2. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, & in eis ministrare: non autem ad Angelos. Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligauit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligauit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium à bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate diuina, sicut quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata. Si vero dæmones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

q. pra. a. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod illud quod faciunt homines inferiori modo, scilicet per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt Angeli tanquam superiores ministri, superiori modo, scilicet inuisibiliter purgando, illuminando, & perficiendo.

Ad secundum dicendum, quod sancti, qui sunt in cœlo, sunt similes Angelis quantum ad participationem gloriæ: non autem quantum ad conditionem naturæ, & per consequens neque quantum ad sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod mali homines non habent, quod

quòd possunt ministrare in sacramentis, ex hoc, quòd per malitiam sunt membra diaboli. Et ideo non sequitur, quòd diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti.

357 AD OCTAVVM, sic proceditur. Videtur, quòd intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti: minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

¶ 2 Præterea, Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti non posset homini ad sacramentum accedens esse notum, quod sacramentum suscepisset. Et ita non posset habere certitudinem salutis, præcipue cum quædam sacramenta sint de necessitate salutis, vt infra dicetur.*

¶ 3 Præterea, Intentio hominis non potest esse ad id, circa quod non est attentus. Sed aliquando illi, qui in sacramentis ministrant, non attendunt ad ea quæ dicunt vel faciunt, alia cogitantes. Ergo secundum hoc non perficeretur sacramentum propter intentionis defectum.

SED contra est, quod ea quæ sunt præter intentionem sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorum. Ergo sacramenta requirunt intentionem ministri.

CONCLVSIO.

Cùm ea quæ in Sacramentis geruntur possint diuersimodè, & propter diuersa agi, necessaria est in Sacramentorum administratione intentio ministrantis seu Ecclesiæ.

RESPONDEO dicendum, quod quando aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad vnum, si illud effici debeat. Ea vero, quæ in sacramentis aguntur, possunt diuersimodè agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiusmodi. Et ideo oportet, quod determinetur ad vnum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicit, Ego te baptizo in nomine Patris, &c.

AD primum ergo dicendum, quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus: sed loco intentionis est motus, quo mouetur à principali agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum mouetur, sed etiam quodammodo mouet seipsum inquantum sua voluntate mouet membra ad operandum. Et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti: vt scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia.

AD secundum dicendum, quòd circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit, non perficitur sacramentum: sed hunc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedendi ad sacramentum) supplet Christus, qui interius baptizat: in adultis autem, qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides & deuotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad vltimum effectum, qui est iustificatio à peccatis: sed quantum ad effectum, qui est res & sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur, quod per deuotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur, nisi per sacramentum. Et ideo alij melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.

AD tertium dicendum, quòd licèt ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti: puta, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Vnde postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis, perficitur sacramentum. Quamuis studiosè curare debeat sacramenti minister, vt etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate: quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere incipit alia cogitare, secundum illud Psalm. 39. Cor meum dereliquit me.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm fides ministri sit de necessitate Sacramenti.

358 AD NONVM sic proceditur. Videtur, quòd fides ministri sit de necessitate sacramenti. Sicut enim dictum est, intentio ministri est necessaria ad sacramenti perfectionem. Sed fides intentionem dirigit: vt Aug. dicit contra Iulianum. Ergo si desit vera fides in ministro, non perficitur sacramentum.

¶ 2 Præterea, Si minister Ecclesiæ veram fidem non habeat, videtur esse hæreticus. Sed hæretici, vt videtur, non possunt sacramenta conferre: dicit enim Cyprianus in epistola contra hæreticos, * Omnia quæcunque faciunt hæretici, carnalia sunt & inania, & falsa, ita vt nihil eorum quæ illi gesserint, à nobis probari debeat, & Leo Papa dicit in epistola ad Leonem Augustum. Manifestum est per crudelissimam & insanissimam vesaniam in Alexandrina sede omne cælestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum, omnia se subtraxere mysteria. Ergo vera fides ministri est de necessitate sacramenti.

¶ 3 Præterea, illi qui non habent veram fidem, videntur esse per excommunicationem ab Ecclesia separati: dicitur enim in secunda Canonica Ioan. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Aue dixeritis ei: & ad Titum 3. Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita. Sed excommunicatus non videtur posse conferre Ecclesiæ sacramentum, cum ab Ecclesia sit separatus, ad cuius ministerium pertinet sacramentorum dispensatio. Ergo videtur, quod vera fides ministri sit de necessitate sacramenti.

SED contra est, quod August. * dicit contra Petilianum Donatist. Mementote, sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum quod illa vel non sint, vel minus sancta sint.

CONCLVSIO.

Quemadmodum mali ministri extra charitatem existentes, ministrare sacramenta possunt; ita & infideles, dummodo ea non omittantur quæ de necessitate sunt sacramenti.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut supra dictum est *) quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis charitas, ita & fides. Vnde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in charitate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, vt supra dictum est: * ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides eius: sed infidelis potest verum sacramentum præbere, dummodo cætera adsint, quæ sunt de necessitate sacramenti.

AD primum ergo dicendum, quòd potest contingere, quòd aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, & non circa veritatem sacramenti, quod exhibet: puta, si aliquis credat iuramentum esse in omni casu illicitum: & tamen credat baptismum efficaciam habere ad salutem: & sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramentum. Si vero patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia Catholica intendit per huiusmodi quæ exterius aguntur, præbere sacramentum. Vnde non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum: quia sicut supra dictum est, * minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cuius fide suppletur id quod deest fidei ministri.

AD secundum dicendum, quod hæreticorum quidam in collatione sacramentorum formam Ecclesiæ non seruant: & tales neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti. Quidam vero seruant Ecclesiæ formam, & tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste ab Ecclesia præcisi: quia ex hoc ipso, quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat: & per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur. Vnde August. * dicit in lib. de fide ad Petr. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint baptismo cumulari perniciem. Et per hunc modum dicit Leo Papa, † in sede Alexandrina omne sacramentorum lumen esse extinctum, s. quantum ad rem sacramenti, non autem quantum ad ipsum sacramentum. Cyprianus * autem nullo modo sacramentum conferre hæreticos posse credebat: sed in hoc eius sententia non tenetur. Vnde August. * dicit martyrem Cyprianum, qui apud hæreticos, vel schismaticos datum baptismum noluit cognoscere, tanta merita vsque ad triumphum martyrij secuta sunt vt charitatis, qua excellebat luce obumbratio illa fugaretur, & si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.

AD tertium dicendum, quòd potestas ministrandi sacramenta, pertinet ad spiritualem characterem qui indelebilis est, vt ex supradictis patet *. Et ideo per hoc quod aliquis ab Ecclesia suspenditur vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam vtendi hac potestate. Et ideo sacramentum quidem confert sed tamen peccat conferendo: & similiter ille qui ab eo accipit sacramentum. Et sic non percipit rem sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur.

ARTICVLVS X.

Vtrùm intentio recta ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti.

359 AD DECIMVM sic proceditur. Videtur, quòd intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti: intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ, vt ex dictis patet *. Sed intentio Ecclesiæ semper est recta. Ergo de necessitate ad sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri.

¶ 2 Præterea, Peruersa intentio deterior esse videtur, quàm intentio iocosa: sed intentio iocosa tollit sacramentum: puta, si aliquis non serio, sed ludo aliquem baptizaret. Ergo multo magis peruersa intentio aufert sacramentum: puta, si aliquis aliquem baptizaret, vt postmodum eum occideret.

¶ 3 Præterea Peruersa intentio facit totum opus vitiosum: secundum illud Luc. 11. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Sed Sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines: sicut Aug. dicit contra Petilianum *. Ergo videtur, quod si sit peruersa intentio ministri, non sit ibi verum sacramentum.

SED contra est, quod peruersa intentio pertinet ad malitiam ministri. Sed malitia ministri non tollit sacramentum. Ergo nec peruersa intentio.

CONCLVSIO.

Intentio ministri peruersa & mala respectu sacramenti, tollit veritatem sacramenti, non autem si sit mala intentio respectu illorum, quae sequuntur sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quod intentio ministri potest peruerti dupliciter. Vno modo respectu ipsius sacramenti, puta; cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere. Et talis peruersitas tollit veritatem sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo potest peruerti intentio ministri quantum ad id, quod sequitur sacramentum: puta si sacerdos intendat aliquam foeminam baptizare vt abutatur ea: vel si intendat conficere corpus Christi, vt eo ad veneficia vtatur. Et quia prius non dependet à posteriori, inde est, quod talis intentionis peruersitas veritatem sacramenti non tollit, sed ipse minister ex tali intentione grauiter peccat.

AD primum ergo dicendum, quod Ecclesiae intentio recta est, & quantum ad sacramenti perfectionem, & quantum ad sacramenti vsum, sed prima rectitudo perficit sacramentum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister qui conformat intentionem suam Ecclesiae quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

AD secundum dicendum, quod intentio ludicra vel iocosa excludit primam rectitudinem intentionis, per quam perficitur sacramentum: & ideo non est similis ratio.

AD tertium dicendum, quod peruersa intentio peruertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex peruersa intentione ministri peruertitur id quod agit in sacramento, inquantum est opus eius, non inquantum est opus Christi, cuius est minister. Et est simile, si minister alicuius hominis, praua intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam dominus recta intentione mandaret.

DISPVTATIO VII.

De causa instituente Sacramenta.

COGNITA natura Sacramentorum, & consideratis eorum effectibus, nunc considerandum est de causa instituente.

DVBIVM I.

Vtrùm omnia Sacramenta noua Legis fuerint à Deo, vel Christo Domino immediatè instituta.

SVpponendum est tanquam certum, Sacramenta Legis antiquae fuisse à Deo immediatè instituta: Si sermo sit de Sacramentis Legis scriptae, est de fide; nam in Scriptura habetur expressum, Deum praecepisse Moysi, vt talia Sacramenta celebraret; imò & dictasse ei omnes caeremonias & ritus in eorum vsu obseruandos. Si autem sit sermo de Sacramentis Legis naturae, etiam certum est apud Theologos, fuisse immediatè instituta à Deo, in quantum reuelauit Adamo primo parenti, post commissum peccatum originale, vt eligeret aliquod signum sensibile in remedium talis peccati, vt scilicet medio illo deleretur peccatum: & haec reuelatio continuata traditione transiit ad posteros. Determinatio autem talis signi facienda relicta fuit potestati Ecclesiae: hoc autem signo posito, tanquam conditione sine qua non, Deus conferebat gratiam suscipienti.

Prima opinio asserit, omnia Sacramenta nouae Legis non fuisse immediatè instituta à Deo vel Christo Domino: sed tantùm illa quae in Euangelio dicuntur ab eo fuisse instituta, videlicet quatuor: vt Baptismum, habetur enim quòd miserit suos Discipulos in vniuersum mundum, vt docerent omnes gentes doctrinam Euangelij, & baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Eucharistiam, de cuius institutione in vltima coena fit mentio specialis apud omnes Euangelistas, quam etiam recolit S. Paulus sibi à Deo reuelatam, 1. ad Cor. 11. Poenitentiam, cuius fit mentio, dum dicitur Apostolis: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt, &c. Et tandè Sacramentum Ordinis, nam habetur quomodo per insufflationem ordinauerit Apostolos dicens, Accipite Spiritum Sanctum, &c. ac in vltima coena dedit eis potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem suum. Probatur, ex Sacra Scriptura habetur, Apostolos instituisse tria Sacramenta, scilicet Confirmationem, nam habetur in eorum actibus; quòd per impositionem manuum dabant fidelibus Spiritum Sanctum: extremam Vnctionè fuisse à S. Iacobo minore institutam, vt habetur in eius epistola Catholica: & tandem Matrimonium fuisse à S. Paulo institutum, habetur 1. ad Cor. 7. ergo non omnia Sacramenta nouae Legis fuerunt immediatè instituta à Deo, vel Christo Domino.

Secundò, Christus Dominus potuit communicare suis Apostolis potestatem instituendi Sacramenta: ergo de facto illis communicauit, cùm dederit illis omnem authoritatem iuxta illud: Sicut misit me viuens Pater, ita & ego mitto vos; ac proinde non omnia Sacramenta nouae Legis fuerunt immediatè instituta à Deo, vel Christo Domino.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum secundùm fidem, quòd omnia Sacramenta nouae Legis fuerunt immediatè instituta à Christo Domino. Ita tenent omnes Theologi.

Probatur conclusio duplici authoritate Concilij Tridentini, prima habetur sess. 7. canone 1. vbi sic expressè definitur: Si quis dixerit Sacramenta nouae Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem, non esse verè & propriè Sacramentū; anathema sit. Secunda habetur sess. 14. cap. 1. de institutione Sacramenti extremae Vnctionis, de quo posset esse maior difficultas: dicitur enim, Instituta est autē sacra haec Vnctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum noui Testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolū, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum: Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiae, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei, &c.

Secundò

Secundò probatur ratione, Sacramenta nouæ Legis sunt digniora, & excellentiora Sacramentis antiquæ Legis, vt probatum est: sed Sacramenta antiquæ Legis; maximè scriptæ, fuerunt instituta immediatè à Deo, vt dictum est; & ad dignitatem & excellentiam Sacramentorum pertinet dignitas & excellentia authoris, siue institutoris, vt patet: ergo omnia Sacramenta nouæ Legis fuerunt immediatè instituta à Deo & digniori modo, quàm Sacramenta antiquæ Legis; illa enim solùm instituta fuere per expressam Dei reuelationem: hæc verò personaliter à Christo vero Deo, & homine.

Ad primum ergo dicendum, quòd multa credimus, quæ non sunt in Sacra Scriptura; sed solùm illa habemus per traditiones Apostolicas continuatas in Ecclesia, quæ sunt eiusdem authoritatis ac Scriptura; cùm sint verbum Dei, licèt non scriptum. Inter has autem traditiones ista habetur: Omnia nouæ Legis Sacramenta fuisse immediatè instituta à Christo Domino, & hoc determinarunt Concilia; maximè Tridentinum, vt dictum est: vnde Confirmatio, extrema Vnctio, & Matrimonium non fuerunt instituta ab Apostolis, sed tantùm promulgata, sicut & alia.

Ad secundum, dicendum, quòd licèt Christus potuerit communicare suis Apostolis hanc potestatem instituendi Sacramenta, vt dubio sequenti dicetur; eam tamen non communicauit, vt Sacramenta in maiori essent æstimatione, & ipsum Christum Dominum agnosceremus, tanquam immediatum benefactorem nostrum: vnde ad illum locum Scripturæ, dicendum; quòd ly, sicut, non importat omnimodam paritatem, sicut nec in alio loco, vbi dicitur: Rogo te, Pater, vt sint vnum, sicut tu & ego vnum sumus; constat autem quòd est impossibile vt sit tanta vnitas inter fideles, quanta est inter Patrem & Filium. Vnde non colligitur ex prædicto loco, quòd Christus Dominus cõmunicauerit suis Apostolis totam authoritatem, quam acceperat à Patre.

DVBIVM II.

Vtrùm Deus & Christus potuerint communicare aliis potestatem instituendi Sacramenta.

Supponendum est, duo requiri ad hoc vt aliquis dicatur instituere Sacramenta. Primum est, vt determinet aliquod signum sensibile, hoc enim dicit Sacramentum. Secundum est, vt tali signo det virtutem causandi gratiam: vnde sensus præsentis dubij est, vtrùm Deus potuerit dicere vni homini; Elige aliquod signũ sensibile ad causandã gratiam, & eo ipso quòd elegeris, habebit virtutem causandi gratiam. Vel vtrùm Christus Dominus potuerit communicare alteri, potestatem excellentiæ quam habuit in institutione Sacramentorum: Christus enim est Deus & homo; in quãtum Deus, habuit in Sacramentis, sicut & in aliis potestatem authoritatis, & talis potestas nulli creaturæ potest communicari, sicut nec diuina essentia: & ita solùm restat dubium de potestate excellentiæ, quæ ipsi competit secundùm quòd homo.

Prima opinio Durandi, & Gabrielis in 4. d. 2. & aliorum, negat hanc potestatem excellentiæ instituendi Sacramenta potuisse communicari aliis. Probatur; Vt Deus communicaret alicui puræ creaturæ hanc potestatem instituendi Sacramenta, deberet in vsu Sacramentorum dare gratiam secundùm arbitrium ipsius; & consequenter esset prima causa determinans Deum in ordine ad hunc effectum, Deus autem esset causa secunda: sed hoc est impossibile, vt ex se patet: ergo Deus non potuit cõmunicare hanc potestatem instituendi Sacramenta alicui puræ creaturæ.

Secundò; Ad potestatem excellentiæ Christi Domini pertinet, quòd merita ipsius recipiantur in Sacramentis infinito modo; meritum enim ipsius, ex dignitate personæ diuinæ, cui sacratissima eius humanitas est vnita hypostaticè, est infinitum: sed merita puræ creaturæ non possunt esse infinita, vt patet: ergo potestas excellentiæ, quæ fuit in Christo Domino in instituendo Sacramenta, non potuit communicari aliis.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Deus & Christus Dominus potuerunt communicare aliis potestatem instituendi Sacramenta. 2. Vnde in eis fuisset potestas excellentiæ, quæ fuit in Christo; 3. Licèt diuerso modo. 4. Non tamen fuit communicata: & consequenter non est potestas in Ecclesia, qua possit tollere Sacramenta, & alia instituere. Ita docet D. Thom. hîc quæst. 64. artic. 4. & communiter eius Discipuli.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. statim adducenda, tum sequenti ratione: Quòd Deus possit communicare alis potestatem instituendi Sacramenta, non magis repugnat, quàm quòd Deus modò causet gratiam dependenter ex intentione Ministri, nam tunc non esset maior dependentia, vt patet: sed hoc potest fieri, imò de facto sit: ergo & illud potuit fieri.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate & ratione D. Thom. hîc quæst. 64. artic. 4. vbi loquens de Christo Domino ait: Aliam potestatem habet excellentiæ, quæ competit ei secundùm quòd homo, & talem potestatem potuit Ministris communicare; dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus,

vt ad inuocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta: & vt sic possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum effectum Sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum, quantò fuerit fortius, tantò magis virtutē suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis. Christus Dominus habuit hanc potestatem excellentiæ perfectissimo modo, & connaturaliter, ex hoc quòd esset Homo Deus, siue illam sic perfectissimè habuit, in quantum Homo, quia sacratissima eius humanitas fuit hypostaticè vnita Deo: & propter hanc vnionem eius meritum est moraliter infinitum, & quodammodo infinitè applicatur Sacramentis: quamuis ex eius ordinatione Sacramenta habeant determinatum effectum, maiorem vel minorem iuxta dispositionem subiecti: sed hæ prærogatiuæ non possunt conuenire puræ creaturæ; quantumcumque enim augeatur in ea gratia, nunquam habebit hanc dignitatem moralem, nec infinitum erit eius meritum: ergo potestas excellentiæ instituendi Sacramenta, quæ fuit in Christo, non potuit esse communicata aliis eodem modo: at tantùm quoad substantiam.

Probatur quarta pars conclusionis ex dictis dubio præcedenti, vbi probatum est omnia nouæ Legis Sacramenta fuisse immediatè instituta à Deo, & Christo Domino: quod si fuerunt sic instituta, non fuit communicata aliis potestas excellentiæ, quæ fuit in Christo, instituendi Sacramenta; hæc enim communicatio fuisset frustranea, cùm ad nihil deseruisset: nec consequenter est potestas in Ecclesia, qua possit tollere hæc Sacramenta, & alia instituere, vt docet Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. quia vt dicit D. Thom. hîc art. 2. ad 3. Apostoli & eorum successores sunt Vicarij Dei, quantùm ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem, & fidei Sacramenta. Vnde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, nec instituere alia Sacramenta, sed per Sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi. Et hoc propter fidelium vtilitatem, vt dicit D. Thom. art. 4. ad 1. ne in homine spem ponerent, & ne essent diuersa Sacramenta, ex quibus diuisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos qui dicebant: ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephę. Si dicatur quod initio Ecclesię Apostoli conferebant Sacramentum Baptismi in nomine Christi, & non cum forma ordinaria: Item Sacramentum Confirmationis sine Chrismate, per solam manuum impositionem: sicut & Sacramentum Ordinis sine propria materia: Respondetur hoc factum fuisse ex speciali dispensatione Christi ad exigentiam illorum temporum; ipso Christo Domino peculiariter concurrente, non autem conferente potestatem Apostolis, vt sic instituerent, vel mutarent.

Ad primum ergo dicendum, quòd in illo casu Deus voluntariè determinaretur, sicut nunc determinatur concurrendo cum Ministro ad effectum Sacramentorum, iuxta intentionem Ministri: siue potiùs determinaret voluntariè, sicut nunc se determinat: vnde semper esset causa prima, sicut nunc est; & creatura esset causa secunda, maximè quia creatura non potest operari nisi instrumentaliter ad effectum Sacramentorum: constat autem quòd instrumentum nunquam potest dici causa prima, licèt aliquo modo determinet agens principale. Cuius ratio est, quia agit in virtute principalis agentis, & vt motum ab illo, in quo principaliter consistit subordinatio causarum, vt illa dicatur simpliciter prima, quæ mouet cæteras, & cuius virtute cæteræ agunt.

Ad secundum dicendum, quòd tantùm probat potestatem excellentiæ, quæ fuit in Christo, in institutione Sacramentorum, non posse aliis communicari, iuxta modum perfectionis, quo fuit in Christo: benè tamen quoad substantiam. Ad tribuendam autem virtutem causatiuam gratiæ ipsis Sacramentis, non requiritur virtus infinita, nec meritum infinitum: quia talis pura creatura non illam tribueret per modum causæ principalis physicæ, at tantum per modum instrumenti in hoc genere, quamuis esset causa principalis in genere moris.

DVBIVM III.

Vtrùm Christus Dominus, author Sacramentorum nouæ Legis, concurrat principaliter ad eorum effectum.

SVpponendum est, causam principalem alicuius effectus esse duplicem, scilicet physicam, & moralem: causa principalis physica est illa, quæ propria virtute & per verum influxum producit effectum: causa verò principalis moralis est illa, quæ ex parte obiecti mouet efficientem ad operandum; quocumque modo fiat, siue per imperium, siue per meritum. De vtraque procedit præsens difficultas, vtrùm scilicet Christus Dominus, quatenus author, & institutor Sacramentorum, concurrat principaliter physicè, & moraliter ad eorum effectum: & quamuis aliquid supra circa hoc dictum sit, hîc iterum maioris claritatis gratiâ examinabitur.

Prima opinio asserit Christum Dominum, vt authorem Sacramentorum nouæ Legis, concurrere principaliter physicè ad eorum effectum. Probatur, effectus Sacramentorum est gratia

gratia & Character, vt communiter conceditur: sed ad vtrumque concurrit Christus principaliter physicè; ad gratiam quidem, quia humanitas eius est multò excellentior gratiâ propter esse diuinum quod habet, & gratia habitualis ipsius est proprietas gratiæ vnionis, ac proinde mediâ ipsâ quasi propria virtute, potest in aliis producere gratiam, & consequenter, vt causa principalis physica: maximè quia illam producit, vt assimilet sibi homines, iuxta illud ad Rom. 8. Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui; constat autem quòd effectus non assimilatur instrumento, at causæ principali. Concurrit etiam principaliter physicè ad Characterem, quia Character Sacramentalis ex D. Thom. quæst. præcedenti est quædam participatio Sacerdotij Christi: ergo Christus Dominus author Sacramentorum nouæ Legis concurrit principaliter physicè ad eorum effectum.

Secundò, illud est causa principalis physica, in cuius virtute operatur instrumentum: & quod ita vtitur instrumento, vt sine illo operari possit: sed vtrumque conceditur Christo Domino, nam D. Thom. hîc artic. 3. docet virtutem Christi operari in Sacramentis, siue Sacramenta operari in virtute Christi: & aliunde certum est Christum contulisse fructum Sacramentorum sine vsu Sacramentorum, vt cum solo imperio dimisit peccata Magdalenæ: ergo Christus Dominus concurrit principaliter physicè ad fructum Sacramentorum.

Tertiò, ex D. Thom. supra quæst. 7. artic. 9. gratia data fuit Christo Domino, tanquam vniuersali principio in genere habentium gratiam, à quo omnis gratia, omnísque effectus supernaturalis emanat: sed principium vniuersale est principium principale: ergo Christus Dominus concurrit principaliter physicè ad effectum Sacramentorum: maximè cùm hoc debeatur infinito eius merito, quo meruit esse institutor Sacramentorum, & quo etiam constituitur causa principalis moralis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus author Sacramentorum, vt homo, concurrit quidem vt causa principalis moralis, ad effectum Sacramentorum: 2. Non autem vt causa principalis physica; in genere quippe physico concurrit tantùm instrumentaliter; 3. Quamuis habeat causalitatem principaliorem, quàm habeant alia instrumenta extrinseca, vt sunt Ministri Ecclesiæ. Ita communiter docent Theologi cum D. Thom. hîc art. 3

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 6. capit. 7. vbi assignans causas iustificationis nostræ, quæ fit in Sacramẽtis, ait: Efficiens verò misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & vngens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem (quæ idem est ac moralis) dilectissimus vnigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam Charitatem quâ dilexit nos, sua sanctissima passione ligno Crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. Deinde agit de causa instrumentali: vnde quando D. Thom. hîc art. 3. ait de Christo vt est homo, quòd operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritoriè & efficienter, sed instrumentaliter; ly, instrumentaliter, cadit tantùm super, efficienter, quod est proximum; & non super, meritoriè, quod est remotum.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, quæ speciali modo attribuit Deo productionem gratiæ, & gloriæ; iuxta illud: Gratiam & gloriam dabit Dominus. Quod sic exponunt Doctores, vt dicant solum Deum esse causam principalem physicam, & efficientem gratiæ & gloriæ, vnde Christus vt homo concurrit tantùm instrumentaliter ad eius productionem. Item authoritate citata Concilij Tridentini, quod pro causa efficiente iustificationis tantùm Deum assignat. Deinde authoritate D. Thom. hîc. art. 3. citato vbi dicit quòd Christus secundùm quòd est Deus operatur in Sacramentis per authoritatem; secundùm autem, quòd est homo, siue secundùm humanam naturam operatur & meritoriè & effectiuè, non quidem per modum principalis agentis, siue per authoritatem efficiendo; sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum diuinitatis. Denique probatur ratione eiusdem D. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 1. quam sic proponit: Nulla res potest agere vltra suam speciem, quia semper oportet quòd causa potior sit effectu: donum autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cùm nihil aliud sit quàm quædam participatio diuinæ naturæ (formalissimè considerata) quæ excedit omnem aliam naturam: & ideò impossibile est quòd aliqua creatura gratiam causet. Sic enim necesse est quòd solus Deus deificet, communicando consortium diuinæ naturæ, per quandam similitudinis participationem: sicut impossibile est, quòd aliquid igniat nisi solus ignis. Deinde, in responsionibus argumentorum docet, quomodò humanitas Christi Domini est solùm instrumentum diuinitatis in productione gratiæ. Deinde, gratia perfectissimè est in substantia animæ, totam illam penetrando: ergo à solo Deo principaliter in ipsa producitur, cùm solus ipse illabatur animabus nostris dando illis esse: & consequenter solus in illis sit sufficienti modo ad causandum gratiam. Respectu etiam Characteris Sacramentalis Christus vt homo concurrit tantùm instrumentaliter; quia eadem actione attingente in eodem instanti reali substantiam

animæ & eius potentiam intellectiuam; non propria virtute, sed motionis diuinæ produci gratiam & Characterem, ac proinde vtrumque per modum instrumenti, quod agit virtute aliena.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate & ratione quadruplici D. Thom. hîc art. 3. vbi sic ait: Quia humanitas Christi est instrumentum coniunctum diuinitati in persona, habet quandam principalitatem & causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt Ministri Ecclesiæ. Et ideo sicut Christus in quantum Deus habet potestatem authoritatis in Sacramentis; ita in quantum homo habet potestatem ministerij principalis, siue potestatem excellentiæ, quæ quidem consistit in quatuor: Primò quidem in hoc, quòd meritum & virtus Passionis eius operatur in Sacramentis. Et quia virtus Passionis copulatur nobis per fidem (secundùm illud Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius) quam fidem per inuocationem nominis Christi protestamur: ideo secundò ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in Sacramentis, pertinet quòd in eius nomine Sacramenta sanctificantur: Et quia ex eius institutione Sacramenta virtutem obtinent; inde est quòd tertiò ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quòd ipse qui dedit virtutem Sacramentis, potuit instituere Sacramenta: Et quia causa non dependet ab effectu, sed potiùs è conuerso, quartò ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quòd ipse potuit effectum Sacramentorum sine exteriori Sacramento conferre. Hactenus D. Thom.

Ad primum ergo dicendum, quòd humanitas Christi Domini, licèt habeat esse diuinum quo existit, remanet tamen in ordine naturali secundùm suam entitatem, cuius existentia diuina non est pars, at terminus: & ita secundùm esse essentiæ est inferioris ordinis respectu gratiæ, quamuis sit superioris secundùm esse existentiæ. Gratia autem habitualis Christi non conuenit humanitati secundùm se, sed vt vnitæ diuinitati, & adhuc non conuenit ei vt sic, per modum proprietatis rigorosæ, quia potuit assumi à Deo aliqua natura sine gratia habituali: per gratiam autem principaliter assimilamur Deo, & Christo vt Deo, ipsi autem vt homini assimilamur in participatione eiusdem gratiæ. Ad illud de charactere dicendum, quòd est quidem participatio Sacerdotij Christi, ipsum tamen Sacerdotium non importat aliquam virtutem permanentem productiuam Characteris, vt ita sit virtus principalis productiua ipsius.

Ad secundum, dicendum, quòd Sacramenta quidem operantur in virtute Christi, siue per virtutem sibi à Christo communicatam, in quantum est secundùm humanitatem instrumentum coniunctum diuinitatis: & ita hæc virtus à solo Deo procedit principaliter, & communicatur primò humanitati, & per illam postea Sacramentis. Ad aliud dicendum cum D. Thom. hîc art. 3. quòd probat solùm potestatem instrumentalem excellentiæ, quam habuit Christus Dominus in Sacramentis, conferendo fructum eorum sine ipsis.

Ad tertium, dicendum similiter cum D. Thom. hîc, quòd tantùm probat potestatem excellentiæ physicam instrumentalem, & principalem moralem, quæ fuit in Christo: & cùm principalis physica non possit communicari, sed sit propria solius Dei; non potuit cadere sub eius merito licèt infinito.

DISPVTATIO VIII.

De causa ministeriali Sacramentorum.

Post considerationem causæ instituentis Sacramenta, sequitur consideratio causæ ministerialis eorundem Sacramentorum: vnde considerandum est quid in ipsa requiratur, tum vt validè, tum vt licitè administret Sacramenta: & tandem quomodò concurrat ad effectum Sacramentorum.

DVBIVM I.

Vtrùm soli homines sint Ministri Sacramentorum.

Svpponendum est, hanc difficultatem procedere propter Angelos, qui leguntur non rarò administrasse Sacramenta, maximè Eucharistiam, & hoc certis habetur historiis: vnde quæritur quomodò ea administrauerint; & vtrùm Sacramenta validè fuerint ab illis administrata.

Prima opinio asserit solos homines, & adhuc tantùm viatores esse ministros Sacramentorum. Probatur quòd soli homines sint Ministri, authoritate Sacræ Scripturæ: de Baptismo, Matthæi vltimo, Christus sic loquitur Discipulis: Baptizantes eos &c. De Eucharistia, Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. De Pœnitentia, Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & sic de aliis. Deinde authoritate Conciliorum Florentini & Tridentini, quæ singulis Sacramentis solos homines assignant Ministros. Denique; Ecclesia est visibilis, & propterea Sacramenta eius debent esse visibilia: ergo etiam Ministri debent necessariò esse visibiles; ac proinde soli homines possunt esse Ministri Sacramentorum.

Secundò probatur, quòd soli viatores: si quis Beatus v. g. resurgeret ad tempus, non posset recipere Sacramenta, cùm non posset partici-

pare fructum eorum, iam enim esset in termino, vbi gratia non augetur: ergo nec posset ministrare, maximè illa quæ requirunt iurisdictionem & potestatem Characteris: in morte quippe cessat omnis iurisdictio, & talis Character pertinet ad Ecclesiam nostram militantem, & non ad triumphantem: ergo soli homines viatores sunt Ministri Sacramentorum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd soli homines, de potentia Dei ordinaria sunt Ministri Sacramentorum: 2. Viatores quidem, Ministri ordinarij: 3. Qui verò post mortem peruenerunt ad terminum, Ministri extraordinarij. 4. Angeli autem solùm de potentia Dei absoluta possunt ministrare Sacramenta: 5. Vnde si ministrentur ab Angelis bonis, sunt habenda vt rata: secùs verò si ministrentur ab Angelis malis. Hæc conclusio quoad omnes suas partes est communis inter Discipulos D. Thom. vnde illam docent Soto, & Nugnus in præsenti.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate, tum ratione adductis in primo argumento in contrarium. Deinde ratione D. Th. hîc art. 7. quam sic proponit, tota virtus Sacramentorum à Passione Christi deriuatur: quæ est Christi secundùm quòd est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli: sed potiùs secundùm Passionem dicitur modicò ab Angelis minoratus, vt patet Hebræor. 2. ideò ad homines pertinet dispensare Sacramenta, & in eis ministrare, non autem ad Angelos. Quæ ratio sic potest proponi in forma: Ministri minùs principales Sacramentorem debent conformari principali Ministro in natura, ita vt non sint superioris naturæ; non enim decens est vt Ministri minùs principales sint dignioris naturæ, quàm Minister principalis: sed Christus in quantum homo est Minister principalis Sacramentorum, vt dictum est, virtute suæ Passionis: & illi conformantur homines in natura, & non Angeli, qui sunt superioris naturæ: ergo soli homines, de potentia Dei ordinaria, sunt Ministri Sacramentorum, minùs principales si comparentur cum Christo.

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis: Sacramenta Ecclesiæ sunt signa protestatiua fidei, vt communiter conceditur, & sæpe docet D. Thom. in hoc tractatu: ergo Ministri ordinarij Sacramentorum sunt soli homines viatores qui ambulant in fide. Deinde, vsus Sacramentorum est valde necessarius & vilissimus: ergo eorum Ministri ordinarij debent ordinariè conuersari cum aliis, & consequenter esse viatores. Non tamen omnes viatores sunt indifferenter Ministri omnium Sacramentorum, vt definit Concilium Tridentinum sess. 7. canone 10. sic: Si quis dixerit Christianos omnes in Verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit. Postea singulis Sacramentis proprios assignat Ministros; videlicet Confirmationi & Ordini solos Episcopos, saltem sine dispensatione. Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & extremæ Vnctioni, solos Sacerdotes. Baptismo propter necessitatem, omnes homines; ita tamen vt fideles infidelibus præferantur, viri mulieribus, & consecrati laicis. Matrimonio autem virum & fœminam contrahentes in ordine ad vinculum coniugale.

Probatur, & explicatur tertia pars conclusionis. Dicimus quòd si post mortem aliquis resurgeret, vt contigit aliquibus miraculosè, & esset iterum purus viator, de hoc nulla est difficultas: eadem quippe est ratio de ipso, ac de aliis viatoribus, vnde posset esse Minister ordinarius Sacramentorum. Si autem simul esset comprehensor, & viator, quomodò erat Christus: vel si solùm esset comprehensor, tunc curtit præsens difficultas: & dicimus quòd iste talis potest etiam de potentia Dei ordinaria esse Minister Sacramentorum, quamuis extraordinarius. Probatur authoritate D. Thom. hîc art. 7. ad 2. vbi sic ait: Sancti qui sunt in cælo, sunt similes Angelis quantùm ad participationem gloriæ: non autem quantùm ad conditionem naturæ: & per consequens neque quantùm ad Sacramenta: vnde D. Thom. concedit Beatis ratione naturæ humanæ, quòd possint esse Ministri Sacramentorum: & negat Angelis. Deinde, Beati conseruant Characterem indelebilem, essent visibiles & sensibiles in propria natura, possent habere intentionem conficiendi Sacramenta, si Deus præciperet, possent veram applicare materiam, & pronunciare vitaliter formam: sed nihil aliud requiritur, vt quis de potentia Dei ordinaria, siue iuxta institutionem Sacramentorum sit Minister ipsorum, saltem extraordinarius, vt patet discurrenti: ergo homines qui post mortem peruenerunt ad terminum, possunt esse Ministri extraordinarij Sacramentorum. Dicuntur autem Ministri extraordinarij, non quòd ad hoc opus sit potentia Dei extraordinaria, vel requiratur mutatio in Sacramentorum vsu: sicut opus esset ad hoc vt Angeli essent Ministri: sed quia soli viatores adhibentur ordinariè ad ministerium Sacramentorum: esset autem extra ordinarium vsum, si aliquis Beatus ad hoc adhiberetur.

Probatur quarta & quinta pars conclusionis, authoritate & ratione D. Thom. hîc art. 7. vbi sic ait: Sicut Deus virtutem suam non alligauit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligauit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis: Et quia boni Angeli sunt nuncij veritatis, si aliquod Sacramentale ministerium à bonis Angelis perficeretur, esset

esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate diuina, sicut quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata. Si verò dæmones, qui sunt spiritus mendaces, aliquod Sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

Ad primum ergo dicendum, quòd solùm procedit de facto, & de potentia Dei ordinaria, vt dictum est: secundùm quam soli homines sunt, & possunt esse Ministri Sacramentorum.

Ad secundum, dicendum, quòd si quis resurgeret, & viueret vita mortali, sicut viuebat Christus Dominus, posset recipere Sacramenta, quæ non repugnarent eius statui, si simul esset comprehensor & viator, vt Eucharistiam, sicut Christus Dominus eam recepit in vltima cœna: quamuis non reciperet, sicut nec recepit Christus, primarium & principalem eius effectum, videlicet gratiam Sacramentalem, vt probat ratio: reciperet tamen dulcedinem, & quendam saporem spiritualem proprium huic Sacramento; vnde aliud est recipere Sacramentum, & aliud recipere fructum Sacramenti. Deinde, dato quòd propter aliquam rationem non possit quis recipere Sacramenta, non inde sequitur quin ea non possit ministrare: nam Christus Dominus multa ministrauit Sacramenta, & nullum recepit præter Eucharistiam. Ad aliud, dicendum, quòd iurisdictio necessaria posset in tali casu de nouo concedi: Character autem, sicut & persona in qua est, licèt pertineret ad Ecclesiam triumphantem, deseruiret tamen Ecclesiæ militanti.

DVBIVM II.

Vtrùm intentio Ministri sit necessaria ad valorem Sacramentorum.

Svpponendum, est ex D. Thom. hic artic. 9. non requiri simpliciter fidem in Ministro ad validitatem Sacramenti, vt iam supra dictum est: vnde si quis Sacerdos hæreticus proferret verba Cõsecrationis super materiam debitam, etiam si dubitaret fieri consecrationem, tamen verè consecraret; dummodo intenderet facere id quod facit Ecclesia. De hoc habetur exemplum in materia Baptismi: legitur enim in vita S. Genesij, quòd cùm in derisionem Christianæ fidei, in publico theatro coram Imperatore, ritum baptizandi expressisset, vtique intendẽte Ministro facere quod faciebat Christianorum Ecclesia; cùm tamen illud non crederet, imò quasi insaniam derideret, verum confectum est Sacramentum, & miraculosa subsecuta est Conuersio Genesij, confessio fidei gloriosa, & inclytum martyrium.

Prima opinio negat intentionem Ministri esse necessariam ad valorem Sacramenti. Probatur authoritate sancti Augustini, & D. Thomæ. Sanctus Augustinus lib. 7. de vnico Baptismo contra Donatistas cap. 53. dicit expectandum esse diuinum iudicium, vtrùm sit validum Baptisma collatum per iocum. Et in cap. Spiritus Sanctus 1. quæst. 1. approbatur id de quo dubitauit Augustin. scilicet Baptisma collatum à S. puero Athanasio, qui per iocum baptizauit alios pueros: qui tamen non habebat intentionem baptizandi. D. Thomas autem hic art. 8. ad 2. dicit sufficere intentionem Ecclesiæ ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum: vnde nullam requirit intentionem ex parte Ministri. Deinde in responsione ad 3. docet intentionem habitualem sufficere ad perfectionem Sacramenti: constat autem quòd intentio habitualis non est propriè intentio, quia vt probatur 1. 2. quæst. 12. intentio propriè dicta importat actum; intentio autem habitualis nullum importat actum, sed tantùm importat subiectum benè dispositum ad faciendum id quod oportet: ergo intentio Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti.

Secundò; Si ad valorem Sacramenti necessaria est intentio Ministri, sequitur quòd nulla erit certitudo de valore ipsius, sicut nec potest esse certitudo de intentione Ministri; quod tamen est maximum inconueniens: nam semper essemus anxij, an simus baptizati, vnde nunquam essemus quieti: ergo intentio Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti.

Tertiò; Quando quis exercet actum externum nomine alterius, ad valorem illius actus non requiritur intentio exercentis; at illius tantùm cuius nomine exercet, vt constat in illo qui contrahit Matrimonium, tantùm vt procurator alterius: sed Minister exercet actus Sacramentales nomine Christi, qui determinauit materiam & formam Sacramentorum ad significandum independenter ab intentione Ministri, nec vllam ab illo exigit talem intentionem, at solùm præcepit vt adhiberet res sensibiles proferendo formam, iuxta illud August. Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum: ergo intentio Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti.

Quartò; Hæretici non intendunt facere quod facit vera Ecclesia, quæ est Romana Catholica; & tamen certum est quòd eorum Baptisma est validum: ergo intentio Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti; si enim aliqua esset necessaria, ad minus esset illa faciendi quod facit vera Ecclesia.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd intentio Ministri est omninò necessaria ad valorem Sacramenti. 2. Nec sufficit habitualis: 3. Sed debet esse vel actualis qua est optima; 4. Vel

saltem

ſaltem virtualis, 5. Quæ debet eſſe abſoluta, 6. Et durare toto tempore quo perficitur Sacramentum. Ita communiter docent Theologi, tam Diſcipuli D. Thom. quàm alij.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 7. canone 11. vbi ſic definitur: Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; anathema ſit. Vnde errant hæretici, qui volunt intentionem Miniſtri ſolùm debere ferri ſuper actum externum. Deinde probatur ex inſtitutione Chriſti Domini, qui hanc intentionem faciendi quod ipſe fecit, ſiue quod facit Eccleſia (idem enim ſunt) voluit eſſe in Miniſtris. Matthæi 26. dicitur Diſcipulis, hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis. Et 1. ad Corinthios 2. Hoc facite in meam commemorationem. Item Ioannis 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: quæ omnia important intentionem in Miniſtro, faciendi quod fecit Chriſtus. Denique probatur ratione D. Thom. hîc art. 8. vbi ſic ait: Quando aliquid ſe habet ad multa: oportet quòd per aliquid determinetur ad vnum, ſi illud effici debeat: ea verò quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diuerſimodè agi, ſicut ablutio aquæ quæ fit in Baptiſmo, poteſt ordinari & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad multa alia huiuſmodi: Et ideo oportet quòd determinetur ad vnum, id eſt ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba quæ in Sacramentis dicuntur: putà cùm dicit; Ego te baptizo in nomine Patris &c. natura quippe eſt inſtrumenti animati, quòd vitaliter cooperetur principali agenti; & ſi ſit inſtrumentum agens ex deliberatione, quòd concurrat cum deliberatione, & ſuam intentionem intentioni principalis agentis conformet: vnde cùm Miniſter Sacramentorum ſit agens cum deliberatione, & vt tale concurrat ex inſtitutione Chriſti, quæ apparet in formis Sacramentorum, quæ important actum ex deliberatione procedentem: ſequitur quòd debet conformare ſuam intentionem intentioni Chriſti, qui comparatione ipſius eſt principale agens modo ſupra explicato: vnde præter intentionem Chriſti, requiritur intentio Miniſtri, vt determinetur actio Sacramentalis ad effectum ipſius Sacramenti.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Intentio habitualis in præſenti materia, eſt procliuitas ad conficienda Sacramenta, ex frequenti eorum collatione acquiſita: ſed hæc procliuitas non eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti; nam Sacramenta debent adminiſtrari humano modo, ad quem non ſufficit hæc procliuitas, cùm experientiâ conſtet aliquos procliues ad quaſdam actiones, eas exercere inter dormiendum, vel in amentia, & ebrietate: ergo ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio habitualis Miniſtri.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Thom. hîc art. 8. ad 3. vbi ſic ait loquens de intentione requiſita Miniſtri: Quamuis ſtudioſè curare debeat Sacramenti Miniſter, vt etiam actualem intentionem habeat: vnde eſt optima, maximè quia virtualis intentio quæ poteſt ſufficere, fundatur aliquo modo in actuali, & ab illa habet ſuam efficaciam. Quòd autem intentio actualis non ſit abſolutè neceſſaria, docet ibidem D. Thom. vnde ſubiungit: Sed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate: quia præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare: vnde ſi eſſet abſolutè neceſſaria intentio actualis Miniſtri, raró conficeretur Sacramentum. Deinde, quia in aliis omnibus ſufficit intentio virtualis, quæ eſt virtus actualis, & cum illa res fiunt humano modo: ergo etiam ſufficiet in vſu Sacramentorum, & non requiritur de neceſſitate actualis.

Probatur & explicatur quarta pars concluſionis; Dicimus igitur, quòd debet præceſſiſſe aliquis actus circa adminiſtrationē Sacramentorum, vel in particulari, vel in communi, cuius virtute ſubſequens adminiſtratio cenſeatur voluntaria, & ex intentione facta: quòd autem hoc ſufficiat iam probatum eſt.

Probatur quinta pars concluſionis: Sacramenta ſunt ſigna practica, vt dictum eſt, id eſt quantùm eſt ex parte ſui, efficiunt quod ſignificant; ac proinde efficiunt de præſenti, quia ſignificant de præſenti: ergo cùm ad eorum valorem ſit neceſſaria intentio Miniſtri, hæc debet eſſe abſoluta, quia conditio ſuſpendit actum. Poteſt tamen fieri quòd aliqua conditio apponatur de præterito, vel de præſenti, quæ non ſuſpendat actum, vt; Si ſis contritus, te abſoluo &c. vnde quando apponitur ſimilis conditio, non tollit quin intentio ſit valida & quodammodo abſoluta: Conditio de futuro ordinariè ſuſpendit actum, & ideo inualidat Sacramentum, vt ſi quis diceret; Si facias hoc, te abſoluo.

Probatur ſexta pars concluſionis. Tota actio Sacramentalis debet fieri modo humano, vt dictum eſt, ad hoc vt ſit valida: ſed niſi duret intentio toto tempore quo perficitur Sacramentum; talis actio non ſit modo humano, vt patet; cùm fieri modo humano ſit fieri ex deliberatione: ergo intentio debet durare toto tempore quo perficitur Sacramentum: Maximè quia intentio requiritur ad effectum Sacramenti, Sacramentum autem non cauſat ſuum effectum niſi quando eſt perfectum; vnde illud, dum completur ſignificatio, in virtute præcedentium cauſat: & ita donec ſit completa talis ſignificatio, debet perſeuerare intentio Miniſtri.

Ad primum ergo dicendum, quòd quia non

sumus certi, an ille qui administrat Sacramenta per iocum, habeat intentionem; & ideo benè dixit S. Augustinus quòd est expectandum diuinum iudicium: Quia verò S. Athanasius adhuc puer declarauit se habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, baptizando inter iocum; ideo Alexander Episcopus Alexandrinus, iudicauit talem Baptismum esse validum. Ad D. Thom. dicendum, quòd in primo loco tantùm vult, quòd sufficit vt Minister habeat tunc virtualem intentionem faciendi quod facit Ecclesia; & quòd non requiritur particularis alia intentio. In secundo autem loco pro intentione habituali, quæ tunc sic vocabatur, intelligit virtualem, vt patet ex ipso textu; nam statim subdit: putà cùm Sacerdos accedens ad baptizandum; intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia: quod sine dubio importat intentionem virtualem.

Ad secundum, dicendum, quòd verum est non haberi certitudinem physicam de valore Sacramenti; benè tamen moralem, quæ sufficit ad quietem conscientiæ: maximè cùm possimus iustificari propter votum Sacramenti.

Ad tertium, dicendum, quòd Christus Dominus voluit, vt Minister Sacramentorum concurreret sua intentione ad perfectionem eorum, vt constat ex eorum formis: in aliis autem contractibus non semper requiritur intentio contrahentis, quando solùm est procurator alterius: sufficit enim quòd exteriùs significet intentionem illius, cuius nomine contrahit.

Ad quartum, dicendum, quòd hæretici verè intendunt facere quod facit vera Ecclesia, licèt decipiantur in hoc, quòd suam congregationem veram credant esse Ecclesiam.

DVBIVM III.

Vtrùm bonitas Ministri sit necessaria ad valorem Sacramenti.

Svpponendum est, multa requiri in Ministro Sacramentorum, vt sit & dicatur bonus: videlicet bona vita, fides vera, recta intentio & potestas: si vnum ex istis desit, iam non est bonus Minister. Sed hîc in præsenti, nomine boni Ministri, intelligimus eum qui est incorporatus Christo per gratiam: vnde sensus difficultatis est, vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur, quòd Minister sit in gratia: de hac enim tantùm bonitate Ministri superest agendum: nam vtrùm in eo requiratur vera fides, & recta intentio ad valorem Sacramenti, iam determinatum est dubio præcedenti. Quòd autem in eo requiratur potestas, nulli dubium esse potest.

Prima opinio, siue error asserit requiri absolutè, & non tantùm ad melius esse, bonitatem Ministri ad valorem Sacramenti. Ita tenuerunt aliqui antiqui Hæretici, dicentes Baptisma collatum ab Hæreticis non esse validum, & baptizandos iterùm eos qui fiebant Catholici: hoc aliquando tenuit S. Cyprianus, sed postea retractauit. Idem tenent aliqui moderni Hæretici, dicentes peccatorem non conficere verum Sacramentum. Probatur authoritate Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Exodi 11. dicitur: Sanctificentur Sacerdotes, ne percutiam eos. Isaiæ 52. & Ecclesiastici 34. Ab impio quis mundabitur. Item qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius. Malachiæ 1. Maledicam benedictionibus vestris. Et tandem Ioannis 20. Christus Dominus instituens Apostolos suos Sacerdotes, ait: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: ex quibus apparet necessariam esse bonitatem Ministri ad valorem Sacramenti. Quod expressiùs docet S. Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 21 vbi dicit, quòd Deus non confert gratiam per malos Ministros, sed per seipsum, vel per sanctos suos quibus ipse dixit; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et lib. 3. de Baptismo cap. 18. loquens de malis Ministris sic ait: Remissam tamen peccatorum non dabant: Ergo bonitas Ministri est necessaria ad valorem Sacramenti.

Secundò; ex opposito sequuntur multa inconuenientia. Primum, quòd actio peccaminosa & sacrilega, qualis est peccatoris administrantis Sacramentum, causaret gratiam. Secundum, quòd Deus concurreret, imò applicaret ad illam actionem, concurrit enim ad Sacramentum vt causa principalis. Tertium, quòd esset salus extra Ecclesiam, nam posset quis recipere validè Sacramenta ab Hæreticis. Nec vllum sequitur inconueniens ex hac positione: si enim aliquod esset, maximè quia sicut sumus incerti de bonitate Ministri, sic essemus incerti de validitate Sacramenti, & ita esset confusio in Republica Christiana: hoc autem non est tale inconueniens, quin debeat admitti aliud simile circa intentionem Ministri, quo tamen non obstante dicitur esse necessaria ad valorem Sacramenti: ergo idem, & eadem ratione dicendum est de bonitate Ministri.

Tertiò; melior Minister confert maiorem gratiam in vsu Sacramentorum, vt communiter conceditur: ergo debet simpliciter esse bonus Minister, vt gratiam conferat, & consequenter ad valorem Sacramenti; nam sicut se habet magis ad magis, ita se habet simpliciter ad simpliciter.

Conclvsio.

Respondeo dicendum secundùm fidem, quòd ad valorem Sacramenti non requiritur bonitas Ministri, siue non requiritur vt sit in gratia: vnde Sacramenta collata à peccatoribus & hæreticis sunt valida, dũmodo alia requisita adsint. Ita cõmuniter docent omnes Theologi.

Probatur

Probatur conclusio authoritate Concilij Tridentini sess. 7. canone 12. vbi eam sic definit: Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit. Item de Baptismo, canone 4. vbi sic ait: Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit. Deinde probatur communi consensu totius Ecclesiæ, qui creditur procedere ex traditione Apostolica, vnde S. Augustinus super illud Ioannis 1. Super quem videris Spiritum &c. ait: Quid non nouerat Ioannes? potestatem Baptismi ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum: sed ministerium planè transiturum in bonos & malos. Quid tibi facit malus Minister, vbi bonus est Dominus? & tractatu 5. in Ioannem ait: Dico ego, Et dicimus omnes, iustos oportet esse eos, per quos baptizamur, si autem noluerint esse iusti, securum me facit magister meus de veritate Baptismi, de quo Spiritus Sanctus dicit; Hic est qui baptizat.

Secundò probatur duplici ratione. Prima est D. Th. hîc art. 5. Sacramenta sunt signa practica gratiæ, causatiua ex opere operato, quorum tota efficacia procedit à passione Christi Domini, ad quorum operationem Minister concurrit tantùm vt instrumentum: sed instrumentum vt sic, non agit secundùm propriam formam & virtutem, sed secundùm virtutem eius à quo mouetur; quod maximè verū est in instrumentis quę non concurrunt connaturaliter, sed assumuntur ad effectus supernaturales, qualia sunt Sacramenta; & ideo accidit instrumento in quantum instrumentum est, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti: ergo Ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre etiam si sint mali, & consequenter bonitas Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti. Secunda desumitur ex inconuenienti, quod ex opposito sequeretur: nullus esset certus, etiam certitudine morali, de valore Sacramentorum: non Minister, qui nescit, an odio, an amore dignus sit, nullus enim scit se esse in gratia: & Scriptura dicit; De propiciato peccato noli esse sine metu: nec suscipiens, cùm nullus possit aliorum conscientiam penetrare, cor enim hominis est inscrutabile: vnde esset maxima turbatio & confusio in Republica Christiana: ergo bonitas Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti. Hæ duæ rationes sunt optimæ congruentiæ, supposita institutione diuina.

Tertiò, probatur specialiter contra Hæreticos. Multi sunt qui baptizantur à malis Ministris; & tamen si quis Apostata deflectat ad Hæreticos, non iterùm baptizatur ab ipsis: ergo vel deberet baptizari, vel debet concedi quòd Baptismus habuit suum valorem: ac proinde bonitas Ministri non est necessaria ad valorem Sacramenti.

Ad primum ergo, dicendum, quòd in illo loco Exodi nihil aliud habetur, quàm quòd sit necessaria sanctificatio Sacerdotibus, ad hoc vt licitè exequantur sua officia, ne propter sacrilegium puniantur à Deo: non autem ad hoc vt Sacramenta sint valida. In secundo autem loco Ecclesiastici solùm intenditur, quòd Minister impius ex opere operantis non potest alium mundare: benè tamen poterit ex opere operato ipsius Sacramenti. In tertio loco non fit sermo de lauacro Baptismi, sed de lauacro Iudaico, vt ait S. Augustinus, lib. 2. contra Cresconium cap. 24. vbi sic explicat: Ille qui tetigit mortuum, & contraxit irregularitatem legalem, non sanctificat secundùm Legem eum quem lauat. In illo Malachiæ solùm habetur, actiones mali Ministri in vsu Sacramenti, vt sunt ab ipso, esse abhominabiles coram Deo, cùm sint sacrilegia: non quòd Sacramenta non sint valida. Ex illo S. Ioannis tantùm colligitur esse necessariam bonitatem in Ministro, ad hoc vt dignè & licitè administret Sacramenta, non autem vt validè conficiat. Augustinus autem loquitur de malis Ministris formaliter, qui scilicet non apponunt necessaria ad Sacramentum, vt erant Arriani: vt etiam loquitur de gratia, quæ datur modo statim explicando ex opere operantis Ministri; & maximè in secundo loco, nam post illa verba; Remissam peccatorum non dabant, subiungit; Quæ per orationes Sanctorum, idest per columbæ gemitus datur.

Ad secundum, dicendum, quòd licèt illa actio sit peccaminosa, vt procedit à Ministro deficiente, tamen vt procedit à Deo causa prima est bona entitate sua naturali, & illa eleuatur à Deo ad causandam gratiam. Ad aliud similiter dicendum, quòd Deus concurrit ad illam actionem quantùm ad entitatem naturalem, quæ est bona, non autem quantùm ad defectum quem habet ex parte Ministri deficientis. Ad aliud, dicendum, quòd licet Hæretici sint secundùm se extra Ecclesiam; tamen ad Ecclesiam pertinent, in quantùm assumuntur à Christo, qui est caput Ecclesiæ, vt instrumenta ad causandam gratiam, & sic verificatur quòd extra Ecclesiam non est salus. Ad aliud, dicendum, quòd potest haberi maior certitudo de recta intentione Ministri, quàm de eius bonitate; nam ipse Minister scit certitudine physica se habere intentionem, non autem scit se habere gratiam nisi coniecturaliter: Deinde ipse suscipiens est etiam magis certus de ipsa intentione recta Ministri, quàm de bonitate, nam etiam qui videntur boni, aliquando peccant: quòd autem aliquis non habeat debitam inten-

tionem, solùm prouenit ex pura malitia, & peruersitate quæ rarò accidit; vnde ex hoc non sequitur turbatio, & confusio in Christiana Republica, sicut sequeretur ex alio.

Ad tertium, dicendum, quòd melior Minister confert quidem maiorem gratiam aliquando suscipientibus Sacramenta, sed nunquam ex opere operato ipsius Sacramenti; siue non facit immediatè quòd Sacramentum conferat maiorem gratiam ex opere operato: vnde nec bonitas Ministri facit simpliciter quòd Sacramentum conferat gratiam, & ita non est simpliciter necessaria ad valorem Sacramenti. Quomodò autem melior Minister cōferat maiorem gratiam suscipienti Sacramentum, sequenti dubio examinabitur.

DVBIVM IV.

Vtrùm melior Minister conferat maiorem gratiam suscipientibus Sacramenta.

SVpponendum est ex dictis supra, quòd singula Sacramenta nouæ Legis habent ex institutione Christi Domini causare determinatam gratiam ex opere operato, independenter à dispositione suscipientium, maiorem, vel minorem iuxta propriam perfectionem, ita vt perfectius Sacramentum maiorem sic conferat gratiam. Insuper habent causare maiorem gratiam ex opere operato, quàm causarent, quando applicantur subiecto magis disposito: vnde qui concurrit ad dispositionem subiecti, etiam concurrit ad hoc quòd Sacramenta causent in illo maiorem gratiam.

Prima opinio negat absolutè, quòd melior Minister conferat maiorem gratiam suscipientibus Sacramenta. Probatur, S. Paulus Apostolus arguit Corinthios, quia inter eos aliqui gloriabantur se Baptizatos ab ipso, alij ab Apollo, alij à S. Petro: sed si melior Minister conferret maiorem gratiam, posset iustè gloriari, qui à meliore Ministro Sacramenta suscepisset; & malè argueretur qui de hoc gloriaretur: ergo melior Minister non confert maiorem gratiam suscipientibus Sacramenta.

Secundò, Sancti Patrês dicunt Sacramenta æquè esse fructuosa, quando suscipiuntur à malis Ministris, ac quando suscipiuntur à bonis: & Sanctus Gregorius Nazianzenus comparat bonum Ministrum sigillo aureo, & malum sigillo ferreo: constat autem quòd vtrumque sigillum æquè imprimit figuram: ergo mali, boni, & meliores Ministri æqualem conferunt gratiam suscipientibus Sacramenta.

Tertiò, ex D. Thom. hîc artic. 5. Minister Sacramentorum, cùm habeat rationem instrumenti, non agit secundùm propriam formam & virtutem; at tantùm secundùm virtutem receptam à principali agente, à quo mouetur: ergo cùm omnes Ministri æqualiter moueātur, vt ibidem asserit D. Thom. melior Minister, qui habet maiorem virtutem, non conferet maiorem gratiam suscipientibus Sacramenta.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd bonitas Ministri confert aliquid suscipientibus Sacramenta: vnde melior Minister confert maiorem gratiam: 2. Non tamen semper & cuicumque, 3. Nec ex opere operato, immediatè; 4. Quia non efficienter, at impetratoriè mediatè illam confert. Hæc conclusio est satis communis: hanc docet D. Thom. hîc art. 1. ad 2. vbi inter alia dicit: Effectus Sacramenti non impetratur oratione Ecclesiæ vel Ministri; sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in Sacramentis: vnde effectus Sacramenti non datur melior propter meliorem Ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per deuotionem Ministri: nec tamen Minister illud operatur: sed impetrat operandum à Deo.

Probatur prima pars conclusionis. In vsu Sacramentorum adhibentur orationes, quas profert Minister, non solùm in persona Ecclesiæ, sed etiam in propria persona: ergo cùm orationes bonorum prosint extra Sacramenta, & meliorum plus prosint, etiam plus proderunt in vsu Sacramentorum: vnde videmus quòd meliores Ministri semper quęruntur, & quòd sit communis sensus fidelium, quòd à meliori Ministro maiorem fructum Sacramenti suscipimus, si eorum precibus adiuuemur.

Probatur secunda pars conclusionis. Melior Minister solùm causat maiorem gratiam, impetrando suis meritis, vt statim dicetur: sed non possumus de condigno mereri pro aliis; hoc enim proprium est Christi, in quantum est caput Ecclesiæ habens meritum: vnde Deus non tenetur intuitu meritorum vnius dare gratiam alteri de condigno & ex iustitia; at tantùm aliquando de congruo, siue ex quadam decentia: ergo melior Minister non confert maiorem gratiam semper, & cuicunque

Probatur tertia pars conclusionis argumentis in contrarium adductis, quæ hanc partem efficaciter probant. Si dicatur quòd melior dispositio suscipientis confert ad hoc, vt conferatur maior gratia ex opere operato: vnde etiam poterit conferre melior dispositio Ministri: Respondetur esse disparitatem; quia vt dictum est, omnis causa efficacius operatur in subiecto meliùs disposito, & hoc connaturaliter: sed non semper per melius instrumentum secundùm entitatem & alias rationes impertinentes ad actionem instrumentalem, fit perfectior effectus: bonitas autem personalis Ministri est impertinens ad actionem Sacramentalem, cùm simpliciter ad eam non requiratur, vt dictū est.

Probatur

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis: Dicimus quòd bonus Minister suis meritis, & precibus impetrat à Deo auxilia efficacia diuinæ gratiæ illi, qui ab ipso suscipit Sacramentum, quibus disponitur meliùs ad suscipiendum Sacramentum, si sit adultus, propter quam meliorem dispositionem Sacramentum causat in illo maiorem gratiam ex opere operato: ad quam consequenter ipse Minister concurrit remotè & mediatè; non quidem efficienter, at tantùm impetratoriè. Si suscipiens autem sit paruulus, licèt bonus Minister non impetret illi aliqua diuina auxilia tunc danda, cùm non sit capax dispositionis ad quam dantur; tamen impetrat illi auxilia diuina suo tempore conferenda, & illi profutura. Hoc posito probatur: Sunt tantùm duo modi causandi efficienter & immediatè gratiam in vsu Sacramentorũ. Primus est ex opere operato, qui correspondet virtuti ipsius Sacramenti. Secundus est ex opere operantis, qui respondet præcisè operi & dispositioni ipsius suscipientis Sacramentum: sed ad neutrum istorum posset reduci efficientia immediata Ministri, vt patet ex modò dictis: ergo melior Minister non efficienter, at impetratoriè mediatè confert maiorem gratiam. Et per hæc patet responsio ad obiecta, quæ tantùm probant meliorem Ministrum non causare maiorem gratiam ex opere operato, aut efficienter immediatè: sed non probant quòd non causet impetratoriè mediatè.

DVBIVM V.

Vtrùm Minister concurrat physicè, tam ad virtutem Sacramentalem, quàm ad effectum Sacramenti.

SVpponendum est ex dictis supra, communicari Sacramentis in ipso eorum vsu aliquam virtutem spiritualem supernaturalem, quâ eleuantur ipsa Sacramenta ad causandam gratiam, principalem effectum; & aliqua etiam ad causandum Characterem. In præsenti quærimus, vtrùm talis virtus immediatè communicetur à Deo ipsis Sacramentis, & mediâ illâ Sacramenta causent suum effectum; ita vt Minister sit tantùm applicans ipsa Sacramenta. Vel vtrùm illa virtus communicetur Sacramentis à Deo, concurrente physicè ad hoc Ministro, & consequenter etiam concurrente physicè ad effectum Sacramenti.

Prima opinio negat Ministrum concurrere physicè ad virtutem Sacramentalem, & consequenter ad effectum Sacramenti. Hanc opinionem debent tenere illi, qui dicunt Sacramenta esse tantùm instrumenta moralia, negant enim istam virtutem. Similiter illi qui docent hanc virtutem esse identificatam cum entitate naturali Sacramentorum, vel consistere in pura subordinatione Sacramentorum ad Deum; cùm enim Minister non concurrat ad entitatem naturalem Sacramentorum, naturaliter Deo subordinatam, nec concurrit ad virtutem Sacramentalem. Hanc etiam tenent alij aliis titulis. Probatur; Si Minister concurreret physicè ad hanc virtutem Sacramentalem, & ad effectum Sacramenti, vel concurreret principaliter, vel tantùm instrumentaliter: sed neutro modo concurrit; non principaliter, quia solus Deus est causa principalis gratiæ, & consequenter virtutis causatiuæ gratiæ; nec instrumentaliter, quia non datur instrumentum instrumenti: constat autem quòd Minister applicat Sacramenta quæ sunt instrumenta: deinde Minister mouet se ex deliberatione ad operandum in Sacramentis, quando vult, & quantum vult, quæ repugnant instrumento quod solùm petit moueri; & indicant causam principalem saltem moralem: ergo Minister non concurrit physicè ad virtutem Sacramentalem, nec ad effectum Sacramenti.

Secundò: vt Minister concurrat physicè ad virtutem Sacramentalem, & ad effectum Sacramenti, debet eleuari per aliquid supernaturale additum, cùm talis virtus excedat potentiam naturalem ipsius Ministri; debet etiam habere gratiam & characterem, cùm talis virtus sit intentio gratiæ & characteris: sed sæpe Minister non eleuatur per aliquid supernaturale, nec semper habet gratiam & characterem, putà quando est hæreticus: ergo Minister non concurrit physicè ad virtutem Sacramentalem, nec ad effectum Sacramenti.

Tertiò; saltem in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non concurrit Minister ad virtutem Sacramentalem; hanc enim Christus immediatè communicat speciebus Sacramentalibus, cùm ibi sit præsens sacra eius humanitas, quæ est instrumentum coniunctum diuinitatis: ergo vniuersaliter loquendo Minister non concurrit physicè ad virtutem Sacramentalem, nec ad effectum Sacramenti.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Minister non solùm applicat Sacramenta; sed etiam dat illis virtutem causatiuam gratiæ, 2. Concurrendo ad ipsam physicè vt instrumentum Dei, non autem vt causa principalis: 3. Similiter concurrit physicè instrumentaliter tantùm ad effectum Sacramenti. Ita communiter docent omnes Discipuli D. Thomæ.

Probatur prima pars conclusionis. Minister verè & propriè causat effectum Sacramenti, scilicet gratiam, & characterem, vt omnes concedunt, & exprimunt ipsæ formæ Sacramentorum, Ego te baptizo: Ego te absoluo &c. in quibus dicitur Minister causare hos effectus mundandi à peccato originali, & actualibus; quod

non facit nisi causando gratiam. Sed non potest intelligi quomodo Minister causet verè & propriè effectum Sacramenti, nisi admittatur quòd dat virtutem Sacramentis; non enim potest dici propriè causare effectum Sacramenti, quia conficit Sacramentum; quia hoc est tantùm metaphoricè & impropriè causare, nisi intelligatur illi communicare virtutem causatiuam. Nec potest dici propriè causare effectum Sacramenti, qui applicat Sacramentum ad causandum, quia applicans tantùm causam ad agendum non est propriè causa effectus, sed est tantùm conditio sine qua non; propterea communiter negatur, quòd ille qui solùm administrat Sacramentum Eucharistiæ, sit causa gratiæ quæ in eius sumptione confertur: ergo Minister non solùm applicat Sacramenta, sed etiam dat illis virtutem causatiuam gratiæ. Quod maximè debet concedi, quia cedit in dignitatem Ministri.

Probatur secunda pars conclusionis ex dictis supra, dubio 3. præcedentis disputationis, vbi dictum est puram creaturam non posse concurrere ad effectum Sacramenti qui est gratia, per modum causæ principalis saltem physicæ: de quo etiam aliquid statim dicetur: ergo Minister concurrendo physicè ad virtutem Sacramentalem causatiuam gratiæ, est instrumentum Dei, & non causa principalis; si enim daret hanc virtutem vt causa principalis, verè etiam causaret gratiam vt causa principalis, non enim Deus est aliter causa principalis gratiæ Sacramentalis, nisi quia dat vt causa principalis ipsis Sacramentis virtutem causatiuam gratiæ.

Probatur tertia pars conclusionis. Effectus Sacramenti est gratia Sacramentalis, & etiam Character: sed ad neutrum Minister concurrit vt causa principalis, etiam moralis, at tantùm vt instrumentum Dei. Quòd non concurrat vt causa principalis physica ad gratiam, iam supra ostensum est ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & ratione. Quòd neque ad Characterem, probatur; quia Character Ministri est virtus instrumentaria, quâ subordinatur Christo principali Ministro, vt sit potens concurrere ad actiones Sacramentales; maximè quia talis Character habet pro effectu primario gratiam, quam causat in substantia animæ; & pro secundario Characterem quem causat in intellectu suscipientis Sacramentum, per eandem actionem indiuisibilem, & vtriusque immediatè productiuam in eodem instanti reali, quamuis in diuersis instantibus naturæ. Quòd non sit causa principalis moralis, probatur; causa moralis principalis est illa quæ sibi determinat & eligit media ad operandum, ac ex propria scientia & propria deliberatione ordinat ea ad finem: sed Minister ad actionem Sacramentalem concurrens non determinat, nec eligit media ad libitum, scilicet ipsa Sacramenta, at illis omninò determinatis à Christo Domino tenetur vti, vt patet, si enim alia media assumeret, non conficeret Sacramenta: ergo Minister non concurrit vt causa principalis, etiam moralis ad effectum Sacramenti. Quòd autẽ concurrat physicè instrumentaliter saltem mediatè, probatur; concurrit physicè instrumentaliter immediatè ad virtutem causatiuam effectus Sacramentalis, vt dictum est: ergo mediis ipsis Sacramentis producit physicè instrumentaliter ipsum effectum Sacramentalem; quia quod est causa causæ, est causa causati.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Minister concurrit tantùm instrumentaliter ad virtutem Sacramentalem. Et ad probationes in contrarium, dicendum ad primam, quòd ad eundem effectum possunt concurrere multa instrumenta subordinata: & ita concurrunt in præsenti humanitas Christi vt instrumentum coniunctum, Minister vt instrumentum separatum applicans Sacramenta, & tandem ipsa Sacramenta. Ad secundam, dicendum, quòd cùm Minister sit instrumentum animatum, non mirum quòd se moueat ex deliberatione ad operandum in Sacramentis: sed tamen quia eius operatio secundùm propriam virtutem non potest producere id quod producitur, at tantùm virtute diuina ipsam eleuante; ideo non est causa principalis effectus Sacramenti, sed tantùm est instrumentum.

Ad secundum, dicendum, quòd Minister Sacramenti eleuatur per motionem diuinam supernaturalem, quamuis sit hæreticus, ad producendum hanc virtutem in Sacramentis, & etiam effectum Sacramenti: quando autem Sacramentum requirit in Ministro potestatem spiritualem, tunc in Ministro debet esse Character, quo constituitur in actu primo: & in illo casu hæc virtus Sacramentalis est intentio Characteris; aliàs est solùm intentio motionis diuinæ, à qua procedit. Pro quo sciendum est, esse duplicem Ministrum in Sacramentis; vt in Baptismo, alius dicitur Minister necessitatis; & hic eleuatur per motionem actualem, nec præsupponitur eleuatus in actu primo: (quamuis etiam possit dici quòd quando adest tantùm Minister necessitatis, tunc virtus quæ est in Sacramentis, procedit immediatè à Deo, & non mediante Ministro vt occurrente ad eam physicè) Alius dicitur Minister ordinarius siue solemnitatis; & hic est solus Sacerdos, qui præsupponitur eleuatus in actu primo per suum Characterem: nunquam autem virtus Sacramentalis dicitur intentio gratiæ, quasi necessariò prærequirat gratiam habitualem in Ministro, à qua procedat.

Ad tertium, dicendum, quòd verus Minister sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, non est ille qui dispensat, sed ille qui consecrat: hic enim dat virtutem formæ, quæ ponit sub

speciebus

speciebus Sacramentalibus Corpus & Sanguinem Christi Domini, à quo postea emanat in ipso vsu Sacramenti, virtus causatiua gratiæ, quæ est in sacris illis speciebus: vnde hæc virtus semper emanat physicè ab ipso Ministro, quamuis tantùm mediatè: & ita vniuersaliter est verum, quòd Minister concurrit physicè instrumentaliter ad virtutem Sacramentalem, & ad effectum Sacramenti.

DVBIVM VI.

Vtrùm Minister, qui existens in peccato mortali conficit, vel administrat Sacramenta, peccet.

SVpponendum est, duplicem esse Ministrum Sacramentorum: vnus dicitur Minister ordinarius siue solemnitatis; sic dictus, quia ratione consecrationis habet ex officio conficere, & ministrare Sacramenta. Alius dicitur Minister extraordinarius, & necessitatis; sic dictus, quia confert Sacramentum, tantùm vt subueniat extremæ necessitati: & hic reperitur tantùm in Sacramento Baptismi; vnde non illud administrat ex officio.

Prima opinio Durandi asserit absolutè, quòd vterque Minister peccet mortaliter, si ministret Sacramenta in peccato mortali. Probatur; Est de iure naturæ, quòd Sancta sunt sanctè tractanda: sed quicumque Minister, qui in peccato mortali existens ministrat Sacramenta, tractat Sancta non sanctè: ergo peccat contra ius naturæ, & ita mortaliter.

Secunda opinio aliorum omninò opposita asserit, quòd neuter Minister peccet, si conficiat, vel ministret Sacramenta in peccato mortali. Probatur; Si quæ ratio contrarium suaderet; maximè duplex quæ assignatur à D. Thom. hîc art. 6. Prima quidem, quia est ad irreuerentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, si ex dictamine naturæ hæc Sancta non tractentur sanctè. Secunda autem, quia Minister debet Domino conformari; malus autem Minister non conformatur Deo & Christo Domino, qui sunt iusti & sancti: Sed neutra ratio illud suadet. Non prima; quia ex illa sequeretur, quòd nullus existens in peccato mortali posset orare, facere eleemosinam, & similia opera Charitatis; quæ sunt etiam Sancta & sanctè tractanda. Nec secunda; quia ex illa sequeretur, quòd quilibet Minister Ecclesiæ peccaret exercens suum officium in peccato mortali, vt Episcopus consecrando Chrisma, conficiendo Oleum infirmorum; Diaconus dicendo Euangelium, & prædicando, & sic de aliis Ministris inferioribus: imò etiam peccarent fideles Baptizati, & Confirmati profitendo fidem in statu peccati mortalis; omnes enim isti agunt vt Ministri Christi; & ex illa ratione, cùm non conformentur Domino, peccarent; quod tamen communiter negatur: ergo neuter Minister peccat, si conficiat, vel ministret Sacramenta in peccato mortali: maximè cùm nullum sit præceptum diuinum, aut naturale circa hoc.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Minister quidem necessitatis non peccat ministrando Sacramenta in peccato mortali: 2. Benè tamen Minister solemnitatis peccat mortaliter conficiens Sacramentum, siue exercens actionem Sacramentalem, quæ sit Sacramentum, vel pars Sacramenti: 3. Sicut & ministrans sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; dummodo sciat se esse in peccato mortali; 4. Non tamen committit duo peccata; vnum commissionis, quod est sacrilegium; & aliud omissionis, per hoc quòd non sit in gratia, cùm teneatur: 5. Vnde iste talis, vt debitè conficiat & ministret Sacramenta, debet conteri, vel confiteri. Ita docet D. Thom. hîc art. 6. & communiter eius Discipuli.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc art. 6. ad 3. vbi sic ait: In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare: sic enim patet, quòd non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subueniret necessitatem patienti: secus est autem in aliis Sacramentis; quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus. Deinde, ex duplici capite requiritur bonitas Ministri in vsu Sacramentorum, ita vt vtrumque concurrat partialiter; videlicet quia exercet actionem Sacramentalem, quæ cùm sit sancta, debet esse à Ministro sancto; & quia hoc facit ex officio, in quantum Minister, debet conformari Domino; sed Minister necessitatis non habet ex officio ministrare Sacramenta; & necessitas extrema potest dispensare ex indulgentia diuina, quæ non deficit in necessariis, sed nostris succurrit necessitatibus: ergo Minister necessitatis non peccat ministrando Sacramenta in peccato mortali.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate & ratione D. Thom. hîc art. 6. vbi eam sic proponit: Aliquis in agendo peccat, ex hoc quòd operatur non secundùm quod oportet, vt patet per Philosophum in lib. Ethicor. Dictum est autem conueniens esse, vt Sacramentorum Ministri sint iusti, quia Ministri debent Domino conformari; secundùm illud Leuitici 19. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum: & ideo non est dubium, quin mali exhibentes se Ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantùm est ex parte ipsius peccatoris, (licèt Sacramenta secundùm se

se ipsa incontaminabilia sint) consequens est quòd tale peccatum ex genere suo sit mortale. Hæc ratio fundatur in hoc principio naturali, quòd Sancta sunt sanctè tractanda, maximè ab his qui hæc debent tractare ex officio: nec adest extrema necessitas quæ dispenset: ergo Minister solemnitatis peccat mortaliter, conficiens Sacramentum, siue exercens actionem Sacramentalem, quæ sit Sacramentum, vel pars Sacramenti. In aliquibus enim Minister actionem exercet quæ est totum Sacramentum, vt quando ipse adhibet tam materiam, quàm formam, vt in Baptismo, Confirmatione &c. In aliis verò talis actio est tantùm pars Sacramenti, vt quando solùm adhibet formam, vt in Pœnitentia; vel solam materiam, vt in Matrimonio primus contrahentium qui præbet consensum.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate S. Dionysij, & D. Thomæ. S. Dionysius primo capite Ecclesiasticæ Hierarchiæ ait: quòd malis non est fas nec tangere symbola, idest Sacramentalia signa: ergo multò minus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Idem docet in epistola ad Demophylum, vbi ait: Talis, scilicet peccator, audax videtur, Sacerdotalibus manum apponens, & non timet, neque verecundatur, diuina præter dignitatem exequens: & Deum putans ignorare quod ipse in seipso cognouit: & decipere æstimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, & audet immundas infamias (non dicam orationes) super diuina signa Christiformiter enunciare. D. Thomas autem hic art. 6. ait: Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se Ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum, peccent: vbi refert peccatum hoc ad indignam dispensationem Sacramentorum: dispensatio autem in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, est ipsa eius ministratio. Deinde; qui suscipit sanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtum in peccato mortali, peccat mortaliter: ergo & qui ministrat ex paritate rationis, nam vterque in hoc deficit, quòd Sancta non tractat sanctè. Denique; confectio sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti est propter ministrationem, idest ad hoc conficitur in Ecclesia, vt ministretur fidelibus: ergo ministrans sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in peccato mortali, peccat mortaliter.

Probatur quarta pars conclusionis. Quotiescumque aliquis obligatur ad aliquid per respectum ad aliud, non peccat duplici peccato, si peccet in illud, ad quod tale præceptum præcisè ordinatur: quia illud ad quod obligatur, non est per se intentum, ac proinde nec per se præceptum; at tantùm per accidens, idest ratione alterius: vnde si quis prohibeatur ludere ludo licito & honesto tempore Missæ, ad hoc vt satisfaciat præcepto audiendi Missam, non committit duo peccata, si ludat tali tempore. Sed hoc præceptum, quod imminet Ministro, existendi in gratia est præcisè ordinatum ad hoc vt debitè & rectè administret Sacramenta, & sic Sancta sanctè tractet: ergo Minister transgrediens illud non committit duo peccata, sed tantùm peccat peccato commissionis sacrilegæ. Vtrùm autem tot sint peccata commissionis, quot sunt quibus consecutiuè confert Sacramenta? Aliqui affirmant ex hoc quòd sunt tot Sacramenta, & tot actiones Sacramentales, quot sunt recipientes Sacramenta: Sed melius videtur negandum; quia quando quis consecutiuè ministrat Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ &c. moraliter censetur vnica actio, cùm moraliter non interrumpatur; & ita est vnicum peccatum continuatum.

Probatur & explicatur quinta pars conclusionis. Dicimus igitur quòd Minister solemnitatis, vt debitè administret Sacramenta, si possit, tutius est confiteri; si autem non possit commodè, saltem debet conteri: sed ad hoc vt celebret sacrificium Missæ, & conficiat sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, debet maiorem adhibere diligentiam vt confiteatur, quia debet consequenter recipere Sacramentum, cuius receptionem necessitate præcepti debet præcedere Confessio: quod præceptum colligitur ex illo Apostoli; Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Vnde Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. ait: Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum, (Probet seipsum homo) Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit: modò non desit illis copia Confessoris; quòd si in necessitate vrgenti, Sacerdos absque præuia Confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur. Et canone vltimo cùm hanc doctrinam præmisisset, concludit: Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Ad primum ergo, dicendum, quòd extrema necessitas dispensat in illo iure, sicut & in multis aliis: vnde non requiritur sanctitas absolutè in illo qui Sancta tractat, sed tantùm in illo qui tractat illa ex officio.

Ad secundum, dicendum, quòd vtraque ratio benè intellecta id suadet: vnde ad impugnationem

gnationem contra primam, dicendum cum D. Thom. hic art. 6. ad 1. quòd opera Charitatis, & aliarum virtutum non sunt aliqua consecratione sanctificata, nisi sicut quædam iustitiæ partes. Et ideo homo, qui se exhibet Deo Ministrum in operibus Charitatis, si sit iustus, amplius sanctificatur: si verò sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur: Sed Sacramenta in seipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem: Et ideo præexigitur in Ministro sanctitas iustitiæ, vt congruat suo ministerio; vnde incongruè agit & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat. Siue breuiùs; Bona opera sunt ipsi operanti via ad propriam iustitiam & sanctitatem acquirendam; vnde eam non præsupponunt: Sacramenta verò non sunt per se primariò ordinata ad sanctificationem ipsius ministrantis; sed ad sanctificationem recipientis: ad quam concurrit Minister, vnde ex decentia debet eam præhabere, vt conformetur Domino. Ad impugnationem contra secundam, aliqui negant consequentiam, dicentes quòd consecrare materiam Sacramentorum, non est actio tanti momenti, quanti est ministrare Sacramenta; sed meliùs videtur dicendum, quòd Episcopus in illo casu peccaret mortaliter; res enim tanti momenti est præparare materiam Confirmationis, & extremæ-Vnctionis, vt exigat per se tam excellentem Ministrum, qualis est Episcopus. Diaconus etiam assistens Sacerdoti in peccato mortali, peccat mortaliter; non quia debet cantare Euangelium; sed quia immediatè assistit Sacerdoti, & cooperatur Mysterio. De Prædicatore in statu peccati mortalis dicendum, quòd non peccat, nisi adsit scandalum, quando eius mala vita facit quòd verbum Dei despiciatur; ratio est quia prædicatio non sanctificat immediatè, sicut sanctificant Sacramenta; at tantùm disponit remotè ad sanctificationem. De Subdiacono, & aliis Ministris inferioribus communiter conceditur, quòd non peccant mortaliter ministrando in statu peccati mortalis, quia non cooperantur immediatè ministerio Missæ. Ad aliud, dicendum, quòd profiteri fidem non est actio Ministri Christi, ordinata ad sanctificationem aliorum per se primò, sed ad bonum ipsius qui profitetur fidem: vnde non mirum, quòd possit fieri, & laudabiliter fiat à fideli existente in peccato mortali: actio autem Sacramentalis per se primò ordinatur ad sanctificationem aliorum, vnde prærequirit Ministrum sanctum: & hic est propriissimè Minister Christi, nam cooperatur Christo physicè concurrenti ad hanc actionem. Ad aliud, dicendum, quòd habetur præceptum diuinum impositum à Christo Domino, quòd Minister Sacramentorū ex officio debet esse in statu gratiæ, & colligitur ex communi consensu Ecclesiæ, qui procedit ex continuata traditione Apostolica: est etiam præceptum connaturale in ordine gratiæ.

DISPVTATIO IX.

De subiecto receptiuo Sacramentorum.

POSTQVAM de Ministro Sacramentorum actum est; statim agendum occurrit de subiecto receptiuo ipsorum: quia actio Sacramentalis exercita à Ministro terminatur ad subiectum, & in ipso operatur suum effectum. Inquiretur autem quisnam sit subiectum Sacramentorum, quænam conditiones requirantur ex parte ipsius, vt Sacramenta validè, & licitè recipiantur.

DVBIVM I.

Vtrùm omnes, & soli homines viatores sint subiectum receptiuum Sacramentorum.

SVpponendum est, nomine hominis viatoris intelligi eum, qui non peruenit ad terminum vel beatitudinis, vel perditionis: & restringendo ad filios Ecclesiæ, illi dicuntur viatores qui ambulant in fide, & vident per speculum, & in ænigmate: inter hos computari debent Sanctus Patriarcha noster Elias, & Enoch reseruati vsque ad finem mundi, vel in Paradiso terrestri, vel in alio loco nobis ignoto. Hi per tres annos cum dimidio resistentes Antichristo fidem prædicabunt, miraculis confirmabunt, pro ea glorioso martyrio consumentur: & tandem gloriosiùs resurgentes, & Christo vocante coram omnibus Cœlum conscendentes, de statu viatorum ad statum Beatorum transferentur.

Prima opinio asserit, non solos homines viatores esse subiectum receptiuum Sacramentorum. Probatur; De potentia Dei absoluta Angeli possunt esse Ministri Sacramentorum, vt docet D.Thom. hic art. 7. ergo & subiectum, vt constat ex paritate rationis.

Secundò; Angeli possunt iustificari per res sensibiles, qualia sunt Sacramenta, de potentia Dei absoluta; si enim possunt pati à rebus sensibilibus in malum, sicut conceditur quòd patiantur ab igne inferni; multò magis poterunt ab iisdem pati in bonum: sed illud quod potest iustificari per Sacramenta, est subiectum receptiuum Sacramentorum: ergo non soli homines viatores, sed etiam Angeli sunt subiectum receptiuum Sacramentorum.

Tertiò; Christus Dominus verè erat beatus, vt concedunt Theologi: sed ex D.Thom. Christus Dominus suscepit Sacramentum proprij corporis: ergo non soli homines viatores sunt subiectum receptiuum Sacramentorum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd soli homines sunt subiectum receptiuum Sacramentorum: 2. Viatores quidem secundùm potentiam ordinariam: 3. Beati autem secundùm potentiam absolutam. 4. Vnde nec Angeli, nec alia irrationalia possunt esse subiectum receptiuum Sacramentorum. Ita communiter Discipuli D. Thomæ.

Probatur prima pars conclusionis. Vltra homines sunt Angeli purè intellectualis naturæ, ita vt nihil habeant admixtum de natura sensibili & corporea, vt nunc certum est apud Theologos: sunt etiam aliæ creaturæ sensibiles quidem; at nullo modo intellectuales, ac proinde incapaces gratiæ sanctificantis, cuius proprium subiectum est creatura spiritualis capax amicitiæ Dei, & potens ipsum diligere, videre & frui: sed nec Angeli, nec aliæ creaturæ sensibiles quæ non sunt intellectuales, sunt, aut possunt esse subiectum receptiuum Sacramentorum; Angeli quidem, quia non sunt capaces passionis sensibilis, qualis debet esse Sacramentalis, vt pote expertes naturæ sensibilis, & corporeæ: aliæ verò creaturæ, quia non sunt capaces iustificationis, & sanctificationis internæ per gratiam; quam tamen significant, & causant in subiecto receptiuo Sacramenta, vt constat ex dictis supra; dictum est enim, quòd Sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis hominem cui exhibetur ipsum Sacramentum; & hoc declarat expressè ipsa forma: ergo soli homines sunt subiectum receptiuum Sacramentorum.

Probatur secunda pars conclusionis tanquam de fide, communi consensu vniuersalis Ecclesiæ. Si dicatur, quòd aliqui defuncti fuerunt absoluti ab excommunicatione, quæ absolutio pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ. Respondetur, quòd excommunicatio, licèt procedat ex aliqua culpa peccati, non tamen est peccatum (quod solum est materia Pœnitentiæ) sed est pœna Ecclesiastica, quâ fideles priuantur vsu & beneficio Sacramentorum, communione suffragiorum Ecclesiæ, & similium: propterea absolutio ab excommunicatione debet præmitti absolutioni Sacramentali peccatorum: & quia potest contingere quòd aliquis, remissis peccatis, decedat excommunicatus; ideo ei post mortem potest impendi absolutio ab excommunicatione, vt possit esse particeps suffragiorum Ecclesiæ: nunquam tamen datur absolutio peccatorum post mortem.

Probatur tertia pars conclusionis. Nulla apparet implicantia contradictionis, quòd per vsum Sacramentorum, v. g. Eucharistiæ, augeatur gratia alicuius Beati existentis in cœlo cum corpore & anima, vt existit Beatissima Virgo: licèt enim status Beatorum quantùm ad gratiam sanctificantem, & gloriam essentialem sit inuariabilis, vt docet ex S. Augustino D. Thomas 1. p. quæst. 12. artic. 10. tamen hoc est tantùm de facto & de potentia ordinaria, non autem est de possibili secundùm potentiam absolutam: ex alia parte tali Beato potest applicari res sensibilis, constat enim corpore sensibili: ergo homines Beati sunt subiectum receptiuum Sacramentorum secundùm potentiam Dei absolutam. Sub nomine Beatorum comprehenduntur homines existentes in Purgatorio cum corpore & anima, si qui essent. De Damnatis autem nulla fit mentio: licèt enim sit possibile de potentia Dei absoluta, eos per Sacramenta mundari à peccato; tamen attenta eorum conditione, qua sunt obstinati in malo, hoc est impossibile; vnde non solùm ab extrinseco, scilicet ex lege Dei posita sequitur hæc impossibilitas secundùm potentiam Dei ordinariam, quæ similiter est in Beatis quantùm ad augmentum gratiæ; sed etiam sequitur ab intrinseco secundùm eandem potentiam ordinariam, scilicet ex eorum obstinatione in malo: in Beatis autem nulla est talis impossibilitas ab intrinseco quantùm ad augmentum gratiæ. Quarta pars conclusionis manet probata ex dictis.

AD primum ergo dicendum, quòd cùm Sacramentum sit signum sensibile gratiæ sanctificantis ipsum subiectum recipiens Sacramentum, sequitur quòd Angeli incapaces passionis sensibilis in seipsis, non possunt esse subiectum receptiuum Sacramentorum; in ipsa quippe receptione debet fieri passio sensibilis: & licèt assumerent aliquod corpus; hoc tamen non faceret, quòd Angeli in seipsis reciperent passionem sensibilem; quia non essent vniti illi corpori, nisi vt motores extrinseci: vel saltem illa Sacramenta non essent eiusdem rationis ac nostra. Possunt autem Angeli de potentia Dei absoluta esse Ministri nostrorum Sacramentorum; quia actio illa, qua medio corpore assumpto ministrarent Sacramenta, verè procederet ab ipsis medio corpore illo tanquam instrumento separato; solùm Deus in hoc dispensaret, quòd pronunciatio formæ, in quantum sensibilis, non esset vitalis; radicaretur tamen in actione vitali interna, scilicet in actu intellectus.

AD secundum, dicendum, quòd licèt Angeli mali patiãtur physicè ab igne inferni, agente vt instrumento diuinæ iustitiæ hæc tamen passio non est sensibilis, siue perceptibilis aliquo sensu, qualis debet esse passio recipientis Sacramenta, vt dictum est; vnde non est paritas.

AD tertium, dicendum cum D. Thom. infra, quæst. 81. art. 1. quòd Christus Dominus in vltima Cœna verè sumpsit Corpus, & Sanguinem suum sub Sacramento Eucharistiæ: quod Sacramentum causauit in illo quandam dulcedinem spiritualem, vt ibidem docet D. Thom.

Thom. ad 3. non autem augmentum gratiæ; hanc enim habuit æquè perfectam ab instanti suæ conceptionis, quasi proprietatem gratiæ vnionis hypostaticæ. Christus autem simul erat beatus & viator; vnde hæc receptio fuit secundùm potentiam ordinariam.

DVBIVM II.

Vtrùm ad valorem Sacramenti, requiratur consensus recipientis.

SVpponendum est; vsum Sacramentorum esse necessarium in Ecclesia. Duo quidem sunt Sacramenta, scilicet Ordo & Matrimonium, quorum vsus est tantùm necessarius toti Ecclesiæ; huius quidem ad procreandum populum fidelem; illius autem ad consecrandos Ecclesiæ Ministros. Aliorum verò quinque Sacramentorum, videlicet Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & extremæ-Vnctionis vsus est necessarius cuilibet Christiano, vel necessitate medij, vel saltem necessitate præcepti: Pœnitentiæ tamen & extremæ-Vnctionis vsus solis peccatoribus est præceptus; vnde si quis nullum actuale committeret peccatum, sicut speciali priuilegio concessum fuit Beatissimæ Virgini, non posset recipere hæc Sacramenta, defectu materiæ necessariæ, aut sufficientis.

Prima opinio asserit consensum recipientis non requiri ad valorem Sacramenti. Ita tenent aliqui. Probatur authoritate Conciliorum Florentini, & Tridentini, quæ annumerantes essentialiter requisita ad valorem Sacramenti, solùm faciunt mentionem formæ, & materiæ ipsius, ac intentionis Ministri volentis facere quod facit Ecclesia, nullam verò faciunt mentionem consensus ipsius recipientis: & ex cap. maioris, de Baptismo, colligitur sufficere quòd recipiens non habeat contrariam voluntatem; dicitur enim quòd characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenerit. Imò in primitiua Ecclesia aliqui etiam coacti ordinabantur: sed vbi est coactio, ibi non est consensus: ergo ad valorem Sacramenti non requiritur consensus recipientis.

Secundò; Paruulis ante vsum rationis validè confertur Sacramentum Baptismi: Et in oriente apud Armenos confertur etiam Sacramentum Eucharistiæ: Ergo ad valorem Sacramenti non requiritur consensus suscipientis.

Tertiò; Extrema-Vnctio datur multis, de quibus non constat, quòd habuerint consensum recipiendi; imò Glossa dicit super caput citatum, quòd si homo exteriùs dicat se velle suscipere Sacramentum, etiam si interiùs repugnet, recipit verum Sacramentum: ergo ad valorem Sacramenti non requiritur consensus recipientis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd ad valorem Sacramenti, siue vt verum recipiatur Sacramentum, requiritur consensus recipientis: Non quidem de necessitate, actualis: sed sufficit virtualis. Ita D. Thom. & communiter eius Discipuli, & alij Theologi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Conciliorum. In Cartaginensi tertio cap. 34. dicitur: Ægrotantes, si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium, hi qui sui sunt dixerint, baptizentur. Et in Concilio primo Arausicano cap. 12. dicitur: Obmutescens baptizari potest, si voluntatis præteritæ testimonium, aliorum verbis habet: ergo ad valorem Sacramenti requiritur consensus recipientis; aliter enim non adhiberent Concilia hanc cautelam, quòd constet de voluntate recipientis, antequam administretur Sacramentum, si sit adultus; nisi eius consensus requireretur ad valorem Sacramenti.

Secundò; Probatur authoritate S. Augustini, & D. Thom. Sanctus Augustinus libr. 4. de Baptismo cap. 24. dicit, pro paruulis sufficere quòd alij respondeant, quia ipsi respondere non possunt: non tamen pro adultis, quia ipsi respondere possunt. D. Thomas autem infra, quæst. 68. art. 7. hoc expressè docet, tum ex ritu Ecclesiæ, secundùm quem baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia Baptismum, per quod profitentur suam intentionem de susceptione Sacramenti: tum sequenti ratione. Per Baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ nouitatem, secundùm illud Rom. 6. Consepulti sumus Christo per Baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et ideo sicut ad hoc, quòd homo moriatur veteri vitæ, requiritur secundùm Augustinum in habente vsum liberi arbitrij, voluntas qua eum veteris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas qua intendat vitæ nouitatem: cuius principium est ipsa susceptio Sacramenti. Et ideo ex parte Baptizati requiritur voluntas siue intentio suscipiendi Sacramentum: quæ ratio etiam proportione seruata probat de aliis Sacramentis. Et in responsione ad 2. dicit quòd si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus. Quod denotat ipsum Sacramentum fuisse nullum.

Tertiò, probatur ratione; Ad valorem Sacramenti requiritur, quòd recipiens non contradicat receptioni; cùm enim sit liberi arbitrij, non debet à Deo cogi in ordine gratiæ; sicut nec in ordine naturæ; nam Deus per gratiam non destruit, at perficit naturam: sed recipiens Sacramentum, si non consentit aliquo modo, virtualiter

virtualiter contradicit; quia omnis homo compos rationis virtualiter habet istam voluntatem, vt non fiat dispositio de propria persona sua, maximè in rebus grauibus sine propria voluntate, cùm sit Dominus sui, & habeat Dominium sui, suarúmque actionum & passionum, quod naturali inclinatione conseruat, nam sine illo non sunt humanæ: ergo ad valorem Sacramenti requiritur consensus recipientis.

Probatur & explicatur secunda pars conclusionis. Dicimus quòd licèt melius sit habere consensum actualem; hoc tamen non est necessarium, sed sufficit habere virtualem: idest, necesse est quod recipiens habuerit aliquando voluntatem formalem recipiendi Sacramentum, quam tamen non retractauerit, vel formaliter per actum oppositum, vel virtualiter per alium actum, aut quocumque modo secundùm iudicium viri prudentis. Hoc posito sic probatur: In aliis materiis sufficit consensus virtualis: ergo & in hac. Deinde ex iisdem rationibus, quibus supra probatum est, sufficere in Ministro intentionem virtualem; maximè ex illa quam assignat D. Thomas: quòd si requireretur intentio actualis, raró perficeretur Sacramentum, quia non est totaliter positum in hominis potestate, nam præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare: & si hoc contingit in Ministro, etiam contingit in recipiente, vt experimur; & consequenter essemus semper dubij de valore Sacramenti: ergo ad valorem Sacramenti non requiritur de necessitate actualis consensus ipsius recipientis, sed sufficit virtualis.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Concilia satis indicant requiri consensum, saltem virtualem ipsius recipientis Sacramentum, ad valorem eiusdem Sacramenti, per hoc quòd dicunt non debere esse obicem ex parte recipientis; defectus enim consensus est repugnantia & obex virtualis. Ad aliud, dicendum, quòd virtualiter est contraria voluntas & repugnantia, quando in recipiente non adest consensus saltem virtualis, vt dictum est. Ad aliud, dicendum, quòd licèt illi ordinandi in principio repugnarent, vel ex humilitate, vel alio modo; in fine tamen consentiebant saltem virtualiter.

Ad secundum, dicendum, quòd pro paruulis sufficit consensus Christi, vel Ecclesiæ, qui exprimitur per Patrinos; & hoc ideo, quia paruuli non sunt compotes rationis; vnde per hoc quòd non consentiant proprio actu receptioni Sacramenti, non censentur ei contradicere, sicut censerentur adulti propter rationem adductam. Conuenientius autem est non dare paruulis ante vsum rationis Eucharistiam, propter reuerentiam tanti Sacramenti, & ad vitanda inconuenientia.

Ad tertium, dicendum, quòd nulli datur extrema-Vnctio, nisi constet ipsum petiisse, aut saltem consentire virtualiter eius receptioni. Glossa autem illa reiicitur, vt pote contraria textui, sic enim dicit; Qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, neque rem, neque characterem suscipit Sacramenti; quia plus est contradicere, quàm non consentire: vbi supponit quòd non consentire sufficit in adultis ad reddendum inualidum Sacramentum.

DVBIVM III.

Vtrùm liceat recipere Sacramenta à Ministro publicè excommunicato.

Supponendum est, quòd tempore D. Thom. quicumque erat suspensus, & excõmunicatus, non erat toleratus ab Ecclesia; sed Martinus V. in Concilio Constantiensi declarauit omnes suspensos & excommunicatos esse toleratos ab Ecclesia, dummodò non sint nominatim excommunicati, aut publici percussores Clericorum. Hæc declaratio facta est in fauorem fidelium, ne necessariis Ministris Sacramentorum deficerent: vnde donec aliquis declaretur, & denuntietur nominatim esse excommunicatus, verè est toleratus ab Ecclesia: sicut & suspensus, irregularis, & similes. Degradati autem nullo modo sunt tolerati, sicut nec Interdicti nominatim.

Prima opinio absolutè negat, licere Sacramenta recipere à Ministro publicè excommunicato, suspenso, vel quid simile, extra casum extremæ necessitatis. Probatur authoritate D. Thom. hic art. 6. ad 2. vbi sic ait: Si verò ab Ecclesia non toleretur, putà cùm degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accepit Sacramentum: quia communicat peccato ipsius: ergo non licet recipere Sacramenta à Ministro publicè excommunicato &c.

Secundò; Non licet alium inducere ad peccandum; propterea non licet petere ad vsuram ab eo, qui non est paratus sic dare pecuniam ad vsuram: sed qui petit & recipit Sacramenta à Ministro publicè excommunicato &c. inducit illum ad peccandum, scilicet ad committendum sacrilegium: ergo saltem secundùm legē Charitatis non licet recipere Sacramenta à Ministro publicè excommunicato.

Tertiò; Non licet confiteri sua peccata illi Ministro, qui scitur ex confessione peccatorum moueri ad aliquod peccatum: ergo nec licet recipere Sacramēta à Ministro publicè excommunicato, vtrobique enim est par ratio, ne inducatur ad peccandum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd non licet petere, & recipere Sacramenta à Ministro publicè

blicè excommunicato &c. si non sit paratus illa administrare, extra casum necessitatis : vnde accedendum est ad alium Ministrum, si adsit : 2. Si tamen ille Minister sit paratus ministrare, & proueniat aliqua vtilitas suscipienti, licet ab illo recipere Sacramenta : 3. Sicut propter eandem vtilitatem licet illa petere à proprio Parocho excommunicato, etiamsi non sit paratus illa ministrare : 4. A Ministro verò non tolerato ab Ecclesia, non licet suscipere Sacramenta, nisi in casu extremæ necessitatis : & illa tantùm Sacramenta, quæ sunt sub præcepto diuino. Ita docent communiter Theologi.

Probatur prima pars conclusionis argumentis in contrarium adductis, quæ illam efficaciter probant. Vnde lege Charitatis debemus accedere ad Ministrum, qui piè possit Sacramenta ministrare, quia illa lex præcipit impedire, quantùm est possibile sine spirituali nostro detrimento, ne alij peccent : constat autem quòd non suscipiendo Sacramenta à malo Ministro, impedimus ne ipse peccet : ergo non licet petere, & recipere Sacramenta à Ministro publicè excommunicato &c. si non sit paratus illa ministrare ; quia si est paratus ministrare, iam peccauit in voluntate. Dictum est autem extra casum necessitatis : quia si adsit magna necessitas in suscipiente, putà si valdè agitetur tentationibus, & sit expertus se non facilè eas vincere, nisi recipiendo Sacramentum vel Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ ; tunc si desit alius Minister, potest petere, & recipere à malo Ministro, vt publicè excommunicato, quia lege Charitatis habetur ; incipiendum esse à seipso in his quæ ad animam pertinent.

Probatur secunda pars conclusionis. Ex vna parte talis Minister non inducitur ad peccandum : sed ille propria voluntate peccat exponendo se ad ministrandum Sacramenta : ex alia verò parte licet vti malitia alterius ad propriam vtilitatem, sicut licet sumere pecunias ad vsuras ab eo qui paratus est sic conferre, ergo si Minister sit paratus ministrare, & proueniat aliqua vtilitas suscipienti, licet ab illo recipere Sacramenta. Absque necessitate autem non licet, quia sine illa non licet vti malitia alterius ; hic enim vsus est malus, nisi bono fine honestetur.

Probatur tertia pars conclusionis. Licet, vt dictum est, petere & recipere Sacramenta à Ministro malo & excommunicato, parato illa dare, si inde proueniat aliqua vtilitas recipienti : ergo etiã licet ea recipere à proprio Parocho, quamuis non sit actu paratus illa ministrare, quia ex officio tenetur esse in debita dispositione ad ministrandum, & proponitur ab Ecclesia quasi proprius Minister ; vnde qui ab illo petit & recipit Sacramenta, vtitur iure suo, respectu eius qui tenetur ex iustitia ministrare : & sic propter suam vtilitatem, & necessitatem potest vti malitia eius. Si autem adesset alius, à quo cum æquali vtilitate posset Sacramenta recipere, ex lege Charitatis teneretur ad illum accedere.

Probatur, & explicatur quarta pars conclusionis. Dicimus igitur quòd in casu extremæ necessitatis licet suscipere Sacramenta illa, quæ sunt de præcepto diuino, à Ministro etiam non tolerato ab Ecclesia. Dicitur extrema necessitas, quando est euidens periculum mortis. Sacramenta verò quæ sunt de præcepto diuino, sunt Baptismus pro omnibus, Eucharistia pro omnibus adultis, & Pœnitentia pro existentibus in peccato mortali. Ratio huius est, quia Ecclesia non præsumitur velle facere contra diuinum præceptum, nec priuare suos filios in extrema necessitate auxilio spirituali, quod possunt recipere ab aliquo habente potestatem cõferendi, tantùm suspenso ex decreto ipsius Ecclesiæ. Nec valet obiicere, quòd sufficit recipere talia Sacramenta in voto. Nam illa extrema necessitas suadet illa recipere meliori modo quo possunt, ac proinde in re : maximè quia sic magis est quieta conscientia ; posset enim esse anxia, an Sacramentum in voto reciperet, cùm actus contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, sint admodum difficiles. Vnde quicquid obiicitur in contrarium ex authoritate, vel ratione, debet intelligi extra casum extremæ necessitatis. Nec D.Thom. hîc art.6. ad 3. contradicit, dum videtur restringere hanc extremam necessitatem ad solum Baptismum : ait enim ; In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando : secus est autem in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus. Dicendum enim quòd ideo Baptismus pro paruulis appellatur Sacramentum extremæ necessitatis, quia sine illo pereunt paruuli, nec possunt aliunde sibi remedium afferre ; sicut sibi afferunt adulti per proprios actus : vnde quicumque Minister, etiam non rogatus, debet illud administrare : alia verò Sacramenta, vt Eucharistiæ, & Pœnitentiæ ; quia non sunt tantæ necessitatis, non tenetur quis administrare, nisi rogetur : & si alio modo ministret, peccat. Et ita D.Thom. ibi loquitur tantùm de eo quod est licitum Ministro Sacramentorum ; non autem de eo quod est licitum recipienti : nam in periculo euidenti mortis, est extrema, aut grauissima necessitas peccatori, recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, & omnibus recipiendi Sacramentum Eucharistiæ, quod est viaticum tendentium ex hac vita in aliam.

Ad primum ergo, dicendum, sicut iam dictum est ; quòd tempore D.Thom. nullus degradatus, excommunicatus, aut suspensus erat toleratus ab Ecclesia : vnde non erat licitum tunc extra casum extremæ necessitatis recipere à quocumque excommunicato, suspenso &c. Sacramenta : sicut nunc est licitum ex indulgentia Martini V.

An secundum, dicendum, quòd quando adest alius Minister idoneus, non licet recipere Sacramenta à malo Ministro: sed quando non adest, & est necessitas ex parte recipientis, licet ipsi à malo Ministro Sacramenta petere & recipere talis autem Minister, si sit proprius, tenetur lege iustitiæ; si non est proprius, tenetur lege Charitatis succurrere necessitati spirituali sui proximi, deficiente alio idoneo: & si tunc facit quod potest, vt dignè administret, non peccat, sed meretur. Ad instantiam, dicendum, quòd iu necessitate graui est licitum petere à quocumque pecuniam ad vsuram, si nolit gratis commodare; & tunc qui petit non inducit alium ad peccandum, sed vtitur malitia eius.

Ad tertium, dicendum, quòd ex Bulla Martini V. habetur ius tolerandi hoc peccatum indebitè ministrantis, quia intrinsecum est statui Ministri taliter ministrantis: non autem habetur ius permittendi alia peccata extrinseca illi statui; vnde pœnitens in illo casu non debet confiteri illa peccata, sed debet eorum confessionem differre ad aliam occasionem.

DVBIVM IV.

Vtrùm grauiter peccent, qui indignè recipiunt Sacramenta.

Svpponendum est, quòd alia requiritur dispositio in recipiente Sacramentum ad hoc, vt Sacramentum sit validum: & alia vt licitè recipiat. Vt sit validum, non requiritur fides ipsius, sicut nec fides Ministri; in sola receptione Sacramenti Pœnitentiæ, ad eius valorem requiritur fides recipientis, hac peculiari ratione, quia si pœnitens non credit, perseuerat in peccato voluntariè; vnde per Pœnitentiam non remittuntur peccata, sed nouum committitur peccatum sacrilegij: vt autem licitè recipiat, requiritur quòd sit debitè dispositus: hæc dispositio pro diuersitate Sacramentorum diuersa est; nam pro recipiendis Sacramentis viuorum requiritur, quòd recipiens sit saltem præsumptiuè in statu gratiæ; pro recipiendis verò Sacramentis mortuorum requiritur, quòd recipiens sit saltem attritus de peccatis actualibus.

Prima opinio asserit non peccare grauiter, qui indignè recipiunt Sacramenta. Probatur; si recipiens indignè Sacramenta peccaret, minister teneretur negare Sacramenta indignè accedentibus, maximè si est Minister proprius, tum ob reuerentiam Sacramentorum, tum ob bonum recipientis, ne scilicet ex indigna sumptione committeret graue peccatum: sed Minister non tenetur vlli negare Sacramenta; imò tenetur omnibus accedentibus ministrare: ergo non peccat grauiter qui indignè recipit Sacramenta.

Secundò; Si grauiter peccarent, qui indignè recipiunt Sacramenta, valdè inquietæ remanerent conscientiæ, quia non potest sciri, quis dignè, & quis indignè recipiat; vnde recipiens semper esset in dubio, an recipiendo Sacramenta grauiter peccaret; sed hoc est maximum inconueniens: ergo non peccant grauiter, qui indignè recipiunt Sacramenta.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd grauiter peccant, qui indignè recipiunt Sacramenta. 2. Ad condignam autem receptionem, pro Sacramentis viuorum, requiritur & sufficit dispositio habitualis, idest status gratiæ, vnde absque alia dispositione actuali confertur recipienti ex opere operato augmentum gratiæ. 3. Pro Sacramentis verò mortuorum, requiritur necessariò in adultis dispositio actualis quæ saltem sit attritio. Ita communiter docent Theologi.

Probatur prima pars conclusionis ex dictis dubio vltimo præcedentis disputationis, vbi probatum est iuxta mentem D. Thom. hic art. 6. Ministrum Sacramentorum, ea indignè ministrantem peccare grauiter, quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantùm est ex parte ipsius Ministri: sed eadem ratio, quantùm ad hoc, est de recipiente ac de Ministro; imò maior est ratio de ipso recipiente: nam magis vnitur ipsis Sacramentis, per hoc quòd in se recipiat, quàm Minister per hoc quòd ministret; nam consideratur vt terminus à quo exeunt Sacramenta, & recipiens vt terminus ad quem ipsa tendunt: ergo grauiter peccant, qui indignè recipiunt Sacramenta.

Probatur secunda pars conclusionis. Concilium Tridentinum sess. 7. canone 6. ait: Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; &c anathema sit: sed qui est habitualiter dispositus per gratiam, non ponit obicem, nec illum habet ad augmentum gratiæ conferendum per Sacramenta viuorum, cùm solum peccatum mortale contrarietur gratiæ: ergo ad condignam receptionem pro Sacramentis viuorum requiritur, & sufficit dispositio habitualis, idest status gratiæ.

Probatur tertia pars conclusionis. Sacramenta mortuorum sunt Baptismus & Pœnitentia, quæ supponunt peccata in recipiente; Baptismus quidem originale, & ordinariè actualia in adultis; (in quo casu loquimur) Pœnitentia verò supponit actualia: sed est impossibile, quòd peccatum actuale remittatur in Sacramentis, & maximè si sit mortale, sine actu quo recipiens Sacramentum, ipsum detestetur saltem virtualiter: nam cùm voluntariè illud commiserit, habitualiter

habitualiter illud vult & illi inhæret, donec contrario actu voluntatis retractet: ergo ad condignam receptionem, pro Sacramentis mortuorum, requiritur necessariò in adultis dispositio actualis, quæ saltem sit attritio. Contritio quidem est melior, quæ est dolor de peccato propter Deum summè dilectum; sed tamen sufficit attritio, quæ est dolor de peccato ex motiuo supernaturali, vel fœditatis ipsius, vel damni quod affert priuando peccatorem iure regni cœlestis, & addicendo pœnis inferni: vnde dignè accedit ad hæc Sacramēta, qui habet attritionem de suis peccatis, licèt sit certus se non habere contritionem: & per receptionem Sacramentorum, de attrito fiet contritus.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Minister ex certa scientia ministrando Sacramenta indignis, peccat mortaliter, vnde tenetur eis negare Sacramenta, nisi excusetur aliquâ circunstantiâ, putà si ministret coram multitudine, ne ipsos infamiâ notet, cùm adhuc sint peccatores occulti. Proprius autem Pastor tenetur facere aliquam diligentiam, vt agnoscat suos subditos, quinam digni, & quinam indigni sunt admitti ad vsum Sacramentorum Ecclesiæ.

Ad secundum, dicendum, quòd ad condignam sumptionem Sacramentorum, sufficit pro Sacramentis viuorum, quòd recipiens non habeat conscientiam peccati mortalis, facto sufficienti examine; pro Sacramentis verò mortuorum sufficit, quòd sciat se habere attritionem de suis peccatis: vtrumque autem facilè est in se aduertere. Positâ verò hac dispositione certus est quòd non recipit Sacramenta indignè, & ita non sequitur quòd conscientiæ remaneāt inquietæ, vtrùm dignè, an verò indignè recipiant Sacramenta: loquimur autem de indignitate quæ afferat peccatum mortale, & de dignitate quæ ab illo excuset.

QVÆSTIO LXV.

De numero Sacramentorum, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de numero sacramentorum.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.
¶ Primò, vtrùm sint septem sacramenta.
¶ Secundò, de ordine eorum adinuicem.
¶ Tertiò, de comparatione eorum.
¶ Quartò, vtrùm omnia sint de necessitate salutis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm debeant esse septem Sacramenta Ecclesiæ.

360 Ad primvm sic proceditur. Videtur, quòd non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute diuina & ex virtute passionis Christi. Sed vna est virtus diuina, & vna Christi passio: vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos: vt dicitur Hebr. 10. Ergo non debuit esse nisi vnum sacramentum.

a.d.1. qu. 2. a.1. & 4 cont.ca. 58. & 2. cor. pr.

¶ 2. Præterea, Sacramentum ordinatur contra defectum peccati. Hic autem est duplex, scilicet pœna & culpa. Ergo sufficeret esse duo sacramenta.

¶ 3 Præterea, Sacramenta pertinent ad actiones ecclesiasticæ hierarchiæ, vt per Dion. † patet. Sed sicut ipse dicit, tres sunt actiones hierarchiæ, s. purgatio, illuminatio, & perfectio. Ergo non debent esse nisi tria sacramenta.

ca. 1. eccl. hie. par. 3. l. 19. c. 13. a me. a. 7.

¶ 4 Præterea, August. * dicit 19. contra Faustum, Sacramenta nouæ legis sunt numero pauciora, quam sacramenta veteris legis. Sed in veteri lege non erat aliquod sacramentum, quod responderet confirmationi & extremæ Vnctioni. Ergo neque hæc debent numerari inter Sacramenta nouæ legis.

¶ 5 Præterea, Luxuria non est grauius inter cætera peccata: vt patet ex his quæ in secunda parte dicta sunt †. Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum matrimonij.

a 2. 2. quæ. 154. ar. 3.

¶ 6 Sed contra videtur, quod sint plura sacramenta. Sacramenta enim dicuntur quasi quædam sacra signa. Sed multæ aliæ sanctificationes fiunt in ecclesia secundum sensibilia signa, sicut aquæ benedicta, consecratio altaris, & alia huiusmodi. Ergo sunt plura sacramenta quàm septem.

¶ 7 Præterea Hugo † de sancto Victore dicit, quòd sacramenta veteris legis fuerunt oblationes, decimæ, & sacrificia: Sed sacrificium ecclesiæ, est vnum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes & decimæ debent dici sacramenta.

li. 1. de sacra. parte 12. c. 10.

¶ 8 Præterea, Tria sunt genera peccatorum, originale, mortale & veniale. Sed contra originale peccatum ordinatur baptismus: contra mortale autem pœnitentia. Ergo deberet esse aliud præter septem, quod ordinetur contra veniale.

CONCLVSIO.

Conuenienter ponuntur septem Ecclesiæ Sacramenta. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, Extrema vnctio: quibus homo sufficienter perficitur in his, quæ pertinent ad diuinum cultum & contra defectum peccati communitur.

Respondeo dicendum, quòd (sicut supra dictum est *) sacramenta ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem, in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianæ vitæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut & cætera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur. Vno modo quantum ad personam propriam: alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua viuit: quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter. Vno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitæ perfectionem: alio modo per accidens, s. remouendo impedimenta vitæ, puta, ægritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primò quidem per generationem, per quam homo incipit esse & viuere. Et loco huius in spirituali vita est Baptismus, qui est spiritualis regeneratio: secundum illud ad Titum 3. Per lauacrum regenerationis, &c. Secundo, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem & virtutem. Et loco huius in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus sanctus ad robur. Vnde dicitur discipulis iam baptizatis Luc. vlt. Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Tertio per nutritionem, qua conseruatur in homine vita & virtus. Et loco huius in vitâ spirituali est Eucharistia: vnde dicitur Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc quidem sufficeret homini si haberet & corporaliter, & spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum & corporalem infirmitatem & spiritualem, s. peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem est duplex, vna quidem est sanatio quæ sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali vita est pœnitentia, secundum illud Psalm. 40. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per conuenientem diætam & exercitium. Et loco huius in spirituali vita est extrema vnctio; quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam: vnde dicitur Iacobi quinto, Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Vno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actos publicos. Et loco huius in spirituali vita est sacramentum Ordinis, secundum illud Heb. 7. quòd sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo quantum ad naturalem propagationem: quod fit per matrimonium, tam in corporali, quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturæ officium. Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis: Confirmatio, contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur: Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum: Pœnitentia contra actuale peccatum, post baptismum commissum. Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublata, aut ex negligentia, aut ex ignorantia: Ordo contra dissolutionem multitudinis. Matrimonium, remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam vero accipiunt numerum sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum & pœnalitatum, dicentes, quòd fidei respondet baptismus, & ordinatur contra culpam originalem: spei Extrema vnctio, & ordinatur contra culpam venialem: charitati Eucharistia, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ: prudentiæ Ordo, & ordinatur contra ignorantiam: Iustitiæ, Pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale: temperantiæ Matrimonium, & ordinatur contra concupiscentiam: fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem.

q. 61. a. 1. & q. 63. a. 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd idem agens principale vtitur diuersis instrumentis ad diuersos effectus secundum congruentiam operum. Et similiter virtus diuina & passio Christi

Christi operantur in nobis per diuersa sacramenta, quasi per diuersa instrumenta.

Ad secundum dicendum, quòd culpa & pœna diuersitatem habent, & secundum speciem, in quantum sunt diuersæ species culparum & pœnarum, & secundum diuersos hominum status & habitudines. Et secundum hoc oportuit multiplicari sacramenta, vt ex dictis patet.*

in cor. ar.

Ad tertium dicendum, quòd in actionibus hierarchicis considerantur & agentes, & recipientes, & actiones. Agentes autem sunt ministri Ecclesiæ: ad quos pertinet ordinis sacramentum. Recipientes autem sunt illi, qui ad sacramentum accedunt, qui producuntur per matrimonium. Actiones autem sunt purgatio, illuminatio & perfectio. Sed sola purgatio non potest esse sacramentum nouæ legis, quod gratiam confert: sed pertinet ad quædam sacramentalia, quæ sunt cathechismus, & exorcismus. Purgatio autem & illuminatio simul, secundum Di.* pertinent ad baptismum: & propter recidiuum, secundario pertinent ad pœnitentiam, & extremam vnctionem. Perfectio autem quantum ad virtutem quidem (quæ est quasi perfectio formalis) pertinet ad confirmationem: quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.

c. 3. Eccl. hie. par. circa f.

Ad quartum dicendum, quòd in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus sancti ad robur: in extrema autem vnctione, præparatur homo, vt recipiat immediate gloriam. Quorum neutrum competit veteri testamento: & ideo nihil potuit his sacramentis in veteri lege respondere. Nihilominus tamen sacramenta in veteri lege plura fuerunt numero, propter diuersitatem sacrificiorum & cæremoniarum.

Ad quintum dicendum, quòd contra concupiscentiam venereorum, oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum. Primo quidem quia per huiusmodi concupiscentiam, non solum vitiatur persona, sed etiam natura. Secundo, propter vehementiam eius, quæ rationem absorbet.

Ad sextum dicendum, quòd aqua benedicta & aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio. Sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta, vel remouendo prohibens: sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum, & contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perfectionem & perceptionem, sicut consecratur altare, & vasa, propter reuerentiam Eucharistiæ.

Ad septimum dicendum, quod oblationes & decimæ erant tam in lege naturæ, quam in lege Moysi ordinatæ, non solum in subsidium ministrorum & pauperum, sed etiam in figuram, & ideo erant sacramenta: nunc autem non remanserunt, inquantum sunt figuralia: & ideo non sunt sacramenta.

Ad Octauum dicendum, quòd ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiæ. Vnde cum in quolibet sacramento nouæ legis gratia infundatur, nullum sacramentum nouæ legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur per quædam sacramentalia, puta per aquam benedictam & alia huiusmodi. Quidam tamen dicunt extremam vnctionem contra veniale peccatum ordinari: sed de hoc suo loco dicetur.*

Non compleuit morte præuentus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Sacramenta conuenienter ordinentur secundum modum prædictum.

361 AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd inconuenienter sacramenta ordinentur secundum modum prædictum. † Vt enim Apostol. dicit 1. Corinth. 15. Prius est quod est animale, deinde quod spiritale. Sed per matrimonium generatur homo prima generatione, quæ est animalis: per baptismum autem regeneratur homo secunda generatione, quæ est spiritualis. Ergo matrimonium debet præcedere baptismum.

a. 4. 3. q. 2. a. 3. & d. 7. q. 1. a. 1. q. 3 & Eph. 5. fi. † in præced.

¶ 2 Præterea, Per sacramentum ordinis aliquis accipit potestatem agendi actiones sacramentales. Sed agens est prior sua actione. Ergo ordo debet præcedere, & baptismum & alia sacramenta.

¶ 3 Præterea, Eucharistia est spiritale nutrimentum, confirmatio autem comparatur augmento. Nutrimentum autem est causa augmenti, & per consequens prius eo. Ergo Eucharistia est prior confirmatione.

¶ 4 Præterea, Pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam. Sed dispositio præcedit perfectionem. Ergo pœnitentia debet præcedere Eucharistiam.

¶ 5 Præterea, Quod est propinquius fini vltimo, est posterius, sed extrema vnctio inter omnia sacramenta propinquior est vltimo fini beatitudinis: Ergo debet habere vltimum locum inter sacramenta.

In contrarium est, quod communiter ordinantur ab omnibus sacramenta, sicut prius dictum * est.

ar. præced.

CONCLVSIO.

Inter Sacramenta, ordo & matrimonium vltimo ponuntur: pœnitentia vero & extrema vnctio posteriora sunt baptismo, confirmatione, & Eucharistia. posterior tamen est extrema vnctio pœnitentia. Ex tribus autem aliis, baptismus confirmationem, & Eucharistiam præcedit.

RESPONDEO dicendum, quod ratio ordinis sacramentorum apparet ex his quæ supra * dicta sunt. Nam sicut vnum est prius, quàm multitudo: ita sacramenta quæ ordinantur ad perfectionem vnius personæ naturaliter, præcedunt ea quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo vltimo inter sacramenta ponuntur Ordo & matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis perfectionem. Matrimonium tamen post Ordinem: eo quod minus participat de ratione spiritualis vitæ ad quam ordinantur sacramenta: Inter ea vero, quæ ordinantur ad perfectionem vnius personæ, naturaliter sunt priora illa quæ per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitæ, quam illa, quæ ordinantur per accidens, scilicet ad remouendum accidens nociuum superueniens: cuiusmodi sunt pœnitentia & extrema vnctio. Posterior tamen est naturaliter extrema vnctio, quæ consummat † sanationem, quam pœnitentia, quæ inchoat. Inter alia vero tria, manifestum est, quod baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est primum: & deinde confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis: & postmodum Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finis.

ar. præc.

al. confir mat.

Ad primum ergo dicendum, quòd matrimonium, secundum quod ordinatur ad animalem vitam, est naturæ officium: sed secundum quod habet aliquid spiritualitatis, est sacramentum. Et quia minimum habet de spiritualitate, vltimo ponitur inter sacramenta.

Ad secundum dicendum, quòd ad hoc quod aliquid sit agens, præsupponitur, quod sit in se perfectum. Et ideo priora sunt sacramenta, quibus aliquis in seipso perficitur, quam sacramentum ordinis, quo aliquis constituitur perfector aliorum.

Ad tertium dicendum, quòd nutrimentum & præcedit augmentum, sicut causa eius, & subsequitur augmentum, sicut conseruans hominem in perfecta quantitate & virtute. Et ideo potest Eucharistia præmitti confirmationi, vt Dio.† facit in lib. de Eccl. hier. & potest postponi, sicut Magist.* facit in 4. sen.

*quo cap. 3. agit de sacr. syn. scil. c. 4. de vng. firm. * Vis de confirm. tractat in dist. 7. de Euch. vero dist. 8.*

Ad quartum dicendum, quòd ratio illa recte procederet, si pœnitentia ex necessitate requireretur vt præparatoria ad Eucharistiam. Sed hoc non est verum: nam si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret pœnitentia ad sumptionem Eucharistiæ. Et sic patet, quòd per accidens pœnitentia præparat ad Eucharistiam, scilicet supposito peccato: vnde dicitur c. Peral. vlt. Tu Domine iustorum, non posuisti pœnitentiam iustis.

Ad quintum dicendum, quòd extrema vnctio propter rationem inductam *, est vltimum inter sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem vnius personæ.

** in arg.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter Sacramenta.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quòd sacramentum Eucharistiæ non sit potissimum inter sacramenta. Bonum commune potius est, quàm bonum vnius, vt dicitur 1 ethic.* Sed matrimonium ordinatur ad bonum commune speciei humanæ, per viam generationis, sacramentum Eucharistiæ ordinatur ad bonum proprium sumentis. Ergo non est potissimum sacramentorum. 362

*4. c. 7. q. 1. a. 1. q. 3. c. & d. 8. q. 1 a. 1. q. 3. & 4. con. c. 74. col. 2. & ver. f. q. 27. art. 4. cor. f. * li. 1. eth. c. 2. in fi. c. 5.*

¶ 2 Præterea, Digniora sacramenta esse videntur, quæ per maiorem ministrum conferuntur. Sed sacramentum confirmationis & sacramentum ordinis non conferuntur nisi per Episcopum, qui est maior minister, quàm simplex sacerdos, per quem confertur Eucharistiæ sacramentum. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

¶ 3 Præterea, Sacramenta tanto sunt potiora, quanto maiorem virtutem habent. Sed quædam sacramenta imprimunt characterem, (scilicet baptismus, confirmatio, & ordo,) quod non facit Eucharistia. Ergo illa sacramenta sunt potiora.

¶ 4 Præterea, illud videtur esse potius, ex quo alia dependent, & non è conuerso. Sed ex baptismo dependet Eucharistia: non enim potest aliquis Eucharistiam accipere, nisi fuerit baptizatus. Ergo baptismus est potior Eucharistia.

Sed contra est, quod Dion.* dicit 3. c. Eccles. hier. quòd non contingit aliquem perfici perfectione hierarchica, nisi per diuinissimam Eucharistiam. Ergo hoc sacramentum est potissimum omnium aliorum.

c. 3. Eccle. hier. non remote à prin.

CONCLVSIO.

Cùm in Eucharistiæ sacramento Christus ipse, reuera, secundum substantiam contineatur, atque ad illud veluti ad finem omnia alia ordinentur, manifestum est ipsum esse Sacramentorum omnium potissimum.

RESPONDEO dicendum, quòd simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia sacramenta. Quod quidem tripliciter apparet: primo quidem, ex eo quòd in eo continetur: nam in sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter, in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata à Christo, vt ex supradictis * patet. Semper autem quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem. Secundo, hoc apparet ex ordine sacramentorum ad inuicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem. Manifestum est enim, quod sacramentum ordinis, ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem. Sacramentum vero baptismi ordinatur ad Eucharistiæ receptionem. In quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, vt non vereatur se subtrahere à tali sacramento. Per pœnitentiam etiam, & extremam vnctionem, præparatur homo ad dignè sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ: cuius vnitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur: vnde & Apostolus dicit Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Tertio, hoc apparet ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in Eucharistia consummantur, vt Dio.* dicit 3. c. Eccl. hier. sicut patet,

q. 62. a. 3. ad 4. c. 3 Eccle. hier. circa prin.

quod

quòd ordinati communicant, & etiam baptizari, si sint adulti. Aliorum autem sacramentorum comparatio adinuicem, potest esse multiplex. Nam in via necessitatis, baptismus est potissimum sacramentorum. In via autem perfectionis sacramentum ordinis. Medio autem modo se habet sacramentum confirmationis. Sacramentum vero pœnitentiæ & extremæ vnctionis, sunt inferioris gradus a prædictis sacramentis, quia sicut dictum * est, ordinantur ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, s. in remedium superuenientis defectus. Inter quæ tamen, extrema vnctio comparatur ad pœnitentiam, sicut confirmatio ad baptismum: ita s. quod Pœnitentia est maioris necessitatis, sed extrema vnctio est maioris perfectionis.

art. 1. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium ordinatur ad commune bonum corporaliter. Sed bonum commune spirituale totius Ecclesiæ, continetur substantialiter in ipso Eucharistiæ sacramento.

Ad secundum dicendum, quòd per ordinem & confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua specialia officia, quæ pertinent ad officium principis. Et ideo tradere huiusmodi sacramenta, pertinet ad solum Episcopum, qui est quasi princeps in Ecclesia. Per sacramentum vero Eucharistiæ non deputatur homo ad aliquod officium, sed magis hoc sacramentum est finis omnium officiorum, vt dictum est.*

In art. 2.

Ad tertium dicendum, quod character sacramentalis (sicut supra dictum † est) est quædam participatio sacerdotij Christi. Vnde sacramentum, quod ipsum Christum coniungit homini, est dignius sacramento, quod imprimit Christi characterem.

q. 63. a. 3.

Ad quartum dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte necessitatis: sicut enim baptismus, cum sit maximæ necessitatis, est potissimum sacramentorum, sic ordo & confirmatio habent quandam excellentiam ratione ministerij, & matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omnia sacramenta sint de necessitate salutis.

363 Ad Qvartvm sic proceditur. Videtur, quod omnia sacramenta sint de necessitate salutis. Illud enim, quod non est necessarium, videtur esse superfluum. sed nullum sacramentum est superfluum, quia Deus nihil facit frustra. Ergo omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

4. d. 7. q. 1. a. 1. q. 1. & q. 3. a. 2. q. 2.

¶ 2 Præterea, Sicut de baptismo dicitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, ita de Eucharistia dicitur Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ergo sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita & Eucharistia.

¶ 3 Præterea, Sine sacramento baptismi potest aliquis saluus fieri, dummodo non contemptus religionis, sed necessitas sacramentum excludat: vt infra * dicetur. Sed in quolibet sacramento contemptus religionis impedit hominis salutem. Ergo pari ratione omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

quæst. 68. ar. 2. & 2.

Sed contra est, quod pueri saluantur per solum baptismum sine aliis sacramentis.

CONCLVSIO.

Tria sunt sacramenta ad salutem necessaria: Baptismus absolute; pænitentia, existenti in peccato mortali: ordo respectu Ecclesiæ: cætera vero Sacramenta sunt eatenus, necessaria, quatenus per ea commodius effectum salutis consequimur.

Respondeo dicendum, quòd necessarium respectu finis, (de quo nunc loquimur) dicitur aliquid dupliciter. Vno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem.

Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita conuenienter: sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria. duo quidem personæ singulari: baptismus quidem simpliciter & absolute, pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiæ: quia vbi non est gubernator, populus corruet, vt dicitur Prouer. 11. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptismum: extrema vnctio pœnitentiam. matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conseruat.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad hoc quod aliquid non sit superfluum, sufficit quòd sit necessarium primo vel secundo modo. Et sic sunt necessaria omnia sacramenta: sicut dictum est *

in co. art.

Ad secundum dicendum, quòd illud verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali: vt Aug * exponit super Ioan.

tra. 26 & 27. circ. 9.

Ad tertium dicendum, quòd licet omnium sacramentorum contemptus, sit saluti contrarius: Non tamen est contemptus sacramenti, ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis: alioquin omnes qui non accipiunt ordinem, & qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiusmodi sacramenta

DISPVTATIO X.

De numero Sacramentorum, & de Sacramentalibus.

Tandem considerandum est circa numerum Sacramentorum, & circa Sacramentalia, quæ in vsu Sacramentorum assumuntur, quid sint; quis possit ea instituere, mutare, & ministrare; quem effectum habeant, & similia.

DVBIVM I.

Vtrùm sint septem Sacramenta Ecclesiæ, nec plura, nec pauciora.

Svpponendum est, esse quandam proportionem, & analogiam inter vitam spiritualem & corporalem; vita spiritualis animæ est per gratiam: vnde sicut in vita corporali, primò recipitur esse viuentis; secundò illud esse perficitur per augmentum, tertiò conseruatur per nutrimentum, quartò debent remoueri infirmitates, & tandem quintò debent reparari vires infirmitatibus deperditæ, vt vita in debito statu perseueret: Sic, proportione seruata, idem contingit respectu vitæ spiritualis animæ mediis Sacramentis Ecclesiæ.

Prima opinio, sed hæretica; negat esse septem Sacramenta Ecclesiæ, hanc sequuntur Hæretici moderni; Lutherani, Caluinistæ, & alij ponentes tantùm duo Sacramenta, videlicet Baptismum, & Cœnam siue Communionem. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ: In Sacra Scriptura non habetur hic numerus septenarius Sacramentorum, imò numerus septenarius dicitur in Apocalypsi pertinere ad Antichristum, ad quem non pertinent Sacramenta. Deinde; Sacramenta nouæ Legis dicuntur fluxisse ex latere Christi, vt explicat S. Augustinus tract. 120. in Ioannem, quando vnus Militum lanceà latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua: constat autem quòd sanguis significat tantùm Eucharistiam; & aqua Baptismum: ergo sunt tantùm hæc duo Sacramenta.

Secundò, probatur authoritate Sanctorum Patrum, qui pauciora quàm septem numerant Sacramenta; Augustinus epist. 118. ad Ianuarium, postquam dixit esse paucissima Sacramenta in noua Lege, facit tantùm mentionem de Baptismo, & Eucharistia. Dionysius in lib. de Ecclesiastica Hierarchiâ addit prædictis duobus Confirmationem, & Ordinem, vnde tantùm numerat quatuor. Et Cyprianus in sermone de Cœna Domini tantùm numerat quinque, videlicet prædicta quatuor; & Pœniten-

Q q tiam

tiam: ergo non sunt septem Sacramenta Ecclesiæ.

Tertiò, si quid suaderet admittenda esse septem Ecclesiæ Sacramenta; maximè ratio Diui Thomæ: sed talis ratio deficit in multis; nam in vita corporali per eandem potentiam augemur, & nutrimur; cùm tamen ad augmentum spirituale ordinetur Confirmatio, & ad nutrimentum item spirituale Eucharistia, quæ sunt Sacramenta distincta. Deinde, in vita corporali eadem remedia tollunt infirmitates, & restituunt sanitatem; & tamen ad hoc in vita spirituali ordinantur duo Sacramenta, videlicet Pœnitentia ad tollendas infirmitates, & extrema vnctio ad restituendam sanitatem. Denique, non sufficienter perficitur homo in ordine ad communitatem per hæc duo Sacramenta Ordinis, & Matrimonij; nam debet perfici in ordine ad communitatem religiosam, & in ordine ad societatem ciuilem, & non tantùm domesticam; quæ tamen non habet ex his duobus Sacramentis, vt patet; nam per Ordinem perficitur tantùm in statu Hierarchico, & per Matrimonium in ordine ad societatem domesticam: ergo non sunt septem Sacramenta Ecclesiæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd secundùm fidem sunt septem Ecclesiæ Sacramenta, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Ita tenent communiter omnes Theologi.

Probatur conclusio authoritate Sacræ Scripturæ, & Conciliorum: In Sacra Scriptura fit mentio horum septem Sacramentorum: Baptismi, Matthæi 28. ad Ephes. 4. Confirmationis Actorum 8. & 19. Eucharistiæ, Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioannis 6. & 1. ad Cor. 11. Pœnitentiæ, Ioannis 20. extremæ Vnctionis, Iacobi 5. Ordinis, Matthæi 26. Matrimonij, ad Ephesios 5. Concilium Florentinum in decreto super vnionem Græcorum & Armenorum definit esse ista septem Sacramenta: & similiter Concilium Tridentinum sess. 7. canone 1. sic ait: Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Vnctioné, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum; anathema sit.

Secundò, probatur communi consensu vniuersalis Ecclesiæ, & authoritate Sanctorum Patrum. In vniuersali Ecclesia constanter docetur esse septem prædicta Ecclesiæ Sacramenta, & hoc non solùm apud Catholicos, sed etiã apud Schismaticos Orientales: hæc autem communis doctrina tam constans non potest haberi, nisi ex Sacra Scriptura, vel traditione continuata ab Apostolis deriuata. Item Sancti Patres vnanimiter hanc sequuntur doctrinam de septenario numero Sacramentorum, vt videre est apud Authores: ergo secundùm fidem sunt septem Ecclesiæ Sacramenta assignata.

Tertiò, probatur ratione D. Thomæ, quæ, supposità eorum institutione, est optima congruentia. Sacramenta sunt instituta à Christo Domino tanquam causæ instrumentales vitæ spiritualis animæ, vt suscipiens sit perfectus in se, & in ordine ad alios in his quæ pertinent ad diuinum cultum, secundùm religionem Christianæ vitæ: sed ad hæc requiruntur septem, vt colligitur ex analogia quam habet vita spiritualis ad vitam corporalem: nam in vita corporali primò incipit homo esse & viuere, secundò augetur, tertiò nutritione conseruatur, quartò ab infirmitatibus liberatur, quintò pristinæ valetudini restituitur, & his in seipso perficitur; in ordine verò ad alios perficitur, vel accipiendo potestatem regendi multitudinem, vel eam propagando: vnde in vita spirituali est Baptismus, per quem incipit homo viuere vita spirituali: Confirmatio, per quam accipit virtutem & robur spiritus: Eucharistia, qua spiritualiter nutritur: Pœnitentia, per quam liberatur ab infirmitatibus animæ, scilicet peccatis: Extrema Vnctio, qua sublatis reliquiis peccatorum pristinæ saluti restituitur; Ordo, quo accipit potestatem spiritualem super multitudinem Christiani populi: & tandem Matrimonium, quo populus fidelis augetur: ergo sunt septem Ecclesiæ Sacramenta assignata, nec plura, nec pauciora. Alias affert D. Thom. hîc art. 1. congruentias ad probandum septenarium numerum Sacramentorum nouæ Legis.

AD primum ergo, dicendum, quòd licèt non habeatur expressa in Scripturis hæc propositio: Sunt septem Ecclesiæ Sacramenta: sicut nec habetur ista; Sunt quatuor Euangelia: vtraque tamen habetur implicitè per hoc quòd in Scriptura sacra fiat mentio horum septem Sacramentorum, & non plurium, & adducantur hæc quatuor Euangelia, & non alia. Pertinet autem ad Antichristum numerus septenarius, non Sacramentorum Ecclesiæ, sed Regum qui ei adhærebunt, vt explicat ipsemet S. Ioannes. Ad aliud, dicendum, quòd Sacramenta Ecclesiæ dicuntur fluxisse de latere Christi crucifixi, quia habent virtutem causatiuam gratiæ ex passione Christi; vnde hæc locutio est mystica, & non litteralis; nam verè ante Passionem fuerunt instituta à Christo Domino omnia septem Ecclesiæ Sacramenta: tantùm ille sanguis, & aqua quæ fluxerunt de latere Christi, mysticè significabant duo præcipua Ecclesiæ Sacramenta, videlicet Baptismum, & Eucharistiam.

AD secundum, dicendum, quòd Sancti Patres omnes admittunt septem assignata Ecclesiæ

sint Sacramenta; quòd autem non semper faciant mentionem eorum omnium, non arguit quòd alia negent, & solùm admittant ea quorum faciant mentionem: nam faciunt aliquando mentionem vnius, aliquando alterius propter exigentiam materiæ quam tractant: nam idem S. Augustinus in epistola 19. facit mentionem extremæ Vnctionis, & Matrimonij in libro de bono coniugali cap. 18. & alibi de aliis.

Ad tertium, dicendum, quòd ratio D. Thom. est optima congruentia; vnde ad eius primam impugnationem, dicendum, quòd in doctrina D. Thom. potentia augmentatiua, & potentia nutritiua realiter distinguuntur; vnde est etiam paritas quantùm ad hoc inter vitam spiritualem & corporalem. Ad aliud, dicendum, quòd ordinariè & per se loquendo, remedia quæ purgant ab infirmitatibus, non dant integram sanitatem, & perfectam valetudinem, vt patet; vnde etiam in vita spirituali debent esse Sacramenta distincta, vnum ad purgandum ab infirmitatibus animæ; aliud ad reparandam pristinam sanitatem. Ad aliud, dicendum, quòd per Sacramentum Ordinis homo perficitur in ordine ad multitudinem Christianam; non in hoc quòd possit debitè viuere, hoc enim sufficienter per alia Sacramenta; sed vt habeat potestatem exercendi actus Hierarchicos, quæ potestas etiam habetur in statu religioso virtute eiusdem Sacramenti Ordinis: vt autem possit debitè viuere secundùm statum religiosum, habet beneficio aliorum Sacramentorum, & aliis adminiculis quæ sunt in Religione. Similiter dicendum, quòd Sacramentum Matrimonij non est institutum in ordine ad societatem domesticam tantùm; cùm hæc sine tali Sacramento reperiatur inter parentes & filios, & inter fratres; sed in ordine ad multiplicandum populum fidelem.

DVBIVM II.

Vtrùm Eucharistia Sacramentum sit præcipuum inter alia.

SVpponendum est ex D. Thom. hîc art. 2. Sacramentum Eucharistiæ non esse primum inter alia ordine generationis. Hoc probat efficaciter ratio D. Thomæ, probando hunc esse ordinem generationis inter Sacramenta; vt primò sit Baptismus, secundò Confirmatio, tertiò Eucharistia, quartò Pœnitentia, quintò Extrema Vnctio, sextò Ordo, septimò Matrimonium. Quia ex vna parte sicut prius est vnum quàm multitudo; sic Sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem vnius singularis personæ, præcedunt naturaliter ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis: vnde Ordo & Matrimonium sunt vltima Sacramenta, vt pote ordinata ad perfectionem multitudinis; Ordo autem est prior Matrimonio, quia magis participat de spirituali vita, ad quam ordinantur Sacramenta. Inter alia verò Sacramenta ordinata ad perfectionem singularis personæ; cùm Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia ad illam per se ordinentur, naturaliter sunt priora Pœnitentiâ, & extremâ Vnctione, quæ solùm ordinantur ad illam per accidens, scilicet ad remouendum accidens nociuum superueniens; posterior tamen est naturaliter extrema Vnctio quæ perficit sanationem, quàm Pœnitentia quæ inchoat. Inter alia verò tria Baptismus est priùs, cùm sit spiritualis regeneratio; deinde Confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; denique Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finis. Hæc Diuus Thomas. Vnde in præsenti quærimus, an Sacramentum Eucharistiæ sit primum ordine dignitatis.

Prima opinio negat Eucharistiæ Sacramentum esse præcipuum inter alia. Probatur; Sacramenta sunt quædam instrumenta Dei, ordinata ad vitam spiritualem animæ: sed illud est perfectius, quod dat simpliciter vitam, quàm aliud quod tantùm vitam perficit & conseruat, propterea enim in ordine ad vitam corporalem; potentia generatiua est perfectior, quàm augmentatiua, & nutritiua: ergo cùm Baptismus det simpliciter vitam animæ, est enim spiritualis regeneratio, est perfectior quàm Eucharistia quæ tantùm conseruat hanc vitam.

Secundò; Si quid suaderet Sacramentum Eucharistiæ esse præcipuum inter alia; maximè quia alia ordinantur ad illud, vt docet D. Thom. hîc artic. 3. quia finis semper est potior iis, quæ ordinantur ad finem: sed alia Sacramenta ab intrinseco non ordinantur ad Eucharistiam, at ad suos fines proprios, scilicet ad dandam specialem gratiam Sacramentalem: ab extrinseco autem licèt possint ordinari ad Eucharistiam, etiam Eucharistia potest ad illa ordinari; & de facto aliquando ordinatur, vt cùm aliquis communicat ad dignè recipienda Sacramenta Ordinis, & Matrimonij; imò Eucharistia priùs datur infirmis, quàm extrema Vnctio: non alia ratione; nisi vt infirmum ad illam disponat: ergo Eucharistiæ Sacramentum non est præcipuum inter alia.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd secundùm fidem omnia Ecclesiæ Sacramenta non sunt æqualia in perfectione, sed vnum est perfectius alio. 2. Et Eucharistia est excellentissimum Sacramentum, & præcipuum inter alia. Ita communiter omnes Theologi cum D. Th. hîc artic. 3.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini, quod sess. 7. canone 3. sic

3. sic eam definit: Si quis dixerit hæc septem Sacramenta, ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

Probatur secunda pars conclusionis, & simul confirmatur prima, authoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. vbi inter alia, quæ dicit de Eucharistiæ excellentia, hæc habet: Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem: verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante vsum est. Et hæc est prima ratio, quam hîc art. 3. adducit D. Thomas. Secunda est, quia omnia alia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, tanquam ad suum finem vniuersalem, vt statim dicetur; cùm effectus ipsius sit quædam coniunctio ipsius comedentis cum Christo, iuxta illud: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in eo: ad quam coniunctionem conducunt alia Sacramenta, vel illam significant. Tertia est, quia omnia alia Sacramenta habent virtutem causandi gratiam dependenter ab Eucharistia: propterea S. Dionysius vocat eam cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, finem & consummationem reliquorum Sacramentorum. Ad quod ostendendum confertur Eucharistia ordinariè in vsu aliorum Sacramentorum: vnde secundùm ritum Ecclesiæ Ordinati communicant, & etiam Baptizati si sint adulti. Quod totum confirmatur ex præcipua reuerentia, quæ huic Sacramento præ aliis exhibetur ab Ecclesia, & ex speciali nomenclatura sanctissimi Sacramenti, quæ ei per anthonomasiam conceditur.

Ad primum ergo, dicendum, quòd comparatio inter vitam spiritualem, & vitam corporalem non tenet quantùm ad omnia, vt apparet in præsenti: nam per generationem qua primò habetur vita corporalis producitur totum suppositum; per nutritionem verò, & augmentationem tantùm producitur pars illius. Per regenerationem autem Baptismi, qua primò habetur vita spiritualis, nihil substantiale producitur, at tantùm accidens supernaturale, quod est gratia; quod per nutritionem Eucharisticam perficitur, & talis perfectio excedit primam productionem. Quòd autem Eucharistia non producat ordinariò primam gratiam, siue primò gratiam, hoc non prouenit ex defectu & imperfectione ipsius; cùm, vt dictum est, aliquando producat: sed potiùs ex perfectione, & excellentia, ratione cuius non debet ministrari, nisi subiecto benè disposito & existenti in gratia.

Ad secundum, dicendum, quòd licèt alia Sacramenta habeant proprios fines proximos, ad quos ordinantur; habent tamen alios fines remotos & vniuersales, vt Deum qui est vniuersalissimus & vltimus omnium, & Christum, qui est etiam finis vniuersalis ad quem alia omnia ordinantur, iuxta illud Apostoli: Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Et quia in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento Christus Dominus verè & realiter est, ideo etiam ad hoc Sacramentum continens Christum, alia Sacramenta ab intrinseco ordinantur; & non tantùm ab extrinseco, sicut Eucharistia potest ordinarì ad alia; quod non repugnat eius perfectioni: ab extrinseco enim perfectiuum potest ordinari ad perfectibile.

DVBIVM III.

Vtrùm omnia Sacramenta sint necessaria ad salutem.

Svpponendum est, aliquid posse esse necessarium ad finem tripliciter: Primò necessitate medij siue finis, quando est medium ita necessarium, vt sine ipso finis non possit acquiri, vel absolutè, & tunc dicitur simpliciter necessarium, vt cibus ad vitam; vel non tam benè, & tunc dicitur necessarium secundùm quid & ad melius esse, vt equus ad iter agendum. Secundò, necessitate præcepti diuini, vel humani. Tertiò vtroque modo. Et applicando ad præsentem materiam, aliquid potest esse necessarium ad salutem; vel necessitate medij siue finis, quia sine illo salus non potest acquiri absolutè, aut non tam benè; vel necessitate præcepti diuini aut humani, sine quo potest quis saluari, sed supposito præcepto tenetur adimplere si possit; vel tandem vtraque necessitate, & medij, & præcepti. Vnde inquitimus in præsenti, vtrùm omnia Sacramenta sint necessaria ad salutem æternam, & vtrùm sint necessaria, tam necessitate medij, quàm præcepti. Et vt separemus certa ab incertis, non est dubium quin omnia Sacramenta sint necessaria necessitate medij secundùm quid & ad melius esse, vt docet D. Thom. hîc art. 4. aliàs essent superflua in Ecclesia, quia Sacramenta debent esse quædam remedia spiritualia ordinata ad salutem, vnde vt non sint superflua, debent aliquo modo ad eam conducere.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Sacramentum Baptismi est necessarium simpliciter ad salutem, tam necessitate medij, quàm præcepti. 2. Sacramentum Confirmationis non est necessarium simpliciter, nec necessitate medij, nec necessitate præcepti. 3. Sacramentum Eucharistiæ, quamuis in re susceptum non sit necessarium necessitate medij; benè tamen in voto susceptum. 4. Sacramentum Pœnitentiæ in re est peccatoribus necessarium, tam necessitate

te medij, quàm præcepti diuini, si percipi possit. 5. Sacramentum Extremæ-Vnctionis nec in re, nec in voto est vllo modo necessarium. 6. Sacramentum Ordinis, licèt non sit necessarium personis particularibus; est tamen simpliciter necessarium in Ecclesia necessitate medij, & etiam præcepti. 7. Sacramentum Matrimonij neutro modo est particularibus necessarium ad salutem; toti autem Ecclesiæ est necessarium ad multiplicandum debitè numerum Electorum. Hæc conclusio quoad omnes partes est communis inter Thomistas, & communior inter Theologos: breuiter in præsenti probatur; nam examen exactum ipsius pertinet ad materiam singulorum Sacramentorum.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D.Thom. hìc artic. 4. vbi expressè dicit, quòd Baptismus est simpliciter & absolutè necessarius necessitate finis cuilibet singulari personæ. Deinde, authoritate Scripturæ & Concilij Tridentini. Ioannis, 3. dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire regnum cœlorum. Concilium Tridentinum sess. 7. canone 5. de Baptismo ait: Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit. Et sess. 5. in decreto peccati originalis determinat quòd non tollitur peccatum originale quàm per meritum Iesu Christi, & quòd tale meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum, tam adultis, quàm paruulis applicatur. Denique probatur ratione D.Thom. Nullus potest saluari, nisi vniatur & incorporetur Christo Domino, vt dicitur ad Rom. 5. sed per solum Baptismum possumus vniri & incorporari Christo, vt patet ad Galatas 3. ergo Sacramentum Baptismi est simpliciter necessarium ad salutem, tam necessitate medij, quàm præcepti; vtraque enim necessitas habetur in authoritatibus & ratione adductis. Hæc autem necessitas obligat ad suscipiendum actu in re Baptismum, si fieri possit: si autem fieri non possit sufficit habere illum in voto, vt docent communiter Theologi, & determinat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. vbi sic ait: Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Iesum Christum Saluatorem nostrum, post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest. Et ratio est; quia Deus pronior est ad misericordiam, quàm ad puniendum: vnde si sufficit ad peccatum votum rei malæ, multò magis sufficiet ad iustificationem votum Baptismi, & consequenter sufficit ad salutem. Maximè quia conceditur sufficere ad salutem votum confessionis, quando non potest actu fieri: hoc votum Baptismi dicitur Baptismus flaminis; vtrùm autem hoc votum debeat esse explicitum, vel sufficiat quòd sit implicitum? differunt Authores.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D.Thom. hic art. 4. & infra quæst. 72. art. 8. ad 4. vbi dicit, quòd morituris Sacramentum Confirmationis dandum est; non quia damnarentur, nisi fortè propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis paterentur: ex quo manifestè colligitur, quòd nec est de necessitate medij, nec de necessitate præcepti. Deinde, quòd non sit de necessitate medij, probatur authoritate Ecclesiæ, quæ non confert hoc Sacramentum ante vsum rationis, ante quem tamen multi moriuntur; vnde non credit esse illis necessarium ad salutem, vel erraret negligendo remedium omninò necessarium adhibere suis filiis, quod vltimum dici non potest sine impietate. Quòd non sit de necessitate præcepti, probatur; quia non inuenitur tale præceptum in Sacris Scripturis, nec colligitur ex eis: maximè quia hoc Sacramentum non datur ad simpliciter profitendam fidem, sed tantùm ad melius & fortiùs profitendam: quòd si non est præceptum diuinum, nec est Ecclesiasticum, quia Ecclesia non ponit præcepta circa Sacramenta, nisi supponendo præceptum diuinum circa hæc, illud determinando & explicando. Ex quo sequitur nullum esse peccatum etiam veniale, non velle suscipere hoc Sacramentum, quia vbi non est Lex, nec est præuaricatio. Nec ex negatione huius voluntatis sequitur quòd adsit contemptus, vt ait: D.Thom. hìc art. 4. ad 3. ait enim; Licèt omnium Sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus Sacramenti, ex hoc quòd aliquis non curat accipere Sacramentum, quod non est de necessitate salutis; alioquin omnes qui non accipiunt Ordinem, & qui non contrahunt Matrimonium, contemnerent huiusmodi Sacramenta. Si quis tamen possit hoc Sacramentum facilè recipere, & non curat, timere debet à contemptu, & peccat saltem venialiter prodigendo sic bona spiritualia.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 21. cap. 4. vbi sic ait: Denique eadem sancta Synodus docet paruulos vsu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per Baptismi lauacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Deinde, est communis vsus Ecclesiæ Catholicæ, quòd non omnibus etiam moribundis datur Eucharistia, nisi sint capaces adhibendi debitam reuerentiam huic Sacramento: quod autem est necessarium necessitate medij, nulli denegatur. Quòd autem in voto saltem implicito susceptum sit necessarium Eucharistiæ Sacramentum necessitate medij, docet expressè D.Thom. infra quæst. 73. art. 3. & in

in hoc ſenſu explicat illud Ioannis,6. Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: ibique dicit quòd per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, & ideo ex hoc ipſo quòd pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchariſtiam. Et ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam. Sed de hoc expreſſiùs agetur in proprio tractatu. De neceſſitate præcepti dicendum, quòd quilibet fidelis poſt adeptum vſum rationis tenetur ſemel in anno communicare; ſic enim definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. canone 9. Si quis negauerit omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, iuxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ; anathema ſit. Hæc autem quæ diximus, & dicemus de neceſſitate Sacramentorum in ordine ad ſalutem, debent intelligi, poſita ex voluntate Dei inſtitutione ipſorum: nam certum eſt quòd abſolutè Deus poteſt ſaluare ſine Sacramentis.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate D.Thom. hîc art.4. vbi expreſsè dicit quòd Pœnitentiæ Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate finis ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum. Item authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. vbi ſic ait: Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorũ confeſſionem,& omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus,è terris aſcenſurus ad Cœlos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit,tanquam Præſides & Iudices,ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: ergo Sacramentum Pœnitentiæ in re eſt peccatoribus neceſſarium, tam neceſſitate medij, quàm præcepti diuini, ſi ſic percipi poſſit; ſi autem non poſſit percipi in re, ſufficit quòd percipiatur in voto, vt dictum eſt de Baptiſmo: vnde tunc requiritur actus contritionis formalis, vel virtualis, qualis eſt actus charitatis,& deſiderium huius Sacramenti.

Probatur quinta pars concluſionis authoritate D.Thom. hîc art. 4. & in 4. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 3. ad 1. quem communiter ſequuntur Theologi: vnde quando S. Iacobus ait: Infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes cum oleo in nomine Domini: non eſt præceptum; ſed conſilium. Deinde, ſine extrema Vnctione multi ſaluantur, imò multis non conceditur putà iis qui morte violenta pereunt: ergo non eſt Sacramentum neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem: quia ſi eſſet ſic neceſſarium, non poſſet ſalus ſine eo acquiri; nec denegaretur ab Eccleſia. Ex alia verò parte non inuenitur vllum præceptum, aut naturale, aut poſitiuum de ſumptione huius Sacramenti: non naturale; cùm non ſit ex inſtitutione eius, non enim eſt medium neceſſarium ad ſalutem: nec poſitiuum; quia non habetur in ſacris Litteris, aut ex traditione, aut in Conciliis, ſolùm enim Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. dicit eſſe peccatum illud non recipere ex contemptu: Vnde per ſe loquendo non peccaret, qui non reciperet hoc Sacramentum. Dantur tamen aliqui caſus, in quibus per accidens peccaret, qui non reciperet. Primus eſt, ſi non recipiat ex contemptu formali, aut virtuali, putà ſi rogatus nollet accipere, cùm tantùm ſemel in articulo mortis recipiatur. Secundus eſt, ſi infirmus non poteſt recipere aliud Sacramentum, putà ſi ſacerdos velit illi miniſtrare hoc Sacramentum,& ex malitia nolit audire confeſſionem: ratio eſt quia quilibet tenetur apponere media facilia & ſuauia ad conſequendam animæ ſalutem, cùm teneatur ea adhibere ad conſequendam ſalutem corporis: ſumptio autem huius Sacramenti in hoc caſu eſt huiuſmodi, cùm non poſſit quis eſſe certus ſe eſſe contritum; benè tamen, moraliter loquendo, ſe eſſe attritum, attritio autem in hoc caſu ſufficit cum hoc Sacramento ad iuſtificationem,& conſequenter ad ſalutem. Tertius eſt ratione ſcandali.

Probatur ſexta pars concluſionis authoritate D. Thom. hîc art. 4. vbi ſic ait: Sacramentum autem Ordinis eſt neceſſarium Eccleſiæ: & afferens rationem, ſubiungit: Quia vbi non eſt gubernator, populus corruit, vt dicitur Prouerbiorum, 11. vnde cùm ſine Ordine non poſſint fideles dirigi & peruenire ad finem ſalutis, cùm ſine ipſo non poſſint eſſe Sacramenta Confirmationis, Euchariſtię, Pœnitentiæ,& extremæ-Vnctionis; ſequitur quòd ſit Sacramentum neceſſarium, non quidem perſonis particularibus; ſed eſt neceſſarium quòd ſit in Eccleſia, & hoc neceſſitate medij: & conſequenter neceſſitate præcepti naturalis, quod conſequitur ad neceſſitatem abſolutam ipſius rei. Vnde peccarent Eccleſiæ Rectores ſi eorum culpâ non adminiſtraretur hoc Sacramentum.

Probatur ſeptima pars concluſionis. Quòd Matrimonium non ſit neceſſarium ad ſalutem particularibus, eſt de fide determinatum: cùm Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. canone 10. ſic definierit; Si quis dixerit ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus; & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm iungi Matrimonio; anathema ſit. Quòd autem ſit neceſſarium in Eccleſia ad multiplicandum debitè numerum Electorum, patet: quia licèt ad hanc abſolutè multiplicationem ſufficeret Matrimonium vt eſt officium naturæ, ad illam tamen debitè faciendam concurrit hoc Sacramentum, ratione

ne auxiliorum diuinæ gratiæ quæ intuitu eius dantur coniugatis, vt debitè intendant filiorum procreationi, & educationi.

DVBIVM IV.

Vtrùm Sacramentalia ritè adhibeantur ad vsum Sacramentorum.

SVpponendum est, Sacramentalia esse cæremonias sacras quæ adhibentur in vsu Sacramentorum, vel ad ipsa ordinantur. Illæ quæ adhibentur in vsu, concomitantur ipsa Sacramenta, vt Exorcismi, & alia quæ fiunt in Baptismo: ritus qui obseruantur in missa, in consecratione, & administratione Eucharistiæ, & sic de aliis. Illæ autem quæ ad Sacramenta ordinantur, ea præcedunt, vt benedictio fontis Baptismalis, & vestium Sacerdotalium; Consecratio Chrismatis, Olei infirmorum, templorum; & similia, ad quæ reducitur benedictio Aquæ lustralis; imò ipsa Aqua lustralis vocatur Sacramentale. Sacramentalia ex dictis sic possunt definiri, quòd sunt cæremoniæ, siue actiones religiosæ adiunctæ Sacramentis, vel ad ipsa ordinatæ extra essentiam & integritatem ipsorum existentes; de quibus noster Thomas Vvaldensis integrum volumen edidit.

Prima opinio, sed hæretica, tenet non ritè adhiberi Sacramentalia ad vsum Sacramentorum. Ita tenent moderni Hæretici, qui multa conuitia dicunt contra sacros hos ritus, vocantes eos superfluos, inutiles, vanas gesticulationes, incantationes, & similia. Probatur; In Sacris Scripturis non habetur adhibendas esse has cæremonias in vsu Sacramentorum: ergo sunt ex inuentione humana, vnde non ritè adhibentur in vsu Sacramentorum.

Secundò; Christus Dominus non est vsus his cæremoniis in vsu Sacramentorum, vt cùm absoluit pœnitentes, cùm consecrauit in vltima Cœna, cùm Apostolos consecrauit Sacerdotes: sed in omnibus debemus imitari Christum, maximè in vsu Sacramentorum, cùm ipse dixerit; Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis: ergo Sacramentalia non ritè adhibentur in vsu Sacramentorum.

Tertiò; Pro diuersitate temporum, & locorum diuersa adhibentur Sacramentalia in vsu Sacramentorū: sed hæc diuersitas causat scandalum & confusionem in Ecclesia, quæ non essent, si non adhiberentur hæc Sacramentalia; at tantùm Sacramenta nudè & simpliciter exhiberentur: ergo Sacramentalia non ritè adhibentur in vsu Sacramentorum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentalia ritè adhibentur ad vsum Sacramentorum: 1. Hæc exigente natura Sacramentorū, tanquam diuino cultui conuenientia, & fidelibus vtilia: 3. Aliqua sunt introducta ad imitationem Christi: 4. Plura à tempore Apostolorum continua traditione, ab ipsis instituta, ad nos peruenerunt: 5. Alia denique ab Ecclesia pro diuersitate temporum, & locorum ritè instituta fuerunt. Ita tenent communiter omnes Theologi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 7. canone 13. vbi eam sic definit: Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit. Deinde; Ecclesia non potest errare in his quæ pertinent ad bonos mores, & ad bonum regimen ipsius: ergo Sacramentalia, quæ ab ipsa adhibentur ad vsum Sacramentorum, ritè adhibentur. Denique, hæc Sacramentalia, vt constat experientiâ, excitant populum fidelem ad maiorem Dei cultum, & ad maiorem Sacramentorum venerationem: ergo ritè adhibentur ad vsum Sacramentorum.

Probatur secunda pars conclusionis, tum ex modò dictis, tum quia natura docet Sancta esse sanctè tractanda: ergo Sacramenta cùm sint sancta, naturâ suâ exigunt sanctè tractari, ac proinde quòd ad eorum vsum adhibeantur cæremoniæ sacræ, quæ vocantur Sacramentalia, tanquam diuino cultui conuenientia, & fidelibus vtilia.

Probatur tertia pars conclusionis. Ecclesia in consecratione Eucharistiæ, vtitur aliquibus cæremoniis, & actu illas exercet, dum dicit Christum illis vsum fuisse, quales sunt accipere panem, eleuare oculos in cœlum, benedicere &c. Imò aliqui asserunt aliquas esse de iure diuino, vt admixtionem aquæ vino consecrando factam, vt pote à Christo institutas; quia, vt ait Cyprianus epistola 63. à Christo Domino mandauit quòd consecratio fieret in pane azimo, & quòd aqua admisceretur vino consecrando: ergo aliqua Sacramentalia sunt introducta ad imitationem Christi Domini, & fortassis etiam ex præcepto.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate antiquiorum Sanctorum Patrum, qui referentes aliquas cæremonias vsitatas in Ecclesia, dicunt eas emanare ab Apostolis; vt Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia, Basilius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 27. Augustinus epist. 128. & 129. Leo epist. 81. Item Origenes hom. 5. in numeros. Deinde ex S. Augustino lib. 4. de Baptismo cap. 24. Illa sunt instituta à tempore Apostolorum, & continua traditione ab ipsis ad nos peruenerunt, quæ seruantur & semper fuerunt seruata ab vniuersali Ecclesia, neque habent principium in aliquo Concilio, vel summo Pontifice:

tifice: sed plura sunt Sacramentalia huiusmodi, vt quòd Eucharistia sumatur à ieiunis: ergo plura Sacramentalia ab Apostolis instituta, ab eorum tempore ad nos peruenerunt. Quòd autem Apostoli aliqua instituerint, constat ex duplici authoritate S. Pauli. Prima habetur, 1. Corinth. 4. vbi ait: Sic nos existimet homo vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Secunda habetur 1. Cor. 11. vbi cùm multa ordinasset S. Apostolus circa vsum Sacramentorum, subiungit: Cætera cùm venero disponam.

Probatur quinta pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 21. cap. 2. vbi sic ait: Præterea declarat, (scilicet sancta Synodus) hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, saluâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret. Deinde, Ecclesia, vt pote Christiana Respublica habet potestatem ad se gubernandam, & ad hoc potest condere leges, dummodò non mutet fundamenta Ecclesiæ: sed Sacramentalia non sunt fundamenta Ecclesiæ, vt patet: ergo plura Sacramentalia pro diuersitate temporum, & locorum fuerunt ab Ecclesia ritè instituta. Hæc autem institutio Sacramentalium pro vniuersali Ecclesia tantùm fit à summo Pontifice, vel Concilio generali: possunt autem Episcopi in propriis Ecclesiis aliqua instituere, dummodò intacta remaneant illa vniuersaliter recepta, vel nisi à summo Pontifice, aut Concilio prohibeantur.

Ad primum ergo dicendum, quòd virtualiter in Sacris Scripturis habetur, adhibendas esse has cæremonias ad vsum Sacramentorum, per hoc quòd dicit aliquas, vel similes fuisse institutas à Christo Domino, & ab Apostolis. Deinde, ad hoc sufficeret traditio Apostolica, quæ habet vim Sacræ Scripturæ.

Ad secundum, dicendum, quòd Christus Dominus in administratione Sacramentorum, quæ legitur administrasse, vsus est aliquibus cæremoniis: nam dicitur quòd ante Consecrationem, sumens panem & Calicem benedixit, quòd leuauit oculos in cœlum. Dicitur etiam quòd consecrando suos Apostolos Sacerdotes, insufflauit dicens; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quòd autem nec Christus Dominus, nec Apostoli tot sacris cæremoniis vterentur; proueniebat ex hoc, quòd nec tempora, nec loca illa patiebantur: ab ipsis tamen accepimus esse adhibendas, reddita pace Ecclesiæ.

Ad tertium, dicendum, quòd non nisi iustis de causis, semel introducta Sacramentalia mutantur, vnde eorum mutatio nullum causat scandalum, aut confusionem filiis Ecclesiæ, qui sciunt talem mutationem fieri in ordine ad vtilitatem fidelium, & venerationem Sacramentorum; maximè quia omnia repræsentant aliquod mysterium.

DVBIVM V.

Vtrùm Sacramentalia causent aliquem effectum spiritualem.

Svpponendum est, effectum spiritualem, de quo potest procedere præsens difficultas, esse multiplicem: nam, Primò est gratia habitualis gratum faciens. Secundò, est gratia actualis adiuuans. Tertiò, est remissio culpæ saltem venialis. Quartò, est remissio pœnæ debitæ. Quintò, est expulsio dæmonum, vel cohibitio ne noceant: quibus potest adiungi vtilitas corporalis, vt sanitas, dissipatio tempestatum, abundantia fructuum, & similia. Quæritur igitur in præsenti, an Sacramentalia similes effectus causent, & quomodo. Relictis hæreticis, qui similia tanquam superstitiones abhominantur, agimus hic cum Catholicis.

Prima opinio asserit Sacramentalia causare quidem aliquem effectum spiritualem; at tantùm ex opere operantis. Ita tenent aliqui extra scholam D.Thom. Probatur; Si Sacramentalia causarent ex opere operato aliquem effectum spiritualem, æquarentur Sacramentis in modo, & perfectione causandi; & superarent Sacramenta Legis antiquæ, quæ tantùm causabant moraliter vt conditiones: sed neutrum dici potest, cùm Sacramenta quæcumque, sint perfectiora Sacramentalibus, vt patet: nam Sacramentalia non sunt propter se instituta, at propter Sacramenta: ergo Sacramentalia non causant aliquem effectum spiritualem ex opere operato, at tantùm ex opere operantis.

Secundò; Si Sacramentalia causarent ex opere operato aliquem effectum spiritualem, maximè esset expulsio dæmonum; ad quam per se ordinantur aliqua Sacramentalia; putà Exorcismus præcedens Baptismum; Aqua benedicta & similia: sed hæc non possunt causare hunc effectum ex opere operato physicè, quia Angeli boni aut mali non possunt expelli, nisi medio motu ab extrinseco, hic autem sequitur ad impulsum, qui non potest causari in spiritu à re corporea: ergo Sacramentalia non causant ex opere operato physicè aliquem effectum spiritualem.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd est certissimum Sacramentalia causare aliquem effectum spiritualem ex opere operantis: 2. Ex opere operato autem non causant immediatè gratiam gratum facientem, nec physicè, nec moraliter. 3. Auxilia diuinæ gratiæ causant

ex

ex opere operato moraliter tantùm: 4. Sicut & effectus corporales assignatos; 5. Remissionem etiam peccati venialis, & pœnæ ipsi debitæ causant ex opere operato solùm moraliter, sicut & expulsionem dæmonum. Hæc conclusio est communis inter Thomistas, quamuis aliqui velint, quòd Sacramentalia causant etiam physicè remissionem peccati venialis, & expulsionem Dæmonum.

Probatur prima pars conclusionis, quilibet actus virtutis siue religiosus est meritorius secundùm se, & causat aliquem effectum spiritualem quantùm est in se; gratiæ quidem augmentum, nisi sit obex ex parte operantis; saltem disponit ad sanctificationem: sed vsus Sacramentalium est actus religiosus vt patet: ergo Sacramentalia causant aliquem effectum spiritualem ex opere operantis. Deinde, vsus Sacramentalium maximè excitat affectum deuotionis, quo meremur gratiam, quam proinde causat medio illo affectu operantis: ergo Sacramentalia causant aliquem effectum spiritualem ex opere operantis.

Probatur secunda pars conclusionis. Est proprium Sacramentorum significare simul & causare aliquo modo immediatè gratiam gratum facientem; Sacramenta quidem nouæ Legis illam causant physicè: Sacramenta verò Legis antiquæ illam causabant moraliter: quia, vt dictum est, Sacramentum est signum aliquo modo practicum rei sacræ sanctificantis hominem: ergo Sacramentalia non causant gratiam gratum facientem ex opere operato, nec physicè, nec moraliter.

Probatur tertia pars conclusionis, quòd scilicet Sacramentalia causent auxilia diuinæ gratiæ ex opere operato moraliter per modum impetrationis. Probatur authoritate Ecclesiæ, quæ consecrans templa, benedicens Aquam lustralem, & similia, petit à Deo vt orantes in templis illis, & vtentes similibus protegantur ab ipso contra inimicum &c. sed petitiones Ecclesiæ regulariter audiuntur: ergo Sacramentalia causant ex opere operato moraliter auxilia diuinæ gratiæ immediatè, & mediantibus illis ob dispositionem subiecti subsecutam ad talia auxilia, etiam causant primam gratiam, vel augmentum gratiæ sanctificantis. Deinde, experimur sæpe hanc causalitatem; videmus enim quòd maiori cum deuotione oramus in Ecclesia quàm alibi, quòd sumptione aquæ benedictæ excitatur affectus deuotionis. Denique, id docet D.Thom. infra, quæst. 70. art. 3. vbi dicit vnctionem, quæ fit in capite baptizati, conferre auxilium Dei, ad conseruandam gratiam baptismalem: & quæst. 83. artic. 3. dicit, templum & res alias ab Ecclesia consecratas habere quandam virtutem spiritualem, per quam redduntur apta diuino cultui. Ex his sequitur hanc causalitatem non esse omninò infallibilem, quia non fundatur in aliqua promissione facta ex parte Dei; sed tantùm in impetratione Ecclesiæ, quæ non semper impletur. Quòd autem Sacramentalia causent hæc auxilia moraliter tantùm, & non physicè; probatur: quia ex vna parte nullum habetur sufficiens fundamentum hoc asserendi: & ex alia, nec ista efficacia conceditur ipsis Sacramentis; solùm dantur auxilia diuinæ gratiæ ad exigentiam gratiæ Sacramentalis, quæ proinde concurrit tantùm ad illa moraliter, quamuis ad eius exigentiam infallibiliter à Deo concedantur ratione pacti initi, vt dictum est: ergo multò minùs Sacramentalia causant ex opere operato physicè auxilia diuinæ gratiæ.

Probatur quarta pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. qui docet quòd virtute Exorcismorum Ecclesiæ coërcetur Dæmonis potestas ne causet infirmitates, tempestates, sterilitates, & similia: & hoc quia suis orationibus sæpe Ecclesia impetrat: tum etiam authoritate Ecclesiæ, quæ Sacramentalia adhibet in ordine ad hos effectus, vt orationes, benedictiones, aspersionem Aquæ benedictæ, & similia. Quòd autem non causent hos effectus physicè, patet: quia non semper illos causant, causarent autem semper, si haberent virtutem causandi ex opere operato physicè, cùm non sit vnde possit aduenire impedimentum.

Probatur quinta pars conclusionis, authoritate Ecclesiæ quæ errare non potest: Ecclesia autem instituit aliqua Sacramentalia ad remissionem peccatorum venialium, vt putà aspersionem Aquæ benedictæ; sicut & ad expulsionem Dæmonum, vt eandem aspersionem Aquæ benedictæ, Exorcismos, & similia: ergo causant ex opere operato hos effectus, quod manifestè apparet in expulsione Dæmonum. Quòd si remittant peccata venialia ex opere operato, etiam remittent pœnam eis debitam; si enim hoc fit, per applicationem indulgentiarum, etiam poterit fieri per applicationem Sacramentalium. Quòd autem hoc non fiat physicè, patet in expulsione Dæmonum, quæ infallibiliter non sequitur, sicut sequeretur, si Sacramentalia haberent virtutem expellendi physicè. Igitur Minister Ecclesiæ virtute Exorcismorum, & precum Ecclesiæ, quæ regulariter exaudiuntur, impetrat à Deo vt ab Energumenis, eius diuina virtute, vel augmento pœnarum expellantur Dæmones.

Ad primum ergo, dicendum, quòd tam Sacramenta nouæ Legis, quàm antiquæ Legis sunt signa gratiæ sanctificantis, quod non habent Sacramentalia. Insuper Sacramenta nouæ Legis illam immediatè causant physicè ex opere operato; Sacramentalia autem causant tantùm illam moraliter, & adhuc remotè; vnde

sunt multùm inferiora Sacramentis in modo causandi. Similiter Sacramenta antiquæ Legis erant per se ordinata ad causandam gratiam sanctificantem, licèt tantùm moraliter causarent; Sacramentalia verò non sunt per se ordinata ad causandam gratiam sanctificantem, sed ad alios effectus, vnde non pertingunt ad perfectionem Sacramentorum.

Ad secundum, dicendum, quòd illa Sacramentalia causant ex opere operato expulsionem Dæmonum, sed non physicè: non quòd non possent causare, si Deus vellet, vt intendit argumentum; si enim ignis inferni illos physicè cruciat, tanquam instrumentum Dei, non videtur quare aliquod corporeum Sacramentale non possit à Deo assumi, quod virtute recepta eos physicè attingat, & recedere cogat. Hoc autem non asserimus de facto fieri, quia non habetur sufficiens fundamentum.



TRACTATVS

TRACTATVS TERTIVS
DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PROLOGVS.

INSTITVENS hoc sanctissimum, & suauissimum Eucharistiæ Sacramentum misericors & miserator Dominus, memoriam fecit mirabilium suorum: tum quia escam dedit timentibus se, Panem videlicet vitalissimum Angelorum, escam plusquam dulcissimi saporis, quæ in ferculis amoris ministratur populo captiuo: tum quia in eo multa concurrunt supernaturalia ac pene incomprehensibilia, vt ex dicendis constabit. Vnde si alicubi maximè hîc oportet captiuare intellectum in obsequium fidei, & cum humilitate potiùs, quàm curiositate illud scrutari, ne nimis curiosi scrutatores maiestatis eius effecti ab immensa & incomprehensibili gloria opprimamur. Eucharistia græcè idem est ac latinè bona gratia, vt ait D.Thom. hîc art. 4. hoc autem nomine insignitur principaliter hoc Sacramentum, quia realiter continet Christum Dominum, qui est plenus gratia in se quasi vnigenitus à Patre, & fons gratiæ respectu aliorum. Variis etiam aliis nominibus appellatur apud Sanctos Patres, scilicet Communio siue Synaxis ac participatio corporis Christi, Sacramentum corporis & sanguinis Christi, Sacramentum altaris, Sacramentum fidelium, Cœna Dominica, & tandem per antonomasiam sanctissimum Sacramentum: quia nobilius cæteris, ac aliorum finis: eius quippe vsus est principalis actus diuini cultus in religione Christiana, ex D. Thom. supra quæst.63. art.6.

QVÆSTIO LXXIII.

De Sacramento Eucharistiæ secundum se in sex articulos diuisa.

CONSEQVENTER considerandum est de sacramento Eucharistiæ. Et primò, de ipso sacramento, secundò de materia, tertio de forma, quartò de effectibus, quintò de recipientibus hoc sacramentum, sextò de ministro, septimò de ritu.

¶ Circa primum quæruntur sex.
¶ Primò, vtrùm Eucharistia sit sacramentum.
¶ Secundò, vtrùm sit vnum vel plura.
¶ Tertio, vtrùm sit de necessitate salutis.
¶ Quartò, de nominibus eius.
¶ Quintò, de institutione ipsius.
¶ Sextò, de figuris eius.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Eucharistia sit Sacramentum.

416 ..art.4. AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd Eucharistia non sit sacramentum. Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta: quia vnumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum: Cum ergo ad perfectionem ordinetur & confirmatio & Eucharistia (vt dicit Dio. 4. ecc. hie.) videtur Eucharistia non esse sacramentum, cùm confirmatio sit sacramentum, vt prius habitum est. † & qu.79 art.3.& 7. & 4.d. 8. q.8.art.1. q.1. cap.2. Eccl. hier. ante me. & sup. q.10 prin. † qu.65. a.4.& qu. præ.a.1. qu.62. & 63.art.1.

¶ 2 Præterea, In quolibet sacramento nouæ legis id quod visibiliter subiicitur sensui, efficit inuisibilem effectum sacramenti: sicut ablutio aquæ, causat & characterem baptismalem, & ablutionem spiritualem: sicut supra dictum est. * Sed species panis & vini, quæ subiiciuntur sensui in hoc sacramento, non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod est res, & sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia. Ergo videtur, quod Eucharistia non sit sacramentum nouæ legis.

¶ 3 Præterea, Sacramenta nouæ legis habentia materiam, in vsu materiæ perficiuntur: sicut baptismus in ablutione, & confirmatio in chrismatis consignatione. Si ergo eucharistia sit sacramentum, perficeretur in vsu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ. Quod patet esse falsum: quia forma huius sacramenti, sunt verba quæ in consecratione materiæ dicuntur vt infra patebit. * Ergo eucharistia non est sacramentum. q.78 a.1

SED contra est, quod in collecta dicitur, Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.

CONCLVSIO

Præter baptiſmi, & confirmationis Sacramentum, ſpiritualis in Eccleſia Dei eſt Euchariſtiæ Sacramentum, tanquam animarum ſpirituale alimentum.

Respondeo dicendum, quòd ſacramenta Eccleſiæ ordinantur ad ſubueniendum homini in vita ſpirituali. Vita autem ſpiritualis, vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia, ſpiritualium ſimilitudinem gerunt. Manifeſtum eſt autem, quod ſicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ: ita etiam requiritur alimentum, quo homo conſeruatur in vita. Et ideo ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio, & confirmationem, quæ eſt ſpiritualis augmentum: ita oportuit eſſe ſacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd duplex eſt perfectio. Vna quæ eſt in ipſo homine, ad quam perducitur per augmentum & talis perfectio competit confirmationi. Alia autem eſt perfectio, quam homo conſequitur ex adiunctione alicuius extrinſeci, hominem conſeruantis: puta ex adiunctione cibi, vel indumenti, vel alicuius huiuſmodi, & talis perfectio competit euchariſtiæ, quæ eſt ſpiritualis refectio.

Ad ſecundum dicendum, quòd aqua baptiſmi non cauſat aliquem ſpiritualem effectum propter ipſam aquam, ſed propter virtutem Spiritus ſancti in aqua exiſtentem. Vnde Chryſ.* dicit ſuper illud Io. 5. Angelus Domini ſecundum tempus, &c. In baptizatis non ſimpliciter aqua operatur: ſed cum ſpiritus ſancti ſuſceperit gratiam, tunc omnia ſoluit peccata. Sicut autem ſe habet virtus ſpiritus ſancti ad aquam baptiſmi: ita ſe habet corpus Chriſti verum ad ſpecies panis & vini. Vnde ſpecies panis & vini non efficiunt aliquid niſi virtute corporis Chriſti veri. — *hom. 35. in Ioan. inter princ. & med. to. 3.*

Ad tertium dicendum, quòd ſacramentum dicitur ex eo, quod continet aliquid ſacrum. Poteſt autem aliquid eſſe ſacrum dupliciter, ſcilicet abſolutè, & in ordine ad aliud.

Hæc autem eſt differentia inter euchariſtiam & alia ſacramenta habentia materiam ſenſibilem, quod euchariſtia continet aliquid ſacrum abſolute, ſ. ipſum Chriſtum, aqua vero baptiſmi continet aliquid ſacrum in ordine ad aliud, ſ. virtutem ad ſanctificandum, & eadem ratio eſt de chriſmate & ſimilibus. Et ideo ſacramentum euchariſtiæ perficitur in ipſa conſecratione materiæ, alia vero ſacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum.

Et ex hoc etiam conſequitur alia differentia, nam in ſacramento euchariſtiæ id quod eſt res & ſacramentum, eſt in ipſa materia: id autem quod eſt res tantum, eſt in ſuſcipiente, ſcilicet gratia quæ confertur: in baptiſmo autem vtrumque eſt in ſuſcipiente, ſcilicet & character, qui eſt res & ſacramentum, & gratia remiſſionis peccatorum, quæ eſt res tantum, & eadem ratio eſt de aliis ſacramentis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hoc Sacramentum ſit vnum vel plura.

417 AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd euchariſtia non ſit vnum ſacramentum, ſed plura. Dicitur enim — *Inf. q. 78. a. 6. ad 2. & 4. d. 8. q. 1. art. 2. q. 2.*

in collecta. Purificent nos domine ſacramenta, quæ ſumpſimus. Quod quidem dicitur propter euchariſtiæ ſuſceptionem. Ergo euchariſtia non eſt vnum ſacramentum, ſed plura.

¶ 2 Præterea, impoſſibile eſt multiplicato genere, non multiplicari ſpeciem, ſicut quod vnus homo ſit plura animalia. Sed ſignum eſt genus ſacramenti, vt ſupra dictum * eſt. Cum igitur in euchariſtia ſint plura ſigna, ſ. panis & vinum, videtur conſequens eſſe, quod ſint plura ſacramenta. — *q. 60. a. 1.*

¶ 3 Præterea, Hoc ſacramentum conficitur in conſecratione materiæ: ſicut dictum eſt *. Sed in hoc ſacramento eſt duplex materiæ conſecratio. Ergo eſt duplex ſacramentum. — *art. præc.*

Sed contra eſt, quòd Apoſt. dicit 1. Cor. 10. Vnus panis & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus, ex quo patet, quod euchariſtia eſt ſacramentum eccleſiaſticæ vnitatis. Sed ſacramentum ſimilitudinem gerit rei, cuius eſt ſacramentum. Ergo euchariſtia eſt vnum ſacramentum.

CONCLVSIO.

Cùm in euchariſtiæ ſacramento ſpiritalis cibus & potus ad refectionem ſpiritualem rite concurrant, perſpicuum eſt, hoc ſacramentum, licet materialiter multa, perfectione tamen formaliter vnum eſſe.

Respondeo dicendum, quod ſicut dicitur 5. met. * vnum dicitur, non ſolum quod eſt indiuiſibile, vel quod eſt continuum, ſed etiam quod eſt perfectum: ſicut dicitur vna domus & vnus homo. Eſt autem vnum in perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia quæ requiruntur ad finem eiuſdem: ſicut homo integratur ex omnibus membris neceſſariis ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ ſunt neceſſariæ ad inhabitandum: & ſic hoc ſacramentum dicitur vnum. Ordinatur enim ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſ. cibus, qui eſt alimentum ſiccum: & potus qui eſt alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius ſacramenti, duo concurrunt, ſ. ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus: ſecundum illud Ioan. 6. Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus. Ergo hoc ſacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed vnum formaliter & perfectiue. — *lib. 5. met. à tx. 9. vſque ad 12. tom. 3.*

Ad primum ergo dicendum, quòd in eadem collecta & pluraliter dicitur primo, Purificent nos ſacramenta quæ ſumpſimus: & poſtea ſingulariter ſubditur, Hoc nobis ſacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, vt oſtendatur quod hoc ſacramentum quodammodo eſt multa: ſimpliciter autem vnum.

Ad ſecundum dicendum, quòd panis & vinum materialiter quidem ſunt plura ſigna: formaliter vero & perfectiue vnum, inquantum ex eis perficitur refectio.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod eſt duplex conſecratio materiæ huius ſacramenti, non poteſt plus haberi, niſi quod hoc ſacramentum materialiter eſt multa, vt dictum eſt. * — *in cor. ar.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm Euchariſtia ſit de neceſſitate ſalutis.

428 AD TERTIVM, ſic proceditur. Videtur, quòd hoc ſacramentum ſit de neceſſitate ſalutis. Dicit enim Dominus — *Inf. q. 80. a. 11. & 4. d. 9. a. 1. q. 2. & d. 12. q. 3. a. 2. & Io. 6. le. 7. co. 8.*

Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in hoc ſacramento manducatur caro Chriſti, & bibitur ſanguis eius. Ergo ſine hoc ſacramento non poteſt homo habere ſalutem ſpiritualis vitæ.

¶ 2 Præterea, Hoc ſacramentum eſt quoddam ſpirituale alimentum. Sed alimentum corporale eſt de neceſſitate corporalis ſalutis. Ergo etiam hoc ſacramentum eſt de neceſſitate ſpiritualis ſalutis.

¶ 3 Præterea, Sicut baptiſmus eſt ſacramentum Dominicæ paſſionis, ſine qua non eſt ſalus, ita & euchariſtia. dicit enim Apoſt. 1. Cor. 11. Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Ergo ſicut baptiſmus eſt de neceſſitate ſalutis, ita etiam hoc ſacramentum.

Sed contra eſt, quod Auguſt. * ſcribit Bonifacio, contra Pelag. Nec illud cogitetis, paruulos vitam habere non poſſe, qui ſunt expertes corporis & ſanguinis Chriſti. — *li. 4. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 88. in medio tom. 7.*

CONCLVSIO.

Quanquam non quoad realem perceptionem ſicut baptiſmus, Euchariſtiæ ſacramentum ad ſalutem neceſſarium ſit, eſt tamen ex parte rei, quæ eſt vnitas corporis myſtici, neceſſarium ad ſalutem.

Respondeo dicendum, quòd in hoc ſacramento duo eſt conſiderare, ſ. ipſum ſacramentum & rem ſacramenti. Dictum eſt autem, quod res huius ſacramenti eſt vnitas corporis myſtici ſine qua non poteſt eſſe ſalus: nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluuio abſque arca Noe, quæ ſignificat Eccleſiam: vt habetur 1. Pet 3. Dictum eſt autem ſupra, * quod res alicuius ſacramenti haberi poteſt ante perceptionem ſacramenti, ex ipſo voto ſacramenti percipiendi. Vnde ante perceptionem huius ſacramenti, poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc ſacramentum: ſicut & ante baptiſmum ex voto baptiſmi, vt ſupra dictum eſt. * Eſt tamen differentia, quantum ad duo. Primo quidem, quia baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & ianua ſacramentorum: Euchariſtia vero eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium ſacramentorum finis (vt ſupra dictum eſt, *) per ſanctificationes enim omnium ſacramentorum, fit præparatio ad ſuſcipiendam vel conſecrandam Euchariſtiam. Et ideo perceptio baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam, perceptio autem euchariſtiæ eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam: non ad hoc quod ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio & intentione. Alia differentia eſt: quia per baptiſmum ordinatur homo ad euchariſtiam: & ideo ex hoc ipſo, quòd pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad euchariſtiam, & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant euchariſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius. Sed ad baptiſmum non ordinantur, per aliud præcedens ſacramentum. Et ideo ante ſuſceptionem baptiſmi, non habent pueri aliquo modo baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti: vnde rem ſacramenti non poſſunt percipere ſine perceptione ſacramenti. Et ideo hoc ſacramentum non hoc modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut baptiſmus. — *q. 60. a. 3.* — *q. 68. a. 2.* — *q. 65. a. 3.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut Auguſt. * dicit, exponens illud verbum Ioan. Hunc cibum & potum, ſcilicet carnis ſuæ & ſanguinis, ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & iuſtificatis, & glorificatis ſanctis, & fidelibus eius. Vnde ſicut ipſe dicit in ep. * ad Bonifacium, Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis ſanguiniſque Domini participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. — *tract. 26. in Io. to. 9.* — *refertur de conſ. d. 4. c. nulli.*

Ad ſecundum dicendum, quod hæc eſt differentia inter alimentum corporale & ſpirituale, quòd alimentum corporale conuertitur in ſubſtantiam eius qui nutritur: & ideo non poteſt homini valere ad vitæ conſeruationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur. Sed alimentum ſpirituale conuertit hominem in ſeipſum: ſecundum illud quod Auguſt. * dicit in li. confeſſ. quod quaſi audiuit vocem Chriſti dicentis ſibi, Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine huius ſacramenti perceptione. Et ideo non eſt ſimile. — *lib. 7. Conf. cap. 10. a med. to. 1.*

Ad tertium dicendum, quòd baptiſmus eſt ſacramentum mortis & paſſionis Chriſti prout homo regeneratur in Chriſto virtute paſſionis eius: ſed euchariſtia eſt ſacramentum paſſionis

paſſionis Chriſti, prout homo perficitur in vnione ad Chriſtum paſſum. Vnde ſicut baptiſmus dicitur ſacramentum fidei, quæ eſt fundamentum ſpiritualis vitæ, ita euchariſtia dicitur ſacramentum charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis, vt dicitur Col. 3.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm conuenienter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur.

419 AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod inconuenienter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debent reſpondere rebus. Sed hoc ſacramentum eſt vnum, vt dictum * eſt. Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

In f. q. 79. art. 8. ad 1. & 4. d. 8. q. 1. ar. 1. q. 3. * ar. 3. huius q.

¶ 2 Præterea, Species non notificatur conuenienter, per id quod eſt commune toti generi. Sed euchariſtia eſt ſacramentum nouæ legis. Omnibus autem ſacramentis commune eſt quod in eis confertur gratia: quod ſignificat nomen euchariſtia, quod eſt idem quod bona gratia, omnia etiam ſacramenta remedium nobis afferunt in via præſentis vitæ, quod pertinet ad rationem viatici. In omnibus etiam ſacramentis fit aliquid ſacrum, quod pertinet ad rationem ſacrificij. Et per omnia ſacramenta ſibi inuicem communicant fideles: quod ſignificat hoc nomen ſynaxis in Græco, vel communio in Latino. Ergo hæc nomina non conuenienter adaptantur huic ſacramento.

¶ 3 Præterea, Hoſtia videtur eſſe idem quod ſacrificium. Sicut ergo nõ proprie dicitur ſacrificiũ, ita nec proprie dicitur hoſtia.

SED contra eſt, quod vſus fidelium habet.

CONCLVSIO.

Euchariſtiæ Sacramentum, vt eſt dominicæ paſſionis commemoratiuum; ſacrificium nominatur: vt vero Eccleſiaſticam vnitatem deſignat, Communio vel ſynaxis: vt autem beatæ & æternæ fruitionis figuratiuum, Euchariſtia, & viaticum dicitur.

RESPONDEO dicendum, quòd hoc ſacramentum habet triplicem ſignificationem. Vnam quidem reſpectu præteriti: inquantum ſcilicet eſt commemoratiuum Dominicæ paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium, vt ſupra dictum eſt: & ſecundum hoc nominatur ſacrificium. Aliam autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis, ſ. Eccleſiaſticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc ſacramentum. Et ſecundum hoc nominatur communio vel ſynaxis. Dicit enim Dam.* 4. lib. quod dicitur communio, quia communicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus eius carne & deitate, & quia communicamus & vnimur adinuicem per ipſam. Tertiam ſignificationem habet reſpectu futuri: inquantum, ſ. hoc ſacramentum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria. Et ſecundum hoc dicitur viaticum: quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi. Et ſecundum hoc etiam dicitur Euchariſtia, id eſt, bona gratia: quia gratia Dei vita æterna (vt dicitur Rom. 6.) vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia. Dicitur etiam in Græco metalepſis, id eſt, aſſumptio: quia vt Damaſ.* dicit, per hoc filij deitatem aſſumimus.

q. 48. a. 3. lib. 4. ort. fid. cap. 14. à med. li. 4. ort. fid. c. 14.

AD primum ergo dicendum, quòd nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari, ſecundum diuerſas proprietates vel effectus.

AD ſecundum dicendum, quòd id quod eſt commune omnibus ſacramentis, attribuitur antonomaſtice ei propter ſuam excellentiam.

AD tertium dicendum, quòd hoc ſacramentum dicitur ſacrificium, inquantum repræſentat ipſam paſſionem Chriſti. Dicitur autem hoſtia, inquantum continet ipſum Chriſtum, qui eſt hoſtia ſalutaris: vt dicitur Epheſ. 5.

ARTICVLVS V.

Vtrùm inſtitutio huius Sacramenti fuerit conueniens.

430 AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd non fuerit conueniens inſtitutio iſtius ſacramenti. Vt enim Philoſophus * dicit in 2. de generatione, Ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus. Sed per baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio accipimus eſſe ſpirituale vt Dionyſ. † dicit 2. c. eccleſ. hier. Ergo per baptiſmum etiam nutrimur. Non ergo fuit neceſſarium inſtituere hoc ſacramentum, quaſi ſpirituale nutrimentum.

In f. q. 74. a. 4. cor. & ad 1. & q. 80. art. 8. ad 1. & 4. d. 8. q. 1. a. 3. & 1. Cor. 11. le. 4. cor. 4. & lect. 5. ad 1. fin. * Lib. 2. de gen. tex. 2. † 2. Eccl. hier. par. 1. à med. * q. 8.

¶ 2 Præterea, Per hoc ſacramentum homines Chriſto vniuntur, ſicut membra capiti. Sed Chriſtus eſt caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, vt ſupra dictum eſt. * Ergo non debuit inſtitutio huius ſacramenti differri vſque ad cœnam Domini.

¶ 3 Præterea, Hoc ſacramentum dicitur eſſe memoriale Dominicæ paſſionis ſecundum illud Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. ſed memoria eſt præteritorum. Ergo hoc ſacramentum non debuit inſtitui ante Chriſti paſſionem.

¶ 4 Præterea, Per baptiſmum, aliquis ordinatur ad Euchariſtiam, quæ non niſi baptizatis dari debet. Sed baptiſmus inſtitutus fuit poſt Chriſti paſſionem & reſurrectionem, vt patet Matth. vlt. Ergo inconuenienter hoc ſacramentum fuit ante paſſionem Chriſti inſtitutum.

SED contra eſt, quod hoc ſacramentum eſt inſtitutum à Chriſto, de quo dicitur Marc. 7. Bene omnia fecit.

CONCLVSIO.

Conuenientiſſimum fuit, Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto in vltima cœna inſtitui, quo eius memoria firmiùs fidelium diſcipulorum cordibus imprimeretur.

RESPONDEO dicendum, quòd conuenienter hoc ſacramentum inſtitutum fuit in cœna, in qua ſc. Chriſtus vltimo, cum ſuis diſcipulis fuit conuerſatus. Primo quidem, ratione continentiæ huius ſacramenti. Continetur enim ipſe Chriſtus in Euchariſtia ſicut in ſacramento. Et ideo quando ipſe Chriſtus in propria ſpecie à diſcipulis diſceſſurus erat, in ſacramentali ſpecie ſeipſum eis reliquit ſicut in abſentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Vnde Euſebius Emiſſenus dicit, * Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, neceſſe erat, vt die cœnæ ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui conſecraret nobis, vt coleretur iugiter per myſterium quod ſemel offerebatur in pretium. Secundo, quia ſine fide paſſionis Chriſti nunquam potuit eſſe ſalus, ſecundum illud Roman. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Et ideo oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid repræſentatiuum dominicæ paſſionis. Cuius in veteri quidem teſtamento præcipuum ſacramentum erat agnus Paſchalis: vnde & Ap. dicit 1. Cor. 5. Paſcha noſtrum immolatum eſt Chriſtus. Succeſſit autem ei in nouo teſtamento euchariſtia ſacramentum quod eſt rememoratiuum præteritæ paſſionis, ſicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Et ideo conueniens fuit, vt imminente paſſione, celebrato priori ſacramento, nouum ſacramentum inſtitueret. Vnde Leo Papa dicit, * quòd vt vmbræ cederent corpori, antiqua obſeruantia nouo excluditur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & regalis feſtiuitas, dum mutatur, impletur. Tertio, quia ea quæ vltimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur: præſertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero, ad quæ magis afficimur, profundiùs animo imprimuntur. Quia igitur (vt B. Alexand.* Papa dicit) nihil in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quam corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt: ideo vt in maiori veneratione haberetur Dominus in vlt. diſceſſu ſuo à diſcipulis, hoc ſacramentum inſtituit. Et hoc eſt quod Auguſt. † dicit in li. reſponſionum ad Ianuarium, Saluator, quo vehementius commendaret myſterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit actibus infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum à quibus ad paſſionem digreſſurus erat.

Habetur de conſ. d. 2. c. Quia corpus aſſumptum, & hab. in Pa. hom. in ſanguine apoſt. * In ſer. 7. de paſſione, domini, inter princ. & med. * Alex. I. in 1. ep. ad omn. orth. à med. illius. † Epiſtola 118. in princ. & hab. de conſ. d. 2.

AD primum ergo dicendum, quòd ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus, non tamen eodem modo nobis aduenientibus. Nam ea ex quibus ſumus, nobis adueniunt per generationem: eadem autem inquantum ex eis nutrimur, nobis adueniunt per manducationem. Vnde & ſicut per baptiſmum regeneramur in Chriſto, ita per euchariſtiam manducamus Chriſtum.

AD ſecundum dicendum, quòd euchariſtia eſt ſacramentum perfectum Dominicæ paſſionis, tanquam continens ipſum Chriſtum paſſum. Et ideo non potuit inſtitui ante incarnationem: ſed tunc habebant locum ſacramenta quæ erant tantum præfiguratiua Dominicæ paſſionis.

AD tertium dicendum, quòd ſacramentum illud fuit inſtitutum in cœna, vt in futurum eſſet memoriale Dominicæ paſſionis, ea perfecta. Vnde ſignanter dicit: Hæc quotieſcumque feceritis: de futuro loquens.

AD quartum dicendum, quòd inſtitutio reſpondet ordini intentionis. Sacramentum autem euchariſtiæ, quamuis ſit poſterius baptiſmo in perceptione, eſt tamen prius in intentione. Et ideo debuit prius inſtitui. Vel poteſt dici, quod baptiſmus iam erat aliqualiter inſtitutus in ipſo Chriſti baptiſmo. Vnde & iam aliqui ipſo Chriſti baptiſmo erant baptizati, vt legitur Ioan. 3.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm agnus Paſchalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti.

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quod agnus Paſchalis non fuerit præcipua figura huius ſacramenti. Chriſtus enim dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec, propter hoc, quod Melchiſedec geſſit figuram ſacrificij Chriſti, offerens panem & vinum. Sed expreſſio ſimilitudinis facit quod vnum ab alio denominetur. Ergo videtur, quod oblatio Melchiſedec, fuerit potiſſima figura huius ſacramenti. 431

Inf. q. 80. a. 10. ad 1. & 4. d. 8. q. 1. ar. 3. & d. 12. q. 3. a. 2. q. 3. ad 1.

¶ 2 Præterea, tranſitus maris rubri fuit figura baptiſmi: ſecundum illud 1. Cor. 10. Omnes baptizati ſunt in nube & in mari. Sed immolatio agni paſchalis præceſſit tranſitum maris rubri, quem ſubſecutum eſt manna, ſicut euchariſtia ſequitur baptiſmum. Ergo manna eſt expreſſior figura huius ſacramenti, quàm agnus Paſchalis.

¶ 3 Præterea, potiſſima virtus huius ſacramenti eſt, quod introducit nos in regnum cælorum, ſicut quoddam viaticum. Sed hoc maxime præfiguratum fuit in ſacramento expiationis, quando Pontifex intrabat ſemel in anno cum ſanguine in ſancta ſanctorum, ſicut Apoſt. probat Heb. 9. Ergo videtur, quod illud ſacrificium fuerit expreſſior figura huius ſacramenti, quàm agnus Paſchalis.

SED contra eſt, quod Apoſt. dicit 1. Cor. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azimis ſynceritatis & veritatis.

CONCLVSIO.

Quanquam multis figuris fuiſſet Euchariſtiæ Sacramentum præfiguratum, præcipua tamen eius figura fuit agnus Paſchalis, cum ſecundum omnia ipſum repræſentauerit.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc ſacramento tria conſiderare poſſumus, ſcilicet id quod eſt ſacramentum tantum, quod eſt panis & vinum: & id quod eſt res & ſacramentum, ſcilicet corpus Chriſti verum: & quod eſt res tantum, ſcilicet effectus huius ſacramenti. Quantum igitur ad id quod eſt ſacramentum tantum, potiſſima figura fuit huius ſacramenti oblatio Melchiſedec, qui obtulit panem &

vinum. Quantum autem ad ipſum Chriſtum paſſum, qui continetur in hoc ſacramento, figuræ eius fuerunt omnia ſacrificia veteris teſtamenti: præcipuè ſacrificium expiationis, quod erat ſolenniſſimum. Quantum autem ad effectum fuit præcipua eius figura manna: quod habebat in ſe omnis ſaporis ſuauitatem (vt dicitur Sapien. 61.) ſicut & gratia huius ſacramenti, quantum ad omnia reficit mentem, ſed agnus Paſchalis quantum ad hæc tria, præfigurabat hoc ſacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis: ſecundum illud Exodi 12. Edent carnes & azymos panes. Quantum verò ad ſecundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſrael decimaquarta Luna, quod fuit figura paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur Agnus. Quantum vero ad effectum, quia per ſanguinem agni Paſchalis protecti ſunt filij Iſrael à deuaſtante Angelo, & educti de Ægyptiaca ſeruitute. Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura huius ſacramenti, agnus Paſchalis quia ſecundum omnia ipſum repræſentat.

Et per hæc patet reſponſio ad obiecta.

DISPVTATIO I.

De exiſtentia, quidditate, & neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ.

Primvm, quod de aliquo inquiritur ex Philoſopho; eſt, an ſit. Secundum; quid ſit. Deinde agitur de neceſſitate ipſius. Propterea acturi de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, incipimus ab eius exiſtentia, quidditates, ac neceſſitate.

DVBIVM I.

Vtrùm Chriſtus Dominus inſtituerit Sacramentum Euchariſtiæ.

Svpponendum eſt nomine Sacramenti Euchariſtiæ, intelligi Sacramentum Altaris, in quo ſub ſpeciebus panis continetur verè realiter & propriè corpus naturale Chriſti Domini: & ſub ſpeciebus vini verus eius ſanguis, ita vt vi verborum conſecrationis panis conuertatur ac tranſſubſtantietur in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem: vnde definitur, quòd ſit Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, quo vita ſpiritualis nutritur: definitiones enim Sacramentorum in particulari habent pro genere Sacramentum; pro differentia verò effectum peculiarem quem cauſant, cùm enim ſint quid tantùm morale, non exigunt magis rigoroſam definitionem. Plures fuerunt in veteri Lege huius ſanctiſſimi Sacramenti figuræ, vt manna, panes propoſitionis, agnus Paſchalis &c. imò in Lege naturæ, ſicut oblatio panis & vini facta à ſancto Rege Melchiſedech: propterea Chriſtus Dominus dicitur à Propheta, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Prima opinio, ſed hæretica Caluiniſtarum, negat Chriſtum Dominum inſtituiſſe Sacramentum Euchariſtiæ, vt hîc ſumimus: ſed tantùm Cœnam aſſerit inſtituiſſe, vbi tantùm comeditur panis materialis; quæ tamen inquantùm eſt figura vnionis corporis myſtici, aſſumitur & celebratur ab ipſis, vt Sacramentum: inter ipſos tamen aliqui fatentur Chriſtum Dominum verè conſecraſſe; ſed negant hanc poteſtatem conſecrandi deriuatam fuiſſe ad Miniſtros Eccleſiæ: vnde conſequenter negant Chriſtum inſtituiſſe Sacramentũ Euchariſtiæ, prout vſurpatur à Catholicis. Non probant alio modo ſuum errorem, quàm ſoluendo per extorſionem, aut negando authoritates Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum: ita vt excellentia & incomprehenſibilitas myſterij ſit ipſis occaſio errandi; ſed ex ſola ipſorum malitia.

Conclvsio.

Respondeo dicendum ſecũdùm fidem, quòd Chriſtus Dominus inſtituit ſanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum: 2. Quod perſeuerat, & perſeuerabit in Eccleſia vſque ad conſummationem ſæculi, 3. Per hoc quòd Miniſtri Eccleſiæ ritè ordinati habent facultatem conſecrandi. Poſſet concluſio quoad ſingulas partes fusè probari: ſed quia hoc pertinet ad controuerſiſtas, ideò Theologum agentes paucis probabimus.

Probatur prima pars concluſionis authoritate Scripturæ, ex illis locis, vbi Chriſtus Dominus vocat Carnem ſuam verè cibum, & Sanguinem ſuum verè potum: Ioannis 6. Caro mea verè eſt cibus, & Sãguis meus verè eſt potus: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo. Et Lucæ, 22. expreſsè deſcribitur; quomodò Chriſtus inſtituit hoc ſanctiſſimum Sacramentum: ait enim; Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens; Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem: ſimiliter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens; Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Et 1. ad Cor. 11. ait Apoſtolus: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur; accepit panem, & gratias agens fregit & dixit, accipite & mãducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem: ſimiliter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, &c. conſtat autem, quòd hæc ſumenda ſunt litteraliter, & non metaphoricè: tum quia Chriſtus Dominus dicit Carnem ſuam verè eſſe cibum, & Sanguinem ſuum verè eſſe potum: quod non diceret, ſi tantùm intelligeret metaphoricè, vnde ſcandalizati dicuntur multi ex eius Diſcipulis: tum quia ex regula tradita à Sancto Auguſt. & cõmuniter recepta, Sacra Scriptura debet litteraliter intelligi, quando ex aliis eius locis non habetur contrariũ, nec aliquod ſequitur inconueniens, quorum neutrum hîc eſt. Deinde probatur authoritate Concil. maximè Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. vbi dicitur: Ergo Saluator noſter diſceſ-

ſurus

furus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit (scilicet Eucharistiæ, de qua agitur in tota illa sessione) in quo diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit. Idem docet Lateranense sub Innocentio III. cap. firmiter de summa Trinitate. Denique probatur vnanimi authoritate Sanctorum Patrum, Chrysostomi homilia 83. in Matthæum. D. Thom. toto opusc. 57. Cypriani ad Cæcilium lib. 2. epist. 3. Augustini tractatu 26. in Ioannem. Ambrosij lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Cyrilli Alexandrini lib. 4. in Ioannem cap. 17. Cyrilli Ierosolimitani Catechesi mystagog. Hilarij lib. 8. de Trinitate, &c.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Scripturæ, & Concilij Tridentini, 1. ad Cor. 11. post prædicta verba sic ait Apostolus: Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat: itaque quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini, &c. Concilium autem Tridentinum post prædicta verba subiungit: Et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suámque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mũdum veniat. Quod etiam confirmatur ex dicto Christi, Ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ sæculi. Deinde probatur continuata traditione Ecclesiastica à tempore Apostolorum ad hæc vsque tempora recepta apud Christianos, tam orientales, quàm occidentales, confirmata authoritate Sanctorum Patrum locis citatis. Denique probatur infinitis penè miraculis, quæ passim in historiis reperiuntur, ad confirmandam hanc veritatem à Deo patratis, & aliquibus continuò perdurantibus, sicut in oppido Daroca in Aragonia, in vrbe Sanrarem in Lusitania, &c. Constat autem quòd implicat contradictionem, Deum, vt pote primam veritatem, patrare miracula ad firmandam falsitatem.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate, & traditione vniuersalis Ecclesiæ: tum definitione plurium Conciliorum, maximè Tridentini sess. 22. canon. 2. vbi ait: Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, aliique sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum; anathema sit. Et sess. 23. canon. 1. dicitur: Si quis dixerit, non esse in nouo Testamento sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinẽdi; sed officium tantùm & nudum ministerij prædicandi Euangelium, vel eos qui non prædicant prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit: tum deniq; authoritate Sanctorũ Patrũ locis citatis.

DVBIVM II.

Vtrùm Eucharistia sit verum Sacramentum ab aliis distinctum.

SVpponendum est quatuor reperiri in Eucharistia. Primum, ipsas species panis & vini consecratas. Secundum, ipsum Corpus & Sanguinem Christi, quæ sunt terminus ad quem consecrationis ac transsubstantiationis, & quæ sub ipsis speciebus latent. Tertium, ipsam consecrationem. Quartum denique, ipsum vsum, & sumptionem Eucharistiæ. In præsenti dubio non examinatur quodnam istorum habet in Eucharistia rationem Sacramenti; sigillatim enim examinabitur dubiis sequentibus: sed tantùm generaliter inquiritur, vtrùm Eucharistia sit verum Sacramentum, & ab aliis distinctum.

Prima opinio, sed hæretica, negat Eucharistiam esse verum Sacramentum. Probatur; Sacramentum nouæ Legis, vt pote signum practicum, efficit quod significat: sed Eucharistia non efficit quod significat; nam principalis significatio est in forma, scilicet; Hoc est corpus meum, vel, Hic est calix sanguinis mei; constat autem quòd tunc, quando profertur, non efficitur corpus vel sanguis Christi: ergo Eucharistia non est Sacramentum.

Secundò; Sacramentum definitur communiter, quòd sit signum sensibile rei sacræ, scilicet gratiæ sanctificantis: sed Eucharistia non significat gratiam; quod enim principaliter significat in Sacramentis, est forma, vt docet D. Thom. supra quæst. 60. constat autem quòd forma Eucharistiæ, quæ sunt verba consecratoria, significat Corpus & Sanguinem Christi; non autem gratiam sanctificantem: ergo Eucharistia non est Sacramentum.

Tertiò; Sacramenta nouæ Legis consistunt in vsu, & id quod est sensibile in ipsis, causat effectum Sacramenti, vt patet inductione discurrendo per singula: sed Eucharistia non consistit in vsu materiæ, at potiùs in consecratione ipsius, & in vsu potiùs habet rationem Sacrificij, quàm Sacramenti: & species sensibiles quæ in ea sunt, nec gratiam, nec aliud causant: ergo Eucharistia non est Sacramentum. Maximè quia non esset distinctum à Confirmatione; nam Confirmatio, & Eucharistia ordinantur ad perfectionem, & augmentum gratiæ receptæ in Baptismo, vt ait Dionysius 4. cap. Eccles. Hierarchiæ: vbi autem est idem effectus, est etiam idem Sacramentum; diuersitas enim causarum ex diuersis effectibus colligitur.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum secundùm fidem, quòd Eucharistia est verum Sacramentum,

tum, 2. Ab aliis diſtinctum. Ita communiter omnes Scholaſtici.

Probatur prima pars concluſionis communi conſenſu Eccleſiæ, quæ Euchariſtiam per anthonomaſiam vocat ſanctiſſimum Sacramentum. Deinde authoritate plurium Conciliorum, Africani ſub Bonifacio I. cap. 2. Lateranenſis ſub Innocentio III. c. 1. Conſtantienſis ſeſſ. 13. Tridentini ſeſſ. 11. per multa capita, & tota ſeſſ. 13. Item authoritate Sanctorum Patrum, quas omnes authoritates ad controuerſias remittimus. Denique probatur duplici ratione, quarum prima ſit: Sacramentum eſt ſignum ſenſibile practicum rei ſacræ, ſiue gratiæ ſanctificantis ex D. Thom. ſupra quæſt. 60. art. 1. quem communiter ſequuntur Scholaſtici: ſed Euchariſtia ſecundùm aliquid ſui eſt ſignum ſenſibile practicum; nam ſpecies panis & vini ſunt ſignum nutritionis ſpiritualis, quæ fit per gratiam in ſuſceptione Euchariſtiæ communicatam, iuxta illud Ioan. 6. Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus, videlicet animæ: Quòd autem ſit ſignum practicum, patet ex verbis Chriſti Domini ibidem; Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: quia videlicet cauſat gratiam ſanctificantem, quæ eſt vita animæ: Quòd autem ſit diuinitus inſtitutum, dictum eſt dubio præcedenti: ergo Euchariſtia eſt verum Sacramentum. Secunda eſt D. Thom. hîc art. 1. quam ſic proponit: Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad ſubueniendum homini in vita ſpirituali, vita autem ſpiritualis vitæ corporali conformatur; eo quòd corporalia ſpiritualium ſimilitudinem gerunt: manifeſtum eſt autem quòd ſicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam requiritur alimentum quo homo conſeruatur in vita: & ideò ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio: & Confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum, ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum: ac proinde Euchariſtia eſt verum Sacramentum.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 7. canone 1. vbi ſic habetur: Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum; anathema ſit. Deinde communi conſenſu Sanctorum Patrum & Scholaſticorum, qui prædicta ſeptem Sacramenta ab inuicem diſtincta agnoſcunt. Denique, Sacramenta nouæ Legis diſtinguuntur eſſentialiter penes diuerſum modum ſignificandi, & cauſandi gratiam; cùm ſint ſigna practica, ſeu ſigna ſimul & cauſæ gratiæ: conſtat autem quòd ſigna diſtinguuntur ex diuerſa ratione ſignificandi, & cauſæ ex diuerſo modo cauſandi ſpeciales effectus: ſed Euchariſtia habet diuerſum modum ſignificandi, & cauſandi gratiam præ aliis Sacramentis: tum quia habet diuerſam materiam & formam, à quibus deſumitur ſignificatio; tum quia cauſat & ſignificat gratiam, vt nutrientem & conſeruantem in vita ſpirituali per modum alimenti; ſecundùm quam rationem nullum aliud Sacramentum eam cauſat & ſignificat, vt patet diſcurrenti per ſingula: ergo Euchariſtia eſt verum Sacramentum ab aliis diſtinctum.

Ad primum ergo, dicendum, quòd forma Euchariſtiæ non cauſat quidem Corpus & Sanguinem Chriſti ſecundùm ſe & phyſicè conſideratum: ſed cauſat eorum præſentiam ſub ſpeciebus conſecratis, ſiue efficit ipſa præſentia; cùm enim ſignificet per modum conuerſionis & tranſſubſtantiationis: ly enim, hoc, importat terminum à quo: ly verò, corpus meum, importat terminum ad quem, ſufficit quòd prolatâ totâ formâ, panis deſinat eſſe per totalem conuerſionem in corpus Chriſti tunc de nouo ibi præſens; quamuis prius exiſteret: & quia ſimul eſt res & Sacramentum, ſiue ſignum gratiæ; ideò per formam conſecrationis efficitur, non quidem ſecundùm eſſe phyſicum, ſed ſecundùm illud eſſe morale ſigni.

Ad ſecundum, dicendum, quòd Euchariſtia ſecundùm ſuam vltimam & ſpecificam rationem ſignificat gratiam: quia iſta pronomina, hoc, vel, hic, quæ ſunt in forma, non ſignificant vtcumque corpus & ſanguinem Chriſti, ſed per modum hoſtiæ immolatæ ac ſanctificantis, vt indicant verba ſequentia, quod pro vobis tradetur, vel, qui pro vobis effundetur: vel etiam per modum cibi & potus ſpiritualis animæ in ea gratiam cauſantis: & quia ratio formalis ſub qua corpus & ſanguis Chriſti per formam ſignificantur, eſt nutritio ſpiritualis, quæ fit per gratiam; ideò ipſa gratia, vt pote cauſa talis nutritionis, eſt immediatum, ac formalius, magiſque principale ſignificatum: corpus verò, & ſanguis Chriſti ſunt quaſi materialiter tantùm ſignificata: radix huius ex D. Thom. hîc art. 3. ad 2. eſt differentia, quæ reperitur inter cibum ſpiritualem animæ, corpus videlicet Chriſti, & cibum corporeum; quòd cibus corporeus nutrit immediatè per hoc quòd conuertatur in ſubſtantiam aliti: cibus verò ſpiritualis iſte non nutrit animam ſe ipſo formaliter; non enim conuertitur in ſubſtantiam eius, nec in gratiam, qua anima formaliter nutritur: ſed potiùs anima conuertitur in ipſum ex illo Auguſt. lib. 7. confeſſ. cap. 10. Cibus ſum grandium; creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis

tuæ:

tuæ: sed tu mutaberis in me: vnde corpus & sanguis Christi nutriunt tantùm efficienter animam, producendo videlicet in ipsa gratiam, per quam formaliter fit ipsa nutritio spiritualis.

Ad tertium, dicendum, quòd Sacramentum Eucharistiæ non consistit in vsu tantùm, sicut alia Sacramenta consistunt, sed in consecratione materiæ: vnde est quid permanens. Ex hoc autem non sequitur, quòd non sit Sacramentum; imo quòd sit nobilissimum Sacramentum: vnde perficitur in ipsa consecratione materiæ, quamuis tantùm causet gratiam dum sumitur; alia verò Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum. Ipsæ autem species sensibiles panis & vini causant gratiam ex virtute recepta à corpore & sanguine Christi contentis sub ipsis, tanquam ab instrumento coniuncto diuinitatis, ipsisque immediatè vnito. Ad aliud, dicendum, quòd Eucharistia differt à Confirmatione in multis: tum quia Confirmatio causat gratiam per modum augmenti spiritualis; Eucharistia verò per modum alimenti; & quia augmentum ipsum, siue status virilis corporeus est permanens, illud verò quod ex alimento conuerso acquiritur, continuò mutatur; inde est quòd gratia collata per Confirmationem dicitur perfectio manens intrinsecè: gratia verò collata per Eucharistiam dicitur perfectio veniens ab extrinseco: & licèt vtraque gratia per peccatum amittatur; tamen ratione characteris Confirmationis, & auxiliorum ab ipso exigitorum remanet virilitas spiritualis: tum quia Confirmatio ordinatur ad protestandam fidem, & ad incorporandum nos perfectè corpori mystico; Eucharistia verò ordinatur primariò ad hoc, vt coniungat nos Christo Domino fonti omnis gratiæ.

DVBIVM III.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit ipsa actualis consecratio.

SVpponendum est consecrationem diuidi in actiuam & passiuam: passiua nihil est aliud, quàm ipsum fieri transubstanniationis panis in corpus Christi, & vini in sanguinem eius: actiua subdiuiditur in principalem & instrumentalem, principalis est ipsa actio Dei miraculosa & supernaturalis, conuertens panem & vinum in corpus & sanguinem Christi, instrumentalis est ipsa sensibilis & externa locutio Sacerdotis proferentis verba ipsa consecrationis, quæ eleuatur virtute diuina ad causandam prædictam conuersionem & transsubstantiationem.

Prima opinio, quæ attribuitur Caietano supra quæst. 63. art. 6. asserit consecrationem sumptam pro actione Sacramentali, quæ consistit in consecratione materiæ, esse ipsum Sacramentum Eucharistiæ. Probatur duplici authoritate D. Thom. Prima habetur in 4. d. 8. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. vbi ait, In Sacramento Eucharistiæ sanctificationem materiæ esse ipsum Sacramentum, in quo differt à sanctificatione Chrismatis, quæ non est Sacramentum Confirmationis, neque extremæ-Vnctionis. Secunda habetur hîc art. 1. ad 3. vbi ait: Et ideò Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ: alia verò Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum: ergo ipsa actualis consecratio est Sacramentum Eucharistiæ.

Secundò, Illud est præcisè Sacramentum Eucharistiæ, quod est signum sensibile practicum rei sacræ sanctificantis suscipientes, per modum cibi & potus, vt constat ex definitione Sacramenti applicata Eucharistiæ: sed huiusmodi est actualis consecratio, nam significat & ponit sub speciebus consecratis corpus & sanguinem Christi, vt definit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. per modum cibi & potus spiritualis animæ, ipsam nutrientis mediante gratia: & licèt non significaret gratiam sanctificantem, sufficit quòd significet corpus & sanguinem Christi ex D. Thom hîc art. 1. ad 3. ergo actualis consecratio est Sacramentum Eucharistiæ, aut saltem est de essentia ipsius in quantum complet eius significationem.

Tertiò, Vbi est legitima materia, & legitima forma, item legitimus Minister, & debita intentio, ibi est verum Sacramentum; nihil enim aliud requiritur: sed in actuali consecratione hæc omnia reperiuntur, vt patet: ergo actualis consecratio est Sacramentum, non aliud ab Eucharistia; alioquin essent plura quàm septem, quod est contra Concilium Tridentinum; & consequenter est Sacramentum Eucharistiæ. Maximè quia causat corpus Christi sub speciebus, quod est res Sacramenti, & Sacramentum simul: constat autem, quòd illud est Sacramentum tantùm, quod est causa eius quod est res Sacramenti & Sacramentum simul, vt patet inductione in Baptismo, & Confirmatione, in quibus ablutio & externa vnctio sunt Sacramentum tantùm, quia causant characteres, qui sunt res Sacramenti & Sacramentum simul.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd actualis consecratio actiuè sumpta, siue sit principalis, siue instrumentalis non est Sacramentum Eucharistiæ; 2. Sed quid extrinsecum, ac præuiè requisitum: 3. Passiuè verò sumpta pertinet quidem intrinsecè ad ipsum Sacramentum in fieri; 4. Non tamen est Sacramentum ipsum Eucharistiæ.

Probatur prima pars conclusionis certa apud omnes Catholicos, authoritate Concilij Tri-

dentini, sess. 13. can. 6. vbi sic ait: Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum: atque ideò nec festiua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundùm laudabilem & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras; anathema sit. Ex quo constat Sacramentum Eucharistiæ esse quid permanens, ac proinde non est ipsa actualis consecratio. Nec potest dici, quòd Concilium potest intelligi de corpore Christi, quod est res Sacramenti & Sacramentum simul: quia vt patet inductione in omnibus Sacramentis, id quod est res Sacramenti & Sacramentum simul, non est, nec dicitur simpliciter & absolutè Sacramentum; sed secundùm quid & cum addito diminuente: vnde cùm Concilium loquatur simpliciter de Sacramento Eucharistiæ, debet intelligi de vero Sacramento; ita vt sit quid ex ipso permanens, ac proinde non sit ipsa actualis consecratio; quæ citò transit. Deinde causa efficiens non est ipsa res effecta, nec de essentia eius; imò est omninò extrinseca: sed ex decreto Eugenij IV. in Concilio Florentino habetur, quòd consecratio est causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ, dicit enim Sacerdotem loquendo in persona Christi conficere hoc Sacramentum: ergo actualis consecratio non est Sacramentum Eucharistiæ, nec de essentia eius per modum formæ, aut materiæ. Denique, de ratione Sacramenti est, quòd sit signum practicum gratiæ, ita vt illam immediata sui applicatione producat in subiecto ritè disposito: & Sacramentum Eucharistiæ debet prædicto modo gratiam causare per modum alimenti spiritualis: sed actualis consecratio nec causat gratiam immediatè, nec immediatè applicatur subiecto suscipienti Eucharistiam, in quo recipitur gratia, at tantùm applicatur materiæ consecrandæ, & eius effectus est ponere corpus & sanguinem Christi Domini sub speciebus panis, & vini consecratis: ergo actualis consecratio actiuè sumpta, siue principalis, siue instrumentalis non est Sacramentum Eucharistiæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Actualis consecratio actiuè sumpta est causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ, vt dictum est: sed causa efficiens est quid extrinsecum respectu rei effectæ, siue non pertinens ad eius essentiam; nihil enim potest esse causa effectiua sui, vel alicuius ex suis essentialibus, vt demonstratur à Philosophis; simul enim esset, quia efficeret; & non esset, quia efficeretur; Est tamen quid præuiè requisitum, prior enim est causa suo effectu: ergo actualis consecratio est quid extrinsecum, præuiè requisitum ad Sacramentum Eucharistiæ. Et si hoc verum est de consecratione actiua instrumentali, multò magis de principali, quæ non est aliquid sensibile; ac proinde non potest esse Sacramentum, quod est signum sensibile.

Probatur tertia pars conclusionis. Licèt fieri rei non sit ipsa res, nec pars essentialis eius; tamen pertinet extrinsecè ad rem, in quantum formaliter per ipsum ponitur extra causas, & constituitur in rerum natura, vt patet inductione in generatione passiuè sumpta, aliisque productionibus etiam passiuè sumptis: cuius ratio est, quia omnis passio se tenet ex parte passi ab ea denominati, sicut omnis actio se tenet ex parte agentis ab ea denominati, vnde actio est extrinseca passo, passio verò est ipsi intrinseca, ergo actualis consecratio passiuè sumpta pertinet quidem intrinsecè ad ipsum Sacramentum in fieri, non tamen est Sacramentum ipsum Eucharistiæ. Vnde sequitur quòd licèt Sacramentum, & id quod pertinet ad ipsum tanquam pars essentialis, debeat esse quid sensibile: non tamen quod pertinet ad ipsum intrinsecè vt fieri ipsius. Et ex his probata manet quarta pars conclusionis.

Ad primum ergo, dicendum, quòd D. Thom. in vtroque loco vult tantùm per actualem consecrationem, siue sanctificationem materiæ, fieri ipsum Sacramentum Eucharistiæ, in quantum per ipsam transsubstantiatur panis & vinum in corpus Christi, & sanguinem eius: vnde accipit fieri pro termino eius, scilicet consecrationem vel sanctificationem, pro re consecrata & sanctificata, quæ est Sacramentum: & consequenter hæc propositio D. Thom. Sanctificationem materiæ esse ipsum Sacramentum, æquiualet isti, Sanctificationem materiæ esse ipsum fieri Sacramentum: alia verò eius propositio, Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, non importat quòd ipsa consecratio materiæ sit Sacramentum, sed tantùm quòd per ipsam fit Sacramentum, permanens ipsâ transfactâ, quod non est in aliis Sacramentis; licèt aliqua petant materiam consecratam, vt Confirmatio, & Extrema Vnctio: hæc enim materia non est Sacramentum, quia si applicaretur sine forma, non fieret Sacramentum, nec causaret gratiam: sed est tantùm materia determinata per talem consecrationem, quæ simul cum forma concurrit ad actionem Sacramentalem, scilicet ad Vnctionem quæ est Sacramentum, & ipsâ transactâ non est ampliùs Sacramentum: & sic intelligendus est D. Thom. & fortè etiam Caietanus.

Ad secundum, dicendum, quòd in definitione Sacramenti nouæ Legis, per rem sacram intelligitur immediatè gratia sanctificans suscipientes, ita vt id quod est propriè rigorosè Sacramentum, debeat significare & simul causare

fare gratiam formaliter sanctificantem suscipientes: & non sufficit quòd causet & significet rem sacram tantùm effectiuè sanctificantem ex D.Thom. supra quæst.60. art.1.& communi consensu Scholasticorum. Vnde ad authoritatem D. Thom. dicendum, quòd ibi non ait; Sufficere ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, quòd significet corpus & sanguinem Christi: sed dicit, quòd est Sacramentum permanens, quia continet Christum, à quo effectiuè procedit sanctificatio suscipientium: sicut Baptismus in ipso vsu est Sacramentum, quia tunc continet virtutem ad sanctificandum. Cum hoc tamen stat, quòd significet immediatè gratiam sanctificantem per modum nutrimenti spiritualis, quia continet corpus & sanguinem Christi; per modum cibi & potus animæ.

Ad tertium, dicendum, quòd probat tantùm tunc fieri Sacramentum Eucharistiæ, quando reperiuntur quatuor enumerata: quia tamen fieri distinguitur à re, quæ fit, & à facto esse ipsius, quando est res permanens; inde est quòd consecratio actualis non est ipsum Sacramentum Eucharistiæ, nec pars formalis ipsius; quamuis sit forma per quam effectiuè causatur. Ad aliud, dicendum, quòd non est semper verum, illud esse Sacramentum, quod est causa eius, quod est res Sacramenti, & Sacramentum simul; quamuis hoc sit verum in Baptismo, & Confirmatione: nam in Sacramento Pœnitentiæ dolor de peccatis est res Sacramenti, & Sacramentum simul; & tamen non causatur à signis illis exterioribus Pœnitentiæ, quæ tamen sunt pars materialis Sacramenti.

DVBIVM IV.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit eius sumptio, & vsus.

Svpponendum est in Sacramento Eucharistiæ quædam se habere præuiè, alia simultaneè, alia consecutiuè. Præuiè se habent, præparatio & assumptio materiæ consecrandæ, oblatio eius &c. simultaneè autem prolatio verborum consecrationis, intentio, &c. consecutiuè verò, sumptio & vsus eius, & omnes effectus ad quos ordinatur: hæc autem duo sunt valde distincta, quòd aliquid sit finis ad quem ordinatur Eucharistia, & quòd sit essentia; vel de essentia Eucharistiæ: quia ex Philosophis causa efficiens, sicut & finalis est extrinseca; sola formalis & materialis sunt de ratione intrinseca, siue de essentia rei. Certum est autem, quòd sumptio & vsus est finis Eucharistiæ; est enim instituta per modum cibi & potus spiritualis, vt sic sumpta nutriat, & foueat spiritualiter animam.

Prima opinio, sed hæretica Lutheranorum, & Caluinistarum, asserit Sacramentum Eucharistiæ consistere in eius sumptione & vsu, quando scilicet à fidelibus sumitur: sicut tunc tantùm Baptismus est, quando actu assumitur aqua ad abluendum; vnde dicit quòd sicut Baptismus consistit in ablutione, sic Eucharistiæ Sacramentum consistit in ipsa actione comedendi & bibendi: Ex quo concludit, non esse rem permanentem, sed transeuntem. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, Pontificum, & Sanctorum Patrum. Lucæ 22.& 1.ad Cor.11.vbi fit expressa mentio institutionis Eucharistiç, verba institutionis important certam actionem, & vsum tantùm; sicut in Baptismo: nam in Baptismate habentur verba institutionis, Baptizate, Ite baptizantes: in Eucharistia verò, Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis, & ait; Accipite & comedite, hoc est Corpus meum: Nec habetur in Scriptura Christum aliter instituisse hoc Sacramentum, quàm in vsu: nec constat ipsum promisisse fore, vt Corpus eius & Sanguis continuò manerent affixa pani & vino. Apud S. Clementem epist.2. habetur prohibitum conficere plura Sacramenta, quàm essent necessaria numero communicantium, & in primitiua Ecclesia fuit in vsu comburere, vel tradere pueris reliquias Eucharistiæ: quod factum non fuisset, si esset Sacramentum extra vsum. S. Ambrosius in 1. ad Cor.11. ait: Qui Sacramentum hoc vel aliter celebrant, quàm à Christo constitutum est, vel aliter accipiunt, quàm ab ipso est traditum, eos intelligi indignos: quod confirmat Gabriel lect.26. in canonem Missæ, dum ait, Christum postquam corpus suum consecrauit, nec stetisse in consecratione, nec dedisse Discipulis, vt ipsum honorificè conseruarent, sed dedisse in vsum dicendo, Accipite & edite: ergo Sacramentum Eucharistiæ est eius sumptio & vsus.

Secundò; Omne Sacramentum nouæ Legis debet esse signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis suscipientes: differunt tamen inter se, quia quodlibet Sacramentum significat, & causat gratiam peculiari modo, & sub speciali ratione: sicut Eucharistia per modum alimenti, & cibi, potúsque spiritualis, quo nutritur anima: sed Eucharistia non significat, nec causat gratiam cibantem & nutrientem, nisi in actuali vsu & sumptione: ergo tunc tantùm est Sacramentum.

Tertiò; Alia Sacramenta consistunt tantùm in vsu, vt inductione patet per singula; & meritò, quia cessante vsu, & fine ad quos res aliqua est instituta & ordinata, cessat & ipsa res: ergo etiam Eucharistia, cùm sit ordinata ad esum & potum fidelium, ipso cessante etiam ipsa cessat, ac ita consistit tantùm in vsu.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Sacramentum Eucharistiæ non est eius sumptio, siue non

non conſiſtit formaliter in vſu: 2. Sed eſt formaliter aliquid permanens; vt tenent de fide omnes Catholici. 3. Imò ſumptio non eſt pars eſſentialis, 4. Aut integralis huius Sacramenti.

Probatur prima,& ſecunda pars concluſionis authoritate Cnucilij Tridentini ſeſſ. 13. canone 4. vbi ſic ait: Si quis dixerit peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantùm in vſu dum ſumitur; non autem ante, vel poſt; & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini; anathema ſit. Deinde, Sacramentum Euchariſtiæ præſupponitur ad ſumptinnem & vſum: nam Chriſtus Dominus verè conſecrauit, & inſtituit hoc Sacramentum, dum protulit verba conſecratinnis, Hoc eſt corpus meum, quæ ſunt verba ſignificantia de præſenti, quæ conſtat eſſe prolata ante vſum ipſius, & indicat cauſalis (enim) quę eſt in forma conſecratoria: nam Chriſtus præcepit cnmedere; quia illud quod offerebat, erat corpus eius: ergo Saeramentum Euchariſtiæ non eſt eius ſumptio & vſus. Denique, forma conſecrationis inſtituta à Chriſto Domino ſignificat ex vi verborum aliquid permanens; & non tranſiens, ſicut formæ aliorum Sacramentorum: nam verba formæ Euchariſtiæ ſunt; Hoc eſt corpus meum; verbum autem ſubſtantiuum importat permanentiam, & non fluxum: in forma verò aliorum Saeramentorum importatur actio fluēs & tranſiens, vt te baptizo, te abſoluo, &c. ergo Sacramentum Euchariſtiæ non eſt ipſa ſumptio, nec conſiſtit formaliter in vſu; ſed eſt aliquid formaliter permanens. Hanc veritatem confirmat communis conſenſus Sanctorum Patrum, quos videre licet apud Bellarminum, & alios.

Probatur tertia pars concluſionis. Nihil poteſt eſſe in rerum natura ſine ſuis partibus eſſentialibus, vt patet: ſed ante ſumptionem exiſtit in rerum natura Sacramentum Euchariſtiæ, vt probatum eſt: ergo ſumptio Sacramenti Euchariſtiæ non eſt pars eſſentialis illius.

Probatur quarta pars concluſionis. Sumptio Euchariſtiæ non eſt pars materiæ, aut formæ ipſius: ſed tantùm eſt conditio ſine qua non, ad cauſandum gratiam, ſicut applicatio ignis ad comburendum. Deinde eſt quid fluens, ac proinde non poteſt pertinere ad conſtitutionem alicuius permanentis, qualis eſt Euchariſtia: ergo ſumptio non eſt pars integralis ipſius. Quamuis autem ſumptio compleat eius ſignificationem; hoc tamen complementum eſt accidentale, & omninò extrinſecum, eo modo quo vſus Matrimonij complet eius ſignificationem: vnde D. Thom. infra quæſt. 78. art. 1. ad 2. ait, vſum pertinere ad extrinſecam perfectionem huius Sacramenti, ſicut agere pertinet ad perfectionem agentis.

Ad primum ergo, dicendum, quòd licèt ex verbis adductis Scripturæ conſtet Chriſtum ſtatim poſt conſecrationem, Euchariſtiam diſtribuiſſe Apoſtolis; tamen ſimul conſtat conſecrationem præceſſiſſe diſtributionem & vſum, vt dictum eſt; ac ita non conſiſtit formaliter in vſu: ſecus autem eſt de Baptiſmo, cuius forma importat actionem fluentem. Et quamuis non conſtet ex Scripturis Chriſtum ordinaſſe, vt ſeruaretur Euchariſtia; tamen ex continuo vſu & traditione Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum, colligitur hoc relictum fuiſſe eius diſpoſitioni. Per hoc autem quòd mandauit, vt hoc faceremus in eius commemorationem, promiſit ſe fore verè, realiter, & phyſicè præſentem in hoc ſanctiſſimo Sacramento. Quamuis autem in primitiua Eccleſia non eſſet ordinarius vſus ſeruandi Euchariſtiam, quia tunc propter perſecutiones non erat ſecurum, ſed loco eius erat frequens conſecratio, & communio: tamen ibidem ait S. Clemens, Reliquias fragmentorum corporis Domini euſtodiant, ne qua putredo in ſacrario inueniatur: Nec comburebantur in primitiua Eccleſia, niſi particulæ quæ putruerant, ne nauſeam parerent ſumentibus: paruulis autem diſtribuebantur tantùm minima fragmenta, quæ difficulter cum decentia ſeruari poterant: Chriſtus enim vt ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. tradidit poteſtatem Eccleſiæ ſtatuendi ea, quæ iudicaret expedire circa diſpenſationem Sacramentorum. Ad illud Ambroſij dicendum, quòd non eſt certum, opus illud eſſe ipſius, vt probat Bellarminus. Deinde dicendum, ipſum tantùm velle, quòd illi ſunt indigni huius Sacramenti, qui non celebrant, vel accipiunt illud ea reuerentia & deuotione, qua celebrandum & accedendum eſſe Chriſtus conſtituit. Ad aliud, dicendum, quòd ille author tantùm intendit finem inſtitutinnis huius Sacramenti eſſe vſum fidelium; ita vt qui alio fine conſecraret, quamuis validè, non tamen licitè conſecraret: non tamen negat extra vſum eſſe Sacramentum.

Ad ſecundum, dicendum, quòd de ratione quidem Sacramenti nouæ Legis eſt, quòd ſit ſignum practicum gratiæ, non quidem ſemper aut de neceſſitate in actu ſecundo; ſed ſufficit vt in actu primo, ſiue quòd ſit aptum illam conferre, & de facto conferat poſitis requiſitis: inter requiſita autem in Euchariſtia, eſt ipſa applicatio, tanquam conditio ſine qua non.

Ad tertium, dicendum cum D. Thom. hîc art. 1. ad 3. quòd alia Sacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis conſiſtunt in vſu: Euchariſtia verò in conſecratione materiæ. Nec verum eſt, quòd ceſſante fine & vſu rei, ceſſet ſemper ipſa res; cùm finis & vſus ſint extra eſſentiam rei, ac proinde ſine ipſis conſiſtere poteſt.

DVBIVM

DVBIVM V.

Vtrùm Corpus & Sanguis Christi, vt continentur sub speciebus consecratis, sint Sacramentum, vel pars essentialis illius.

SVpponendum est in Sacramentis nouæ Legis tria reperiri: videlicet id quod est Sacramentum tantùm, scilicet signum sensibile practicum gratię sanctificantis, vt ablutio in Baptismate, & vnctio in Confirmatione, prout substant formæ determinatæ; ablutio enim exterior est signum internæ quæ fit per gratiam, & vnctio exterior est signū internæ, qua per gratiam corroborantur fideles. Res Sacramenti est ipsa gratia sanctificans diuerso modo significata, vel per modum esse spiritualis, quo regeneramur in Baptismate, vel per modum augmenti spiritualis quo roboramur in Confirmatione. Res Sacramenti & Sacramentum simul, quod scilicet significat & significatur, vt character in Baptismate & Confirmatione: nam per ablutionem & vnctionem externam cum prolatione verborum significatur: in Baptismate enim per ablutionem significatur, non solùm quòd baptizatus mundetur à peccatis per gratiam, sed etiam quòd deputetur & recipiat potestatem communicandi iis quæ sunt diuini cultus: in Confirmatione verò per vnctionem externam, nō solùm significatur robur animæ per gratiam, siue gratia corroborans: sed etiam quòd confirmatus deputetur ad protestandam fidem coram Tyrannis: Vterque etiā character significat; Baptismalis quidem quòd baptizatus sit filius Ecclesiæ; Confirmationis autem, quòd sit miles Christi. In præsenti dubio non inquirimus, vtrùm corpus & sanguis Christi sint vtcumque Sacramentum, de hoc enim nullus dubitat, vt infra dicetur, sunt enim res Sacramenti & Sacramentum simul, significantur enim per materiam & formam huius Sacramenti, & significant corpus mysticum Ecclesiæ sub capite Christo: quod autem est sic Sacramentum, dicitur Sacramentum secundùm quid, & cum addito diminuente: sed inquirimus vtrùm sint id, quod simpliciter dicitur Sacramentum Eucharistiæ, aut pars essentialis ipsius.

Prima opinio tribuitur nostro Vualdensi lib. de Sacramentis cap. 21. corpus scilicet & sanguinem Christi Domini esse formaliter Sacramentum Eucharistiæ: sed immeritò illi tribuitur, vt expendit Doctissimus Cornejo: nam in prædicto loco agens contra Vviclef tantùm vult, quòd res principalior, quæ est in Sacramento Eucharistiæ sit corpus & sanguis Christi, & non ipsæ species vt volebat ille hæreticus: Quòd autem sit intelligendus hoc modo, patet tum ex eo quòd admittit communiter receptam definitionem Sacramenti, quòd sit signum sensibile &c. cúmque docet conuenire Eucharistiæ, quod non esset, si ex alia parte teneret corpus & sanguinem Christi esse formaliter Sacramentum Eucharistiæ; tum quia cap. 22. sequenti expressè docuit in Eucharistia Sacramentum tantùm esse sensibile extrinsecum, videlicet species consecratas, corpus autem Christi esse rem & Sacramentum: vnde quando cap. 21. dixit corpus Christi esse potissimum Sacramentum, intelligit non de Sacramento simpliciter, sed tantùm de Sacramento secundùm quid: cuiuscumque tamen sit hæc opinio, probatur authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Ioannis 6. dicitur: Panis quem ego dabo, idest Eucharistiæ Sacramentum, caro mea est pro mundi vita. Et plures Sancti Patres dicunt Eucharistiæ Sacramentum esse corpus & sanguinem Christi. Deinde, corpus & sanguis Christi sunt in Eucharistia res Sacramenti & Sacramentum simul: ergo verè sunt Sacramentum. Denique, in Eucharistia idem est Sacramentum, & sacrificium incruentum: sed ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. corpus & sanguis Christi in Eucharistia sunt sacrificium, siue res sacrificata & oblata in Missa: ergo & Sacramentum.

Secunda opinio Suaris hic disp. 42. sect. 3. Valentiæ disput. 6. quæst. 1. puncto 3. Ysamberti disp. 2. art. 8. & Bellarm. lib. 4. de Eucharistia cap. 6. propos. 3. asserit compositum ex speciebus consecratis, & corpore ac sanguine Christi Domini esse propriè id, quod est Sacramentum tantùm in Eucharistia: ita vt tam corpus & sanguis Christi ex vna parte, quàm species consecratæ ex alia sint partes essentiales illius. Probatur authoritate Sanctorum Patrum. S. Augustinus lib. sententiarum, Prosperi, Hieronimi epist. ad Euagrium, Ambrosij lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Damasceni lib. 4. de fide cap. 14. & D. Thom. in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. qui omnes dicunt Eucharistiæ Sacramentum constare visibilibus speciebus panis & vini, ac corpore & sanguine Christi. Deinde, illud omne pertinet in recto, & tanquam pars essentialis ad Sacramentum Eucharistiæ, quod est terminus consecrationis, & quod requiritur intrinsecè, vt sit alimentum animæ, & adæquatè constituit signum practicum gratiæ nutritiuæ: sed vt patet in solis speciebus consecratis hoc non potest saluari; benè tamen in composito ex speciebus; & corpore ac sanguine Christi: ergo hoc totum est essentialiter Sacramentum Eucharistiæ. Denique, ex speciebus consecratis, & ex corpore ac sanguine Christi fit vnum, vt constat ex particula (hoc) & (hic) in forma consecrationis: ergo vnum in ratione Sacramenti; sub hac enim ratione fuit institutum à Christo, tanquam signum sensibile practicum gratiæ nutritiuæ: ac proinde corpus & sanguis Christi sunt pars essentialis Sacramenti Eucharistiæ.

 CONCLV

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd corpus & ſanguis Chriſti, vt continentur ſub ſpeciebus conſecratis, non ſunt Sacramentum Euchariſtiæ: 2. Nec ſunt pars eſſentialis illius, quaſi pertineant in recto; 3. Pertinent tamen ad ipſum in obliquo, tanquam connotatum eſſentiale.

Probatur prima pars concluſionis, quæ communis eſt, authoritate Concilij Tridentini tota ſeſſ. 13. vbi dicit corpus & ſanguinem Chriſti contineri in hoc Sacramento; conſtat autem quòd nihil propriè dicitur contineri in ſeipſo. Deinde, ex eodem Concilio Tridentino ſeſſione citata cap. 3. Commune hoc eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem: ſed corpus & ſanguis Chriſti, vt continentur ſub ſpeciebus conſecratis, non ſunt ſignum aut ſymbolum ſenſibile, aut forma viſibilis vt patet: nec ſufficit quòd ſint quid ſenſibile per aliud; nam quod eſt Sacramentum tantùm, ita ſignificat, vt nullo modo ſignificetur, & per hoc diſtinguitur ab illo quod eſt res & Sacramentum ſimul; nam ita ſignificat, vt priùs ſignificetur, & ab illo à quo ſignificatur, redditur ſenſibile: quod autem tantùm ſignificat, & non ſignificatur, ſicut eſt illud quod eſt Sacramentum tantùm, niſi ſit ſenſibile ſecundùm ſe, non poteſt eſſe ſenſibile per aliud: ergo corpus & ſanguis Chriſti, vt continentur ſub ſpeciebus conſecratis, non ſunt Sacramentum Euchariſtiæ. Denique, eſt impoſſibile, quòd aliquid ſit tantùm Sacramentum, & ſit ſimul Sacramentum ac res Sacramenti; quia vt dictum eſt, quod eſt Sacramentum tantùm, ſignificat tantùm; quod autem eſt ſimul Sacramentum & res Sacramenti, ita ſignificat vt etiam ſignificetur: ſed corpus & ſanguis Chriſti, vt continentur ſub ſpeciebus conſecratis, ſunt ſimul Sacramentum & res Sacramenti, quia ſignificantur per illas ſpecies conſecratas, & ſignificant gratiam per modum cibi & potus animæ: ergo non ſunt Sacramentum tantùm.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 13. canone 4. vbi damnat eos, qui negant in admirabili Euchariſtiæ Sacramento eſſe corpus & ſanguinem Chriſti: ergo accipit corpus & ſanguinem Chriſti vt quid diſtinctum ex æquo ab admirabili Euchariſtiæ Sacramento: Vnde non eſt pars eſſentialis. Deinde authoritate D. Thom. hîc art. 1. ad 3. vbi ſic habet: Sacramentum dicitur ex eo quòd continet aliquid ſacrum; poteſt autem aliquid eſſe ſacrum dupliciter: ſcilicet abſolutè & in ordine ad aliud: hæc autem eſt differentia inter Euchariſtiam, & alia Sacramenta habentia materiam ſenſibilem, quòd Euchariſtia continet aliquid ſacrum abſolutè, ſcilicet ipſum Chriſtum, aqua verò Baptiſmi continet aliquid ſacrum in ordine ad aliud, ſcilicet virtutem ad ſanctificandum, &c. Ecce D. Thom. ait Chriſtum contineri in Sacramento Euchariſtiæ, ſicut virtus cauſatiua gratiæ continetur in aliis Sacramentis: ſed talis virtus non eſt pars eſſentialis Sacramentorum vt patet, ſed eſt id quo Sacramenta eleuantur ad cauſandum: ergo nec corpus & ſanguis Chriſti ſunt pars eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ. Denique, Sacramentum adæquatè quoad eſſentialia ſumptum debet eſſe ſenſibile per ſe; quia quod eſt abſolutè Sacramentum, habet tantùm ſignificare & non ſignificari per aliud, à quo poſſet habere quòd ſignificaret; ſicut illud quod eſt res Sacramenti & Sacramentũ ſimul: ſed corpus & ſanguis Chriſti, vt continentur ſub ſpeciebus conſecratis, non ſunt per ſe ſenſibilia, vt patet; ſed tantùm ratione alterius, propterea ſunt res Sacramenti & Sacramentum ſimul: ergo non ſunt pars eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ. Reſpondent Aduerſarij, quòd contritio non eſt per ſe ſenſibilis, & eſt res Sacramenti Pœnitentiæ, & Sacramentum ſimul, & tamen eſt pars eſſentialis Pœnitentiæ: Sed contra; quia probabilius eſt eſſe tantùm partem integrantem, ſicut & ſatisfactionem de qua non eſt dubium: quamuis intimè requiſitã tanquam cõnotatum eſſentiale. Deinde eſt diſparitas; nam contritio induit diuerſas rationes, pro vt enim eſt diſpoſitio ad gratiam, dicitur res Sacramenri & ſimul Sacramentum vt verò manifeſtata per confeſſionem illámque informans, poſſet dici pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ: hæc autem duplex ratio non inuenitur in corpore & ſanguine Chriſti, vt continentur ſub ſpeciebus conſecratis.

Probatur & explicatur tertia pars concluſionis. Dicitur quòd corpus & ſanguis Chriſti, vt continentur ſub ſpeciebus conſecratis, pertinent ad Sacramentum Euchariſtiæ eo modo, quo locatum pertinet ad rationem loci, & terminus ad rationem relationis, vel motus: ſed locatum pertinet vt connotatũ eſſentiale ad rationem loci, ſicut & terminus ad rationem relationis & motus: ergo & corpus & ſanguis Chriſti ad Sacramentum Euchariſtiæ. Deinde, ſpecies conſecratæ non ſunt Sacramentum, præciſæ à corpore & ſanguine Chriſti; ſed vt continentes ipſa: ergo pertinent ad hoc Sacramentum vt terminus talis continentiæ, ac proinde vt connotatum eſſentiale realiter contentum & præſens: vnde Sacramentum Euchariſtiæ non tantùm ſignificat corpus & ſanguinem Chriſti, ſicut ſignificat gratiam: ſed realiter & actu continet, cùm tamen virtualiter tantùm contineat gratiam.

AD primum ergo, dicendum, quòd Sacra Scriptura, & Sancti Patres non loquuntur de Sacramẽto tantùm, ſed de re & Sacramento ſimul, quod

quod est potissimum in Eucharistia: vel loquuntur per methonimiam, tribuendo contento nomen continentis. Ad aliud, dicendum, quòd quando quæritur, an corpus & sanguis Christi sint Sacramentum, intelligitur de Sacramento simpliciter & absolutè: esse autem rem & Sacramentum simul, est esse tantùm Sacramentum secūdùm quid, & cum addito diminuente. Ad aliud, dicendum, quòd Eucharistia non est Sacramentum, & sacrificium secundùm eandem rationem: est enim Sacramentum, quia signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis: sacrificium verò, in quantum Deo offertur; non autem est necesse quòd omne quod offertur Deo, sit sensibile, quamuis contineatur sub speciebus sensibilibus.

Ad secundum, dicendum, quòd illi Sancti Patres solùm intendunt corpus & sanguinem Christi pertinere ad Sacramentum Eucharistiæ, vt connotatum essentiale realiter in eo contentū, non autem quòd sit pars essentialis illius. Ad aliud, dicendum, quòd per formam consecrationis conuertitur panis & vinum, in corpus & sanguinem Christi; & sic fiunt ipsæ species consecratæ non præcisè, sed vt continentes corpus & sanguinem Christi: vnde falsum est, quòd illud omne quod pertinet ad terminum consecrationis, sit pars essentialis Sacramenti; sed sufficit quòd pertineat ad ipsum Sacramentum tanquam connotatum essentiale: & etiam sufficit quòd species consecratæ contineant dicto modo corpus, & sanguinem Christi, vt sint adæquatè signum practicum gratiæ nutritiuæ. Ad aliud, dicendum, quòd ex speciebus consecratis & corpore ac sanguine Christi fit vnum aggregatum ex Sacramēto, & ex re Sacramenti ac Sacramento simul, quod est singulare in Eucharistia; in qua, vt ait D. Thom. hic art. 1. ad 3. id quod est res & Sacramentum, est in ipsa materia siue in speciebus consecratis: in aliis verò Sacramētis est in suscipiente: non autem sit vnum in ratione Sacramenti.

DVBIVM VI.

Vtrùm species Consecratæ continentes corpus & sanguinem Christi, sint Sacramentum Eucharistiæ.

Svpponendum est sub speciebus panis iam consecratis esse integrum Christum, sicut & sub speciebus vini: ex vi quidem verborum, sub speciebus panis non est, nisi corpus Christi, vt importat partes solidas: sub speciebus verò vini non est ex vi verborum, nisi solus sanguis: per concomitantiam verò, vt postea dicetur, propter naturalem vnionem, sub speciebus panis est etiam sanguis, anima, & diuinitas: sicut & sub speciebus vini est totum corpus, anima, & diuinitas Christi: vnde sub vtraque specie verè, realiter, & physicè continetur totus Christus, vnitus ipsis speciebus; non quidem per modum subiecti, sed instar locati cum loco: & adhuc intimior.

Prima opinio negat, species consecratas continentes corpus & sanguinē Christi esse Sacramentū Eucharistiæ. Probatur authoritate Conc. Tridentini sess. 13. cap. 5. & canon. 6. vbi definit Eucharistiæ Sacramentum adorandū esse adoratione latriæ: sed species consecratæ non sunt adorādæ adoratione latriæ, at Christus ipse sub illis existens, vt eodem canone 6. dicit Concilium: ergo species consecratæ continentes corpus & sanguinem Christi non sunt Sacramentum Eucharistiæ.

Secundò, Illud quod est Sacramentum Eucharistiæ, debet esse signum practicum gratiæ per modum alimenti, idest ita signum, quòd simul causa; in hoc enim conueniunt omnia Sacramenta nouæ Legis: sed species consecratæ non causant gratiam, at solus Christus sub illis contentus, iuxta illud Ioannis, 6. Qui manducat me ipse viuet propter me. Item, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: nullibi autem dicitur in Scriptura, quòd species consecratæ sint cibus & potus animæ: maximè quia ipsæ species non possunt esse instrumentum ad causandam gratiam, quia iam humanitas Christi sub illis existens, est instrumentum, & ita aliud esset superfluum: ergo species consecratæ continentes corpus & sanguinē Christi non sunt Sacramentum Eucharistiæ.

Tertiò, Si species consecratæ essent Sacramentum, sequeretur quòd qui communicaret sub vtraque specie, plus reciperet gratiæ, quàm qui communicaret sub vna tantùm, quia Sacramentum significat & causat gratiam ex opere operato, quando non inuenit obicem, ac proinde vtraque species deberet causare si esset Sacramentum: sed qui communicat sub vtraque specie non plus recipit gratiæ, quàm ille qui cōmunicat tantùm sub vna; non enim credendum est quòd Ecclesia voluerit priuare omnes laicos tanto beneficio, prohibēdo ipsis ne communicarent sub vtraq; specie: ergo species consecratæ non sunt Sacramentum Eucharistiæ.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd species panis & vini consecratæ, continentes corpus, & sanguinem Christi sunt Sacramentum Eucharistiæ. Ita communiter omnes Scholastici.

Probatur conclusio authoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. vbi ait: Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem: sed in Eucharistia nihil est visibilis forma, aut signum sensibile siue symbolum, præter species consecratis: ergo ipsæ sunt Sacramentum Eucharistiæ, sicut definitur ab Innocentio III. in cap.

cum

cùm Marthę, de celebratione Miſſarum. Deinde probatur authoritate D. Thom. in 4. diſt. 10. in diuiſione textus, & hîc art. 1. ad 2. vbi ſic ait: Sicut autem ſe habet virtus Spiritus Sancti ad aquam Baptiſmi, ita ſe habet corpus Chriſti verum ad ſpecies panis & vini; vndè ſpecies panis & vini non efficiunt aliquid, niſi virtute corporis Chriſti veri. Denique probatur; Species conſecratæ continentes corpus & ſanguinem Chriſti ſunt ſigna ſenſibilia & practica gratiæ nutrientis; ſignificant enim corpus Chriſti & ſanguinem, in quantum per modum cibi & potus reficiunt immediatè animam per gratiam procedentē effectiuè & à corpore Chriſti & ſanguine, ac ex ipſis ſpeciebus conſecratis: ergo ipſæ ſpecies conſecratæ ſunt Sacramentum Euchariſtiæ. Maximè quia ex ſupradictis nihil aliud eſt aſſignabile: non corpus & ſanguis Chriſti; quia, vt dictum eſt, ſunt res Sacramenti & Sacramentum ſimul: non conſecratio nec vſus; quia hoc Euchariſtiæ Sacramentum eſt quid permanens, & nihil aliud ſupereſt.

Ad primum ergo, dicendum, quòd non ſolùm Chriſtus contentus ſub ſpeciebus conſecratis, ſed etiam ipſæ ſpecies ſunt adorandæ cultu latriæ, multò magis quàm Crux, & imago Chriſti: hæc enim duo repræſentant tantùm Chriſtum obiectiuè præſentem: ſpecies verò conſecratæ repræſentant ipſum verè, realiter, & phyſicè præſentem; & ſic eodem actu ſunt adorandæ, quo Chriſtus ipſis coniunctus. Vnde per hoc quòd Concilium dicit Chriſtum eſſe adorandum cultu latriæ in ſanctiſſimo Sacramento, non excludit, quin ipſum Sacramentum, ſiue ſpecies conſecratæ continentes Chriſtum ſint eodem cultu adorandæ, ſed aſſignat motiuum ſiue rationem formalem, cur eo cultu ſint adorandæ; igitur ipſæ ſpecies conſecratæ, ſi conſiderentur vt continent Chriſtum, cùm ratio formalis adorandi ſit ipſe Chriſtus Deus & homo, ac proinde ſit primarium obiectum adorationis, debent adorari perfecta adoratione latriæ. Si autem præciſè conſiderentur ipſæ ſpecies continentes, non autem vt continentes ſunt adorandæ adoratione latriæ imperfecta ſiue hyperduliæ, quæ debetur rebus diuinis ſiue habentibus aliquam vnionem ad Deum, quam habent, & maximam ipſæ ſpecies.

Ad ſecundum, dicendum, quòd ſpecies conſecratæ verè efficiēter cauſant gratiam, & non tantùm Chriſtus ſub eis contentus: quia vt dictum eſt in materia de Sacramentis in communi, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 7. canone 7. omnia Sacramenta nouæ Legis gratiam cauſant non ponentibus obicem: vnde etiam Pœnitentia cauſat gratiam, non ſolùm ratione abſolutionis, ſed etiam ratione cōfeſſionis & contritionis: qui ergo admittunt ſpecies conſecratas eſſe Sacramentum, debent dicere quòd cauſant immediatè gratiam effectiuè, quamuis per modum inſtrumenti, & non tantùm delatiuè, per hoc quòd continent corpus Chriſti à quo procedit gratia, eo modo quo aqua calefacta dicitur calefacere. Ad authoritatem S. Ioannis, dicendum, quòd licèt ſpecies conſecratæ ratione eleuationis ſint cibus & potus animæ, quo ſpiritualiter nutritur; quia tamen caro & ſanguis Chriſti ad hanc nutritionem nobiliori modo concurrunt; propterea ipſis & non ſpeciebus in Scriptura hoc attribuitur. Ad aliud, dicendum, quòd tam humanitas Chriſti, quàm ipſæ ſpecies concurrunt inſtrumentaliter ad productionem gratiæ; in aliis quidem Sacramentis concurrit abſens & agendo in diſtans, in Euchariſtia autem vt præſens, cui vt inſtrumento coniuncto ſubordinantur ſpecies conſecratæ, ſecundùm virtutem ab ipſa receptam, tanquam inſtrumentum ſeparatum; virtus autem hæc originatur à Deo cauſa principali, & media humanitate inſtrumento coniuncto diuinitatis ſpeciebus communicatur, ratione potentiæ obedientialis paſſiuæ.

Ad tertium, dicendum, quòd ille qui communicat ſub vtraque ſpecie, plus recipit gratiæ, quàm ille qui ſolùm communicat ſub vna, vt probat ratio: Eccleſia tamen prohibuit communicare laïcos ſub ſpeciebus vini, ob inconuenientia & irreuerentias, quæ contingebant circa hoc diuinum Sacramentum, quæ moraliter loquendo impediri non poterant: hoc tamen compenſari poteſt frequenti communione ſub ſpeciebus panis. Ex dictis igitur ſequitur quòd in Euchariſtia ſpecies conſecratæ continentes corpus & ſanguinem Chriſti ſunt Sacramentum tantùm: corpus autem & ſanguis Chriſti ſub illis ſunt res Sacramenti & Sacramentum ſimul: gratia verò ſanctificans res Sacramenti tantùm. Ratio eſt, quia ſpecies conſecratæ ſignificant tantùm & non ſignificantur: corpus & ſanguis Chriſti ſignificantur ipſis ſpeciebus, & ſignificant gratiam; ita tamen quòd non tantùm ſignificentur, vt volunt hæretici; ſed etiam verè & realiter ſub illis contineantur: gratia verò ſanctificans per modum alimenti ſpiritualis tantùm ſignificetur; non enim ſignificat aliquid quod ſit effectus proprius eiuſdem Sacramenti, quod requiritur ad hoc, vt aliquid ſit res & Sacramentum ſimul; ſignificat tamen gloriam, quia eſt ſemen eius, ſed gloria eſt ſignificatum commune omnibus Sacramentis.

DVBIVM VII.

Vtrùm Euchariſtia ſit vnum Sacramentum in ſpecie infima.

Svpponendum eſt Sacramenta eſſe quædam artefacta diuina, & entia moralia conſtantia tamen partibus phyſicis: in artefactis autem

autem & entibus moralibus reperitur duplex vnitas; vna materialis proueniens ex vnitate materiali & ſimplicitate rei, quæ eſt ſignum ſenſibile; alia formalis proueniens ex vnitate ſignificationis & effectus proprij, in quantum ſcilicet vnus tantùm effectus ſignificatur: conſtat autem quòd ſignificatio eſt formale in Sacramentis; quæ vnitas formalis dicitur etiam moralis, & ita dicitur vna domus, vnus populus: hæc autem ſignificatio poteſt eſſe explicita, quando expreſsè ſignificatur effectus; vel implicita, quando minus expreſsè idem effectus ſignificatur. Igitur applicando ad propoſitum ſpecies panis & vini conſecratæ poſſunt conſiderari, vel materialiter, ſiue in genere entis: vel formaliter ſiue in genere Sacramenti; in quo genere Sacramenti adhuc diſtinguitur ratio formalis, ſcilicet relatio ſigni, & ratio materialis ſcilicet fundamentum proximum talis relationis, quod eſt artificioſum quoddam morale diſtinctum ab ipſis ſpeciebus conſideratis in genere entis, ac illis ſuperadditum, conſiſtens in paſſiua compoſitione vnius conuiuij ſpiritualis, facta ex vtraque ſpecie per inſtitutionem Chriſti Domini, ad quam ſequitur relatio ſignificationis: præſens ergo difficultas procedit; vtrùm ex ſpeciebus panis & vini conſecratis, ac continentibus corpus & ſanguinem Chriſti Domini, fiat vnum Euchariſtiæ Sacramentum in ſpecie infima; nam quòd ſint vnum ſaltem genere, definitur à Concilio Tridentino ſeſſ. 7. vbi dicuntur eſſe tantùm ſeptem Sacramenta; eſſent autem octo, ſi Euchariſtia non eſſet tantùm vnum ſaltem genere.

Prima opinio negat Euchariſtiam eſſe vnum Sacramentum in ſpecie infima. Probatur authoritate Eccleſiæ, Conciliorum, Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum. Eccleſia in oratione Miſſæ ait: Purificent nos Domine Sacramenta quæ ſumpſimus. Concilia plura, plures Pontifices, & Sancti Patres loquuntur de Euchariſtia in plurali, vocando Sacramenta: ergo non eſt vnum ſpecie infima.

Secundò; Tam ſpecies panis, quàm ſpecies vini conſecratæ, ſeorſim ſumptæ ſunt Sacramentum; ſunt enim duo ſigna diſtincta gratiæ ſanctificantis: vna per modum cibi, alia per modum potus: ergo in Euchariſtia ſunt duo Sacramenta; ac proinde non eſt vnum in ſpecie infima. Quod colligitur à poſteriori; pars enim nunquam denominatur denominatione totius compoſiti; benè autem ſpecies denominatur à genere; cùm igitur tam ſpecies panis, quàm vini conſecratæ dicantur Euchariſtia; ſunt duæ ſpecies ipſius.

Tertiò; Quodlibet Sacramentum eſt quoddam compoſitum ex ſignificatione, & re ſignificante: ac proinde vt ſit vnum, debet eſſe vnica ſignificatio, & vnica res ſignificans: ſed in Euchariſtia non eſt vnica res ſignificans, at

ſunt duæ, ſcilicet ſpecies panis, & ſpecies vini: ergo non eſt vnum Sacramentum in ſpecie infima.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentum Euchariſtiæ, prout conſtat vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, eſt vnum Sacramentum in ſpecie, & eáque infima. Ita communiter Scholaſtici cum D. Thom. hîc art. 2.

Probatur prima pars concluſionis, tum authoritate Concilij Florentini in decreto Eugenij IV. & Tridentini ſeſſ. 7. can. 1. & tota ſeſſ. 13. Tum communi vſu Sanctorum Patrum & fidelium, qui loquuntur de Euchariſtia in numero ſingulari: ergo eſt vnum Sacramentum in ſpecie. Tum ratione D. Thom. quam loco citato ſic proponit: Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur: ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum; & potus, qui eſt alimentum humidum: & ideò etiam ad integritatem huius Sacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus; ſecundùm illud Ioann. 6. Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus: ergo hoc Sacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed vnum formaliter & perfectiuè. Quæ ratio ſic expenditur, & ſimul probatur ſecunda pars concluſionis: Vnitas formalis & ſpecifica ſpecie infima Sacramenti cuiuſcumque deſumitur ex vnitate ſpecifica ſpecie infima ſignificationis, & primarij effectus eius: quia Sacramentum eſſentialiter eſt ſignum practicum; vnde cauſat quod ſignificat: conſtat autem quòd ſignum practicum tunc eſt vnum in ſpecie infima, quando effectus primarius, quem ſignificat & cauſat, eſt vnus in ſpecie infima; ſignum enim practicum ſpecificatur à ſignificato cauſato: ſed ſignificatio Euchariſtiæ, vt conſtat ex vtraque ſpecie, panis videlicet & vini, eiúſque primarius effectus habent vnitatem ſpecificam in ſpecie infima; nam ſignificat ſpiritualem animæ refectionem, quam cauſat mediante gratia per modum cibi & potus; quæ duo requiruntur ad conſtituendum vnum conuiuium, & vnam ſpecie refectionem: ergo Sacramentum Euchariſtiæ, prout conſtat vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, eſt vnum Sacramentum in ſpecie, eáque infima.

AD primum ergo dicendum cum D. Thom. hîc art. 2. ad 1. quòd in eadem oratione, & pluraliter dicitur, primò: Purificent nos Sacramenta quæ ſumpſimus: & poſtea ſingulariter dicitur; Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam: ad oſtendendum, quòd hoc Sacramentum quodammodo eſt multa (ſcilicet ſecundùm partialem & materialem diſtinctionem ſignorum) ſimpliciter autem vnum. Similiter intelliguntur Concilia, Pontifices, & Sancti

Sancti Patres, dum loquuntur de Euchariſtia in plurali numero: ſcilicet de diſtinctione materiali & partiali ſignorum.

Ad ſecundum, dicendum, quòd ſpecies panis & vini; materialiter quidem ſunt plura ſigna; formaliter verò & perfectiuè vnum, in quantum ex eis perficitur refectio: vnde quælibet ſpecies ſeorſim ſumpta non eſt integrum Sacramentum, ſed partiale & inadæquatum, quia ſic non ſignificat gratiam reficientem per modum integri conuiuij; non enim ſolus cibus, aut ſolus potus ſunt integrum conuiuium, ſed partes ipſius: conſtat autem quòd Euchariſtia fuit inſtituta per modum conuiuij ſpiritualis; & ſic adintegratur & perficitur eſſentialiter ex vtraque ſpecie. Vnde quando quælibet ſpecies denominatur Sacramentum, debet ſubintelligi incompletum & partiale.

Ad tertium, dicendum, quòd licet in Euchariſtia ſint plures res ſignificantes materialiter & partialiter: non tamen formaliter & adæquatè; quia omnes ordinantur ad ſignificandum vnum conuiuium ſpirituale, & vnam refectionem animæ.

DVBIVM VIII.

Vtrùm tota eſſentia ſpecifica Euchariſtiæ reperiatur in qualibet ſpecie.

Prima opinio aſſerit in qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta, ſcilicet vel panis, vel vini reperiri totam eſſentiam ſiue rationem ſpecificam Sacramenti Euchariſtiæ; ita vt alia non pertineat ad integritatem eſſentialem. Ita Bellarminus libr. 4. de Euchariſtia cap. 22. & alij. Probatur authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 21. cap. 3. vbi ait, Sub vna ſpecie Euchariſtiæ non ſolùm totum Chriſtum ſupponi, ſed etiam verum Sacramentum: ergo quælibet ſpecies eſt ſimpliciter Sacramentum, & conſequenter continet totam eſſentiam Euchariſtiæ.

Secundò; Quælibet ſpecies haber rationem integri conuiuij, & cauſat integrum effectum huius Sacramenti: nam ſub ſpeciebus panis eſt Corpus Chriſti ex vi verborum, & per concomitantiam Sanguis: & è contra ſub ſpecie vini eſt Sanguis ex vi verborum, & per concomitantiam Corpus: & conſequenter quælibet ſpecies cauſat integram refectionem animæ: ergo tota eſſentia ſpecifica Euchariſtiæ reperitur in qualibet ſpecie. Maximè quia Euchariſtia eſt quoddam aggregatum; quælibet autem pars aggregati denominatur denominatione totius; nam pars notabilis exercitus, eſt exercitus.

Tertiò; Ex oppoſito ſequuntur tria inconuenientia. Primum, quòd laïci communicantes ſub ſpecie panis tantùm, non ſumerent totum Sacramentum Euchariſtiæ, ſed partem; quod eſt contra Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 3. aſſerens eos ſumere verum Sacramentum. Secundum; quòd in Sacrario non ſeruaretur Euchariſtia, nec deferretur in proceſſionibus, ſed pars tantùm eius; quòd etiam eſt contra Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. canone 7. Tertium; quòd opus eſſet tertia quadam forma conſecrationis totalis ad conſtituendum integrum Sacramentum Euchariſtiæ, ſi in qualibet ſpecie non eſt tota eſſentia; nam totum eſt quid diſtinctum à qualibet parte: ergo tota eſſentia ſpecifica Euchariſtiæ reperitur in qualibet ſpecie.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd tota eſſentia ſpecifica Sacramenti Euchariſtiæ non reperitur in qualibet ſpecie, ſed conſtat adæquatè ex vtraque. 2. Vnde quælibet ſpecies non eſt ſimpliciter & abſolutè dicenda Sacramentum Euchariſtiæ: ſed tantùm Sacramentum partiale & incompletum.

Probatur prima pars concluſionis, tum authoritate, tum ratione D.Thom. hîc art. 2. quæ ſic expenditur: Sacramentum Euchariſtiæ adæquatè ſumptum fuit inſtitutum à Chriſto Domino, tanquam conuiuium ſpirituale, quo reficiatur & nutriatur anima, iuxta illud; Qui manducat me, & ipſe viuet propter me: ſed tota eſſentia conuiuij materialis, cui conformatur ſpirituale, non conſiſtit in ſolo cibo, nec in ſolo potu; at in vtroque vt conſtat: ergo nec tota eſſentia Euchariſtiæ conuiuij ſpiritualis reperitur in qualibet ſpecie, ſed conſtat ex vtraque. Nec ſufficit, quòd ſub qualibet ſpecie continetur Corpus & Sanguis; vnum quidem per ſe ex vi verborum, aliud verò per accidens ratione concomitantiæ: quia integritas eſſentialis Sacramenti in ratione Sacramenti, non debet ſumi præciſè ex parte ipſius rei ſignificatæ; hæc enim ſe habet materialiter, ſed ex parte ipſius ſigni, quod eſt Sacramentum, ac proinde eſt formale & magis principale: vnde cùm quælibet ſpecies ſeorsùm, ex parte modi ſignificandi non ſignificet integrum conuiuium, quia non ſignificat integrum ſiue totum Chriſtum per ſe formaliter & explicitè, ſed tantùm per accidens, materialiter & implicitè: ſequitur quòd quęlibet ſpecies non ſit completum Sacramentum Euchariſtiæ; & conſequenter tota eſſentia ſpecifica huius Sacramenti non reperitur in qualibet ſpecie.

Secundò; In qualibet ſpecie conſecrata ſeorsùm ſumpta non ſaluatur integra completa & perfecta ratio Sacrificij: cùm Euchariſtia, vt ſacrificium, ſit ſignum commemoratiuum ſacrificij cruenti Chriſti Domini in Cruce; ad hoc autem perfectè ſignificandum requiritur, quòd ſignificetur Chriſtus mortuus, & eius ſanguis effuſus, quod non ſignificatur in qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta, vt patet, & colligitur

gitur à posteriori; nam aliàs, in casu necessitatis posset sacrificari sub vnica specie, cuius contrarium ita certum est in Ecclesia, quòd si Sacerdos celebrans moriatur post consecrationem panis, subrogatur aliis ad consecrandum vinum: cuius nulla alia ratio assignatur, quàm ista; quia non est completum sacrificium incruentum, ex eo quòd non exprimat sacrificium cruentum: ergo nec saluatur completa & perfecta ratio Sacramenti Eucharistiæ in qualibet specie seorsùm sumpta: quia non minus per se requiritur corpus & sanguis Christi ad hoc Sacramentum, cùm sit conuiuium spirituale, quàm ad sacrificium: ergo tota essentia specifica Sacramenti Eucharistiæ non potest consistere in qualibet specie.

Probatur secunda pars conclusionis. Nullum totum, siue essentiale, siue integrale prædicatur simpliciter & absolutè de qualibet sua parte in recto: sicut nec pars de toto, quia ad prædicationem requiritur, quòd prædicatũ & subiectum æquè latè pateant & identificentur ratione subiecti aut suppositi, in quo concurrunt: sed ostensum est in prima parte conclusionis, quòd quælibet species consecrata non continet totam essentiam Sacramenti Eucharistiæ, sed est tantùm pars essentialis ipsius: ergo quælibet species non est simpliciter & absolutè dicenda Sacramentum Eucharistiæ, at tantùm Sacramentum partiale, & incompletum.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Concilium ibi agit contra Hæreticos, qui volebant necessarium esse, quòd laicis daretur communio sub vtraque specie, ex eo quòd asserebant Christum non esse in hoc Sacramento, nisi simul sit in duabus speciebus: hos igitur damnat Concilium definiens sub qualibet specie esse totum Christum, vel vi verborum, vel per concomitantiam & communicantes sub sola specie panis suscipere verum Sacramentum: prout verum excludit metaphoricum Sacramentum: non autem prout verum, importat completum & perfectum Sacramentum: nam licèt quælibet species contineat totum Christum; non tamen continet totum ex vi sua & explicitè, sed tantùm implicitè, & partim per se, partim per concomitantiam tantùm, vt dictum est: ad perfectam vero rationem huius Sacramenti requiritur, quòd ex vi sua contineat carnem & sanguinem Christi, ac ita explicitè; quod non contingit nisi adsit vtraque species.

Ad secundum, dicendum, quòd quælibet species non habet per se & explicitè rationem integri conuiuij; quod tamen requiritur ad perfectionem essentiam huius Sacramenti; sed tantum per accidens & implicitè, ratione rei contentæ, tam ex vi Sacramenti, quàm per concomitantiam: nec quælibet species causat integrum effectum huius Sacramenti, vt dicetur infra: sed dato quòd illum causaret per accidens ratione rei contentæ, sufficit quòd non causet per se illum, significando explicitè per modum cibi & potus; significare enim est formale & principale in Sacramentis: & potest contingere quòd per accidens causalitas excedat significationẽ, vt contingit in hoc Sacramento Eucharistiæ, quod significat tantùm gratiam per modum cibi & potus, ac proinde secundã, & tamen per accidens causat primam, quæ est esse spirituale, vt infra dicetur. Ad aliud, dicendum, quòd sunt quædam tota habentia partes independentes, & quæ per diuisionem amittunt rationem partium, & fiunt tota; quod non contingit in præsenti, nam Sacramentum Eucharistiæ est conuiuium spirituale, cuius partes videlicet cibus & potus, sunt ab inuicem dependentes, nec vnquam possunt amittere rationem partium, & fieri quælibet sigillatim totum conuiuium.

Ad tertium, dicendum, quòd laici ex Concilio Tridentino sumunt verum Sacramentum; prout ly, verum, opponitur metaphorico; non autem vt importat integrum Sacramentum, vt dictum est. Similiter in sacrario seruatur Eucharistia & defertur in processionibus, non secundùm quòd importat completum & totale Sacramentum, sed tantùm partiale & incompletum. Ad aliud, dicendum, quòd quale est compositum, talis debet esse forma eius: cùm igitur Eucharistiæ Sacramentum sit quoddam compositum artificiosum morale, importans vtramque speciem panis & vini simul, cùm sit conuiuium spirituale; quasi ex ipsis non per se vnitis, resultet tertium per se ab ipsis distinctum, vniuntur enim tantùm moraliter; sic non requiritur tertia forma totalis distincta, sed sufficiunt duæ partiales moraliter vnitæ.

DVBIVM IX.

Vnde sumatur vnitas numerica Sacramenti Eucharistiæ.

Prima opinio asserit vnitatem numericam Sacramenti Eucharistiæ sumi ab vnitate corporis & sanguinis Christi: ita vt omnes species panis & vini consecratæ in tota Ecclesia, sint vnum numero Sacramentum Eucharistiæ. Ita Henricus lib. 8. summæ cap. 8. quam valde probabilem tenent Suares, & Soto. Probatur authoritate Scripturæ. 1 ad Corinth. 10. dicitur: Vnum corpus sumens omnes, qui de vno pane & de vno calice participamos. Et S. Ambrosij qui in cap. 1. ad Hebr. ait: Omnes hostias ab initio nascentis Ecclesiæ oblatas, & vsque in finem mundi offerendas esse vnum sacrificium. Deinde; Si Verbum diuinum assumpsisset plures humanitates, ita vt esset illis hypostaticè vnitum, adhuc esset vnus tantùm homo propter

vnitatem ſuppoſiti: ergo licèt corpus Chriſti ſit vnitum pluribus ſpeciebus conſecratis, tamen erit vnicum Sacramentum.

Secunda opinio Vaſquis, & Comejo, eſt in alio extremo: dicunt enim vnitatem numericam Sacramenti Euchariſtiæ à phyſica continuatione partium ipſarum ſpecierum deſumẽdam eſſe: ita vt quot ſunt particulæ diſtinctæ conſecratæ, vel quot portiones vini diſcontinuæ, tot ſint Sacramenta numero diſtincta. Probatur; In qualibet ſpecie diſcontinua ſaluatur tota ratio Sacramenti, nam quælibet eſt ſignum practicum gratiæ per modum alimenti. Deinde; Principium vnitatis numericæ ſiue indiuiduationis, debet eſſe intrinſecum & inuariabile: ſed nihil tale poteſt aſſignari præter phyſicam continuationem vt diſcurrenti patet: ergo vnitas numerica Sacramenti Euchariſtiæ ſumitur à continuatione phyſica partium ipſarum ſpecierum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd vnitas numerica Sacramenti Euchariſtiæ non ſumitur ab vnitate corporis & ſanguinis Chriſti: 2. Nec à phyſica continuatione partium ipſarum ſpecierum conſecratarum; 3. Sed ex morali coniunctione ſpecierum inter ſe, in ordine ad vnam refectionem ſpiritualem completam. Ita tenent Soto in 4. diſt. 8. quæſt. vnica, art. 2. Ledeſma 1. p. quæſt. 14. art. 2. Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 14. Suares, & alij.

Probatur prima pars concluſionis. Plures ſpecies diuerſis locis, vel diuerſis temporibus conſecratæ, ſunt ſimpliciter plura numero ſigna practica gratiæ, per modum alimenti ſpiritualis, quo reficitur anima; quia ordinantur ad plures refectiones vt patet: ergo ſunt plura numero Sacramenta Euchariſtiæ, vt conſtat à definitione ad definitum; ac proinde vnitas numerica huius Sacramenti non ſumitur ab vnitate corporis Chriſti; quia eſt idem corpus Chriſti, & tamen tunc ſunt plura numero Sacramenta. Radix huius eſt, quia Euchariſtia immediatè ſignificat refectionem animæ per gratiam, & ſi ſignificat corpus & ſanguinem Chriſti, ea ſignificat vt paſcunt animam effectiuè gratiam communicando, qua formaliter paſcitur: vnde ſemper pro diuerſa refectione multiplicatur numero ſignificatio ſpecierum, ac proinde & Sacramentum, quod conſiſtit in ſignificatione.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Euchariſtiæ Sacramentum eſt inſtitutum à Chriſto Domino per modum conuiuij ſpiritualis, quo reficitur anima; vnde de illo agendum eſt cum analogia ad conuiuium materiale, vt communiter docent Scholaſtici cum D.Thom. hîc art. 2. ſed conuiuium materiale non habet ſuam vnitatem numericam à phyſica continuatione ciborum, nec à numero ferculorum; ſed à cibis & ferculis prout ordinantur ad vnam refectionem, vt patet: ergo nec vnitas numerica Sacramenti Euchariſtiæ ſumitur à phyſica continuatione partium ipſarum ſpecierum. Deinde; quantùm ad vnitatem numericam rationes ſacrificij & Sacramenti ſe conſequuntur: ſed Sacerdos licèt conſecret plures & diſcontinuas particulas, facit tantùm vnum ſacrificium; ergo & vnum numero Sacramentum, dummodo omnes ordinentur ad vnam refectionem. Denique; in Miſſa Sacerdos diuidit Hoſtiam in tres partes, & poteſt ſumere Sanguinem multiplici diſtincto hauſtu: & tunc tamen ſumitur vnum tantùm Sacramentum, non obſtante diſcontinuatione partium ſpecierum: ergo ab illis non ſumitur vnitas numerica Sacramenti Euchariſtiæ. Si dicatur ex Aduerſariis, quòd quælibet pars hoſtiæ, aut quælibet portio vini non eſt materia integra; Nulla poteſt tamen aſſignari ratio, niſi quia omnes ordinantur ad eandem refectionem: nam in qualibet eſt totum corpus, aut totus ſanguis Chriſti: & ita reſponſio deſtruit eorum ſententiam; quia ex illa plures ſpecies diſcontinuæ, ſi ordinentur ad vnam tantum refectionem, poſſunt eſſe vnica materia huius Sacramenti, ac ita Sacramentum erit vnum numero. Confirmatur ex inconuenienti communiter admiſſo: nam ſequitur quòd ille qui recipit plures particulas, recipit maiorem gratiam ex opere operato; nam ex Aduerſariis ſumeret plura numero Sacramenta: conſtat autem quòd vnumquodque Sacramentum numero habet cauſare determinatam portionem gratiæ ex opere operato. Si dicatur cum Aduerſariis; quòd ſunt quidem plura & totalia Sacramenta; ſed quia ſunt inſtrumenta eiuſdem virtutis, ideo non cauſant maiorem effectum ſimul applicata, quàm cauſaret quodlibet ipſorum: ſicut in Phyſicis plura calida vt duo non cauſabunt niſi calorem intenſum vt duo, quem cauſaret vnicum calidum vt duo. Et in Sacramentalibus; plures ſimul baptizantes non cauſabunt maiorem gratiam in baptizato, quàm vnus. Contra, quia inſtantiæ adductæ non ſunt ad rem: nam in Phyſicis nunquam eſt actio naturalis, niſi agens tam principale, quàm inſtrumentale excedat paſſum in qualitate producenda per actionem; vnde ſiue ſint plura agentia, ſiue vnicum, indifferenter ſe habet, quia effectus ſemper correſpondebit principio actionis: In Sacramentis non eſt ita; nam quodlibet ex diuina inſtitutione cauſat determinatã portionem gratiæ vt certum eſt: nam qui communicat quotidie, quotidie recipit nouam portionem gratiæ, quia Sacramentum hoc in ſe habet: quòd autem ſimul cum alio Sacramento, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ ſpeciei ſumatur, hoc non impedit eius cauſalitatem; & ſic æquè cauſaret ſimul ſumptum, ac ſucceſſiuè: vnde cùm plures hoſtiæ ſimul ſumptæ non cauſent maiorem

rem gratiam, quàm vna sola, non aliunde prouenit, nisi quia sunt vnicum Sacramentum, vtpote deseruientes vni refectioni. Ad aliam instantiam, dicendum, quòd ministri Sacramentorum non causant gratiam, nisi applicando Sacramenta; ipsum verò Sacramentum eam physicè causat: vnde siue sint plures Ministri, siue vnicus, semper eadem gratia causatur; si applicatur idem, & vnum tantùm Sacramentum.

Probatur tertia pars conclusionis. Vnitas specifica Sacramenti Eucharistiæ prouenit ex hoc quòd sit conuiuium spirituale institutum à Christo Domino, & ordinatum ad refectionem animæ: propterea adintegratur essentialiter ex speciebus panis & vini, vt dictū est: ergo vnitas eius numerica prouenit ex hoc, quòd sit vnum tantùm numero conuiuium ordinatū ad vnam numero animæ refectionē: constat autem quòd quando est moralis coniunctio specierū etiam plurium inter se, efficiunt vnicum cōuiuium, & ordinātur ad vnicā refectionem, vt patet ex analogia conuiuij materialis, quod constituitur ex pluribus cibis & ferculis ordinatis ad vnam refectionem: ergo vnitas numerica Sacramenti Eucharistiæ sumitur ex morali coniunctione specierum inter se, in ordine ad vnam refectionem spiritualem completam: vnde falsum est quòd possit esse vnum conuiuium & plura Sacramenta: & similiter quòd sint plura conuiuia, quando apponuntur plura fercula. Quod sic magis declaratur: In speciebus consecratis est duplex ordinatio siue relatio, vna primaria conueniens ipsis secundùm se, qua scilicet deputantur ad refectionem animæ, & hæc est inuariabilis, intrinseca, & permanens: alia est secundaria conueniens ipsis ex intentione saltem virtuali Sacerdotis consecrantis, qua deputantur ad vnam, vel plures refectiones; & hæc est extrinseca, ac variabilis, & incipit in consecratione, confirmatur autem, vel variatur in ipsa sumptione: vnde licèt Sacerdos consecret plures particulas in ordine ad plures refectiones, non habent completè esse plura numero Sacramenta, nisi in ipsa sumptione deseruiant pluribus refectionibus; sed tantùm inchoatiuè sunt plura: & è contra si plures consecret in ordine ad vnam sumptionem, inchoatiuè sunt vnum tantùm Sacramentum, completiuè verò in ipsa sumptione: si verò postea ipsas applicaret ad plures refectiones, fierent tunc plura numero Sacramenta, sicut dum consecrat magnam hostiam, & sumit totam, est vnum tantùm numero Sacramentum, tam inchoatiuè, quàm completè: si autem contingat, quòd consecret quidem in ordine ad se, postea tamen diuidat pluribus, inchoatiuè est vnum Sacramentum numero, postea tamen fit plura: quòd si illam consecret animo diuidendi & reficiendi plures, erit tantùm virtualiter plura Sacramenta ex intentione eius, & formaliter vnum propter indiuisionem materiæ siue specierum; fiet autem multiplex numero actu & formaliter, dum post diuisionem partes ministrantur. Nec mirum videri debet, quia ex sua institutione est conuiuium spirituale, dicens analogiam ad materiale; constat autem quòd plura fercula ex deputatione ad vnam refectionem inchoatiuè constituunt vnum conuiuium, & completè dum actu ministrantur: potest autem fieri, quòd deputatio mutetur, ita vt deseruiant pluribus refectionibus; & ita efficient plura conuiuia: & hoc est ordinarium in compositis moralibus, nam viginti turmæ militum simul efficiunt vnum tantùm exercitum, & postea diuiduntur in duos: idem ædificium constituit nunc vnam domum, & postea diuiditur in duas.

Ad primum ergo dicendum, quòd Apostolus loquitur ibi methonimicè, accipiens species panis & vini consecratas pro corpore & sanguine Christi, contentis sub illis: vnde pro pane intelligit Corpus, pro calice Sanguinem: & hæc non multiplicantur numero sub diuersis speciebus; in ipsis autem non est ratio Sacramenti, sed in speciebus quæ multiplicantur. Ad aliud, dicendum; quòd S. Ambrosius pro sacrificio intelligit id quod in ipso est materiale scilicet corpus & sanguinem Christi, quæ sunt res oblata; non autem id quod est formale scilicet actio offerendi, & sacrificandi incruenta: hæc enim est multiplex. Ad aliud, concesso antecedenti negatur consequentia: disparitas est, quia homo importat suppositum humanæ naturæ: non multiplicato igitur supposito Verbi in illo casu, licèt essent plures naturæ assumptæ, adhuc esset vnus homo: & hoc ideò, quia propter vnionem Hypostaticam, omnes illæ naturæ subsisterent, & existerent subsistentiâ, & existentiâ Verbi: vnde ex qualibet ipsarum fieret idem vnum per se substantiale: hoc autem non contingit in præsenti; quia species & Christus non vniuntur vnitate per se, sed per modum continentis & contenti, & solæ species continentes, vt dictum est, fiunt Sacramētum: vnde, illis multiplicatis, etiam Christo non multiplicato, multiplicantur numero Sacramenta.

Ad secundum, dicendum, quòd Maior est vera, si quælibet illa species ordinatur ad vnam peculiarem refectionem: aliàs quælibet non esset adæquatum, totale, & completum signum practicum gratiæ per modum alimenti, quia non esset totum conuiuiū, nec importaret vnam totalem refectionem. Ad aliud patet ex dictis, quòd licèt vnitas numerica sit intrinseca; in moralibus tamen prouenit sæpe ab extrinseco, & est variabilis.

DVBIVM X.

Vtrùm Sacramentum Euchariſtiæ in re, & de facto ſuſceptum, ſit neceſſarium ad ſalutem.

SVpponendum eſt Sacramentum Euchariſtiæ eſſe nobiliſſimum & præcipuum inter alia, vt colligitur ex Concilio Tridentino: nam ſeſſ. 13. paſſim Euchariſtiam vocat Sanctiſſimam, Sacroſanctam, Venerabilem, Adorandam: quæ epitheta non dat aliis Sacramentis; vnde cùm ſeſſ. 7. canon. 3. ait: Non omnia nouæ Legis Sacramenta eſſe paria, ſed vnum eſſe dignius alio, videtur intendere ad Euchariſtiam, de qua ſeſſ. 13. cap. 2. ait Chriſtum in hoc Sacramento diuitias diuini ſui erga homines amoris veluti effudiſſe; & Catechiſmus Concilij cap. 4. ait, Hoc Sacramentum, quantùm ad bonorum affluentiam, ſe habere ad reliqua, ſicut ſe habet fons ad riuulos. Idem docent communiter Sancti Patres, ſicut Dionyſius cap. 3. de Cœleſti Hierarch. ait enim: Ad hoc Sacramentum tanquam ad ſuum ſinum omnia alia Sacramenta ordinari: & ratio eſt manifeſta, quia eſt Sacramentum permanens, realiter ac phyſicè continens ipſum Chriſtum hic concurrentem ſpeciali modo, quo non concurrit in aliis; hic enim eſt præſens ſecundùm ſe; in aliis verò ſimpliciter eſt abſens, & tantùm virtualiter præſens ratione virtutis fluentis, ab ipſo illis communicatæ: & inſuper cauſat maiorem gratiam ex opere operato, quàm alia Sacramenta: & ſi ordinetur ad alia Sacramenta; non ordinatur tanquam medium, ſed tanquam perficiens alia. Nec obſtat quòd Baptiſmus cauſat gratiam per modum generationis, ac proinde primam: quod eſt perfectius, quàm cauſare illam per modum nutrimenti, & ſecundam, vt patet ex analogia ad generationem, & nutritionem materialem: Negatur enim paritas; quia in nutritione materiali eſt alimentum inferioris ordinis ad ſubſtantiam aliti: hic autem alimentum eſt corpus & ſanguis Chriſti ordinis ſuperioris & Hypoſtatici: & ex hoc quòd non cauſet primam gratiam per ſe colligitur eius excellentia; quia hoc non prouenit ex eius imperfectione, cùm aliquando illam cauſet per accidens, cùm aliquis ex ignorantia inuincibili accedit eum mortali; ſed prouenit ex eius perfectione, quæ exigit ſubiectum diſpoſitum & exiſtens in gratia.

Supponendum eſt ſecundò, neceſſarium diuidi in neceſſarium ſimpliciter, ſine quo aliquid fieri non poteſt; & neceſſarium ſecundùm quid, ſine quo aliquid quidem fieri poteſt, ſed non tam benè: vnde etiam dicitur neceſſarium ad melius eſſe. Neceſſarium ſimpliciter ſcilicet ad ſalutem, ſine quo gloria acquiri non poteſt, ſubdiuiditur in neceſſarium neceſſitate medij, & neceſſarium neceſſitate præcepti. Neceſſarium neceſſitate medij, ſiue finis, eſt illud omne, quod ex natura rei habet neceſſariam connexionem cum gloria vltimo fine, & ſunt media ex natura rei neceſſaria & indiſpenſabilia ad conſecutionem illius: vt ſunt Gratia, Fides, Charitas, & ad hæc reducuntur ea ſine quibus hæc media haberi non poſſunt ſuppoſita inſtitutione diuina, vt Paſſio & merita Chriſti per modum cauſæ, Baptiſmus & Pœnitentia poſt lapſum. Neceſſarium neceſſitate præcepti, ſiue diuini, ſiue humani eſt illud, quod ex natura ſua non habet quidem neceſſariam connexionem cum gloria, at tantùm ex præcepto. Hic tantùm agitur de neceſſitate medij, nam de neceſſitate præcepti agitur infra quæſt. 80.

Prima opinio aſſerit Sacramentum Euchariſtiæ in re, & de facto ſuſceptum, eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem. Ita tenuerunt Armeni hæretici, qui propterea ſuos paruulos communicabant. Probatur authoritate Scripturæ Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et è contra; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: vnde antiquitus erat vſus cōmunicandi paruulos ante vſum rationis, vt refert Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 4. imò dabatur Euchariſtia corporibus defunctorum, ſi forte aliqua de cauſa in vita non potuiſſent ſuſcipere: ergo hoc Sacramentum in re, & de facto ſuſceptum, eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, vt ſæpe docent Sancti Patres.

Secundò, Effectus Euchariſtiæ ſunt neceſſarij neceſſitate medij ad ſalutem: hi enim effectus ſunt manere incorporatum corpori miſtico Eccleſiæ, vt ait D. Thom. hic art. 3. & præſeruari à peccatis mortalibus, ac proinde perſeuerare in gratia, vt docet Concilium Tridētinum ſeſſ. 13 cap. 2. ſine quibus, vt conſtat, non poteſt acquiri ſalus æterna: ergo & ipſa Euchariſtia eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem.

Tertiò; Cibus corporeus eſt de neceſſitate corporalis ſalutis, in re, & de facto ſuſceptus in nutritione; nam ſicut per generationem recipitur eſſe, ſic per nutritionem conſeruatur: ergo & Sacramentum Euchariſtiæ eſt neceſſarium ad gloriam neceſſitate medij, ſiue eſt de neceſſitate ſpiritualis ſalutis, quia eſt inſtitutum per modum alimenti ſpiritualis, quo nutriatur anima, ſicut per Baptiſmum regeneratur: Maximè quia vtrumque eſt Sacramentum Dominicæ Paſſionis, ſine qua non poteſt eſſe ſalus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentum Euchariſtiæ in re, & de facto ſuſceptum, non eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem æternam, ſiue paruulis, ſiue adultis: quaſi

quasi sine ipso haberi non possit: 2. Nec consequenter est simpliciter necessarium ad primam gratiam obtinendam, aut conseruandam: 3. Nec ad perseuerandum finaliter in gratia. Ita D.Thom. hic art. 3. & communiter eius Discipuli, & alij.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide: tum ex communi vsu Ecclesiæ vniuersalis, quæ non tradit communionem paruulis; & tamen indubitanter credit eos saluari iuxta illud Marci vltimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Tum authoritate Concilij Tridentini sess. 21. canone 4. vbi ait: Si quis dixerit paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit. Item sess. 5. canon. 5. definit per Baptismum remitti peccatum originale, & actualia commissa ante ipsum, nihilque remanere damnationis in baptizatis: sed ad salutem æternam solùm ea sunt necessaria necessitate medij, sine quibus haberi non potest: constat autem quòd iustificatus secluso quocumque alio potest habere salutem æternam; imò habet ius ad illam, constituitur enim per gratiam filius Dei adoptiuus, iuxta illud D. Petri: Magna & pretiosa nobis donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ: si filius, & hæres: vt concludit S. Paulus: ergo Eucharistiæ Sacramentum in re, & de facto susceptum, non est necessarium necessitate medij ad salutem: Tum authoritate S. August. lib. 4. contra 2. epist. Pelagian. cap. 22. vbi ait: Nec illud cogitetis paruulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi: Tum ratione D. Thom. loco citato, vbi sic probat afferens discrimen inter Eucharistiam & Baptismum; Baptismus est principium spiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum: Eucharistia verò est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis: per sanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam; & ideo perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc quòd simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio & intentione.

Probatur secunda pars conclusionis, tum ex dictis; tum quia, vt infra dicetur, Sacramentum Eucharistiæ non est institutum ad causandam primam gratiam; imò eam supponit tanquam dispositionem, & qui sciens accederet ad illud sine gratia, committeret sacrilegium; propterea dicitur Sacramentum viuorum: ergo non est simpliciter necessarium ad primam gratiam obtinendam, aut conseruandam; quandiu enim quis in gratia constitutus non peccat mortaliter, tandiu eam conseruat: sine reali autem susceptione Eucharistiæ multi abstinent se à peccato, vt constat in multis, qui ex impedimentis non possunt eam suscipere: tum denique quia Baptismus, & Pœnitentia, cùm sint Sacramenta mortuorum, & instituta ad causandam primam gratiam, sunt ex communi consensu Ecclesiæ maioris necessitatis in ordine ad obtinendam primam gratiam; & tamen adulti sine reali eorum susceptione, cum solo voto obtinent primam gratiam, vt est communis opinio de S. Paulo, & Cornelio: ergo multò magis sine reali susceptione Eucharistiæ. Cur autem requiratur realis susceptio Baptismi in paruulis, & non Eucharistiæ? Dat rationem D. Thomas loco citato sic: Per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam; & ideo ex hoc ipso quòd pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius: sed ad Baptismum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum; & ideò ante susceptionem Baptismi non habent pueri aliquo modo Baptismum in voto, sed soli adulti: vnde rem Sacramenti non possunt percipere sine perceptione Sacramenti; & ideò hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut Baptismus.

Probatur tertia pars conclusionis, tum communi cõsensu Scholasticorum: tum quia multi de facto perseuerant, siue moriuntur in gratia sine reali susceptione Eucharistiæ, vt illi qui legitimè impediuntur ab eius susceptione propter varios casus: tum quia alioquin homines tenerentur communicare statim ac habent vsum rationis; quod tamen non est consuetudo Ecclesiæ: tum deinde, quia vt ait noster Vualdensis lib. de Sacram. cap. 92. Quomodo promisit Christus bono Latroni paradisum, qui realiter Carnem eius non manducauerat, neque Sanguinẽ biberat: dicere autem Christum cum illo dispensasse; sine fundamento est: & præsertim cùm fuerit primus, qui post Eucharistiam institutam gloriam adeptus est: tum denique, quia donum perseuerantiæ non est effectus proprius Eucharistiæ; nam multi qui eam sæpe recipiunt, illo carent: ergo Sacramentum Eucharistiæ in re, & de facto susceptum, non est necessarium ad finaliter perseuerandum in gratia, quamuis sit maximè vtile, & ita necessarium ad melius esse.

Ad primum ergo, dicendum, quòd ille locus debet intelligi de sumptione huius Sacramenti in voto, saltem interpretatiuo, incluso in reali susceptione Baptismi, vt dictum est: Quod colligitur ex ipsis verbis: nam cùm sint in secunda persona, videntur potiùs importare necessitatem præcepti, quantùm ad realem susceptionem, quàm necessitatem medij: sunt enim directa ad homines vtentes ratione; vnde suscipiendo in voto, quando non possunt suscipere in

in re, non excluduntur ab eius effectu. Alio autem modo declaratur neceſſitas Baptiſmi, ſcilicet per imperſonale; Niſi quis renatus fuerit, &c. quod omnes vniuerſaliter comprehendit. Ad aliud, dicendum cum Concilio Tridentino loco citato, conſuetudinẽ illam non fuiſſe vniuerſalem totius Eccleſiæ, ſed particularem aliquarum Eccleſiarum; non motiuo neceſſitatis, ſed aliis congruentiis introductam: Sancti verò Patres intelligendi ſunt, vel de neceſſitate tantùm præcepti, vel de ſuſceptione Sacramenti in voto tantùm.

Ad ſecundum, dicendum; quòd hi effectus Sacramẽti Euchariſtiæ poſſunt haberi cum ſola ſuſceptione illius in voto, etiam tantùm interpretatiuo: conſtat enim quòd Sacramenta ſæpe cauſant ſuos effectus ſuſcepta tantùm in voto.

Ad tertium, dicendum, quòd hæc eſt differentia inter alimentum corporale & ſpirituale: quòd alimentum corporale conuertitur in ſubſtantiam eius, qui nutritur; & ideò non poteſt homini prodeſſe ad vitæ conſeruationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur: ſed alimentum ſpirituale conuertit hominem in ſeipſum, vt dictum eſt ſupra ex Auguſt. Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine huius Sacramenti perceptione; & ideo non eſt ſimile & cibo corporeo & ſpirituali, quantùm ad hoc: & ex hoc colligitur differentia inter Baptiſmum & Euchariſtiam in ordine ad paruulos, quia Baptiſmus eſt Sacramentum mortis & paſſionis Chriſti, prout homo regeneratur in Chriſto, virtute paſſionis eius; ſed Euchariſtia eſt Sacramentum paſſionis Chriſti, prout homo perficitur in vnione ad Chriſtum paſſum: vnde ſicut Baptiſmus dicitur Sacramentum fidei, quæ eſt fundamentũ Spiritualis vitæ, ita Euchariſtiam dicitur Sacramentum Charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis. Ita D. Thomas hic artic. 3. ad 2. & 3.

DVBIVM XI.

Vtrùm Sacramentum Euchariſtiæ in voto ſuſceptum ſit neceſſarium ad ſalutem.

Svpponendum eſt votum, prout hîc ſumitur pro deſiderio, eſſe duplex; ſcilicet formale, & virtuale; ſiue expreſſum aut explicitum, & implicitum. Formale & expreſſum tunc eſt, quando habetur propoſitum recipiendi aliquod Sacramentum: virtuale autem & implicitum tunc eſt, quando fit aliquid in quo virtualiter & interpretatiuè continetur illud propoſitum, ratione connexionis quam habet cum illo.

Prima opinio Alenſis, Suaris, Vaſquis, & aliorum in præſenti, negat Sacramentum Euchariſtiæ in voto ſuſceptum, eſſe neceſſarium ad ſalutem: vnde nec ad primam gratiam, nec ad perſeuerantiam in gratia: Probatur authoritate Concilij Tridentini, & D. Thomæ. Concilium Tridentin. ſeſſ. 13. canone 5. damnat, qui dixerit præcipuum fructum huius Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum: & alibi docet quòd ſolus Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt de neceſſitate medij neceſſaria ad ſalutem. D. Thomas etiam ſupra quæſt. 65. art. 4. diſt. 9. quæſt. vnica art. 1. & diſt. 12. quæſt. 3. art. 2. docet hoc Sacramentum non eſſe de neceſſitate medij, ſed tantùm de neceſſitate præcepti. Nec valet diſtinctio in re, vel in voto ſuſceptum; eadem enim poſſet adhiberi de Baptiſmate, & Pœnitentia; ſufficit enim quòd in voto ſuſcipiantur: ergo Sacramentum Euchariſtiæ in voto ſuſceptum non eſt neceſſarium ad ſalutem.

Secundò; Euchariſtia non eſt inſtituta ad cauſandam primam gratiam; imò illam ſupponit, cauſatur verò à Baptiſmo, & pœnitentia, quæ propterea dicuntur Sacramenta mortuorum: ergo Sacramentum Euchariſtiæ in voto ſuſceptum non eſt neceſſarium ad primam gratiam; maximè paruulis, quia tunc tantùm neceſſaria eſt res in voto, quando deberet eſſe in re, & adeſt impedimentum: conſtat autem quòd paruuli non debent ſuſcipere in re Sacramentum Euchariſtiæ, ac proinde non debent illud habere, ſiue ſuſcipere in voto.

Tertiò; Si votum Euchariſtiæ eſſet neceſſarium ad ſalutem, vel ad perſeuerantiam neceſſitate medij, ſequeretur, quòd homo teneretur illud habere, ſtatim ac Baptizatur, vel iuſtificatur per Pœnitentiam; quod tamen conſtat eſſe falſum: ergo Sacramentum Euchariſtiæ in voto ſuſceptum non eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij; maximè, quia perſeuerantia non eſt effectus illius etiam in re ſuſcepti, vt manifeſtè patet; nam multi illud ſuſcipiunt qui non perſeuerant.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Sacramentum Euchariſtiæ in voto, ſaltem implicito, tacito & interpretatiuo ſuſceptum, eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij; 2. Sicut & ad primam gratiam: 3. Et ad perſeuerantiam in gratia. Ita Sotus in 4. d. 8. quæſt. 1. art. 3. Cornejo in præſenti, & alij.

Probatur prima pars cõcluſionis authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, maximè S. Auguſtini & D. Thom. Ioannis 6. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Item, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: &, Qui manducat me & ipſe viuet propter me: ergo cùm non intelligatur de reali ſuſceptione huius Sacramenti, ſaltem intelligitur de ſuſceptione in voto ſiue implicito, ſiue explicito. S. Auguſtinus 1. con-

Chriſti

tra Iulianum cap. 1. asserit paruulos sine carne Christi & sanguine vitam habere non posse: quod etiam docuerat Innocentius I. in epistola decretali ad Patres Concilij Mileuitani; vbi sic ait: Illud verò quod vestra fraternitas dicit, eos asserere paruulos etiam sine Baptismatis gratia æternæ vitæ præmiũ donari posse, perfatuũ est; nisi enim manducauerint Carnem filij hominis, & biberint eius Sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis: qui autem hanc sine Baptismate eius deserunt, ipsum Baptisma cessare velle videntur. D.Thomas autem hîc art. 3. sic probat: Baptismus est principium spiritualis vitę & ianua Sacramentorum; Eucharistia verò est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis; per sanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam, vel conseruandam Eucharistiam: & ideo perceptio Baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam; non ad hoc quòd simpliciter habeatur, sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio: cuius rationis vis in hoc consistit, qui suscipit aliquid, quod ex institutione diuina ordinatur ad aliud suscipiendum, suscipit in voto, saltem virtuali & implicito, aut interpretatiuo & tacito illud aliud: sicut qui incedit per viam quæ ducit Romam, virtualiter saltem vult ire Romam: sed Sacramenta nouæ Legis, maximè Baptismus, & Pœnitentia, quæ conferunt primam gratiam, ordinantur ad Eucharistiam; ergo qui illa realiter suscipit, recipit etiam sed in voto saltem virtuali Eucharistiam: hæc autem sunt necessaria necessitate medij ad salutem æternam, & ad primam gratiam in re, & de facto suscepta: ergo & Eucharistia in voto suscepta. Confirmatur, quælibet res appetit suum complementum & perfectionem, appetitu vel elicito, vel innato: ergo & vita spiritualis inchoata per Baptismum & Pœnitentiam appetet consummari & perfici per Eucharistiam: Et ex his probata manet secunda pars.

Probatur tertia pars conclusionis: tum quia ex Concilio Florentino Eucharistia confert animæ omnes effectus, quos cibus corporalis confert corpori: sed cibus corporalis est necessarius necessitate medij ad perseuerandum in vita naturali: ergo & Eucharistia ad perseuerandum in vita spirituali gratiæ. Cur autem cibus corporalis sit necessarius in re, & Eucharistia tantùm in voto, dictum est dubio præcedenti. Tum quia Eucharistia est necessaria necessitate medij ad salutem æternam, vt probatum est: ergo & ad illa, quæ sunt indispensabilia ad consequendam vitam æternam, & quibus positis necessariò datur vita æterna: sed huiusmodi est perseuerantia in gratia, vt patet: ergo Sacramentum Eucharistiæ in voto susceptum, est necessarium necessitate medij ad perseuerantiam in gratia.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Concilium Tridentinum loquitur de fructibus per se causatis ab Eucharistia in genere causæ efficientis, quatenus est quoddam particulare Sacramentum, habens peculiarem effectum condistinctum ab effectibus aliorum Sacramentorum: & ita verum est, quòd præcipuus eius effectus non est causare remissionem peccatorum, aut primam gratiam: non autem loquitur in sensu, quo in præsenti loquimur, de effectibus scilicet eius in genere causæ finalis, in quantum scilicet est omnium aliorum Sacramentorum finis, & totius gratiæ Sacramentalis causa in genere causæ finalis: hæc enim perfectio & dignitas ei competit, quòd omnia alia Sacramenta ei subordinentur in sua causalitate, quia continet verè & realiter ipsum Christum fontem gratiæ, in cuius virtute alia Sacramenta operantur. Ad aliud, dicendum, quòd in illo loco loquitur de susceptione Sacramenti in re, & de facto, & non in voto tantùm: & ita verum est quòd Baptismus & Pœnitentia tantùm sunt de necessitate medij: licèt enim aliquando etiam Baptismus & Pœnitentia sufficiant in voto, hoc tamen est per accidens ex defectu Ministri, quo adueniente statim suscipienda sunt in re: Eucharistia autem per se sufficit in voto etiam implicito: quamuis habita notitia illius non possit quis per multum tempus abstinere ab illa, sicut nec quis posset diu viuere sine cibo corporali, & ita debet accedere saltem tempore præfixo ab Ecclesia: & ita tunc cadit sub necessitate tam medij, quàm præcepti; illud enim quod est de necessitate medij, debet aliquando in re suscipi, scilicet tempore debito: & per hæc patet ad authoritatem D.Thomæ.

Ad secundum, dicendum, quòd si Eucharistia consideretur in genere causæ efficientis, non est instituta ad causandam primam gratiam per se, sed illam præsupponit vt dispositionem, vt dignè suscipiatur in re, ac proinde prima gratia non est per se effectus eius in re susceptæ: secus est si consideretur in genere causæ finalis, & in voto suscepta; in hoc enim genere omnis gratia Sacramentalis est effectus illius. Ad aliud, dicendum, quòd illud votum implicitum Eucharistiæ in paruulis non est ad illam habendam pro tunc, quandiu durat infantia: sed ad habendam pro tunc, quando adueniet vsus rationis & discretio; vnde illud votum implicitum debet esse etiam quando non est obligatio realis susceptionis: tunc enim deberet esse votum explicitum, & ita intelligendus est D.Thomas infra quæst. 80. art. 11.

Ad tertium, dicendum, quòd sufficit vt homo recipiat de facto Eucharistiam tempore necessario & conuenienti, vltra quod sine ipsa non posset conseruari in gratia: non autem est

physicè determinabile; moraliter autem determinatur annus vnus, propterea Ecclesia imposuit præceptum de illa semel in anno sumenda: sed quia aliqui patiuntur maiores difficultates in exercitio virtutum, & resistentia tentationum; ideo tenentur sæpiùs accedere ad illam, vt reficiant vires animæ debilitatas à concupiscentia fomite peccati; vnde peccant, si non accedant; non tamen contra præceptum Ecclesiæ. Ad aliud, dicendum, quòd perseuerantia in gratia non est quidem effectus Eucharistiæ, quasi semper causetur; sed tamen quoties causatur, est eius effectus, quod declaratur ex analogia ad cibum materialem; nam licèt non causet semper conseruationem vitæ corporalis reddens subiectum incorruptibile, tamen quandiu causatur est effectus cibi materialis.

QVÆSTIO LXXIV.

De materia Eucharistiæ, quantum ad speciem, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de materia huius sacramenti. Et primò, de specie materiæ, secundo, de conuersione panis & vini in corpus Christi, tertio de modo existendi corpus Christi, in hoc sacramento, quarto, de accidentibus panis & vini, quæ in hoc sacramento remanent.

¶ Circa primum quæruntur octo.

¶ Primo, vtrum panis & vinum sint materia huius sacramenti.

¶ Secundo, vtrùm ad materiam huius sacramenti requiratur determinata quantitas.

¶ Tertiò, vtrùm materia huius sacramenti sit panis triticeus.

¶ Quartò, vtrùm sit panis azymus vel fermentatus.

¶ Quintò, vtrum materia huius sacramenti sit vinum de vite.

¶ Sexto, vtrùm sit admiscenda aqua.

¶ Septimo, vtrùm aqua sit de necessitate huius sacramenti.

¶ Octauo, de quantitate aquæ, quæ apponitur.

ARTICVLVS I.

Vtrùm materia huius Sacramenti sit panis, & vinum.

431 AD Primvm sic proceditur. Videtur, quòd materia huius sacramenti non sit panis & vinum. Hoc enim sacramentum perfectius debet repræsentare passionem Christi, quàm sacramenta veteris legis. Sed carnes animalium quæ erant materia sacramentorum veteris legis, expressius repræsentant passionem Christi, quàm panis & vinum. Ergo materia huius sacramenti magis debet esse carnes animalium, quàm panis & vinum.

4. d. 11. q. 2. a. 1. q. 1. & a. 2. q. 4. opusc. 61. & 68. & 1. Cor. 11. l. 5. & 2. & 3.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentum est vbique celebrandum. Sed in multis terris non inuenitur panis triticeus, & in aliquibus non inuenitur vinum. Ergo panis & vinum non sunt conueniens materia huius sacramenti.

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentum competit sanis & infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur, quod vinum non debeat esse materia huius sacramenti.

Sed contra est, quod Alexand.* papa dicit. In sacramentorum oblationibus panis tantum & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.

* Alexand. in epist. ad omnes orth. a med. illius tom. 1 concil.

CONCLVSIO.

Conueniens materia Sacramenti Eucharistiæ à Christo instituta est, non panis & caseus, nec infantium sanguis farinæ permixtus, nec aqua, sed panis & vinum, vt nimirum ad vsum Sacramenti aptissima, & ad Christi passionem significandam, & Eucharistiæ effectum designandum conuenientissima.

Respondeo dicendum, quòd circa materiam huius sacramenti aliqui multipliciter errauerunt. Quidam enim, qui dicuntur Artotyritæ (vt Aug.* dicit in libr. de hæresibus) offerunt panem & caseum in hoc sacramento: dicentes, à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ouium fuisse celebratas. Alij vero, scilicet Cataphrygæ, & Pepuzani de infantis sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes. Quidam vero qui dicuntur Aquarij, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento offerunt. Omnes autem hi errores, & similes excluduntur, per hoc quod Christus hoc sacramentum sub specie panis & vini instituit: vt patet Matth. 26. Vnde panis & vinum sunt conueniens materia huiusmodi sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quantum ad vsum huius sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad vsum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis & vinum quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad vsum spiritualis manducationis. Secundo quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est à corpore separatus. Et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale Dominicæ passionis, seorsum sumitur panis, vt sacramentum corporis, & vinum, vt sacramentum sanguinis. Tertiò, quantum ad effectum consideratum in vnoquoque sumentium: quia, vt Ambros.* dicit super epistol. ad Corinth. hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ, & corporis. Et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur, sicut dicitur Leuit. 17. quod anima carnis in sanguine est. Quarto, quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diuersis fidelibus, sicut panis conficitur ex diuersis granis, & vinum fluit ex diuersis vuis: vt dicit gl.* super illud primæ Corinth. 10. Multi vnum corpus sumus, &c.

* l. de hæres. c. 28. & 26.

* 1. ad Cor. 11. super illud, Hoc poculum nouum testamentum est, tom. 5.

* id habet Beda in hunc locum ex August. ser. 2. Pasch. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod licet carnes animalium occisorum expressius repræsentent Christi passionem: tamen minus competunt ad communem vsum huius sacramenti, & ad Ecclesiasticam vnitatem significandam.

Ad secundum dicendum, quod licèt non in omnibus terris nascatur triticum vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad vsum huius sacramenti. Nec propter defectum alterius est vnum tantum sine altero consecrandum: quia non esset perfectum sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd vinum in modica quantitate sumptum, non potest multum ægrotanti nocere. Et tamen si nocumentum timeatur, non est necesse, quòd omnes accipientes corpus Christi, etiam accipiant sanguinem: vt infra dicetur.*

* q. 80. a. 12.

ARTICVLVS II.

Vtrum requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti.

AD Secvndvm sic proceditur. Videtur quod requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti. Effectus enim gratiæ non sunt minus ordinati, quam effectus naturæ. Sed sicut dicitur * in secundo de anima, omnium natura constantium, positus est terminus & ratio magnitudinis & augmenti. Ergo multo magis in hoc sacramento (quod dicitur Eucharistia, id est, bona gratia) requiritur determinata quantitas panis & vini. 433

4. d. 11. q. 2. a. 1. q. 1. lib. 2. de anima, textu 41. tom. 2.

¶ 2 Præterea, Ministris Ecclesiæ non est à Christo data potestas ad ea quæ pertinent ad irrisionem fidei & sacramentorum eius: secundum illud secundæ Corinth. 10. Secundum potestatem, quam dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem qui venditur in foro, & totum vinum quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

¶ 3 Præterea, Si aliquis baptizetur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi: sed solum aqua illa, qua corpus baptizati abluitur: ergo nec in hoc sacramento superflua quantitas panis & vini consecrari potest.

Sed contra est, quòd multum opponitur pauco, & magnum paruo. Sed nulla est ita parua quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

CONCLVSIO.

Cùm huius Sacramenti materia determinetur per comparationem ad vsum fidelium, quorum numerus planè indeterminatus est, dici non potest, materiæ huius Sacramenti quantitatem esse determinatam.

Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt quòd sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, aut vini: puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum, quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia serræ est ferrum, vt sit apta sectioni. Finis autem huius sacramenti est vsus fidelium. Vnde oportet, quod quantitas materiæ huius sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium. Non autem potest esse quòd determinetur per comparationem ad vsum fidelium qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos paucos parochianos habens, non posset consecrare multas hostias. Vnde relinquitur, quod materia huius sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium absolutè. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Vnde non potest dici, quod quantitas materiæ huius sacramenti sit determinata.

Ad primum ergo dicendum, quòd cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparationem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum vsum ordinatur hoc sacramentum non est determinatus. Vnde non est simile.

Ad secundum dicendum, quod potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium; Secundo ad finem effectus. Secundum autem non tollit primum. Vnde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem (puta vt irrideat, vel veneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat: nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd baptismi sacramentum perficitur in vsum materiæ: & ideo per formam baptismi non plus de aqua sanctificatur, quàm quantum venit in vsum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Et ideo non est simile.

ARTICVLVS

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur ad materiam huius Sacramenti, quod ſit panis triticeus.

434 AD Tertium ſic proceditur. Videtur quòd non requiratur ad materiam huius ſacramenti quod ſit panis triticeus. Hoc enim ſacramentum eſt rememoratiuum dominicæ paſſionis. Sed magis videtur eſſe conſonum dominicæ paſſioni panis ordeaceus, qui eſt aſperior, & de quo etiam Chriſtus panit turbas in monte (vt dicitur Ioan 6.) quàm panis triticeus. Ergo panis triticeus non eſt propria materia huius ſacramenti.

¶ 2 Præterea, Figura eſt ſignum ſpeciei in naturalibus rebus. Sed quædam frumenta ſunt, quæ habent ſimilem figuram grano tritici, ſicut far, & ſpelta, de qua etiam in quibuſdam locis panis conficitur ad vſum huius ſacramenti. Ergo panis triticeus non eſt propria materia huius ſacramenti.

¶ 3 Præterea, Permixtio ſpeciem ſoluit: ſed vix inuenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habeat, niſi forte de electis granis ſtudioſe fiat. Non ergo videtur, quod panis triticeus ſit propria materia huius ſacramenti.

¶ 4 Præterea, Illud quod eſt corruptum, videtur eſſe alterius ſpeciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui iam non videtur eſſe panis triticeus. Ergo videtur, quod talis panis non ſit propria materia huius ſacramenti.

Sed contra eſt, quod in hoc ſacramento continetur Chriſtus, qui ſe grano frumenti comparat, Ioan. 12. dicens, Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Ergo panis frumenti, ſiue triticeus, eſt materia huius ſacramenti.

CONCLVSIO.

Panis triticeus cum eo communiter homines pro alimento vtantur, & conuenientius huius ſacramenti effectum ſignificet ob naturam quam habet corroborandi vim, propria & conuenientiſſima eſt ſacramenti Euchariſtiæ materia.

RESPONDEO dicendum, quod (ſicut dictum eſt*) ad vſum ſacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communiter apud homines in talem vſum venit. Inter alios autem panes communius homines vtuntur pane triticeo: nam alij panes videntur eſſe introducti in huius panis defectum. Et ideo Chriſtus creditur in huius panis ſpecie hoc ſacramentum inſtituiſſe, qui etiam panis magis confortat hominem, & ſic conuenientius ſignificat effectum huius ſacramenti. Et ideo propria materia huius ſacramenti, eſt panis triticeus.

Ad primum ergo dicendum, quòd panis ordeaceus competit ad ſignificandam duritiem veteris legis: propter duritiem panis: tum etiam quia vt Aug.* dicit in lib. 83. q. ordei medulla, quæ tenaciſſima palea tegitur, vel ipſam legem ſignificat, quæ ita data erat, vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus ſacramentis obtegeretur, vel ipſum populum nondum exſpoliatum carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi eius inhærebat. Hoc autem ſacramentum pertinet ad ſuaue iugum Chriſti, & ad veritatem iam manifeſtatam, & ad populum ſpiritualem. Vnde non eſſet materia conueniens huius ſacramenti, panis ordeaceus.

Ad ſecundum dicendum, quod generans generat ſibi ſimile in ſpecie, fit tamen aliqua diſſimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generatiuæ. Et ideo ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris, naſcitur ſiligo) ex tali frumento panis confectus, poteſt eſſe materia huius ſacramenti. Quod tamen non videtur habere locum neque in ordeo, neque in ſpelta, neque etiam in farre, quod inter omnia eſt grano tritici ſimilius. Similitudo autem figuræ in talibus, magis videtur ſignificare propinquitatem, quam identitatem ſpeciei, ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quod canis & lupus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem eiuſdem. Vnde ex talibus frumentis, quæ nullo modo poſſunt ex ſemine grani generari, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia huius ſacramenti.

Ad tertium dicendum, quod modica permixtio non ſoluit ſpeciem: quia id quod eſt modicum, quodammodo abſumitur à plurimo: & ideo ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia huius ſacramenti. Si vero ſit magna permixtio (puta, ex æquo vel quaſi) talis permixtio ſpeciem mutat. vnde panis exinde confectus, non erit debita materia huius ſacramenti.

Ad quartum dicendum, quòd aliquando eſt tanta corruptio panis, quod ſoluitur ſpecies panis: ſicut cum continuitas ſoluitur, & ſapor, & color, & alia accidentia mutantur: vnde ex tali materia non poteſt confici corpus Chriſti. Aliquando vero non eſt tanta corruptio, quæ ſpeciem ſoluat: ſed eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem: quod declarat aliqualis immutatio ſaporis. Et ex tali pane poteſt confici corpus Chriſti: ſed peccat conficiens propter irreuerentiam ſacramenti.

Et quia amylum eſt ex tritico corrupto, non videtur quòd panis ex eo confectus, poſſit fieri corpus Chriſti: quamuis quidam contrarium dicant.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hoc Sacramentum debeat confici ex pane azymo.

435 AD Quartum ſic proceditur. Videtur, quòd hoc ſacramentum non debeat confici ex pane azymo. Debemus

enim in hoc ſacramento imitari inſtitutionem Chriſti. Sed Chriſtus videtur hoc ſacramentum inſtituiſſe in pane fermentato: quia ſicut legitur Exodi 12. Iudæi ſecundum legem incipiebant vti azymis in die Paſchæ (quod celebratur decima quarta luna) Chriſtus autem inſtituit hoc ſacramentum in cœna, quam celebrauit ante diem feſtum Paſchæ, vt habetur Ioan 13. Ergo & nos debemus hoc ſacramentum celebrare in pane fermentato.

¶ 2 Præterea, Legalia non ſunt obſeruanda tempore gratiæ. Sed vti azymis, fuit quædam legalis cæremonia vt patet Exod. 12. Ergo in hoc ſacramento gratiæ, non debemus azymis vti.

¶ 3 Præterea, Sicut ſupra dictum* eſt, Euchariſtia eſt ſacramentum charitatis, ſicut baptiſmus fidei, vt ſupra dictum eſt: Sed feruor charitatis ſignificatur per fermentum: vt patet in gl.* ſuper illud Matth. 13. Simile eſt regnum cœlorum fermento, &c. ergo hoc ſacramentum debet confici de pane fermentato.

¶ 4 Præterea, Azimum & fermentatum ſunt accidentia panis, non variantia eius ſpeciem. Sed in materia baptiſmi nulla diſcretio adhibetur circa differentiam accidentium aquæ, puta ſi ſit ſalſa vel dulcis, calida vel frigida: ergo in hoc ſacramento aliqua diſcretio adhiberi non debet, vtrum panis ſit azimus vel fermentatus.

Sed contra eſt, quod extra, de celebrat.* miſſar. c literas. punitur ſacerdos qui in pane fermentato & ſcypho ligneo miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſit.

CONCLVSIO

Quamuis confici poſſit Euchariſtiæ Sacramentum etiam in fermentato pane ſecundum quarundam Eccleſiarum conſuetudinem, conuenientius tamen eſt, vt ex pane conficiatur azymo, tum propter Chriſti inſtitutionem, tum etiam ad fidelium ſinceritatem ſignificandam.

RESPONDEO dicendum, quod circa materiam huius ſacramenti, duo poſſunt conſiderari: ſ. quid ſit neceſſarium, & quid conueniens. Neceſſarium quidem eſt, vt ſit panis triticeus (ſicut dictum* eſt) ſine quo non perficitur ſacramentum: Non eſt autem de neceſſitate ſacramenti, quod ſit azimus vel fermentatus, quia in vtroque confici poteſt. Conueniens autem eſt, vt vnuſquiſque ſeruet ritum ſuæ Eccleſiæ in ſacramenti celebratione. Super hoc autem ſunt diuerſæ Eccleſiarum conſuetudines. Dicit enim beatus Greg. in regiſtro, Romana Eccleſia offert azymos panes, propterea quod Dominus ſine vlla commixtione ſuſcepit carnem: ſed Græcæ offerunt fermentatum, pro eo quod verbum patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ. Vnde ſicut peccat presbyter in Eccleſia Latinorum, celebrans de pane fermentato: ita peccaret presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi peruertens Eccleſiæ ſuæ ritum. Et tamen conſuetudo de pane azymo celebrandi, rationabilior eſt. Primo quidem, propter inſtitutionem Chriſti: qui hoc ſacramentum inſtituit prima die azymorum (vt habetur Matth. 26. & Mar. 14. & Luc 22.) qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum eſſe debebat vt habetur Exod. 12. Secundo, quia panis eſt proprie ſacramentum corporis Chriſti (quod ſine corruptione conceptum eſt) magis quam diuinitatis ipſius: vt infra patebit.* Tertio, quia hoc magis competit ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad vſum huius ſacramenti: ſecundum illud 1. Cor. 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azimis ſinceritatis & veritatis. Habet tamen hæc conſuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter ſignificationem quam tangit Greg.* & in deteſtationem hæreſis Nazaræorum, qui legalia Euangelio miſcebant.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut legitur Exod. 12. ſolemnitas paſchalis incipiebat in veſpere quartadecimæ lunæ: & tunc Chriſtus poſt immolationem agni Paſchalis hoc ſacramentum inſtituit. Vnde hæc dies à Ioanne dicitur præcedere diem Paſchæ, & à tribus aliis Euangeliſtis dicitur prima dies azymorum, quando fermentatum in domibus Iudæorum non inueniebatur vt dictum eſt.* Et de hoc ſupra notatum eſt plenius in tractatu Dominicæ paſſionis.†

Ad ſecundum dicendum, quod conficientes ex azymo non intendunt cæremonias legis ſeruare, ſed conformare ſe inſtitutioni Chriſti. Et ideo non iudaizant alioquin & celebrantes in pane fermentato, iudaizarent: quia Iudæi panes primitiarum, fermentatos offerebant.

Ad tertium dicendum, quod fermentum ſignificat charitatem propter aliquem effectum: quia ſ. panem facit ſapidiorem & maiorem. Sed corruptionem ſignificat ex ipſa ratione ſuæ ſpeciei.

Ad quartum dicendum, quòd quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto non poteſt confici hoc ſacramentum (vt dictum eſt*) ideo magis attenditur circa panem differentia azymi & fermentati, quàm circa aquam baptiſmi differentia calidi & frigidi. Poſſet enim tanta eſſe corruptio fermenti, quod ex eo non poſſet confici ſacramentum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm vinum vitis, ſit propria materia huius Sacramenti.

AD Quintum ſic proceditur. Videtur, quòd non ſit propria materia huius ſacramenti vinum vitis. Sicut enim aqua eſt materia baptiſmi, ita vinum eſt materia huius ſacramenti. Sed in qualibet aqua poteſt fieri baptiſmus. Ergo in quolibet vino (puta, malorum granatorum, vel mororum, aut huiuſmodi) poteſt confici hoc ſacramentum, præſertim cum in quibuſdam terris vites non creſcant. 436

¶ 2 Præterea, Acetum eſt quædam ſpecies vini, quod de vite ſumitur vt Iſid.† dicit. Sed de aceto non poteſt confici hoc

hoc sacramentum. Ergo videtur, quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

¶ 3 Præterea, Sicut de vite sumitur vinum depuratum, ita etiam agresta & mustum. Sed de his non videtur posse confici hoc sacramentum, secundum illud * quod in sexta synodo legitur: Didicimus, quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis coniungant vuas: & sic simul vtrumque populo dispensant: præcipimus igitur, vt nullus sacerdos hoc vlterius faciat. Et Iulius papa † reprehendit quosdam qui expressum vinum in sacramento dominici calicis offerunt. Ergo videtur, quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

** in 6. syn. can. 28. & habetur de cons. d. 2. can. didicimus. † Iulius I. in dec. 7. c. inter cætera & etiam decr. 7. super eius decr. 20. quæ in c. ab aliis separata.*

Sed contra est, quod sicut Dominus se comparauit grano frumenti, ita etiam se comparauit viti, dicens Ioa. 15. Ego sum vitis vera. Sed solus panis de frumento est materia huius sacramenti vt dictum est *, ergo solum vinum de vite, est propria materia huius sacramenti.

CONCLVSIO.

Solum vinum vitis propria est materia huius sacramenti, quam Christus instituit.

Respondeo dicendum, quòd de solo vino vitis potest confici hoc sacramentum. Primo quidem propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit, vt patet ex eo quod ipse dicit Matth. 26. circa institutionem huius sacramenti, Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Secundo, quia sicut dictum est *, ad materiam sacramentorum assumitur id quod propriè & communiter habet talem speciem. Propriè autem vinum dicitur quod de vite sumitur: alij vero liquores, vinum dicuntur secundum quandam similitudinem ad vinum vitis. Tertio, quia vinum vitis magis competit ad effectum huius sacramenti, qui est spiritualis lætitia: quia scriptum est, quod vinum lætificat cor hominis.

a. 3. huius quæst. — a. 3. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod illi liquores non dicuntur propriè vinum, sed secundum quandam similitudinem. Potest autem verum vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non crescunt, quantum sufficit ad hoc sacramentum.

Ad secundum dicendum, quòd vinum fit acetum per corruptionem: vnde non fit reditus de aceto in vinum: vt dicitur 8. Met. † Et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescēti, sicut & de pane, qui est in via ad corruptionem: licet peccet conficiens, vt prius dictum est *.

lib. 8. met. tx. 14. t. 3 — a. 3. huius quæ. ad 4. arg.

Ad tertium dicendum, quòd agresta est in via generationis: & ideo nondum habet speciem vini: & propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum. Mustum autem iam habet speciem vini, nam eius dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio à naturali calore: vt dicitur in 4. Met. * & ideo de musto potest confici hoc sacramentum. Non tamen debent vuæ integræ huic sacramento misceri: quia iam esset ibi aliquid præter vinum.

lib. 4. tx. 3. parū à pr.

Prohibetur etiam ne mustum statim expressum de vua, in calice offeratur: quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Dicitur, enim ab eodem Iulio papa. Si necesse fuerit, botrus in calice prematur.

ead. loco in arg. citato & habetur de cons. d. 2. c. cum omne crimen, in med. & in Conc. 3. Bra. c. 1.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aqua sit vino permiscenda.

417 Ad sextum sic proceditur. Videtur, quòd aqua non sit vino permiscenda. Sacrificium enim Christi figuratum fuit per oblationem Melchisedech, qui Genes. 14. non legitur obtulisse, nisi panem & vinum. Ergo videtur, quod in hoc sacramento non debeat adiungi aqua.

4. d. 11. q. 2. a. 4. q. 1. & 2. Cor. 11. lec. 6. c. 3.

¶ 2 Præterea, Diuersorum sacramentorum diuersæ sunt materiæ. Sed aqua est materia baptismi. Ergo non debet assumi ad materiam huius sacramenti.

¶ 3 Præterea, Panis & vinum sunt materia huius sacramenti. Sed pani nihil adiungitur, ergo nec vino debet aliquid adiungi.

Sed contra est, quod Alex. * papa scribit: In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solemnia domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.

Alex. I. in ep. ad omnes orth. à med. illius to. 1. conc.

CONCLVSIO.

Congruit vt Eucharistiæ sacramentum conficeretur in vino aqua permixto, secundum quod Christus illud instituisse creditur.

Respondeo dicendum, quòd vino, quod offertur in hoc sacramento, debet aqua misceri. Primo quidem propter institutionem: probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto: secundum morem illius terræ. Vnde & Prou. 9. dicitur, Bibite vinum quod miscui vobis. Secundò, quia hoc conuenit repræsentationi dominicæ passionis. Vnde dicit Alex. * papa. Non debet in calice domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum: quia vtrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. Tertiò, quia hoc conuenit ad significandum effectum huius sacramenti, qui est vnio populi Christiani ad Christum: quia vt Iulius papa dicit †, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi: Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Quarto, quia hoc competit ad vltimum effectum huius sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam. Vnde Ambr. dicit in li. * de sacramentis redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.

Alex. I. in ep. ad omnes ort. à med. illius to. 1. conc. habetur de cons. d. 2. c. cū omne crimen. li. 5. de sacram. c. 1. d. com. in q. ao. li. 5. ca. 1. com. 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Ambros. † dicit ibidem, sicut sacrificium Christi significatum est per oblationem Melchisedec, ita etiam significatum est per aquam, quæ in eremo fluxit de petra: secundum illud 1. Cor. 10. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.

Ad secundum dicendum, quod aqua assumitur in baptismo ad vsum ablutionis. In hoc autem sacramento assumitur ad vsum refectionis, secundum illud Psal. 22. Super aquam refectionis educauit me.

Ad tertium dicendum, quòd panis ex aqua & farina cōficitur. Et ideo cū vino aqua miscetur, neutrū sine aqua existit.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm permixtio aquæ, sit de necessitate huius sacramenti.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quòd permixtio aquæ sit de necessitate huius sacramenti. Dicit enim Cyprianus * ad Cæcilium. Si calix Domini non est aqua sola & vinum solum, nisi vtrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, & aqua, nisi vtrumque, scilicet farinæ & aqua, fuerit adunatum. Sed admixtio aquæ ad farinam, est de necessitate huius sacramenti. Ergo pari ratione admixtio aquæ ad vinum. 388

Inf. q. 83. a. 6. ad 4. & 6. & 4. d. 11. q. 2. ar. 4. q. 2. & 3. & 1. Cor. 11. le. 8. tor. 5.

¶ 2 Præterea, In passione Domini, cuius hoc sacramentum est memoriale, sicut de latere eius exiuit sanguis, ita & aqua. Sed vinum quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate huius sacramenti, ergo pari ratione & aqua.

† lo. 2. epi. 3. inter fi. & me. habetur de cons. dis. 2. cap. 7.

¶ 3 Præterea, Si aqua non esset de necessitate huius sacramenti, non referret quæcumque aqua huic sacramento apponeretur: & ita posset apponi aqua rosacea, vel quæcumque alia huiusmodi aqua. Quod non habet vsus Ecclesiæ. Aqua ergo est de necessitate huius sacramenti.

Sed contra est, quod Cyprian. * dicit, Si aliquis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non obseruauit, vt scilicet aquam vino misceret in sacramento, potest simplicitati eius venia concedi. Quod non esset, si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum vel panis. Non ergo aquæ admixtio est de necessitate sacramenti.

li. 2. ep. 3. inter fi. & med.

CONCLVSIO.

Cùm participatio Eucharistiæ à fidelibus, ad sacramenti huius essentiam non pertineat; aqua cum vino permixtionem, quæ ad eam significandam refertur, non esse de necessitate sacramenti consequitur.

Respondeo dicendum, quòd iudicium de signo sumendum est ex eo quod significatur. Appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem huius sacramenti à fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mixtam vino, significatur populus adunatus Christo, vt dictum est, * sed & hoc ipsum, quod de latere Christi pendentis in cruce aqua profluxit, ad idem refertur, quia per aquam significatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per passionem Christi. Dictum est * autem supra, quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, vsus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideo consequens est, quòd appositio aquæ non sit de necessitate sacramenti.

Art. præc. — q. 73. a 1. ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd verbum illud Cypriani, est intelligendum secundum quod dicitur illud esse non posse: quod conuenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad id quod debet fieri: non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.

Ad secundum dicendum, quòd effusio sanguinis directè pertinebat ad ipsam Christi passionem: est enim naturale corpori humano vulnerato, quod ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquæ non fuit de necessitate passionis: sed ad demonstrandum effectum passionis: qui est ablutio à peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideo aqua non seorsum offertur à vino in sacramento, sicut vinum offertur seorsum à pane. Sed aqua offertur vino permixta: vt ostendatur, quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquam de eius necessitate existens, aqua autem secundum quod adiungitur vino.

Ad tertium dicendum, quòd quia admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate sacramenti non refert quantum ad sacramenti necessitatem, quæcumque aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, vt rosacea. Quamuis quantum ad conuenientiam sacramenti, peccet qui aliam aquam miscet, nisi naturalem & veram: quia de latere Christi pendentis in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt, ad ostendendum, quod corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus, vt Innocentius III. dicit in quadam Decret. * Quia vero admixtio aquæ ad farinam, est de necessitate huius sacramenti, vtpote constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum: quia non esset verus panis.

In decr. li. 3. ti. 41. c. 8.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aqua debeat in magna quantitate apponi.

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quòd oporteat aquam in magna quantitate apponi: Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita & aqua, vnde dictum Ioan. 19. Qui vidit testimonium perhibuit. Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramento, nisi in magna quātitate poneretur, ergo videtur, quod aqua debeat apponi in magna quantitate. 439

4. dis. 11. q. 2. ar. 4. q. 4. & 1. Cor. 11. le. 6. col. 3.

¶ 2 Præterea, Parua aqua multo vino admixta corrumpitur. Quod autem corruptum est, iam non est. Ergo idem est apponere parum de aqua in hoc sacramento, & nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

¶ 3 Præte

¶ 3 Præterea, Si sufficeret parum apponere, perconsequens esset sufficiens, quod gutta aquæ in totum dolium proijceretur. Sed hoc videtur ridiculum, ergo non sufficit, quod parua quantitas apponatur.

¶ 4 Sed contra est, quod Extra, de celebratione missarum dicitur: * Perniciosus in tuis partibus inoleuit abusus, videlicet, quod in maiori quantitate de aqua in sacrificio ponatur, quàm de vino: cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino quàm de aqua ponendum.

In dec. lib. 3. tit. 41. ca. Perniciosus.

CONCLVSIO.

In Eucharistiæ sacramento conficiendo paululum aquæ vino miscendum, ne vini species soluatur.

RESPONDEO dicendum, quod circa aquam adiunctam vino, sicut Innocentius tertius * dicit in quadam Decret. triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod aqua adiuncta vino per se manet, vino conuerso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest: quia in sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi corpus & sanguis Christi (sicut enim Ambros. † dicit in l. de Officiis, Ante benedictionem alia species nominatur: post benedictionem corpus Christi significatur) alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. Et ideo alij dixerunt, quod sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua conuertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc, aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane. Et ideo sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod conuerteretur in vinum. Et ideo semper tutius est, parum de aqua apponere, & præcipue si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini, non posset perfici sacramentum. Vnde Iulius Papa * reprehendit quosdam, qui pannum lineum musto intinctum, per totum annum seruant, & in tempore sacrificij, aqua partem eius lauant, & sic offerunt.

de celebr. miss. ca. cũ Marth. §. Quæsiuisti.

in l. 4. de his qui myster. initiantur c. 9. & in l. 4. de sacr. c. 4. & habetur de consec. d. 2. c. 49.

Iulius 1. scribendo ep. per Ægyptum, & habetur de consec. d. 2. ca. cũ omne crimen.

Ad primum ergo dicendum, quod sufficit ad sacramenti huius significationem, quod sentiatur aqua, cum apponitur vino: non autem oportet, quod sit sensibilis post mixtionem.

Ad secundum dicendum, quòd si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio. Sed cùm aqua in vinum conuertitur, significatur quod populus Christo incorporatur.

Ad tertium dicendum, quòd si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem huius sacramenti. Sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationē sacramenti.

DISPVTATIO II.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

CONSIDERATA iam existentiâ, naturâ, & necessitate Sacramenti Eucharistiæ: considerandum est de partibus, ex quibus fit; & primò de materia, cum D. Thom. quæst. 74.

DVBIVM I.

Vtrùm Panis, & Vinum sint materia Sacramenti Eucharistiæ.

SVpponendum est præsens dubium non procedere de materia, qua constat Eucharistia in facto esse: certũ est enim ex prædictis quòd sunt ipsæ species panis & vini consecratæ: sed procedit de eius materia in fieri, quæ scilicet est terminus à quo conuersionis, & transsubstantiationis; & vocatur materia circa quam versatur transsubstantiatio.

Prima opinio, sed hæretica, negat panē & vinum esse materiā Sacramenti Eucharistiæ: hanc secuti sunt multi hæretici, quos refert D. Th. hîc art. 1. Artotyritæ offerebant panē & caseum. Cataphrygæ & Pepuziani offerebant panem confectum cum sanguine subtilissimo paruulorum. Aquarij solam aquam. Deniq; Caluinistæ ita admittunt panem & vinum esse materiam Eucharistiæ, quòd ipsis deficientibus possint assumi alij cibi, & alij liquores, vt aqua, ceruisia &c. Probatur, materia Eucharistiæ debet colligi ex intentione Christi instituentis hoc Sacramentum: sed intentio Christi fuit Sacramento Eucharistiæ repræsentare nobis alimoniam spiritualem, & communicationem sui ipsius per signa cibi & potus vsitati: ergo cùm multis in locis non sit panis, nec vinũ, sed homines vescātur alijs alimentis; panis & vinum non sunt materia necessaria huius Sacramenti: vel multi illo priuarentur, quod est maximum inconueniens.

Secundò, Canone tertio Apostolorum permittuntur offerri ad Altare nouum frumentum, vua, oleum, & incensum: ergo materia Eucharistiæ non est de necessitate solus panis, & solum vinum.

Tertiò, Eucharistiæ Sacramentum est memoriale Dominicæ Passionis, iuxta illud 1. ad Cor. 11. Hoc facite in meam commemorationem; quotiescumque manducabitis panem hunc; & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: sed passio Domini melius exprimeretur per carnes animalium occisorum (propterea agnus Paschalis fuit præcipua eius figura) quàm per panem: & similiter meliùs per acetum ipsi Christo in passione oblatum, quàm per vinum: ergo panis & vinum non sunt materia necessaria huius Sacramenti. Maximè quia vinum multis nocet, & eius potu possunt euenire scandala.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum secundùm fidem, quòd panis & vinum sunt materia necessaria Sacramenti Eucharistiæ conficiendæ: vnde mutari nec valet, nec licet. 2. Conueniens autem fuit sub speciebus panis & vini institui hoc sanctissimum Sacramentum. Ita tenent omnes Catholici.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate Concilij Tridentini tota sess. 13. & Alexandri Papæ in epistola ad omnes Orthod. dicentis. In Sacramentorum oblationibus panis tantùm, & vinum aqua permixtũ in sacrificium offerantur: tum communi consensu fidelium & Sanctorum, Patrum ac Scholasticorum cum D. Thom. hîc art. 1. tum sequenti demonstratione: Illud est materia necessaria Sacramenti Eucharistiæ conficiendæ, quod in prima eius institutione fuit assumptum à Christo Domino pro illius materia; nam sicut ipse solus habuit potestatem instituendi Sacramenta, & de facto ipse solus instituit, nec alteri etiam toti Ecclesiæ tradidit hanc potestatē; sic ipse solus potuit determinare materiam cuiusque Sacramenti, ita vt mutari non possit nec validè, nec licitè: constat autem quòd Christus Dominus in institutione Eucharistiæ assumpsit pro materia ipsius panem & vinũ, vt expresse tradunt Euangelistæ: Math. cap. 26. Marcus, cap. 14. Lucæ 22. & Apostolus

1. ad Cor. 11. & præcepit vt eodem modo conficeretur ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſoribus, & de facto ita ſucceſſit ad hæc vſque tempora, vt continuata traditione certum eſt: ergo panis & vinum ſunt materia neceſſaria Sacramenti Euchariſtiæ conficiendæ.

Probatur ſecunda pars concluſionis congruentiis, quas affert D.Th. in præſenti. Prima eſt, quia Sacramentum Euchariſtiæ fuit inſtitutum per modum conuiuij ſpiritalis, quo reficiatur anima: ergo debuit aſſumi pro materia ipſius conficiendi, illud quo homines communiùs reficiuntur, quod conſtat eſſe panem & vinum, ex illo Pſalmi 103. Panis cor hominis confirmet: item, Vinum lætificat cor hominis. Secunda; quia eſt memoriale paſſionis Chriſti, in qua ſanguis eſt à corpore ſeparatus, quod hîc exprimitur per hoc quòd ſeorſùm ſumitur panis vt Sacramentum corporis, & vinum vt Sacramentum ſanguinis. Tertia; quia eſt figura corporis miſtici Eccleſiæ, quæ conſtituitur ex multis fidelibus: vnde conuenienter eius materia eſt panis qui conficitur ex diuerſis granis, & vinum quod fluit ex diuerſis vuis.

Ad primum ergo dicendum, quòd cibus magis vſitatus eſt panis, vniuerſaliter loquẽdo: ſicut & potus eſt vinum maximè in conuiuiis: vnde cùm Chriſtus inſtituerit Sacramentũ Euchariſtiæ per modum conuiuij perfecti animæ, debuit aſſumere pro eius materia panem & vinum. Licèt autem in omnibus terris non naſcatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri poteſt, quantum ſufficit ad vſum huius Sacramenti: nec propter defectum alterius eſt vnum tantùm ſine altero conſecrandum, quia non eſſet perfectum Sacramentum.

Ad ſecundum, dicendum quòd iſta offerebantur ad Altare, non vt futura materia Sacramenti Euchariſtiæ: ſed ad vſum Epiſcoporum & Sacerdotum, vel ad vſum Eccleſiæ ſicut oleum & incenſum,

Ad tertium, dicendum cum D. Thom. hîc ad 1. quòd licèt carnes animalium occiſorum expreſſiùs repræſentent Chriſti paſſionem; tamen minus competunt ad communem vſum huius Sacramenti, & ad Eccleſiaſticam vnitatem ſignificandam: quia verò eſt inſtitutum per modum conuiuij dando cibum & potum animæ; & acetum ordinariè non deſeruiat potui, ideo non debuit aſſumi vt materia huius Sacramenti, ſed vinum; quod quia adhibetur in parua quantitate, ideo non poteſt nocere, nec eſſe cauſa ſcandali.

DVBIVM II.

Vtrùm materia Euchariſtia panis debeat eſſe ex tritico, & vinum de vite.

Svpponendum eſt multa eſſe grana ex quibus conficitur panis, & multi liquores qui dicuntur vinum. Grana illa quæ habent ariſtas & ſpicas, ac dicuntur frumentum in lata ſignificatione, ſunt hordeum, far, ſpelta, oriza, millium, & ſimilia: Quæ verò dicuntur frumentum, in propria ſignificatione, ſunt triticum & ſiligo, aut ſecala; quia hæc in malis terris & aridis generatur ex ſemine tritici, ſiue diſtinguatur ſpecie, ſiue non, Illi verò liquores qui dicuntur vinum, ſunt liquor expreſſus ex vuis maturis, & hic eſt vinum propriè: liquor expreſſus ex vuis agreſtibus, qui dicitur agreſta: liquor malorum granatorum, & mororum: liquor manans ex palmis indicis: & liquor elicitus ex dactilis. In præſenti itaque dubio inquirimus, vtrùm panis qui eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ debeat eſſe triticeus, & vinum debeat eſſe de vite, ſiue expreſſum ex vuis maturis.

Prima opinio, quam valde probabilem iudicat Gabriel lect. 35. in Canonem Miſſæ, aſſerit panem, qui eſt materia Euchariſtiæ, poſſe confici ex hordeo, auena, & ſimilibus. Probatur; Ille panis eſt materia Euchariſtiæ, qui fuit aſſumptus à Chriſto Domino in eius inſtitutione, & declaratur per Concilia: ſed plura Concilia dicunt illum panem eſſe ex frumento, quod ex Plinio lib. 18. hiſtoriæ naturalis cap. 7. & 8. Iſidoro lib. 17. ethimologiarum cap. 3. eſt genus ad hordeum, auenam, & triticum: ergo panis qui eſt materia Euchariſtiæ, non debet eſſe ex tritico de neceſſitate. Deinde ex D. Thom. hîc ad 2. poteſt eſſe ex ſiligine, & aliis granis quæ ex ſemine tritici generari poſſunt: ergo non ex ſolo tritico. Denique, Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ aſſumpſit panem communem & vſualem: ſed in pluribus locis panis communis & vſualis non eſt ex tritico at ex aliis granis: ergo panis, qui eſt materia Euchariſtiæ, non debet de neceſſitate eſſe ex tritico.

Secunda opinio aſſerit vinum, quod eſt materia Euchariſtiæ, non debere eſſe vinum vitis ſiue viti gineum. Probatur, Vinum eſt materia Euchariſtiæ ſicut aqua eſt materia Baptiſmi: ſed quælibet aqua naturalis eſt materia Baptiſmi: ergo & quodlibet vinum materia Euchariſtiæ. Deinde ſi vinum, quod eſt materia Euchariſtiæ, debet eſſe ex vite; ideo eſt, quia eſt liquor procedens de vite, ac proinde omnis liquor procedens de vite, vt agreſta, muſtum, acetum, erunt materia huius Sacramenti: ſed hoc eſt falſum: ergo vinum quod eſt materia huius Sacramenti, non debet de neceſſitate eſſe vinum

num de vite. Denique, Christus Dominus instituit hoc Eucharistiæ Sacramentum in cibo & potu vulgari & vsitato: sed constat quòd in pluribus locis; imò in maiori parte mundi non adhibetur ad potum vinum de vite, quia non nascitur ibi: ergo vinum de vite non est materia necessaria Eucharistiæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd solus panis triticeus: 2. Et solum vinum de vite sunt materia necessaria Sacramenti Eucharistiæ. Ita docent communiter Theologi.

Probatur & explicatur prima pars conclusionis. Panis triticeus dicitur ille, qui fit ex farina tritici coagmentata cum aqua naturali; si enim admisceretur ei magna copia alterius farinæ, putà hordeaceæ, & attraheret ad se farinam tritici; quod potest dignosci ex gustu: vel si coagmentatio eius fiat solùm cum lacte, aqua rosacea, butyro, aliáue simili, non dicitur propriè panis triticeus; secus est si parum similium liquorum admisceatur aquæ, ita vt conuertantur in ipsam. Ita D. Thom. hic art. 7. ad 1. Insuper debet esse decoctus calore ignis; vt docet communis opinio contra Maiorem; cuius ratio est, quia est de essentia panis vsitati & communis, quòd ita fiat; & licèt quando aliter fit, sit tantùm mutatio & differentia accidentalis in esse physico; est tamen essentialis in esse morali, quod debet maximè attendi in materia Sacramentorum. Probatur conclusio sic explicata & communis, tum authoritate vniuersalis Ecclesiæ à tempore Apostolorum ad hæc vsque tempora: tum decreto Eugenij IV. his verbis; Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite: tum duplici ratione D. Thom. in hoc articulo: quarum prima est; Ad vsum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communiùs apud homines in talem vsum venit: inter alios autem panes communiùs homines vtuntur pane triticeo; nam alij panes videntur esse introducti in huius panis defectum, & ideò Christus creditur in huius panis specie hoc Sacramentum instituisse. Secundam subiungit petitam ex conuenientia significationis: Panis triticeus magis confortat hominem, & ita conuenientiùs significat effectus huius Sacramenti; & ideò propria materia huius Sacramenti est panis triticeus: propterea Christus Dominus comparauit se frumento siue tritico, Ioan. 12. dicens: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate vniuersalis Ecclesiæ, quæ errare non potest: maximè in re tanti momenti: tum prædicto decreto Eugenij: tum communi consensu Scholasticorum cum D. Thom. hîc artic. 5. tum triplici ratione D. Thom. Prima est propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc Sacramentum instituit, vt patet ex eo quòd ipse dicit Matthæi 26. circa institutionem huius Sacramenti; Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Secunda; quia, sicut dictum est, ad materiam Sacramenti assumitur id, quod propriè & communiter habet talem speciem: propriè autem vinum dicitur quòd de vite sumitur: alij verò liquores vinum dicuntur secundùm quandam similitudinem ad vinum vitis. Tertia; quia vinum vitis magis competit ad effectum huius Sacramenti, qui est spiritualis lætitia; quia scriptum est quòd vinum lætificat cor hominis: propterea Christus, Ioannis, 15. comparat se etiam viti dicens: Ego sum vitis vera.

AD primum ergo, dicendum, quòd frumentum simpliciter dictum, & propriè significat tantùm triticum, vel illud quod nascitur ordinariè ex semine tritici, quamuis in lata significatione se extendat etiam ad hordeum & auenam. Ad aliud, dicendum, quòd D. Thom. intelligit, quando tale frumentum ordinariè nascitur ex semine tritici, vt siligo in malis terris: non autem si raro tantùm ex illo nasceretur, sicut lolium. Ad aliud, dicendum, quòd panis communis apud gentes ciuiles & humano modo viuentes, quales erant Iudæi, est panis triticeus: vnde Christus Dominus in Iudæa instituens hoc sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ assumpsit pro materia ipsius panem triticeum, qui vbique haberi potest.

AD secundum, dicendum, quòd alij liquores non dicuntur propriè vinum, sed secundùm quandam similitudinem. Ad aliud, dicendum, quòd vinum vitis, non ideo est materia huius Sacramenti, quia est liquor procedens à vite, sed quia est liquor perfectus, vt constat ex eius dulcedine, & effectibus exhilarandi, & roborandi; vnde agresta, quia est liquor vitis imperfectus, non est materia huius Sacramenti: sicut nec acetum, quia est vinum corruptum, vt colligitur ex eius contrariis effectibus; vnde non validè in eis consecraretur: in musto autem, sicut & in vino acescenti, validè quidem potest consecrari, quia vtrumque est vinum; mustum enim est dulce, vnde est vinum licèt non defæcatum: aliud autem supponitur esse vinum incipiens tendere in corruptionem: non tamen licitè ob indecentiam quæ committitur contra Sacramentum, assumendo materiam, vel tendentem in corruptionem, vel impuram, (quod idem dicendum est de pane) si tamen consecraretur mustum, probabilius est eius fæces non fore conuertendas in sanguinem Christi. Ad aliud, dicendum, quòd in omni gente ciuili & humano modo viuente, adhibetur vinum vitis ad potum: maximè in cõuiuiis, & potest ad omnes terras deferri in quibus vites non crescunt, quantum sufficit ad hoc Sacramentum,

tum, adhibitâ aliquâ diligentiâ benè & fructuosè huic rei impensâ.

DVBIVM III.

Vtrùm panis triticeus materia Euchariſtiæ debeat eſſe azymus.

SVpponendum eſt Chriſtum Dominum inſtituiſſe ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum, vt referunt Euangeliſtæ & S. Paulus, 1. ad Cor. 11. ante Paſſionem, in ipſa nocte præcedenti, poſtquam cum ſuis Apoſtolis comedit agnum Paſchalem, ſubſtituens ei hoc mirabile Sacramentum, cuius fuerat figura: vnde Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. c. 1. ait: Chriſtus, celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſraël immolabat; nouum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, &c. Celebrauit autem Paſcha 14. Luna primi menſis ad veſperam, quo tempore erat vſus tantùm panis azimi: vnde Matthæi 26. dicitur; Prima die azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Paſcha. Vnde licèt in eodem capite referatur Chriſtus dixiſſe, Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, hæc dixiſſe certum eſt præcedenti die; licèt in eodem capite referatur: vtrùm autem alij Iudæi eadem die, ſiue Luna decima quarta celebrauerint Paſcha, dubium eſt inter Authores; quidam enim aſſerunt, alij negant: qui negant, dicunt fuiſſe introductam conſuetudinem apud Iudæos, vt Paſcha differretur ad Sabbathum, ſi immediatè ſequeretur Lunam decimam quartam, quod confirmant; tum quia vocabatur magnum Sabbathum; tum quia Iudæi noluerunt ingredi Prætorium, ne pollueréntur; ſed vt manducarent Paſcha; tum quia ſi fuiſſet Paſcha, non inſtaſſent pro crucifixione Chriſti: qui verò aſſerunt, negant prædictam conſuetudinem, & ſoluunt obiectiones prædictas dicentes; illud Sabbathum vocari magnum, non quia erat prima dies azymorum & Paſchatis, ſed quia erat in feſtis Paſchalibus: ly autem, vt manducarent Paſcha, interpretantur, vt continuarent manducare azima & cibos Paſchales: & quòd tanta fuerit eorum rabies, vt ipſo die Paſchæ Chriſtum ceperint, & crucifigi procurauerint. Quicquid ſit de hac re, ſufficit ſupponere tanquam certum, quòd Chriſtus ipſa nocte qua captus eſt, celebrauit duplicem cœnam; Legalem in qua comedit agnum Paſchalem cum præſcriptis ceremoniis, & Euchariſticam, in qua inſtituit diuinum hoc Sacramentum. Quia verò feſta apud Iudæos incipiebant à Solis occaſu præcedentis diei, ideò veſpera illa aliquando in Scripturis aſſignatur præcedenti diei, aliquando verò ſubſequenti feſto, in numero dierum legali, vel naturali: vnde: Chriſtus Dominus ſecundùm numerum dierum naturalem, pridie quàm pateretur vetus celebrauit Paſcha comedens agnum Paſchalem, & inſtituit nouum in Sacramento Euchariſtiæ: ſecundùm verò numerum legalem, eodem die, quo immolatus eſt, comedit agnum Paſchalem præcipuam ſuæ Paſſionis figuram.

Prima opinio Græcorum aſſerit panem triticeum, qui eſt materia Euchariſtiæ, non debere eſſe azimum, ſed fermentatum. Probatur; Ille panis eſt materia Euchariſtiæ, quo vſus eſt Chriſtus in prima eius inſtitutione; ſicut enim ipſe ſolus inſtituit Sacramenta, ſic ſolius eius eſt determinare eorum materiam: ſed Chriſtus vſus eſt pane fermentato, & non azimo, quia Iudæi toto anno vtebantur fermentato, & vſus azimorum incipiebat tantùm in die Paſchæ ex Scripturis: conſtat autem Ioan. 13. Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam in Cœna, quam celebrauit ante diem feſtum Paſchæ: ergo panis qui eſt materia Euchariſtiæ, debet eſſe fermentatus & non azimus.

Secundò; Materia huius Sacramenti debet eſſe panis communis & vſitatus; hoc enim fundamento probatur debere eſſe triticeum: ſed panis azimus non eſt communis & vſitatus; eius quippe vſus paucis diebus Paſchalibus durabat; benè tamen fermentatus: ergo hic eſt materia Euchariſtiæ, non ille; Maximè quia feruor Charitatis ſignificatur per fermentum, vt ait Gloſſa ſuper illud Matthæi 13. Simile eſt regnum cœlorum fermento: conſtat autem quòd Euchariſtia eſt Sacramentum Charitatis, ſicut Baptiſmus eſt Sacramentum fidei.

Tertiò; Quamuis Chriſtus inſtituiſſet in azimo Sacramentum Euchariſtiæ, & per aliquod tempus fuerit licitum eo vti: à quo tamen incœperunt legalia eſſe mortifera, non eſt licitum; fuerunt enim vniuerſaliter abrogata, nec vllo prætextu poſſunt obſeruari, etiam motiuo imitandi Chriſtum: vnde non licet circumcidi ad eius imitationem, maximè propter ſcandalum, ne Iudæis videantur iudaizare; propter quod immutatus fuit ab Eccleſia dies Paſchæ; non enim obſeruatur Luna decima quarta, ſed Dominica ſequenti: ergo panis triticeus, qui eſt materia Euchariſtiæ, debet eſſe fermentatus, non azimus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd tam panis azimus, quàm fermentatus ſunt materia ſufficiens Euchariſtiæ: 2. Vnde obſeruandus eſt ritus Eccleſiæ, ad hoc vt adhibeatur vnus, vel alius: 3. Ritus tamen Eccleſiæ Latinæ conſecrandi in azimo eſt conuenientior.

Probatur prima pars concluſionis tanquam de fide, authoritate Concilij Florentini ſeſſ. vltima,

vltima, in litteris sanctæ vnionis vtriusque Ecclesiæ, Latinæ videlicet & Græcæ, vbi habetur expresse definita. Deinde, communi consensu Scholasticorum cum D.Thom. hîc art.4. vbi sic ait: Circa materiam huius Sacramenti duo possunt considerari, scilicet quid sit necessarium, & quid conueniens: necessarium quidem est, vt sit panis triticeus, sine quo non perficitur Sacramentum: non est autem de necessitate Sacramenti, quòd sit azimus, vel fermentatus; quia in vnoquoque confici potest. Denique, tam panis azimus, quàm fermentatus sunt verus panis, nec est alia differentia quàm accidentalis: de fermentato non negant Latini, & asserunt Græci: de azimo constat, quia ex dictis in supponendo, & dicendis in probatione tertiæ partis, Christus tali pane vsus est in institutione huius Sacramenti, & in hoc etiam conueniunt Sancti Patres: ergo tam panis azimus, quàm fermentatus sunt materia Eucharistiæ.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Concilij Florentini loco citato, vbi præcipitur quòd Sacerdos Latinus consecrans in Ecclesia Latina teneatur consecrare in azimo, & Sacerdos Græcus consecrans in Ecclesia Græca teneatur consecrare in fermentato. Deinde authoritate D.Thom. hîc artic. 4. vbi ait; Communius autem est, vt vnusquisque seruet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione: super hoc autem sunt diuersæ Ecclesiarum consuetudines, dicit enim Beatus Gregorius in registro; Romana Ecclesia offerre azimos panes, propterea quòd Dominus sine vlla commixtione suscepit carnem: sed Græcæ offerunt fermentatum, pro eo quòd Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ: vnde sicut peccat Præsbiter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Præsbiter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azimo, quasi peruertens Ecclesiæ suæ ritum: hæc D.Thom. Vnde conformitas ritus in Ecclesia præponderat maiori conuenientiæ, quæ reperitur in azimo: peccatum autem illud esset mortale, quia est in re graui, & colligitur ex pœna perpetua priuationis officij & beneficij, illata cuidam Sacerdoti Latino, quia consecrauerat in fermentato, vt dicitur in cap. finali de celebratione Missæ; pœna autem tam grauis non imponeretur, nisi culpa fuisset grauis. Hæc tamen propositio D. Thomæ potest extendi, & de facto extenditur, vnde si Sacerdos Latinus tantùm peregrinetur apud Græcos, & Græcus apud Latinos, ibique habitet alicuius tantùm negotij conficiendi causâ ad suos reuersurus, tunc quilibet eorum tenetur seruare ritum suæ Ecclesiæ, quia est membrum ipsius, & agnoscitur tale; vnde debet se ei conformare, nec adest scandalum. Si autem Latinus Sacerdos commoretur vt incola apud Græcos, nec ibi habeat propriam Ecclesiam Latinam, tunc tenetur consecrare in fermentato, (& idem dicendum est proportione seruata de Sacerdote Græco quoad consecrationem in azimo) ratio est quia Sacerdos Latinus habens firmum domicilium apud Græcos, cum animo permanendi, fit membrum illius Ecclesiæ, nisi adsit Ecclesia Latina; quia tunc ratione talis Ecclesiæ remanet subditus Ecclesiæ Latinæ, vnde debet ei conformari: quod vice versa, sed proportione seruata debet intelligi de sacerdote Græco: & hæc de facto sunt in vsu. Nec obstat, quòd peregrinus tenetur constitutionibus regionis in qua peregrinatur: licèt enim hoc ordinariè sit verum, speciali tamen præcepto, vt hîc contingit, ob maius bonum fit contrarium. Si quis autem inquirat, an in aliquo casu vrgentis necessitatis possit Sacerdos Latinus consecrare in fermentato, & Græcus in azimo, putà quando instat obligatio audiendi Sacrum, vel dandum est viaticum morituro, & non adest panis azimus Latino, nec fermentatus Græco. Respondetur non licere, quia maius est præceptum negatiuum de non consecrando sub tali pane, quàm affirmatiuũ de audiendo Sacro, vel de dando & sumendo viatico, & colligitur ex pœna inflicta illi Sacerdoti Latino, quia consecrauerat in fermentato, quamuis excusationem necessitatis afferret. Maximè quia Eucharistia non est necessaria necessitate medij, nisi in voto, & ita moribundus debet in voto communicare: si enim in re suscepta esset de necessitate medij, aliter fuisset prouisum in casu necessitatis, sicut circa Baptismum & Pœnitentiam, in quibus in casu vrgentis necessitatis sufficit habere essentialia.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate, tum rationibus D. Thomæ quas hîc art. 4. sic proponit: Et tamen consuetudo de pane azimo celebrandi rationabilior est; Primò quidem, propter institutionem Christi, qui hoc Sacramentum instituit prima die Azimorum, vt habetur Matthæi 26. & Marci 14. & Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, vt habetur Exodi, 12. Secundò, quia panis est propriè Sacramentum corporis Christi (quod sine corruptione conceptum est) magis quàm diuinitatis ipsius: fermentum autem importat corruptionem. Tertiò, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad vsum huius Sacramenti secundùm illud 1.Cor.5. Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azimis sinceritatis & veritatis.

Ad primum ergo, dicendum cum D.Thom. quòd sicut legitur Exodi 12. solemnitas Paschalis incipiebat in vesperis quartæ decimæ Lunæ, & tunc Christus post immolationem agni Paschalis hoc Sacramentum instituit: vnde hæc dies à Ioanne dicitur præcedere diem Paschæ,

Paſchæ, & à tribus aliis Euangeliſtis dicitur prima dies Azimorum, quando fermentatum in domibus Iudæorum non inueniebatur.

Ad ſecundum, dicendum, quòd ſufficit vt panis azimus fuerit vſitatus & communis apud Iudæos; imò præceptus ratione myſterij in diebus Paſchalibus, ad hoc vt fuerit aſſumptus à Chriſto pro materia Euchariſtiæ concurrentibus congruentiis adductis. Ad aliud, dicendum cum D.Thom. hîc ad 3. quòd fermentum ſignificat quidem charitatem propter aliquem effectum, quia ſcilicet panem facit ſapidiorem & maiorem: ſed etiam ſignificat corruptionem ex ipſa ratione ſuæ ſpeciei; vnde ſi ex primo habuit congruentiam vt aſſumeretur pro materia Sacramenti Euchariſtiæ; ex ſecundo habuit maiorem congruentiam, vt non aſſumeretur, vt dictum eſt.

Ad tertium, dicendum, quòd conficientes ex azimo non intendunt cæremonias Legis ſeruare, ſed conformare ſe inſtitutioni Chriſti; & ideò non iudaïzant, alioquin & celebrantes in pane fermentato iudaïzarent, quia Iudæi panes primitiarum fermentatos offerebant, ita D.Thom. hîc ad 2. Vbi nota quòd panis azimus non fuit purè legalis & per ſe, ſed ratione agni Paſchalis & feſti, quod celebrabant: vnde non licet eo vti in ſimili occaſione, benè aliàs, ſicut eo multi & multi vtuntur: Circumciſio autem eſt purè & per ſe legalis; imò principale proteſtatiuum Legis Iudaicæ, quam quia Chriſtus terminauit, non licet vti Circumciſione, etiam ad imitationem Chriſti; quamuis aliqui ſub hoc præcisè motiuo licitum dicant ceſſante ſcandalo: ſimiliter ſi obſeruaretur Paſcha Luna decima quarta à Solis occaſu, eſſet vniformitas cum Iudæis in hac celebratione; vnde mutata fuit hæc ſolemnitas ab Eccleſia, ſiue dilata, ſoli enim Iudæi hoc feſtum celebrabant Luna 14. Primi menſis: vti autem azymis extra eſum agni Paſchalis non eſt tantùm Iudæorum.

DVBIVM IV.

Vtrùm aqua nondum conuerſa in vinum tempore conſecrationis, conuertatur immediatè in ſanguinem Chriſti.

Svpponendum eſt aquam vino eſſe permiſcendam ad ſacrificium Miſſæ, vt definitur in multis Conciliis, præcipuè Tridentino ſeſſ. 22. canone 9. & docent communiter Sancti Patres, & Scholaſtici cum D.Thom. hîc art. 6. vbi probat triplici ratione. Prima; quia probabiliter creditur quòd Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundùm morem illius terræ; vnde & Prouerbiorum 9. dicitur: Bibite vinum quod miſcui nobis. Secunda; quia hoc conuenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis; vnde dicit Alexander Papa: Non debet in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum. Tertia; quia hoc conuenit ad ſignificandum effectum huius Sacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum; quia vt Iulius Papa dicit: Videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendit ſanguinem Chriſti: ergo cùm in calice vino aqua miſcetur; Chriſto populus adunatur. Hæc tamen mixtio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti, aqua enim non eſt materia, ſed ſolum vinum; & aqua admiſcetur tantummodo ad myſterium; ita communiter Scholaſtici cum D.Thom. hîc art. 7. & colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22.c.7. dum ait: Præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam in calice offerendo miſcerent: Vnde eſt ex præcepto Eccleſiæ, & non de neceſſitate Sacramenti. Cuius ratio eſt, quam aſſignat D.Th. quia talis permixtio eſt ad ſignificandam vnionem populi cum Chriſto, vel ad ſignificandam aquam quæ fluxit de latere Chriſti: ſicut vinum ſignificat Sanguinem: ergo cùm non ſit de neceſſitate huius Sacramenti vſus fidelium conſiſtit enim in conſecratione materiæ; & cùm calix dicatur à Chriſto Domino ſanguinis ſui, quem ſolum vinum repræſentat, ſolum vinum eſt materia huius Sacramenti, neceſſaria abſolutè; aqua verò admiſcetur ex conuenientia, & præcepto: vnde eſt tantùm neceſſaria neceſſitate conuenientiæ & præcepti, vt intelligendi ſunt Sancti Patres, dum dicunt aquam in hoc Sacramento eſſe neceſſariam: præcepti tamen Eccleſiaſtici, vt colligitur ex prædicto teſtimonio Concilij Tridentini. Aqua admiſcenda debet eſſe naturalis, peccaret enim qui aliam admiſceret: & in parua quantitate, ne ſolueret ſpecies vini; ſi enim ſolueretur, non fieret conſecratio, quia non adeſſet propria materia. Totum hoc ſupponendum eſt certum apud Scholaſticos: vnde plures controuerſiæ, quæ hîc admiſcentur, remittimus ad controuerſiſtas.

Prima opinio aſſerit aquam nondum conuerſam in vinum conſecrationis, conuerti immediatè in ſanguinem Chriſti Domini. Hanc tenent aliqui Moderni. Probatur authoritate Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum, qui dicunt vinum & aquam, quæ ſunt in calice, conuerti in ſanguinem Chriſti vi verborum conſecrationis: vnde Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. ait: Ante verba Chriſti calix eſt aqua & vino plenus, vbi verba Chriſti operata fuerunt, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit: ergo aqua nondum conuerſa in vinum tempore conſecrationis, conuertitur immediatè in ſanguinem Chriſti Domini: maximè quia non conuertitur in aquam quæ fluxit de latere Chriſti: nec remanet per ſe vino conuerſo in ſanguinem Chriſti, vt probat D.Thom. hîc art. 8.

Secundò,

Secundò; Totum contentum in calice transsubstantiatur in sanguinē Christi, vt indicat forma consecrationis; Hic est calix sanguinis mei; alioquin esset falsa, nec posset adorari calix simpliciter, quia contineret aliquid præter sanguinem Christi: ergo aqua nondum conuersa in vinum tempore consecrationis, conuertitur immediatè in sanguinem Christi. Maximè quia aqua non potest conuerti in vinum, sed remanet; ac ita nunquam fieret integra conuersio totius contenti in calice in sanguinem Christi.

Tertiò; Christus Dominus statim post admixtionem aquæ consecrauit; & tamen tunc nondum erat conuersa, & similiter in Missali Romano præcipitur, quòd Sacerdos si oblitus fuerit apponere aquam suo tempore statim ponat & consecret: constat autem quòd Christus Dominus totum contentum in calice consecrauit: & Ecclesia credit, quòd tunc totum consecretur; cùm tamen sciat aquam non posse tam citò conuerti in vinum: maximè quando est debile, quod ordinariò contingit: ergo aqua nondum conuersa in vinum tempore consecrationis, conuertitur immediatè in sanguinem Christi. Præsertim quia materiæ Sacramentorum non tam æstimandæ sunt ex Physicis, ac Metaphysicis, quàm ex Moralibus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd aqua nondum conuersa in vinum, tempore quo incipit consecratio proferri, non conuertitur immediatè in sanguinem Christi vi verborum: vnde vt conuertatur in sanguinē Christi, debuit priùs esse conuersa in vinum consecrandum, ac ita semper mediatè tantùm transsubstantiatur: 2. Quòd si cōuersio aquæ in vinum incipiat fieri, dum incipit proferri forma, licèt sit completa ante complementum formæ: tunc aqua nec mediatè conuertitur in sanguinem Christi, sicut nec conuertitur, quando post consecrationem completam fit conuersio aquæ in vinum. Ita omnes antiquiores Scholastici, D. Thom. hic art. 8. S. Bonauentura in 4. dist. 11. part. 2. art. 1. quæst. 3. Alensis, & alij.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Concilium Carthaginense 3. canone 24. ait: Ne ampliùs in sacrificiis offeratur, quàm de vuis & frumento. Et post pauca; Ad grande peccatum pertinet Præsbitero illi quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione sanguinis Christi offerre præsumpserit. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. & 4. ac canone 2. dum agit de iis, quæ vi & efficacia verborum formæ transsubstantiantur in corpus & sanguinem Christi Domini, facit tantùm mentionem solius substantiæ panis & vini, ac dicit corpus Christi Domini esse sub solis speciebus panis vi verborum, & sanguinem Christi sub solis speciebus vini etiam vi verborum, & quòd solum vinum sit materia calicis consecrandi: vnde canone citato sic ait: Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat; anathema sit. Eadem dicunt Sancti Patres, vt videre est apud Ysambertum, qui hanc difficultatem fusè tractat: ergo aqua nondum conuersa in vinum, tempore quo incipit consecratio proferri, non conuertitur immediatè vi verborum in sanguinem Christi.

Secundò probatur authoritate Cathechismi Tridentini cap. 4. §. 17. & Sacerdotalis Romani 1. p. tract. 10. cap. 2. quæ habent maximam authoritatem in Ecclesia. Cathechismus sic ait, dans rationem cur parum aquæ debeat apponi; Nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ, & iudicio, aqua illa in vinum conuertitur: Sacerdotale verò Romanum ait; Aqua quæ in calice vino admiscetur, debet esse in modica quantitate quia eam in vinum conuerti oportet. Hæc duplex authoritas est euidens, & concludens quòd aqua in vinum nondum conuersa, tempore quo incipit consecratio, non conuertitur immediatè vi verborum in sanguinem Christi. Et ratio est, quia solum vinum est materia calicis consecrandi, quamuis ad mysterium adhibeatur aqua, vt docent Sancti Patres & communis antiqua traditio Ecclesiæ. Confirmatur ex inconuenienti, si dato illo casu aqua conuertitur immediatè in sanguinem, sanguis Christi erit sub speciebus aquæ; nam ex Concilio Tridentino sess. 13. can. 3. totus Christus continetur sub vnaquaque specie consecrata, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta: Tunc ponatur casus possibilis, quòd species aquæ conuersæ maneat corruptis speciebus vini, vel quòd aliquo artificio separetur, cùm in se persistat non conuersa: vel sanguis Christi erit sub specie aquæ solius, vel non: Primum dici non potest, quia cùm Sanguis Christi sit in hoc Sacramēto, vt potus spiritualis, sicut Corpus, vt cibus; debent significari, ac proinde contineri sub speciebus tantùm illarum rerum, quæ sunt cibus & potus vsitatus, maximè in conuiuiis, quas constat esse solum panem & vinum, vt dictum est: Nec item secundum dici potest; quia est communis doctrina Theologorum, quòd corpus & sanguis Christi tandiù manent sub speciebus consecratis, quamdiù maneret substantia illarum, si adesset.

Probatur secunda pars conclusionis. Tota forma cōsecrationis debet proferri practicè su-

pra totam materiam consecrandam. quia pronomen istud, Hic, demonstrat practicè totum contentum in calice: ergo vt sit vera consecratio Sanguinis, Hic est calix sanguinis mei, totum contentum in calice, dum incipit proferri forma, debet esse materia consecranda in sanguinem Christi, scilicet vinum; ac proinde si conuersio aquæ in vinum incipiat fieri, dum incipit proferri forma, licèt sit completa ante complementum formæ, tunc aqua nec mediatè conuertitur in sanguinem Christi. Quod confirmatur; Si quis inciperet proferre formam, antequam materia consecranda esset præsens, quamuis esset præsens antequam finiretur, non consecraret; vt est communis opinio: ergo nec in prædicto casu; quia aqua non est materia consecranda, si non est conuersa in vinum: Vnde sequitur, quòd si aqua admisceatur, & non sit conuersa in vinum, solum vinum conuertitur in sanguinem Christi: aqua verò nec tunc, nec postea conuertitur in illum; sed tantùm in vinum merum, ac semper remanet in substantia vini, & nunquam fit sanguis Christi. Nec terrere nos debet Aduersariorum audacia, qui conantur probare suam opinionem accedere ad fidem, & fuisse edoctam cum magno applausu Romæ, & alibi: Nam nec habet Scripturam, aut Concilia pro se: & si fuit edocta Romæ, non tamen cum approbatione, sed tantùm permissione ac tolerantia Ecclesiæ Romanæ; quod ad summum suadet illam esse vtcumque probabilem: nec curandum est multùm de applausu quorumcumque, quia omnia noua placent ingeniis non benè fundatis, & nouitatum amatoribus.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Sancti Patres & antiqui Doctores sic intelligunt, quòd aqua & vinum per verba consecrationis conuertantur in sanguinem Christi; vt vinum conuertatur immediatè, aqua verò mediatè, in quantùm priùs fuit conuersa in vinum: Ambrosius autem non vult, quòd calix æquè sit plenus aqua ac vino, sed tantùm recenset ea quæ sunt apposita in calice, & quæ conuertuntur tam mediatè, quàm immediatè in sanguinem Christi: vnde aqua non conuersa in vinum ante consecrationem, non conuertitur quidem in aquam quæ fluxit de latere Christi, sed remanet in seipsa, vt dictum est. D. Thom. autem ibi tantùm excludit opinionem eorum, qui negabant aquam conuerti in vinum, dicentes eam semper immutatam remanere in calice: non autem loquitur factâ suppositione, quòd ex aliquo incidenti non fuerit conuersa in vinum ante consecrationem.

Ad secundum, dicendum, quòd si totum contentum in calice sit vinum, totum conuertitur in sanguinem Christi; si autem per accidens aqua non fuerit conuersa in vinum, non transsubstantiatur in sanguinem Christi: quia verò supponitur quòd sit conuersa, ideò forma profertur supra totum contentum in calice: & quia piè ac moraliter creditur totum esse conuersum in sanguinem Christi, ideò totum adoratur: falsum est autem quòdaqua non conuertatur in vinum, si modica multo vino infundatur.

Ad tertium, dicendum, quòd non constat Christum Dominum immediatè ante consecrationem infudisse aquam vino: certum tamen tenendum est eam infudisse tempore sufficienti ante, quo nouerat posse conuerti in vinum, supposito quòd illud eligebat tanquam materiam huius Sacramenti: nec multum infudit, ille enim potus non erat ad sedandam sitim; iam enim celebrauerant cœnam Legalem: vnde ait S. Bonauentura Christum Dominum non consecrasse calicē, donec aqua fuisset conuersa in vinum. Ad aliud, dicendum, quòd Ecclesia tanti æstimat hanc cæremoniam miscendi aquam vino ob factum Christi, & mysterium intentum; vt nolit eam omitti, si sit aduertentia ante consecrationem; etiamsi non conuertatur in sanguinem Christi, si priùs non fuerit conuersa in vinum: eius tamen intentio est, quòd tam parum apponatur, vt statim possit conuerti, & minus adhuc si vinum fuerit debile. Ad aliud, dicendum, quòd materia Sacramentorum, & moraliter, & physicè est attendenda iuxta institutionem Christi, ac eorum significationem.

DVBIVM V.

Vtrùm vinum congelatum possit validè consecrari.

Supponendum est vinum posse esse congelatum tripliciter, vel post factam consecrationem tantùm, ita vt tempore consecrationis esset liquidum; vel ante consecrationem quidem, ita tamen vt liquefactum fuerit etiam ante illam; vel ante consecrationem, ita quòd tempore illius remaneat omninò fortiter congelatum. Præsens difficultas non procedit de vino congelato primo modo, nec secundo: nam de primo modo nulli dubium esse debet, quin sub speciebus vini congelati remaneat sanguis Christi, vt colligitur euidenter ex Rubricis Missalis Romani; agens enim de defectibus in ipso mysterio occurrentibus, præcipit, vt si sanguis congeletur in calice, calix inuoluatur pannis calefactis, vt postea liquefactus sumatur; vnde supponit ibi esse sanguinem: maximè quia si dubitaret ibi esse, iuberet iterum consecrari vinum ad integritatem sacrificij. Ratio huius est, quia ex communi Theologorum sententia tandiu manent corpus & sanguis Christi sub speciebus consecratis, quandiu maneret ibi propria substantia panis & vini si adessent, idest

donec

donec ipsæ species corrumpantur: constat autem non corrumpi per congelationem, at tantummodo alterari, vt ex ipsis sensibus colligitur, & ex effectibus: præcipuè quia nullum corruptum naturaliter redit, experimur autē quòd post liquefactionem ibi sunt veræ species: nec admittendum est miraculum sine necessitate. De secundo etiam modo nullum est vel minimum dubium apud Authores: nam supponitur quòd ipsi sensus experiuntur vinum per congelationem non corrumpi: & esto, corrumperetur; liquefactum postea est verum vinum; sufficit autem quòd sit vinum & vera materia huius Sacramenti, dum profertur forma. Vnde difficultas solùm procedit de vino congelato tertio modo.

Prima opinio Alani asserit vinum congelatum non posse consecrari validè. Probatur; Vinum congelatum non est substantialiter vinū, quia calor necessarius ad eius conseruationem deperditur per frigiditatem: ergo non potest validè consecrari, quia solum vinum substantialiter tale est materia huius Sacramenti; ac ita solum ipsum potest validè consecrari.

Secundò; Christus in institutione huius Sacramenti assumpsit vinum liquidum & potabile, quia debet significare refectionem animæ per modum potus spiritualis, sicut panis eam significat per modum cibi: sed vinum congelatum non est potabile vt patet: nec sufficit quòd sit potabile ex natura sua; nam debet esse potabile potentia proxima, alioquin in vuis adhuc inclusum posset consecrari, sicut & panis triticeus non coctus: quod tamen nullus dicit, quia in materia Sacramentorum, non tam substantia, quàm vsus ordinarius debet attendi: ergo vinum congelatū non potest validè consecrari.

Tertiò; Non maior est ratio, cur vinum congelatum possit dici materia Sacramenti Eucharistiæ, quàm aqua congelata materia Baptismi: sed aqua congelata ex communi doctrina non potest esse materia Baptismi: ergo nec vinum congelatum materia Eucharistiæ. Nec obstat si dicatur, quòd Baptismus consistit in vsu, & Eucharistia est quid permanens: nam hic debet attendi institutio Christi, qui in institutione vtriusque Sacramenti assumpsit aquā liquidam, & vinum liquidum. Deinde, quia si Baptismus consistit in vsu, Eucharistia ordinatur ad vsum.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd quamuis licitè consecrari non possit vinum congelatum: 2. Validè tamen potest.

Probatur prima pars conclusionis, tum quia in re tam graui facere contra consuetudinem Ecclesiæ est illicitum, ac peccatum mortale: tum quia est reddere dubium Sacramentum, opinio enim contraria habet suam probabilitatem: non licet autem conficere Sacramentum in materia dubia quando est tantùm necessarium necessitate præcepti, hoc enim est generale præceptum, propter irreuerentiam quæ potest committi in Sacramentum, adhibendo formam supra materiam fortè indebitam; constat autem ex dictis, quòd Sacramentum Eucharistiæ in re susceptum, est tantùm necessarium necessitate præcepti: ergo vinum congelatum non potest licitè consecrari.

Probatur secunda pars conclusionis. Sub speciebus vini fortiter congelati conseruari potest sanguis Christi, vt ait Missale Romanum loco citato; dicit enim quòd si calix consecratus cōgelatus non possit liquefieri per pannum calefactum inuoluentem prædictum calicem, tunc prædictum calicem esse ponendum in aqua feruenti prope altare, donec liquefiat; quod non poneretur nisi congelatio esset fortis: ergo vinum sic fortiter congelatum potest validè consecrari, siue potest esse materia consecrationis: nam vinum sic fortiter congelatum, vel est verum vinum, ita vt possit si consecretur significare spiritualem refectionem animæ per modum potus, vel non: si sit verum vinum, cuius consecrati species possunt significare illam spiritualem refectionem, potest consecrari, & poni sub illis sanguis Christi, si in similiter congelatis possit conseruari; cùm fieri, & factum esse huius Sacramenti proportionentur, maximè quantùm ad significationem, & quantùm ad conditionem materiæ ante consecrationem, & specierum eius post consecrationem; ita vt non possit sanguis Christi conseruari, nisi vbi potest consecrari: dicunt enim communiter Doctores, quòd corruptis speciebus non remanet sanguis Christi, quia sub illis non remaneret substantia vini. Non potest autem dici, quòd non sit verum vinum significans refectionem animæ per modum potus: quia de facto species quæ post consecrationem congelantur, sunt veræ species vini, & illam refectionem significant: alioquin non remaneret sub illis sanguis Christi; quia, vt dictum est, eadem significatio requiritur in fieri huius Sacramenti, ac in facto esse & è contra: & à posteriori colligitur esse verum vinum, nam postea liquefactum est verum vinum; constat autem quòd corruptum non potest naturaliter reparari.

Ad primum ergo dicendum, quòd propter frigus circunstans vinum constringitur, ac congelatur, vt ita partes magis vnitæ fortiùs resistant; vnde ordinariè non amittitur ille calor virtualis vini, sicut nec piperis aut similium. Quòd si tantum esset frigus, quòd ille calor periret, ac proinde substantia vini destrueretur, tunc tale vinum non posset consecrari, nec sub speciebus eius consecratis posset conseruari sanguis Christi: vnde potiùs corrumpitur vinum propter calorem, quia exhalantur siue euaporant subtiliores & magis substantiales eius

partes, quàm propter frigus, quia peripsum eædem partes constringuntur & magis vniuntur: vnde conseruatur substātia, sicut accidit in aliis liquoribus, qui propter congelationem non censentur mutasse speciem & naturam.

Ad secundum, dicendum, quòd vinum congelatum est potabile, & significat spiritualem refectionem per modum potus; alioquin sub speciebus post consecrationem congelatis non posset conseruari sanguis Christi: vnde ab extrinseco impeditur tantùm ne reducatur ad actum secundum; sicut impediretur panis durissimus, quem tamen constat posse validè consecrari. Quòd Christus Dominus assumpserit vinum liquidum, solùm probat quòd licitè non possit in alio consecrari: non autem quòd non validè, quando est verum vinum tam physicè, quàm secundùm æstimationem. Nec instantiæ urgent, nam vuæ non sunt vinum, quamuis si exprimantur fiat vinum: sicut nec massa triticea, donec per calorē ignis coquatur, est panis.

Ad tertium, dicendum, quòd quia Sacramentum Baptismi consistit in vsu, siue in ipsa ablutione sensibili, vt significat ablutionē animæ per gratiam, ideo eius materia debet esse aliquid actu abluens: ac proinde fuit assumpta à Christo aqua liquida, & nunc est necessaria: vnde cum niue aut glacie non potest confici hoc Sacramentum, nisi exprimantur aut liquefiant: Eucharistia autem, cùm consistat in consecratione materiæ, sufficit quòd eius materia sit edibilis & potabilis ex natura sua, quamuis ex aliquo accidenti extrinseco sit impedita, ne reducatur in actum secundum: non enim debet semper esse in vsu.

DVBIVM VI.

Vtrùm licitè possit consecrari vna species sine altera.

Svpponendum est vnam speciem v. g. panis, posse validè consecrari sine altera vini. Ita communiter docent Theologi. Ratio est, quia Christus Dominus & ad eius imitationem Sacerdos priùs consecrauit panem quàm vinum, & statim post consecrationem panis, proponitur hostia adoranda. Deinde Christus in castello Emmaüs traditur consecrasse solum panem. Denique in facto esse potest vna species consecrata conseruari sine alia; imò de facto conseruatur in Sacrario: ergo etiam potest validè vna sine alia consecrari: non enim est maior dependentia in fieri, quàm in facto esse inter ipsas. Non est autem mutua dependentia essentialis, quia coniunguntur tantùm vt vnum per se morale, non autem vt vnum per se physicum; & hoc ex institutione sua, quia ex vtraque fit vnū conuiuium spirituale quo reficitur anima: constat autem quòd cibi possunt apponi, licèt non apponatur potus, quamuis vtrumque requiratur.

Prima opinio asserit licitè posse consecrari vnam speciem sine altera, authoritate priuatā, in aliquo casu vrgenti, putà ad communicandum infirmum in periculo mortis, quando non reperiuntur hostiæ consecratæ in Sacrario, nec tempus est celebrandi Missam nec reperitur vinum: vel ad vitandum scandalum, vt quando Sacerdos communicando aduertit non fuisse vinum consecratum, sed aquam in calice; tunc ne detur scandalum, non erit opus consecrare vinum: Vel quando quis ab alio cogeretur sub metu mortis consecrare sub vnā tantùm specie. Probatur; est præceptum quòd infirmus communicet & adest maxima necessitas. Item est præceptum diuinum de vitando scandalo, & aliquis Sacerdos ex metu mortis ab intrinseco excusatur ab obseruantia huius præcepti: ergo in assignatis casibus licitè potest consecrari vna species sine altera. Deinde, licet sumere vnam sine altera: ergo & consecrare. Denique licèt integritas confessionis sit de iure diuino, vt definit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. & canone 7. tamen sunt aliqui casus in quibus licitum est eam dimidiare: ergo à pari licèt ad integritatem huius Sacramenti requiratur vtraque species, in casu tamen necessitatis, vna poterit consecrari sine alia.

Secunda opinio asserit licitè posse consecrari vnam speciem sine altera ex dispensatione summi Pontificis. Hanc sequuntur plures Authores. Probatur; de facto Innocentius VIII. dispensauit cum Nauegiis, vt propter inopiam vini sub specie tantùm panis consecrarent, vt referunt aliqui Authores fide digni. Deinde consecratio sub vtraque specie non est de iure diuino, sed tantùm de iure humano Ecclesiastico: tum quia Christus Dominus consecrauit in castello Emmaüs in solo pane, vt habetur Lucæ 24. tum quia, colligitur ex D.Thom. in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1: quæst. 1. ad 4. vbi docet, Sacerdotem non habētem vtramque speciem, potiùs debere abstinere à consecratione, quàm consecrare in vnica specie, & dat tantùm pro ratione morem Ecclesiæ: sed Summus Pontifex est supra totum ius Ecclesiasticum, vt patet; potest enim illud abrogare, & in eo dispensare: ergo licitè potest consecrari vna species sine altera ex dispensatiōne Summi Pontificis. Denique, esto; sit de iure diuino, quòd vna species non cōsecretur sine altera, adhuc Summus Pontifex potest in eo dispensare, sicut dispensat in multis aliis quæ sunt iuris diuini; imò naturalis: sicut in iuramento, in voto etiam solemni, in matrimonio rato non consummato, in administratione Confirmationis; nam eius Minister de iure diuino est Episcopus, vt definit Concilium Tridentinum sess. 7. canon. 3. & tamen

tamen S. Gregorius concessit, vt in Sardinia insula simplices Sacerdotes confirmarent in absentia Episcopi, quod potuisse facere Summum Pontificem de plenitudine potestatis asserit D. Thom. supra, quæst. 72. art. 11. ad 1. & quamuis non posset dispensare, ad minus potest illud declarare, quòd in vrgenti necessitate non obligat; sicut declarauit quòd in aliquibus casibus præceptum de integritate Confessionis (quod æquè est de iure diuino, ac præceptum de integritate Eucharistiæ) non obligat: ergo licitè potest consecrari vna species sine altera ex dispensatione Summi Pontificis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licitè non potest consecrari vna species sine altera, nec authoritate priuata in quocumque casu: 2. Nec ex dispensatione summi Pontificis.

Probatur prima pars conclusionis, quam communiter tenent Theologi cum D. Thom. in præsenti. Integritas Sacramenti Eucharistiæ est sub præcepto diuino, vt dicetur in secunda parte, quod præceptũ præponderat aliis, v. g. de communione infirmi in articulo mortis, & de sumendo Eucharistiam in ieiunio; nam est vsus Ecclesiæ, quòd potiùs non datur viaticum infirmo, & potiùs recipitur vinum consecratũ fracto ieiunio, quàm consecretur in vnica specie: si enim quis Sacerdos ex errore non consecrauerit Sanguinem, quia in calice erat aqua, & non vinum; post sumptam aquam, ac fractum ieiunium naturale iubetur consecrare, & sumere Sanguinem: ergo licitè non potest consecrari vna species sine altera in quocumque casu authoritate priuata, vt magis constabit ex modò dicendis.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thomæ hîc art. 1. ad 2. & infra quæst. 80. art. 12. ad 3. quibus locis absolutè dicit, & sine vlla limitatione quòd non debet vna species consecrari sine altera; & affert rationem, quia præsentatio Dominicæ Passionis agitur in ipsa consecratione huius Sacramenti, in qua proinde non debet Corpus sine Sanguine consecrari. Deinde integritas consecrationis in vtraque specie est de iure diuino, vt definit Concilium Tridentinum sess. 22. capit. 1. & ca- & canone 2. vbi sic ait: Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse vt ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum; anathema sit: sed Summus Pontifex non potest dispensare in iure diuino, vt docet D. Th. 2. 2. quæst. 88. art. 1. ad 2. & quæst. 89. art. 9. ad 1. & consentiunt communiter Theologi, ac definitur ab Vrbano, & Zozimo Pontificibus; & ratio id suadet, quia inferior non potest in lege superioris dispensare: ergo non potest licitè consecrari in vna tantum specie, etiam ex dispensatione Summi Pontificis. Nec obstat duplex responsio Aduersariorum. Prima, quod piè credendum est Deum dedisse hanc authoritatem dispẽsandi, & eam reliquisse in Ecclesia. Secũda, quòd Pontifex habet authoritatem declarandi quòd ius diuinum non obligat in casu vrgentis necessitatis. Nam contra primam est, quòd non sit fundamentum illius piæ credulitatis, nec in sacra Scriptura, nec in determinatione aut vsu Ecclesiæ; & ita est velle diuinare: maximè quia Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. docet expressè quòd Ecclesia nihil potest statuere vel mutare circa Sacramenta, nisi saluâ eorum substantiâ: vnde cùm de substantia Eucharistiæ sit consecrare sub vtraque specie, vt dictum est, licèt concederetur quòd Pontifex posset dispensare in aliquibus præceptis iuris diuini, adhuc in hoc non posset. Contra secundam est, quia nullus casus est dabilis, in quo possit præponderare celebratio sub vna specie, præcepto de integritate huius Sacramenti, vt discurrenti patet; cùm non sit de necessitate medij, at tantùm de necessitate præcepti. Deinde non minus est de iure diuino integritas huius Sacramenti, ac materia eius: constat autem quòd Summus Pontifex non potest declarare, quòd in casu necessitatis possit assumi alia materia. Denique, declarare cùm sit actus prudentiæ, & non iurisdictionis, non est dispensare; vnde æquè posset fieri à quolibet priuato Sacerdote, quod nullus dicet.

AD primum ergo, dicendum, quòd præceptum de communione infirmi est quasi conditionatum, id est si debitè fieri possit: quod non fieret in casu suppositionis; & ita sufficit quòd tunc recipiat Eucharistiam in voto. Similiter in illo casu non esset scandalum actiuum siue datum, quod solùm est malum & prohibitum; sed esset acceptum & passiuum. Nec licet ob metum mortis ab extrinseco, siue à causa extrinseca libera, agere contra præceptum, quia hoc redundaret in iniuriam Dei præcipientis; nam vel explicitè, vel implicitè illam intendit causa illa extrinseca: quando autem metus mortis est ab intrinseco, sicut si adesset venenum in calice, excusat à præcepto; vnde non peccaret si non sumeret, etiamsi non adesset alia materia consecranda, quia tunc nec explicitè, nec implicitè intenditur iniuria Deo: vnde Iudæi peccassent comedentes carnem porcinam ne occiderentur, non autem comedentes ne morerentur fame. Ad aliud, dicendum, quòd necesse est consecrare sub vtraque specie, non autem sumere à quocumque, vt ait D. Thom. infra quæst. 80. art. 12. ad 3. ait enim: præsentatio Dominicæ Passionis agitur in ipsa consecratione huius Sacramenti, in qua non debet Corpus sine Sanguine consecrari: potest autem à populo Corpus sine Sanguine sumi, nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in persona

persona omnium Sanguinem offert & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur. Ad aliud, dicendum, quòd materia Pœnitentiæ remota sunt omnia peccata mortalia, quæ commodè explicari possunt: proxima autem sunt actus Pœnitentis; & hæc semper adesse debet, illa verò in casu necessitatis, non: ac ita semper hoc Sacramentum est integrum integritate essentiali: Eucharistiæ verò materia proxima est panis & vinum; vnde ad integritatem eius essentialem adesse debet vtrumque, & intentio vtrumque consecrandi; quamuis ob imminens periculum mortis possit differri consecratio vnius.

Ad secundum, dicendum, quòd aliqui dubitant de hac dispensatione: sed dato quòd fuerit, respondetur quòd tunc erat probabilis contraria opinio, & ita iuxta eam operatus est Pontifex: nunc autem non est ita probabilis; vnde non ampliùs conceditur: etiam in illis regionibus in quibus difficulter reperitur & conseruatur vinum. Ad aliud, dicendum, quòd consecratio sub vtraque specie est de iure diuino, vt dictum est: ad instantias dicendum, quòd dato Christum tunc tantùm consecrasse in vnica specie, egit potestate excellentiæ quam habuit tanquam Dominus, sicut quando dabat effectum Sacramenti extra Sacramentum: sed aliis non licet quod Christo licuit; ipse enim non obligabatur suo præcepto, sicut obligantur alij. Ad authoritatem D.Thomæ dicendum; quòd ibi non negat illum morem procedere ex præcepto diuino, & alibi affirmat, vt dictum est in secunda parte conclusionis. Ad aliud, dicendum sicut dictum est, Summum Pontificem non posse dispensare in iure diuino, quando est absolutum, vt contingit in præsenti, benè tamen quando fundatur in voluntate & contractu humano, sicut est votum, iuramentum, & similia: & adhuc non dispensat directè, sed tantùm indirectè tollendo scilicet pactum, promissionem, aut contractum humanum; actus enim humani subiecti sunt Summo Pontifici ex D.Thom.2.2. quæst.88. art.10. ad 2. sunt enim virtualiter conditionati: vt autem directè dispensaret, deberet facere quòd voto, aut iuramento stante, homo non teneretur illud seruare, quod est impossibile: & proportione seruatâ, idem debet dici de iure naturali. Ad aliud, dicendum, quòd Episcopus est quidem Minister ordinarius Confirmationis, sed Minister necessitatis potest esse ex commissione Summi Pontificis simplex Sacerdos, vbi non est Episcopus. Ad aliud, dicendum, quòd nullus est dabilis casus, in quo præceptum de consecrando sub vtraque specie non obliget; vnde Pontifex non potest declarare quòd non obliget. Ad instantiam patet ex dictis.

DVBIVM VII.

Vtrùm materia Eucharistiæ debeat esse determinatæ quantitatis.

SVpponendum est nomine quantitatis determinatæ, intelligi quantitatem habentem terminum, tam secundùm magnitudinem, quàm secundùm paruitatem: vnde quærere vtrùm materia Eucharistiæ debeat esse determinatæ quantitatis, idem est quærere, ac vtrùm debeat esse tanta, quòd si daretur maior non posset consecrari, aut si daretur minor.

Prima opinio Alensis, 4.p.quæst.10.membro 4. art. 2. S.Bonauenturæ in 4.d.10.quæst.4.art.1. Paludani in 4. d. 11. quæst.1. art. 3. asserit materiam Eucharistiæ ita debere esse determinatæ quantitatis, quòd si daretur maior, non consecraretur. Probatur, tum quia intentio Ministri debet esse rationabilis; non enim ipsi data est potestas ad irreuerentiam huius Sacramenti: tum deinde, quia consecratio debet proportionari vsui fidelium, ad quem ordinatur: constat autem numerum fidelium esse finitum, ac proinde materia consecranda debet esse determinatæ quantitatis versus maximum: tum denique, quia virtus quâ Sacerdos consecrat est finita, sicut & corpus ac sanguis Christi, in quæ hæc materia conuerti debet; vnde non possunt esse sub immensâ quantitate, sed sub determinata: ergo materia Eucharistiæ debet esse determinatæ quantitatis: alioquin vt patet ex paritate rationis, posset assumi tota aqua Maris ad baptizandum.

Secunda opinio Soto in 4. d.9. q. vnica art. 1. asserit non requiri determinatam quantitatem versus minimum in materia Eucharistiæ: ita vt, quilibet panis minimus, etiam insensibilis respectu celebrantis, possit consecrari. Probatur authoritate D.Thom. hîc art. 2. in argumento, Sed contra; vbi ait: Nulla est ita parua quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Deinde, panis & vinum sunt per se materia Eucharistiæ, & per accidens est quòd non videatur, sufficit enim quòd sit præsens, & sciatur per reuelationem: ergo minimus panis insensibilis potest consecrari, sicut sub ipso potest conseruari corpus Christi. Denique, vinum inclusum in calice potest consecrari, licèt sit inuisibile, & præsbiter cæcus potest consecrare panem quem non videt: ergo quilibet panis etiam minimus insensibilis potest consecrari.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd materia Eucharistiæ non debet esse determinatæ quantitatis secundùm magnitudinem aut paruitatem, ad validam consecrationem: 2. Vnde panis aut vinum in maxima quantitate potest consecrari, dummodò sit moraliter præsens: 3. Et

panis

panis ac vinum in minima quantitate, dummodò sint aliquo sensu sensibilia respectu Sacerdotis celebrantis, possunt validè consecrari etiam separata à suo toto: 4. Secus autem si non sint ipsi sensibilia aliquo sensu externo. 5. Requiritur autem determinata quantitas iuxta præceptum Ecclesiæ, ad hoc vt consecratio sit licita. Ita nunc communiter Theologi cum D. Thom. hîc art. 2.

Probatur secunda pars conclusionis (prima enim probatur in secunda & tertia) tum authoritate Ecclesiæ quæ indubitanter tenet consecratum omnem panem, & omne vinum in quacumque sint quantitate, supra quæ prolata sunt verba consecrationis cum intentione consecrandi: vnde refertur de quodam Sacerdote qui consecrauit totum panem, qui erat in foro. Deinde, panis & vinum sunt materia huius Sacramenti, nec habetur vnde eis determinetur tanta magnitudo; imò forma consecrationis (Hoc est Corpus meum, vel, Hic est Calix Sanguinis mei) indicat euidenter consecrari totum quod est præsens, & est materia debita: ergo panis aut vinum in maxima quantitate potest consecrari, dummodò sit moraliter præsens. Denique; probatur ratione D. Thom. hîc quam sic proponit: Non potest esse quòd materia huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium, qui nunc occurrunt; alioquin Sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias: vnde relinquitur, quòd materia huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium absolutè, numerus autem fidelium est indeterminatus, vnde non potest dici quòd quantitas materiæ huius Sacramenti sit determinata.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. hic art. 2. in argumento, Sed contra, vbi ait: Nulla est ita parua quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Deinde, panis & vinum, licèt in minima quantitate, dummodò sint sensibilia aliquo sensu externo respectu celebrantis, verè sunt materia huius Sacramenti, & indicantur verè per formam consecrationis, ac post consecrationem possunt esse signum sensibile gratiæ sanctificantis reficientis animam per modum cibi & potus: ergo possunt consecrari. Denique, similes particulæ minimæ panis & vini existentes in toto verè consecrantur; vt tenet Ecclesia, & definit Concilium Trident. sess. 13. canon. 3. & 4. Propterea enim colliguntur ex corporali & patena: ergo etiam separatæ, dummodò sint sensibiles, possunt consecrari.

Probatur quarta pars conclusionis: Vt materia aliqua consecretur, debet esse præsens & determinabilis à Sacerdote consecrante, vt indicat ipsa forma: nam hæc pronomina, (hoc) & (hic) sunt demonstratiua: sed materia, quæ non est sensibilis aliquo sensu externo à Sacerdote consecrante, non est ab ipso determinabilis, vt patet: ergo non potest ab ipso consecrari. Quòd autem debeat esse sensibilis, vt absolutè possit consecrari, probatur: quia de ratione Sacramenti est, quòd sit signum sensibile: sed hæc materia, si consecretur, est futura Sacramentum Eucharistiæ, vt patet: ergo debet esse sensibilis. Ex quo sequitur, quòd vt in tota hostia consecretur aliqua particula, aliis non consecratis ex intentione Sacerdotis, debet esse sensibilis & determinata ab ipso; alioquin forma consecrationis demonstratiua esset falsa. Posito etiam cumulo particularum, quælibet determinatè sumpta vel ratione numeri, etiamsi lateat, vel ratione situs, potest ex intentione Sacerdotis consecrari aliis non consecratis. Si autẽ intenderet omnes cõsecrare exceptâ vnicâ non determinatâ, nulla fieret consecratio, quia dum illa vnica non determinatur, & possit esse quælibet ex illis, nulla potest dici determinata in ordine ad consecrationem. Quinta pars conclusionis satis per se patet, nam est illicitum excedere regulas Ecclesiæ in re tam magni momenti, vt patet.

Ad primum ergo, dicendum, quòd intentio Ministri debet esse rationabilis, ad hoc vt licitè conficeret; non autem vt validè, quia potestas eius ad duo ordinatur: primò quidem ad effectum proprium, secundò ad finem effectus: secundum autem non tollit primum, vnde si Sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem, putà vt irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit Sacramentum; ita D. Thom. hîc art. 2. ad 2. Ad aliud, dicendum, quòd licèt numerus fidelium sit actu finitus, est tamen maximus ac potest crescere in infinitum syncategorematicè: & hoc sufficit ad hoc, vt quæcumque materia debita cuiuscumque sit magnitudinis, possit consecrari. Ad aliud, dicendum, quòd virtus instrumentaria, qua Ministri Ecclesiæ consecrant, est participatio quædam infinitæ Dei virtutis, vnde potest se extendere ad quamcumque magnitudinem consecrandam, & eadem requiritur ad quodlibet consecrandum. Corpus autem Christi non est sub speciebus consecratis, sicut nec Sanguis, modo connaturali; sed modo supernaturali, & indiuisibili: vnde potest esse sub quibuscumque. Et si ratio aliquid probaret, concluderet quòd non posset fieri consecratio in tot locis sicut fitnam materia quæ continuò consecratur, multò excedit quantitatem corporis & sanguinis Christi. Ad aliud de Baptismo dicendum cum D. Thom. hîc art. 2. ad 3. quòd Baptismi Sacramentum perficitur in vsum materiæ; & ideo per formam Baptismi non plus de aqua sanctificatur, quàm quantùm venit in vsum:

sed hoc Sacramentum perficitur in consecratione materiæ; vnde non est simile.

Ad secundum, dicendum, quòd D. Thom. subintelligit, dummodò parua illa quantitas sit sensibilis. Ad aliud, dicendum, quòd, quia forma huius Sacramenti est demonstratiua, vt dictum est, eius materia debet esse demonstrabilis à proferente formam, ac proinde sensibilis ipsi aliquo sensu externo; & non solùm intelligibilis: de ratione enim Sacramenti est, quòd sit signum sensibile. Ad aliud, dicendum, quòd vinum inclusum in calice, saltem mediatè est demonstrabile, & sensibile respectu consecrantis, & cæcus potest tactu, odoratu, vel gustu discere materiam consecrandam.

DVBIVM VIII.

Vtrùm materia consecranda debeat esse præsens ipsi consecranti.

SVpponendum est duplicem esse præsentiam: physicam vnam, aliam moralem: physica est, quando vnum est indistans realiter ab alio: moralis addit supra physicam cognitionem sensitiuam; vnde quamuis aliquid sit realiter præsens & indistans corpore, & loco, ab aliquo; nisi ab illo aliquo sensu externo percipiatur, non dicitur ei præsens moraliter, quamuis sit præsens physicè. In præsenti igitur inquirimus, quâ præsentiâ materia consecranda debeat esse præsens ipsi consecranti.

Prima opinio asserit, quòd ad validam consecrationem, non requiritur, vt materia consecranda sit præsens ipsi consecranti, nec physicè, nec moraliter. Probatur, si daretur aliquis panis triticeus valde extensus, ita vt non viderentur extremitates eius, posset validè consecrari; cùm sit vnicus panis, & partes eius supponantur coniunctæ: sed illæ extremitates non sunt physicè, nec moraliter præsentes: ergo materia consecranda non debet esse præsens ipsi consecranti.

Secundò, Si esset maximus cumulus hostiarum: tunc quæ sunt infra alias, non sunt moraliter præsentes ipsi consecranti, non enim eas videt, aut percipit alio sensu externo; & tamen proferendo verba cõsecrationis cum intentione eas consecrat: ergo materia consecranda non debet esse moraliter præsens ipsi consecranti.

Tertiò, Vinum potest validè consecrari inclusum dolio, vel calice clauso, etiamsi nullo modo percipiatur. Similiter particulæ clausæ in pyxide possunt validè consecrari, & tamen hæc non sunt præsentia moraliter Sacerdoti consecranti: ergo materia consecranda non debet esse præsens moraliter Sacerdoti consecranti.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd materia consecranda in corpus & sanguinem Christi, vt validè possit consecrari, debet esse præsens Sacerdoti consecranti: 2. Non tantùm physicâ, sed etiam morali præsentiâ. 3. Insuper requiritur intentio Sacerdotis, non solùm faciendi quod facit Ecclesia, sed etiam consecrandi determinatè hanc materiam, quæ intentio debet esse actualis, aut virtualis. Ita communiter Scholastici.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. opusc. 59. Deinde, materia consecranda debet esse, vbi effectus consecrationis significatur poni per formam consecratoriam; quia effectus consecrationis succedit materiæ quæ transmutatur, & sub speciebus eorum ponitur corpus & sanguis Christi in quæ transmutantur; & hæc positio est effectus consecrationis: sed corpus & sanguis Christi significantur poni præsentia Sacerdoti per ipsam formam; nam pronomina (hoc) vel (hic) quæ sunt in forma consecrationis, sunt demonstratiua rei præsentis: ergo materia consecranda, vt validè possit consecrari, debet esse præsens Sacerdoti consecranti. Denique, per consecrationem non solùm fit Sacramentum, sed etiam sacrificium, vt dicetur postea: atqui de ratione sacrificij est quòd res sacrificata sit præsens ipsi sacrificanti, vt patet: ergo corpus & sanguis Christi, quæ sunt res sacrificata debet esse præsens Sacerdoti: & consequenter etiam materia per transsubstantiationem conuertenda in corpus & sanguinem Christi in actu sacrificij.

Probatur secunda pars conclusionis. Forma consecrationis est demonstratiua ratione pronominum, hoc, &, hic, ità vt proferens illam demonstret sub speciebus panis & vini consecratis, esse corpus & sanguinem Christi: sed ad talem demonstrationem requiritur tam indistantia materiæ consecrandæ, quæ inducit præsentiam physicam; quàm eius cognitio per aliquem sensum externum, quæ suppositâ indistantiâ causat præsentiam moralem: ergo materia consecranda, vt validè possit consecrari, debet esse præsens Sacerdoti consecranti, non tantùm physicâ, sed etiam morali præsentiâ: maximè quia consecratio est actio practica, cuius materia circa quam, debet esse præsens vtroque modo.

Probatur tertia pars conclusionis. Intentio Ministri, vel actualis, vel ad minus virtualis requiritur in administratione Sacramentorum, vt communiter docent Scholastici cum D. Thomæ supra q. 64. art. 8. & debet conformari ipsi formæ, qua conficit & administrat Sacramentum; debet enim illam dirigere ad hoc vt fit actio humana: sed forma consecrationis, cùm sit demonstratiua, vt dictum est, respicit determinatam materiam, nam demonstrare per pronomina (hoc) vel (hic) est determinatè aliquid designare: ergo ad validam consecrationem requiritur

requiritur intentio Sacerdotis; non solùm generalis faciendi quod facit Ecclesia, sed etiam specialis consecrandi determinatè hanc materiam, in qua virtualiter includitur illa generalis: sufficit autem quòd sit virtualis, per hoc quòd posuerit in altari, animo consecrandi. Ex quo sequitur conueniens esse, vt Sacerdos intendat consecrare omnes particulas quas habet præsentes, & totum quod est in Calice aptum consecrari; alioquin se exponit periculo non consecrãdi: nam si credens esse tantùm decem particulas, consecret cum intentione consecrandi decem præcisè, si ibi plures inueniantur nullam consecrat, nisi fortè aut virtuali, aut formali determinauerit, respiciendo scilicet has, & non illas. Ratio est iam dicta, quia intentio Ministri dirigens formam, & forma directa debent sibi correspondere; alioquin nihil fit: constat autem quòd forma consecrationis est determinatiua, & demonstratiua materiæ consecrandæ: & consequenter etiam intentio debet esse determinatiua materiæ, saltem virtualiter, vt respiciendo: Vnde si haberet duas hostias vnam sub alia, & consecraret credens esse vnicã, superior esset consecrata. Tandem dictum est, quòd sufficit intentio virtualis, nam in actu consecrationis non est necesse, quòd attendat ad omnes particulas consecrandas, sed sufficit quòd apposuerit eas, vel eius scitu fuerint appositæ in ordine ad consecrationem; virtualiter enim tunc ad eas attendit, quia habuit intentionem eas consecrandi, & moraliter non censetur eam retractasse.

Ad primum ergo, dicendum, quòd si daretur talis panis, partes eius extremæ, quamuis vnitæ cum aliis (quia non sunt moraliter præsentes, nullo enim sensu externo percipiuntur) non consecrarentur ex D. Thom. loco citato.

Ad secundum, dicendum, quòd omnes particulæ, quæ sunt in toto illo cumulo etiam latentes, sunt moraliter præsentes; nam licèt eas actu non percipiat; quia tamen sunt in debita distantia, potest percipere si velit.

Ad tertium, dicendum, quòd quando materia est indistans, censetur moraliter præsens licèt sit medium aliquod corpus impediens ne actu percipiatur, dummodò illud corpus iuxta communem vsum habeat tantùm rationẽ continentis aut velaminis: vnde hostiæ in pyxide clausa, & vinum in calice item clauso, vel in dolio possunt validè consecrari: secus esset si corpus medium se haberet per modum separantis, vt paries; quia tunc ex morali hominum æstimatione, quod esset ab illo separatum, non censetur moraliter præsens: sicut nec illud quod est retro, siue post tergum consecrantis.

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, in octo articulos diuisa

Deinde considerandum est de conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

¶ Primò, vtrùm in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem, an solum secundum figuram, vel sicut in signo.

¶ Secundo, vtrùm in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.

¶ Tertiò, vtrùm substantia panis vel vini post consecrationem huius sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resoluatur.

¶ Quarto, vtrùm panis possit conuerti in corpus Christi.

¶ Quinto, vtrùm in hoc sacramento post conuersionem, remaneant accidentia panis & vini.

¶ Sextò, vtrùm facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

¶ Septimò, vtrùm ista conuersio fiat in instanti.

¶ Octauo, vtrùm hæc sit falsa, Ex pane fit corpus Christi.

ARTICVLVS I

Vtrùm in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

Ad Primum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento non sit corpus Christi secundum veritatem, sed solum secundum figuram, vel sicut in signo. Dicitur enim Io. 6. quod cum Dominus dixisset, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. multi ex discipulis eius audientes, dixerunt, Durus est hic sermo: quibus ipse dixit, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam: quasi diceret, secundum expositionem Aug.* super Psal. 98. Spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent: sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum, viuificabit vos, caro autem non prodest quicquam.

in ps. 98. non procul à med. et posit. in c.

¶ 2 Præterea, Dominus dicit Mat. vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Quod exponens Aug.* dicit, donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen & hic nobiscum est veritas Domini: corpus enim in quo resurrexit, in vno loco oportet esse, veritas autem eius vbique diffusa est. Non ergo secundum veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solum sicut in signo.

refertur hoc de cons. d. 2. c. 41.

¶ 3 Præterea, Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cum nec Angelo hoc conueniat, tali enim ratione posset esse vbique. Sed corpus Christi est verum corpus, & est in cœlo. Ergo videtur, quod non sit secundum veritatem in sacramento altaris sed solum sicut in signo.

¶ 4 Præterea, Sacramenta Ecclesiæ ad vtilitatem fidelium ordinantur. Sed secundum Grego.* in quadam hom. regulus reprehenditur quod quærebat corporalem Christi præsentiam. Apostoli etiam impediebantur recipere Spiritum sanctum, propter hoc quod affecti erant ad eius præsentiam corporalem: vt Au.† dicit super illud Io. 16. Si non abiero, Paraclectus non veniet ad vos. Non ergo Christus secundum præsentiam corporalem est in sacramento altaris.

de regulo id habet Grego. hom. 28. in euangelia. Tra. 94. in Ioan. med. to. 9

Sed contra est; quod Hilar.† dicit in 8 de Trin. de veritate carnis & sanguinis Christi, non est relictus ambigendi locus: nunc n. & ipsius Domini professione & fide nostra caro eius vere est cibus, & sanguis eius vere est potus. Et Ambros.* dicit 6. de sacramentis: Sicut verus Dei filius est Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro est, quam accipimus, & verus sanguis est eius potus.

li. 8. ante prin. & med. libro. lib. 6. c. 1. in pr. to. 4.

CONCLVSIO.

Etsi verum Christi corpus & sanguinem in Eucharistia esse sensu deprehendi non potest, fide tamen diuina authoritate nixa credendum est, cum hoc nouæ legis perfectioni conueniat, & Christi charitatem maxime deceat, & fidei de Christi humanitate valde sit consentaneum.

Respondeo dicendum, quòd verum corpus Christi & sanguinem esse in hoc sacramento, neque sensu neque intellectu deprehendi potest: sed sola fide, quæ authoritati diuinæ innititur. Vnde super illud Luc. 22. Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrillus, Non dubites an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Saluatoris in fide: cum enim sit veritas, non mentitur. Hoc autem conueniens est. Primo quidem perfectioni nouæ legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem. Et ideo oportuit, vt aliquid plus haberet sacrificium nouæ legis à Christo institutum: vt scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet (vt Dionys. dicit 3. cap Eccl. Hier.) est perfectiuum omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. Secundo hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra, corpus verum nostræ naturæ assumpsit. Et quia maxime proprium amicitiæ est conuiuere amicis (vt Philosophus dicit 9. eth.) sui præsentiam corporalem, nobis repromittit in præmium, dicens Math. 24. Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Interim tamen nec

sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis & sanguinis sui, nos sibi coniungit in hoc sacramento. vnde ipse dicit Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde hoc sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei subleuamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. Tertio hoc competit perfectioni fidei, quæ sicut est de diuinitate Christi, ita est de eius humanitate: secundum illud Ioan. 14. Creditis in Deum, & in me credite. Et quia fides est inuisibilium, sicut diuinitatem suam nobis exhibet Christus inuisibiliter: ita & in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet inuisibili modo. Quæ quidam non attendentes, posuerunt corpus & sanguinem Christi non esse in hoc sacramento, nisi sicut in signo, quod est tanquam hæreticum abiiciendum, vtpote verbis Christi contrarium. Vnde & Berengarius,* qui primus huius erroris auctor fuerat, postea coactus est suum errorem reuocare, & veritatem fidei confiteri.

Habetur de cons. d. 2. cap. Ego Berengarius.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hac auctoritate prædicti hæretici occasionem errandi sumpserunt, malè verba August. intelligentes. Cum enim August. † dicit, Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis: non intendit excludere veritatem corporis Christi, sed quod non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autem quod subdit: Sacramentum quod vobis commendaui spiritualiter intellectum, viuificabit vos, non intendit quod corpus Christi sit in hoc sacramento solùm secundum mysticam significationem, sed spiritualiter dicit, id est inuisibiliter, & per virtutem Spiritus sancti. Vnde super Ioan. † exponens id quod dicitur, Caro non prodest quicquam, dicit. Sed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt manducandam, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur: accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.

† præcipue citatum in fin. cor. † in expos. Psalm. 98. tom. 8.
** ut patet ex verbis præcedentibus loc. citato. tract. 27. in euang. Ioan. post. & me. ... tom. 9. citatum in arg. 1.*

Ad secundum dicendum, quòd verbum illud August. * & omnia similia sunt intelligenda de corpore Christi secundum quod videtur in propria specie (secundum quod etiam ipse Dominus dicit Matth. 26. Me autem non semper habebitis) inuisibiliter tamen sub speciebus huius sacramenti est, vbicunque hoc sacramentum perficitur.

Ad tertium dicendum, quod corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur: sed quodam speciali * modo, qui est proprius huic sacramento. Vnde dicimus, quòd corpus Christi est in diuersis altaribus non sicut in diuersis locis, sed sicut in sacramento. Per quod non intelligimus, quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licèt sacramentum sit in genere signi: sed intelligimus corpus Christi hic esse (sicut dictum est †) secundum modum proprium huic sacramento.

** al. spiritualis. † in corp. art.*

Ad quartum dicendum, quòd ratio illa procedit de præsentia corporis Christi, prout est præsens per modum corporis, id est, prout est in sua specie visibili: non autem prout est spiritualiter, id est, inuisibili modo & virtute Spiritus. Vnde August. † dicit super Ioann. Si intellexisti spiritualiter verba Christi de carne sua, spiritus & vita tibi sunt: si intellexisti carnaliter, etiam spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

tra. 27. in Io. parum ante med. tom. 9.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.

441 AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem. Dicit enim Damasc. † 4. lib. Quia consuetudo est hominibus comedere panem, & vinum bibere, coniugauit eis Deus diuinitatem, & fecit ea corpus & sanguinem suum: & ita panis communicationis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Sed coniugatio est vtrumque actu existentium. Ergo panis & vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore & sanguine Christi.

Inf. art. 6. co. & qu. 77. art. 1. & 5. & 4. d. 11. q. 1. ad qu. 6. & dist. 12. qu. 1. a. 1. qu. 3. cont. c. 63. princip. & quo. 7. art. 9. & quo. 9. art. 3. ad 4. & 1. co. 11. lect. 4. col. 6. & 10. 3. col. 3. † lib. 4. ca. 14. in ora. 16. in Io. ante me. & fin. tom. 9.

¶ 2 Præterea, inter Ecclesiæ sacramenta debet esse conformitas. Sed in aliis sacramentis, substantia materiæ manet: sicut in baptismo substantia aquæ, & in confirmatione substantia chrismatis. Ergo & in hoc sacramento substantia panis & vini manet.

¶ 3 Præterea, Panis & vinum assumuntur in hoc sacramento, inquantum significant ecclesiasticam vnitatem: prout vnus panis fit ex multis granis, & vinum vnum ex multis racemis: vt August. * dicit in lib. de Symbolo. Sed hoc pertinet ad ipsam substantiam panis & vini. Ergo substantia panis & vini remanet in hoc sacramento.

Sed contra est, quod Ambros. † dicit in lib. de sacramentis, Licet figura panis & vini videatur: tamen nihil aliud quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt.

† collegitur ex lib. 4. ca. 4. & lib. 6. cap. 1. & 4. refertur de consec. dist. 2. cap. Omnia.

CONCLVSIO.

Cùm Christi corpus non possit incipere esse in Eucharistia nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum, panis & vini substantiam in hoc sacramento non permanere fatendum est.

RESPONDEO dicendum, quòd quidam posuerunt post consecrationem, substantiam panis & vini in hoc sacramento remanere. Sed hæc positio stare non potest. Primo quidem, quia per hanc positionem tollitur veritas huius sacramenti, ad quam pertinet, vt verum corpus Christi in hoc sacramento existat: quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi vbi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum: sicut in domo aliqua de nouo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur. Manifestum est autem, quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo quidem, quia sequeretur, quod desineret esse in cœlo: non enim quod localiter mouetur peruenit de nouo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, quod hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est quod vnus motus eiusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diuersa loca: cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat. & ideo relinquitur, quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Quod autem conuertitur in aliquid, facta conuersione non manet. Vnde relinquitur, quod saluа veritate huius sacramenti substantia panis post consecrationem remanere non possit. Secundo, quia hæc positio contrariatur formæ huius sacramenti, in qua dicitur, hoc est corpus meum: quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret, nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potius esset dicendum, hic est corpus meum. Tertio, quia contrariatur venerationi huius sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari. Quarto, quia contrariatur ritui Ecclesiæ, secundum quem post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi: cum tamen post vnam hostiam consecratam liceat sumere aliam. Vnde hæc positio vitanda est tanquam hæretica.

Ad primum ergo dicendum, quòd Deus coniugauit diuinitatem suam, id est, diuinam virtutem, pani & vino: non vt remaneant in hoc sacramento, sed vt faciat inde corpus & sanguinem suum.

Ad secundum dicendum, quòd in aliis Sacramentis non est ipse Christus realiter, sicut in hoc sacramento. Et ideo in aliis sacramentis manet substantia materiæ, non autem in isto.

Ad tertium dicendum, quòd species quæ remanent in hoc sacramento (vt infra dicetur *) sufficiunt ad significationem huius sacramenti; nam per accidentia cognoscitur ratio substantiæ.

q. 77. a. 3 & 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm substantia panis vel vini post consecrationem huius sacramenti annihiletur.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd substantia panis post consecrationem huius sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resoluatur. Quod enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse. Sed substantia panis, quæ est quiddam corporale, non manet in hoc sacramento (vt dictum est †) nec etiam est dare aliquem locum vbi sit. ergo non est aliquid post consecrationem. Igitur aut est annihilata, aut in peniacentem materiam resoluta. 441

4. d. 11. q. 1. art. 2. & 4. cont. cap. 63 & quol. 5. art. 11. & quol. 9. artic. 3. ad 3. & 1. Co. 11. lec. 5. col. 5. † Art. præc.

¶ 2 Præterea, Illud quod est terminus à quo in qualibet mutatione non remanet, nisi forte in potentia materiæ: sicut quum ex aëre fit ignis forma aëris non manet nisi in potentia materiæ: & similiter quando ex albo fit nigrum. Sed in hoc sacramento substantia panis aut vini se habet sicut terminus à quo, corpus autem vel sanguis Christi sicut terminus ad quem: dicit enim * Ambros. in lib. de Officiis. Ante benedictionem alia species nominatur: post benedictionem corpus Christi significatur. Ergo facta consecratione, substantia panis vel vini non manet, nisi forte resoluta in suam materiam.

** in lib. de his qui mysteriis initiantur c. 9. a med. & l. 4. refertur de Cons. dist. 2. c. Ante.*

¶ 3 Præterea, oportet alterum contradictoriorum esse verum. Sed hæc est falsa, Facta consecratione, substantia panis vel vini est aliquid. Ergo hæc est vera, Substantia panis vel vini est nihil.

Sed contra est, quòd August. * dicit in lib. 83. quæst. Deus non est causa tendendi in non esse. Sed hoc sacramentum diuina virtute perficitur. Ergo in hoc sacramento non annihilatur substantia panis aut vini.

lib. 83. quæ. q. 21. in med. to. 4.

CONCLVSIO

Cùm per conuersionem & non alio modo corpus Christi in Eucharistia esse incipiat, post consecrationem substantia panis vel vini non resoluitur in præiacentem materiam, nec annihilatur, sed conuertitur in verum Christi corpus.

RESPONDEO dicendum, quòd quia substantia panis vel vini non manet in hoc sacramento, quidam impossibile reputantes, quod substantia panis vel vini in corpus vel sanguinem Christi conuertatur, posuerunt quòd per consecrationem substantia panis vel vini vel resoluitur in præiacentem materiam, vel quod annihiletur. Præiacens autem materia, in quam corpora mixta resolui possunt, sunt quatuor elementa. Non enim potest resolutio fieri in materiam primam, ita quod sine forma existat, quia materia sine forma esse non potest. Cum autem post consecrationem, nihil sub speciebus sacramenti remaneat, nisi corpus & sanguis Christi, oportebit dicere quod elementa, in quæ resoluta est substantia panis vel vini, inde discedant per motum localem quod sensu perciperetur.

Similiter etiam substantia panis vel vini manet vsque ad vltimum instans consecrationis. In vltimo autem instanti consecrationis iam est ibi substantia corporis vel sanguinis Christi: sicut in vltimo instanti generationis, iam inest forma. Vnde non erit dare aliquod instans, in quo sit ibi præiacens materia. Non enim potest dici, quod paulatim substantia panis vel vini resoluatur in præiacentem materiam, vel successiue egrediatur de loco specierum: quia si hoc inciperet fieri in vltimo instanti suæ consecrationis, simul sub aliqua parte hostiæ esset corpus Christi cum substantia panis, quod est contra prædicta. * Si vero hoc incipiat fieri ante consecrationem,

** In arti. & præced.*

conſecrationem, erit dare aliquod tempus, in quo ſub aliqua parte hoſtiæ neque erit ſubſtantia panis, neque erit corpus Chriſti, quod eſt inconueniens, & hoc ipſimet perpendiſſe videntur. Vnde poſuerunt aliud ſub diſiunctione, ſcilicet quod vel annihiletur, vel in præiacentem materiam reſoluatur. Sed nec hoc poteſt eſſe: quia non eſt dare aliquem modum, quo corpus Chriſti verum eſſe incipiat in hoc ſacramento, niſi per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, quæ quidem conuerſio tollitur poſita vel annihilatione ſubſtantiæ panis, vel reſolutione in præiacentem materiam. Similiter etiam non eſt dare, vnde talis reſolutio, vel annihilatio in hoc ſacramento cauſetur, cum effectus ſacramenti ſignificetur per formam: neutrum autem horum ſignificatur per hæc verba formæ, hoc eſt corpus meum. Vnde patet prædictam poſitionem eſſe falſam.

Ad primum ergo dicendum, quod ſubſtantia panis vel vini facta conſecratione, neque ſub ſpeciebus ſacramenti manet, neque alibi. Non tamen ſequitur, quod annihiletur: conuertitur enim in corpus Chriſti. Sicut non ſequitur: Si aër ex quo generatus eſt ignis, non ſit ibi vel alibi, quòd ſit annihilatus.

Ad ſecundum dicendum, quòd forma, quæ eſt terminus à quo, non conuertitur in aliam formam, ſed vna forma ſuccedit alteri in ſubiecto, & ideo prima forma non remanet niſi potentia materiæ. Sed hic ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti: vt ſuprà dictum eſt.* Vnde ratio non ſequitur.

Ad tertium dicendum, quod licet poſt conſecrationem hæc ſit falſa, Subſtantia panis eſt aliquid: id tamen in quod ſubſtantia panis eſt conuerſa, eſt aliquid. Et ideo ſubſtantia panis non eſt annihilata.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm panis poſſit conuerti in corpus Chriſti.

643 AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd panis non poſſit conuerti in corpus Chriſti; conuerſio enim quædam mutatio eſt. Sed in omni mutatione oportet eſſe aliquod ſubiectum quod prius eſt in potentia, & poſtea eſt in actu: vt enim dicitur 3.† Phyſico. motus eſt actus exiſtentis in potentia. Non eſt autem dare aliquod ſubiectum ſubſtantiæ panis & corporis Chriſti: quia de ratione ſubſtantiæ eſt, quod ſit non in ſubiecto: vt dicitur in prædicamentis.† Non ergo poteſt eſſe quod tota ſubſtantia panis conuertatur in corpus Chriſti.

¶ 2 Præterea, Forma illius, in quod aliquid conuertitur, de nouo incipit eſſe in materia eius, quod in ipſum conuertitur: ſicut cum aër conuertitur in ignem prius non exiſtentem, forma ignis incipit de nouo eſſe in materia aëris: & ſimiliter cum cibus conuertitur in hominem prius non exiſtentem, forma hominis incipit eſſe de nouo in materia cibi. Si ergo panis conuertitur in corpus Chriſti, neceſſe eſt quod forma corporis Chriſti, de nouo incipiat eſſe in materia panis; quod eſt falſum. Non ergo panis conuertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti.

¶ 3 Præterea, Ea quæ ſunt ſecundum ſe diuerſa, nunquam vnum eorum fit alterum: ſicut albedo nunquam fit nigredo, ſed ſubiectum albedinis, fit ſubiectum nigredinis: vt dicitur in primo † Phyſi. Sed ſicut duæ formæ contrariæ ſunt ſecundum ſe diuerſæ (vt pote principia formalis differentiæ exiſtentes) ita duæ materiæ ſignatæ ſunt ſecundum ſe diuerſæ, vt pote exiſtentes principia materialis diſtinctionis. Ergo non poteſt eſſe, quod hæc materia panis fiat hæc materia qua indiuiduatur corpus Chriſti. Et ita non poteſt eſſe, quod ſubſtantia huius panis conuertatur in ſubſtantiam corporis Chriſti.

SED contra eſt, quòd Euſe.* Emiſſ. dicit. Nouum tibi & impoſſibile eſſe non debet, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia conuertuntur.

CONCLVSIO.

Cùm verum Chriſti corpus non incipiat eſſe in ſacramento per aliquam loci mutationem, neceſſarium eſt ibi eſſe per panis, & vini in ipſum corpus conuerſionem, quæ conuerſio cùm conuerſionibus naturalibus ſimilis non ſit, ſed omnino ſupernaturalis, ſola Dei virtute effecta, rectè peculiari nomine tranſubſtantiatio dici poteſt.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt,† cum in hoc ſacramento ſit verum corpus Chriſti, nec incipiat ibi eſſe de nouo per motum localem: cum etiam nec corpus Chriſti ſit ibi ſicut in loco (vt ex dictis patet †) neceſſe eſt dicere quod incipiat ibi eſſe per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum. Hæc tamen conuerſio non eſt ſimilis conuerſionibus naturalibus, ſed eſt omnino ſupernaturalis, ſola Dei virtute effecta. Vnde Ambroſius † dicit in libr. de Sacramentis. Liquet quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine eſt: quid ergo quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine? Et ſuper illud Ioan. 6. Verba quæ ego locutus ſum vobis (ſcilicet de hoc ſacramento) ſpiritus & vita ſunt, dicit † Chryſoſt. id eſt ſpiritualia ſunt, nihil habentia carnale, neque conſequentiam naturalem, ſed eruta ſunt ab omni tali neceſſitate, quæ in terra, & à legibus quæ hic poſitæ ſunt. Manifeſtum eſt enim quòd omne agens agit in quantum eſt actu. Quodlibet autem agens creatum eſt determinatum in ſuo actu, cum ſit determinati generis & ſpeciei, & ideo cuiuſlibet agentis creati actio fertur ſuper aliquem determinatum actum: determinatio autem cuiuſlibet rei in eſſe actuali, eſt per eius formam. Vnde nullum agens naturale ſeu creatum poteſt agere, niſi ad immutationem formæ, & propter hoc omnis conuerſio quæ fit ſecundum leges naturæ, eſt formalis. Sed Deus eſt actus infinitus (vt in prima parte habitum eſt*) vnde eius actio ſe extendit ad totam naturam entis. Non igitur ſolum poteſt perficere conuerſionem formalem, vt ſcilicet diuerſæ formæ ſibi in eodem ſubiecto ſuccedant: ſed conuerſionem totius entis, vt ſcilicet tota ſubſtantia huius conuertatur in totam ſubſtantiam illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc ſacramento: nam tota ſubſtantia panis conuertitur in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, & tota ſubſtantia vini, in totam ſubſtantiam ſanguinis Chriſti. Vnde hæc conuerſio non eſt formalis, ſed ſubſtantialis: nec continetur inter ſpecies motus naturalis, ſed proprio nomine poteſt dici tranſſubſtantiatio.

Ad primum ergo dicendum, quòd obiectio procedit de mutatione formali: quia formæ proprium eſt in materia vel ſubiecto eſſe. Non autem habet locum in conuerſione totius ſubſtantiæ. Vnde cum hæc conuerſio ſubſtantialis, importet quendam ordinem ſubſtantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, eſt ſicut in ſubiecto in vtraque ſubſtantia, ſicut ordo & numerus.

Ad ſecundum dicendum, quòd illa obiectio procedit de conuerſione formali ſeu mutatione: quia oportet, ſicut dictum eſt,* formam eſſe in materia vel ſubiecto. Non autem habet locum in conuerſione totius ſubſtantiæ, cuius non eſt accipere aliquod ſubiectum.

Ad tertium dicendum, quòd virtute agentis finiti non poteſt forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti (quod habet actionem in totum ens) poteſt talis conuerſio fieri, quia vtrique formæ & vtrique materiæ eſt communis natura entis, & id quod eſt entitatis in vna, poteſt auctor entis conuertere in id quod eſt entitatis in altera, ſublato eo, per quod ab illa diſtinguebatur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in hoc Sacramento remaneant accidentia panis & vini poſt conuerſionem.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd in hoc ſacramento non remaneant accidentia panis, & vini. Remoto enim priori, remouetur & poſterius. Sed ſubſtantia eſt naturaliter prior accidente: vt probatur 7.* Metaph. Cum igitur facta conſecratione, non remaneat ſubſtantia panis in hoc Sacramento; videtur, quod non poſſint remanere accidentia eius. 444

¶ 2 Præterea, In ſacramento veritatis non debet eſſe aliqua deceptio. Sed per accidentia iudicamus de ſubſtantia. Videtur ergo quod decipiatur humanum iudicium: ſi remanentibus accidentibus, ſubſtantia panis non remaneat: Non ergo hoc eſt conueniens huic ſacramento.

¶ 3 Præterea, Quamuis fides noſtra non ſit ſubiecta rationi, non tamen eſt contra rationem, ſed ſupra ipſam, vt in principio huius operis dictum eſt. † Sed ratio noſtra habet ortum à ſenſu, ergo fides noſtra non debet eſſe contra ſenſum. Eſt autem contra ſenſum dum ſenſus iudicat eſſe panem, & fides credit eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti. Non ergo hoc eſt conueniens huic ſacramento, quòd accidentia panis ſubiecta ſenſibus maneant, & ſubſtantia panis non maneat.

¶ 4 Præterea, Illud quod manet conuerſione facta, videtur eſſe ſubiectum mutationis. Si ergo accidentia panis manent conuerſione facta, videtur quòd ipſa accidentia ſint conuerſionis ſubiectum: Quod eſt impoſſibile: nam accidentis non eſt accidens. Non ergo in hoc ſacramento debent remanere accidentia panis & vini.

SED contra eſt, quod Aug.* dicit in lib. ſentent. Proſperi Nos in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt carnem & ſanguinem, honoramus.

CONCLVSIO.

Voluit Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini fidelibus ſumenda proponere, vt & fides meritum augeretur, & infidelibus irridendi tolleretur occaſio, omniſque abeſſet horror, quem ex humanarum carnium eſu homines concipere ſolent.

RESPONDEO dicendum, quod ſenſu apparet, facta conſecratione, omnia accidentia panis & vini remanere. Quod quidem rationabiliter per diuinam prouidentiam fit. Primò quidem: quia non eſt conſuetum hominibus, ſed horribile carnem hominis comedere, & ſanguinem bibere. Et ideo proponuntur nobis caro & ſanguis Chriſti ſumenda ſub ſpeciebus illorum, quæ frequentius in vſum hominis veniunt, ſcilicet panis & vini. Secundò, ne hoc ſacramentum ab infidelibus irrideretur, ſi ſub ſpecie propria, Dominum noſtrum manducaremus. Tertiò, vt dum inuiſibiliter corpus & ſanguinem Domini noſtri ſumimus, hoc proficiat ad meritum fidei.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut dicitur in lib.* de cauſis, effectus plus dependet à cauſa prima quàm à cauſa ſecunda. Et ideo virtute Dei, qui eſt cauſa prima omnium, fieri poteſt vt remaneant poſteriora prioribus ſublatis.

Ad ſecundum dicendum, quòd in hoc ſacramento nulla eſt deceptio: ſunt enim ibi ſecundum rei veritatem accidentia quæ ſenſibus diiudicantur: intellectus autem, cuius eſt proprium obiectum ſubſtantia (vt dicitur in tertio de anima*) per fidem à deceptione præſeruatur.

Et ſic patet reſponſio Ad tertium, Nam fides non eſt contra ſenſum, ſed eſt de eo, ad quod ſenſus non attingit.

Ad quartum dicendum, quòd hæc conuerſio non proprie habet ſubiectum, vt dictum eſt*, ſed tamen accidentia quæ remanent, habent aliquam ſimilitudinem ſubiecti.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm facta consecratione, remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis.

445 AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis. Dictum est enim,* quod facta consecratione, remanent accidentia. Sed cum panis sit quoddam artificiale; etiam forma eius est accidens. Ergo remanet facta consecratione.

¶ 2 Præterea, Forma corporis Christi est anima: dicitur enim in 2. de anima,† quod anima est actus corporis Physici, potentia vitam habentis. Sed non potest dici quod forma substantialis panis conuertatur in animam. Ergo videtur quod remaneat facta consecratione.

¶ 3 Præterea, Propria operatio rei sequitur formam substantialem eius. Sed illud quod remanet in hoc sacramento nutrit, & omnem operationem facit, quam faceret panis existens. Ergo forma substantialis panis remanet in hoc sacramento facta consecratione.

Sed contra, Forma substantialis panis est de substantia panis. Sed substantia panis conuertitur in corpus Christi: sicut dictum est.* Ergo forma substantialis panis non manet.

CONCLVSIO.

Cùm tota substantia panis in totam substantiam corporis Christi conuertatur, perspicuum est formam substantialem panis in Eucharistia post consecrationem non manere.

RESPONDEO dicendum, quod quidam posuerunt, quod facta consecratione non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis eius. Sed hoc esse non potest. Primo quidem: quia si forma substantialis panis remaneret, nihil de pane conuerteretur in corpus Christi, nisi sola materia. Et ita sequeretur quod non conuerteretur in corpus Christi totum, sed in eius materiam, quod repugnat formæ sacramenti, qua dicitur, hoc est corpus meum. Secundo, quia si forma substantialis panis remaneret; aut remaneret in materia, aut à materia separata. Primum autem esse non potest: quia si remaneret in materia panis, tunc tota substantia panis remaneret: quod est contra prædicta.* In alia autem materia remanere non posset: quia propria forma non est nisi in propria materia. Si autem remaneret à materia separata, iam esset forma intelligibilis actu, & etiam intelligens: nam omnes formæ à materia separatæ, sunt tales. Tertio esset inconueniens huic sacramento. Nam accidentia panis in hoc sacramento remanent: vt sub eis videatur corpus Christi: non autem sub propria specie, sicut supra dictum est.* Et ideo dicendum est, quod forma substantialis panis non remanet.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet arte fieri aliquid, cuius forma non est accidens, sed forma substantialis: sicut arte possunt produci rana & serpentes: talem enim formam non producit ars virtute propria, sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina & aqua confectam.

Ad secundum dicendum, quòd anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum: & sic de aliis. Conuertitur igitur forma panis in formam corporis Christi: secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quòd dat esse animatum tali anima.

Ad tertium dicendum, quòd operationum panis, quædam consequuntur ipsum ratione accidentium, sicut immutare sensum. Et tales operationes inueniuntur in speciebus panis post consecrationem, propter illa accidentia, quæ remanent. Quædam autem operationes consequuntur panem, vel ratione materiæ, sicut quod conuertatur in aliquid, vel ratione formæ substantialis, sicut est operatio consequens speciem eius, puta quod confirmat cor hominis. Et tales operationes inueniuntur in hoc sacramento: non propter formam vel materiam quæ remanent: sed quia miraculosè conferuntur ipsis accidentibus: vt infra dicetur.†

Respondeo dicendum, quòd aliqua mutatio est instantanea triplici ratione; ... substantia ad quam terminatur, magis ac minus non suscipiat, neque vllum in hac conuersione subiectum sit quod successiua præparatione egeat, eam in instanti fieri fatendum est.

RESPONDEO dicendum, quòd aliqua mutatio est instantanea triplici ratione. Vno quidem modo ex parte formæ, quæ est terminus mutationis. Si enim sit aliqua forma, quæ recipiat magis & minus, successiue acquiritur subiecto: sicut sanitas. Et ideo quia forma substantialis non recipit magis & minus, inde est quod subito fit eius introductio in materia. Alio modo ex parte subiecti, quod quandoque successiue præparatur ad susceptionem formæ: & ideo aqua successiue calefit. Quando vero ipsum subiectum est in vltima dispositione ad formam, subito recipit ipsam: sicut diaphanum subito illuminatur. Tertio modo ex parte agentis, quod est infinitæ virtutis. Vnde statim potest materiam ad formam disponere: sicut dicitur Marc. 7. quod cum Christus dixisset, Ephetha, quod est adaperire, statim apertæ sunt aures hominis, & solutum est vinculum linguæ eius. Ex his tribus rationibus hæc conuersio est instantanea. Primo quidem, quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conuersio, non suscipit magis neque minus. Secundo, quia in hac conuersione non est aliquod subiectum, quod successiue præparetur. Tertio, quia agitur Dei virtute infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam non simpliciter concedunt, quod inter quælibet duo instantia sit tempus medium. Dicunt enim quod hoc habet locum in duobus instantibus, quæ referuntur ad eundem motum, non autem in duobus instantibus, quæ referuntur ad diuersa; vnde inter instans quod mensurat finem quietis, & aliud instans quod mensurat principium motus non est tempus medium. Sed in hoc decipiuntur: quia vnitas temporis & instantis, vel etiam pluralitas eorum, non accipitur secundum quoscunque motus, sed secundum primum motum cœli, qui est mensura omnis motus & quietis. Et ideo alij hoc concedunt in tempore, quod mensurat motum dependentem ex motu cœli. Sunt autem quidam motus, ex motu cœli non dependentes, nec ab eo mensurati: sicut in 1. par. dictum est† de motibus Angelorum. Vnde inter duo instantia illis motibus respondentia, non est tempus medium. Sed hoc non habet locum in proposito: quia quamuis ista conuersio secundum se non habeat ordinem ad motum cœli, consequitur tamen prolationem verborum, quam necesse est motu cœli mensurari. Et ideo necesse est inter quælibet duo instantia circa istam conuersionem signata, esse tempus medium. Quidam ergo dicunt, quod instans, in quo vltimo est corpus Christi, sunt quidem duo per comparationem ad mensurata, sed sunt vnum per comparationem ad tempus mensurans: sicut cum duæ lineæ se contingunt, sunt duo puncta ex parte duarum linearum, vnum autem punctum est ex parte loci continentis. Sed hoc non est simile: quia instans & tempus, particularibus motibus non est mensura intrinseca, sicut linea & punctus corporibus, sed solum extrinseca, sicut corporibus locus. Vnde alij dicunt, quod est idem instans re, sed aliud ratione. Sed secundum hoc sequeretur, quod realiter opposita essent simul: nam diuersitas rationis non variat aliquid ex parte rei. Et ideo dicendum est, quòd hæc conuersio (sicut dictum est †) perficitur per verba Christi, quæ à sacerdote proferuntur: ita quod vltimum instans prolationis verborum, est primum instans, in quo est in sacramento corpus Christi: in toto autem tempore præcedente est ibi substantia panis, cuius temporis non est accipere aliquod instans, proximo præcedens vltimum: quia tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus, vt probatur 6. * Phys. Et ideo est quidem dare primum instans, in quo est corpus Christi: non est autem dare vltimum instans, in quo sit substantia panis, sed est dare vltimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus, vt patet per Philos. in 8. Physic.*

Ad secundum dicendum, quòd in mutationibus instantaneis simul est fieri & factum esse: sicut simul est illuminari & illuminatum esse. Dicitur enim in talibus factum esse, secundum quod iam est: fieri autem secundum quod ante non fuit.

Ad tertium dicendum, quòd ista conuersio (sicut dictum est*) fit in vltimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis. Et ideo non sequitur quod ista conuersio sit successiua.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ista conuersio fiat in instanti.

446 AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quod ista conuersio non fiat in instanti, sed sit successiua. In hac enim conuersione prius est substantia panis, & postea substantia corporis Christi. Non ergo vtrumque est in eodem instanti, sed in duobus instantibus. Sed inter quælibet duo instantia est tempus medium. Ergo oportet quod hæc conuersio fiat secundum successionem temporis, quod est inter vltimum instans quo ibi est panis; & primum instans, quo ibi est corpus Christi.

¶ 2 Præterea, In omni conuersione est fieri & factum esse. Sed hæc duo non sunt simul, quia quod fit, non est: quod autem factum est, iam est. Ergo in hac conuersione est prius & posterius, & ita oportet quod non sit instantanea, sed successiua.

¶ 3 Præterea, Ambr.* dicit in lib. de sacr. quòd istud sacramentum, Christi sermone conficitur. Sed sermo Christi successiue profertur. Ergo hæc conuersio fit successiue.

Sed contra est, quod hæc conuersio perficitur virtute infinita, cuius est subito operari.

CONCLVSIO.

Cùm hæc conuersio diuina virtute fiat, & corporis Christi

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hæc sit falsa, Ex pane fit corpus Christi.

AD OCTAVVM sic proceditur. Videtur (quòd hæc sit falsa; Ex pane fit corpus Christi. Omne enim id ex quo fit aliquid, est id quod fit illud, sed non conuertitur: dicimus enim quod ex albo fit nigrum, & quod album fit nigrum: & licet dicamus quod homo fiat niger, non tamen dicimus quod ex homine fiat nigrum, vt patet in 1. Physic.* Si ergo verum est, quod ex pane fiat corpus Christi, verum erit dicere quod panis fiat corpus Christi. Quod videtur esse falsum, quia panis non est subiectum factionis, sed magis est terminus. Ergo non vere dicitur, quod ex pane fiat corpus Christi. — 447

¶ 2 Præterea, Fieri terminatur ad esse vel ad factum esse: sed hæc nunquam est vera. Panis est corpus Christi, vel Panis est factus corpus Christi, vel etiam, Panis erit corpus Christi. Ergo videtur quod nec etiam hæc sit vera, Ex pane fit corpus Christi.

¶ 3 Præterea, Omne id, ex quo fit aliquid, conuertitur in id quod fit ex eo. Sed hæc videtur esse falsa, Panis conuertitur in corpus Christi: quia hæc conuersio videtur esse miraculosior, quàm creatio mundi, in qua tamen non dicitur, quod non ens conuertitur in ens. Ergo videtur quod etiam hæc sit falsa, Ex pane fit corpus Christi.

¶ 4 Præterea,

¶ 4 Praeterea, illud ex quo fit aliquid, potest esse illud, sed haec est falsa, Panis potest esse corpus Christi. Ergo & haec est falsa, Ex pane fit corpus Christi.

Sed contra est, quod Ambros. † dicit in lib. de Sacramentis, Vbi accedit consecratio, de pane fit corpus Christi.

† li. 4. de Sacr. c. 4. circa princ. tom. 4

CONCLVSIO.

Cùm vocabulum, Ex, ordinem quendam extremorum denotet, haec propositio, Ex pane fit corpus Christi, vera est & propria.

Respondeo dicendum, quòd haec conuersio panis in corpus Christi, quantum ad aliquid, conuenit cum creatione & cum transmutatione naturali: & quantum ad aliquid, differt ab vtroque. Est n. commune his tribus ordo terminorum, scilicet vt post hoc fit hoc (in creatione enim est esse post non esse: in hoc sacraméto, corpus Christi post substantiam panis, in transmutatione naturali album post nigrum, vel ignis post aërem) & quod praedicti termini non sint simul. Conuenit autem conuersio, de qua nunc loquimur, cum creatione: quia in neutra earum est aliquod commune subiectum vtrique extremorum, cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali. Conuenit vero haec conuersio cum transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quidem, quia in vtraque vnum extremorum transit in aliud (sicut panis in corpus Christi, & aër in ignē) non autem non ens conuertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit vtrobique, nam in hoc sacramento tota substantia panis transit in totum corpus Christi, sed in transmutatione naturali materia vnius suscipit formam alterius, priori forma deposita. Secundo, cōueniunt in hoc quod, vtrobique remanet aliquid idem, quod non accidit in creatione. Differenter tamen: nam in transmutatione naturali remanet eadem materia vel subiectum, in hoc autē sacramento remanent eadem accidentia. Et ex his potest accipi qualiter differenter in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo praedictorū trium extrema sunt simul, ideo in nullo eorum potest vnum extremum de alio praedicari per verbum substantiuum praesentis temporis: non. n. dicimus, non ens est ens, vel panis est corpus Christi, vel aër est ignis, vel album est nigrum. Propter ordinem vero extremorū possumus vti in omnibus hac propositione, Ex, quae ordinem designat: possumus enim vere & proprie dicere, quod ex non ente fit ens, & ex pane corpus Christi, & ex aëre ignis, vel ex albo nigrum. Quia vero in creatione vnum extremorum non transit in alterū, non possumus in creatione vti verbo Conuersionis vt dicamus, quod non ens conuertitur in ens. Quo tamen verbo vti possumus in hoc sacramento sicut & in transmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramento tota substantia in totam substantiam mutatur: propter hoc, haec conuersio proprie transsubstantiatio vocatur. Rursus, quia huius conuersionis non est accipere aliquod subiectum, ea quae verificantur in conuersione naturali ratione subiecti, non sunt concedenda in hac conuersione. Et primo quidem manifestum est, quod potentia ad oppositum, consequitur subiectum, ratione cuius dicimus, quod album potest esse nigrum, & aër potest esse ignis: licet haec non sit ita propria, sicut prima: Nam subiectum albi (in quo est potentia ad nigredinem) est tota substantia albi, non enim albedo est pars eius, subiectum autem formae aëris, est pars eius: vnde cum dicitur, aër potest esse ignis, verificatur ratione partis per synecdochen. Sed in hac conuersione, & similiter in creatione, quia nullum est subiectū, non dicitur, quod vnum extremum possit esse aliud, sicut quod non ens possit esse ens, vel quod panis possit esse corpus Christi. Et eadem ratione non potest proprie dici, quod de non ente fiat ens; vel quod de pane fiat corpus Christi: quia haec propositio De, designat causam consubstantialem, quae quidem consubstantialitas, extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes conuenientiam in subiecto, & simili ratione non conceditur, quod panis erit corpus Christi vel quod fiat corpus Christi, sicut neque conceditur in creatione, quod non ens erit ens, vel quod non ens fiat ens: quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti: puta, cum dicimus, quod album fit nigrum, vel album erit nigrum. Quia tamen in hoc sacramento, factā conuersione, aliquid idem manet, scilicet accidentia panis (vt supra dictum est *) secundum quandam similitudinem aliquae harum locutionum possunt concedi, scilicet quod panis sit corpus Christi, vel panis erit corpus Christi, vel de pane fit corpus Christi, vt nomine Panis non intelligatur substantia panis, sed in vniuersali hoc quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continetur substantia panis, & postea corpus Christi.

* ar. 1. huius q.

Ad primum ergo dicendum quod illud ex quo aliquid fit, quandoque quidem importat simul subiectum cum vno extremorum transmutationis: sicut cum dicitur, ex albo fit nigrum; & sic etiam dici potest, hoc fit illud, idest, album fit nigrum. Quandoque vero importat solum oppositum vel extremum: sicut cum dicimus, ex mane fit dies: & sic non conceditur, quod hoc fiat illud, idest, quod mane fiat dies. Et ita etiam in proposito, licet proprie dicatur quod ex pane fiat corpus Christi: non tamen proprie dicitur, quod panis fiat corpus Christi, nisi secundum quandam similitudinem, vt dictum est *.

* in cor. art.

Ad secundum dicendum, quod illud, ex quo fit aliquid, quandoque erit illud propter subiectum quod importatur. Et ideo cum huius conuersionis non sit aliquod subiectum, non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quòd in hac conuersione sunt plura difficiliora, quam in creatione, in qua hoc solum difficile est, quod aliquid fit ex nihilo: quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primae causae, quae nihil aliud praesupponit. Sed in hac conuersione non solum est difficile, quod hoc totum conuertitur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat (quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causae) sed etiam habet hoc difficile, quod accidentia remaneant corruptā substantiā: & multa alia, de quibus in sequentibus agetur *. Tamen verbum Conuersionis recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione: sicut dictum est.

* q. 77.
* in cor. art.

Ad quartum dicendum, quòd sicut dictum est, potentia pertinet ad subiectum: quod non est accipere in hac conuersione. Et ideo non conceditur, quod panis possit esse corpus Christi: non enim haec conuersio fit per potentiam passiuam creaturae, sed per solam potentiam actiuam Creatoris.

DISPVTATIO III.

De conuersione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi Domini.

Consideratâ iam materiâ sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, consideranda est eius conuersio in corpus & sanguinem Christi Domini, relictis pluribus ac remissis ad controuersias, quae celebres sunt in hac materia aduersus haereticos nostri temporis, de reali praesentia corporis & sanguinis Christi Domini in hoc S. Sacramento.

DVBIVM I.

Vtrùm sub speciebus panis & vini consecratis sint realiter corpus & sanguis Christi.

Svpponendum est per multa saecula ab institutione sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, perseuerasse in tota Ecclesia veritatem Catholicam de reali praesentia Christi Domini in hoc Sacramento; ita vt nullus esset Christianus, qui circa hoc errauerit. Sed anno circiter Millesimo surrexit Berengarius Archidiaconus Ecclesiae Andegauensis, qui multas circa Eucharistiam excitauit haereses; ideò dictus est Pater Sacramētariorum: sed congregatis ad hoc pluribus Conciliis, ibique damnatus, resipuit; libros suos haereticos de hac materia concremauit, & Catholicus obiisse dicitur. Hanc haeresim postea suscitarunt Henriciani, Petrobrussiani, Valdenses, Albigenses, Vvicles, Ioannes Hus; ac tandem Carolostadius, Zuinglius, Oecolampadius, & Caluinus: cuius successores in re persistunt quamuis toties damnata in Conciliis: maximè Constantiensi, & Tridentino.

Prima igitur opinio est praedictorum Haereticorum, quòd sub speciebus panis & vini consecratis, non sint realiter & physicè corpus & sanguis Christi Domini; ita vt qui recipit dictas species, non recipiat verè phisicè Christum sub speciebus; sed tantùm mentaliter per fidem. Diuersas huius habent explicationes & similitudines: sed tamen in hoc persistunt, quòd corpus & sanguis Christi sint tantùm ibi metaphoricè tanquam in signo, & quòd nulla fiat conuersio panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Probatur multiplici authoritate sacrae Scripturae. Matth. 24. Si quis vobis dixerit; ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere,

Et

Et 16. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Ioan. 16. Relinquo mundum, & vado ad Patrem. Et 17. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos: quæ non essent vera, si Christus Dominus verè & phisicè esset sub illis speciebus: maximè; quia non constat ex Scriptura se adfuturum sub speciebus panis & vini, sed tantùm quòd sumentes verum panem & vinum, spiritualiter & sacramentaliter ipsum reciperent; quòd indicat forma consecrationis, nam pronomina demonstratiua (hoc) vel (hic) denotant verum panem & vinum: ergo sub speciebus panis & vini consecratis non sunt realiter corpus & sanguis Christi.

Secundò probatur authoritate Sanctorum Patrum. August. in Psalm. 98. ait, Spiritaliter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis; manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt, qui me crucifigent; Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritaliter intellectum viuificabit vos, caro autem non prodest quicquam. Et tractatu 25. in Ioannem, ait malos homines non manducare vel bibere corpus & sanguinem Christi, licèt Sacramentum accipiant. S. Chrisostomus hom. 11. in Matthæum ait: In his vasis sanctificatis non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur. S. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 5. ait: Id quod sumitur de calice consecrato, habere similitudinem pretiosi sanguinis Christi Domini. Et tandem aliqui Sancti Patres asserunt nos comedere & bibere tantùm per fidem corpus & sanguinem Christi in Eucharistia. Alii dicunt quòd Eucharistia sit signum & symbolum corporis Christi. Alij denique dicunt non esse in Eucharistia idem corpus Christi quod fuit crucifixum: quæ omnia repugnant reali præsentiæ corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini consecratis.

Tertiò probatur ratione. Idem corpus numero non potest esse simul in pluribus locis; cuius contrarium accideret, si corpus Christi esset sub diuersis speciebus consecratis. Deinde, omne verum corpus occupat locum, & est extensum ratione quantitatis dimensiuæ, ac est palpabile, vt constat ex principiis naturalibus; & tamen nullum horum conueniret corpori Christi Domini, si esset sub speciebus panis & vini consecratis, vt patet. Denique, verba consecrationis, si indicant realem præsentiam, & non tantùm moralem corporis Christi sub speciebus panis & vini consecratis supponerent falsitatem in præcedentibus; scilicet, Accipite & mãducate; constat enim quòd corpus Christi gloriosum non potest manducari, nam deberet premi dentibus, & alterari calore naturali, ac conuerti in substantiam comedentis; quæ omnia sunt absurda: ergo non est realiter præsens sub speciebus panis & vini consecratis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd sub speciebus panis & vini consecratis verè & realiter est corpus Christi, & hoc fides docet: 1. Quamuis non sit articulus fidei. Ita communiter Catholici.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Ioannis 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Item caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Item, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ly, verè, excludit sensum metaphoricum. Matthæi 26. Marci 14. & Lucæ 22. expressè describitur institutio Eucharistiæ, quomodò Christus benedixit, ac dedit Discipulis, dicens; accipite, manducate, & bibite ex eo omnes: & dat rationem, Hoc est enim corpus meum: Hic est enim calix sanguinis mei: & postea præcipit vt hoc faciant in eius commemorationem: mirum est, quot ineptias inuenerint Hæretici ad eludenda ista testimonia, sed ipsa sinceritate & claritate verborum extortæ illorum responsiones confutantur, & insuper authoritate Apostoli 1. ad Cor. 11. vbi tam clarè loquitur, & tam adæquatè, vt sola hæreticorum proteruia possit resistere: ait enim; Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationẽ, quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat: itaque quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini &c. Idem docent plura Concilia, maximè Tridentinum tota sess. 13. per multa capita & multos canones. Sancti Patres sunt perpetui in hac doctrina. Hilarius lib. 8. de Trinitate, ait; De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Ambrosius lib. 6. de Sacramentis cap. 1. Sicut verus Dei filius est Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro est quam accipimus, & verus sanguis est eius potus: quod fusè prosequitur cap. 4.

Secundò probatur hæc veritas multis miraculis à Deo patratis, quæ passim reperiuntur in historiis authenticis, & quotidie accidunt: constat autem quòd implicat Deum facere mira-

cula ad comprobandam falsitatem. Deinde congruentiis, quas affert D. Thom. hic art. 1. Prima est ex perfectione nouæ Legis, sacrificia enim veteris Legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solùm in figura;& ideò oportuit vt aliquid plus haberet sacrificium nouæ Legis à Christo institutum, scilicet contineret ipsum Christū passum,non solùm in figura,sed etiam in rei veritate.Secunda,ex charitate Christi,qui etiam visibiliter recedens non destituit nos sua præsētia corporali in hac peregrinatione,sed per veritatē corporis & sanguinis sui nos sibi coniungit in hoc Sacramento; vnde hoc Sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei sublevamentum ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. Tertia ex perfectione fidei, quæ non solùm circa diuinitatem Christi, sed etiam circa eius humanitatem inuisibili modo in hoc Sacramento existentem debuit versari.

Probatur secunda pars conclusionis, tum authoritate D. Thom. 2.2. qu. 1. art. 8. ad vltimum: tum ratione; quia vt aliquid sit articulus fidei, debet esse credibile secundùm se, & non in ordine ad aliud, aut ratione alterius: siue debet proponi ad credendum vt per se intentum, & non ad manifestationem aliarum veritatum fidei, ac proinde debet esse primum principium in ratione credibilis, ita vt aliæ veritates propter ipsum credantur; ipsum verò non credatur propter illas, sicut sunt omnia quæ continentur in symbolo fidei: sed Sacramentum Eucharistiæ non est huiusmodi, nam si consideretur realis præsentia Christi sub speciebus, in quantum miraculosum, reducitur ad primum articulum Dei omnipotentis: si verò vt concurrit instrumentaliter ad nostram sanctificationem, reducitur ad articulum Christi Saluatoris, sicut & alia opera ordinis gratiæ, vt ait D. Thom. loco citato: ergo licèt sit de fide Christum realiter contineri in Eucharistia, non tamen est articulus fidei.

Ad primum ergo, dicendum,quòd Christus præmonuit suos Discipulos fore, vt venirent multi Pseudo-Christi, præcipiens eis ne vllum ipsorum sequerentur: non autem prohibuit se sub speciebus consecratis adorari. In aliis verò locis fit tantùm mentio de præsentia Christi visibili, quam non habet Christus in hoc Sacramento. Ad aliud, dicendum, quòd satis constat ex locis pro conclusione citatis Christum promisisse se adfuturum sub speciebus consecratis Sacramentaliter, id est realiter quidem, sed inuisibiliter: forma autem consecrationis ex natura sua importat quidem in principio panem, aut vinum, sed in fine prolationis importat corpus & sanguinem Christi, tanquam terminum ad quem ipsius; per ipsam enim panis & vinum conuertuntur in corpus & sanguinem Christi: quæ realiter & non tantùm spiritualiter per affectum recipiunt communicantes.

Ad secundum, dicendum, quòd August. solùm vult; quòd caro & sanguis Christi non sumuntur visibiliter in hoc Sacramento, sed tantùm spiritualiter & inuisibiliter, vt se explicat tract. 7. in Ioannem. In alio loco solùm vult; quòd mali communicantes non percipiunt fructū corporis & sanguinis Christi,qui est manere in Christo, & habere Christū in se manentem: vnde tract. 26. in Ioan. circa medium, ait: Et nos hodie accipimus visibilem cibum; sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Ad illud Chrysostomi, dicendum, quòd tale opus non est eius, cùm contineat multas hæreses, & in hoc conueniunt Caluinistæ;vnde à Paulo IV. reiicitur tanquam suspectæ fidei. Ad illud Ambrosij, dicendum,quòd tantùm vult species vini consecratas habere similitudinem cum sanguine Christi, in quantum liquidæ, rubræ &c. sed non negat sub illis verè & realiter contineri sanguinem Christi. Ad alias similiter authoritates, dicendum, quòd species consecratæ, ita sunt similitudo, imago, signum, Symbolum, &c. corporis Christi, vt tamen illud realiter contineant; non quidem visibiliter,ac eo modo quo fuit crucifixum,at inuisibiliter,& modo indiuisibili, vt infra dicetur.

Ad tertium, dicendum, quòd implicat quidem idem numero corpus esse simul extensum in pluribus locis,propter rationes adductas in Physicis: sed tamen corpus Christi non est eo modo in hoc Sacramento, sicut corpus in loco,quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali modo qui est proprius huic Sacramento: vnde dicimus quòd corpus Christi est in diuersis Altaribus; non sicut in diuersis locis, sed sicut in Sacramento: per quod non intelligimus quòd Christus sit ibi solùm, sicut in signo; licèt Sacramentum sit in genere signi, sed intelligimus corpus Christi hic esse secundùm modum proprium huic Sacramento. Ad aliud, dicendum, quòd occupare locum, esse extensum in ordine ad locum, ac esse palpabile sunt proprietates quantitatis diuinitus tamen separabiles, & de facto hic separatæ. Ad aliud, dicendum,quòd verè corpus Christi manducatur, per hoc quòd ore cum speciebus consecratis sumatur, & deducatur ad stomachum: nec requiritur quòd prematur dentibus, aut conuertatur in substantiam aliti; nam multi cibi liquidi non masticantur, & Christus post Resurrectionem comedit; & tamen alimentum non conuertit in suam substantiam: maximè quia comeditur ratione specierum,& ipsæ species verè digeruntur,& conuertuntur in substantiam comedentis.

DVBIVM II.

Vtrùm præsentia Sacramentalis Christi sit aliquid reale positiuum.

Supponendum est Christum Dominum tandiu esse præsentem speciebus consecratis, & mediis ipsis loco specierum, quandiu sub eis conseruaretur substantia panis & vini, si ibi essent; ita vt non nisi illis corruptis desinat esse præsens. Ita D.Thom. hîc art.4. & 8. quæst. sequenti art.6. ad 3. & quæst.80. artic. 3. quem communiter sequuntur Scholastici, & fuit definitum à Gregorio II. in directorio Inquisitorum, p.2. cap.10. cuius ratio est; quia Christus succedit sub speciebus panis & vini, quæ in ipsum conuersa sunt, vnde tandiu debet sub illis durare, quandiu duraret ipsa substantia panis & vini. Ex quo sequitur, quòd verè perseueret sub illis etiam sumptis, donec in stomacho corrumpantur; alioquin non verè comederetur, quia comedi est ore sumi, deglutiri, & in stomachum traiici: est autem de fide, quòd comedatur, ex illo Ioannis 6. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem. Aliqui tamen, ne cogerentur admittere corpus & sanguinem Christi posse proiici in locum sordidum, contrarium tenuerunt, moti etiam authoritate S. Ambrosij libr.5. de Sacram. cap.4. & S. August. serm. 28. de verbis Domini, vbi ait: Non est iste panis, qui vadit in corpus; sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit: Sed tamen non est contra prædicta; nam per corpus intelligit S. Aug. aluum, quò non vadit corpus Christi; nam facta digestione & corruptione specierum in stomacho, desinit ibi esse.

Prima opinio Suaris, Cornejo, Ysamberti & aliorum in præsenti asserit præsentiam Sacramentalem Christi importare quemdam modum accidentalem pertinentem ad prædicamentum Vbi. Probatur, id per quod res aliqua est alicubi, est ipsum Vbi, quod mutatur iuxta mutationem loci, & sine quo nulla res creata esse potest, vt communiter docent Philosophi, vnde admittunt etiam Vbi Angelicum: ergo cùm per præsentiam Sacramentalem Christus de nouo ponatur sub speciebus consecratis, hæc præsentia importat Vbi Sacramentale.

Secundò; Corpus Christi esse præsens loco specierum consecratarum, est aliquid reale in rerum natura, quod antea non erat: sed non est sola denominatio extrinseca in ipso corpore Christi, quia ante consecrationem distabat à loco specierum; post consecrationem non distat, imò verè est præsens: ergo est aliquis modus intrinsecus realis.

Tertiò; Christus non potest esse de nouo præsens alicubi, nisi facta aliqua mutatione, omnis quippe denominatio adueniens de nouo fundatur in noua entitate, ac proinde supponit aliquam mutationem: sed illa mutatio non se tenet ex parte loci, quia locus est immutabilis; vnde debet se tenere ex parte Christi: non autem est mutatio localis, quia non incipit ibi esse per motum localem, vt infra dicetur: ergo est mutatio formalis per receptionem videlicet ipsius præsentiæ Sacramentalis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd præsentia Sacramentalis Christi Domini sub speciebus panis & vini solùm importat ipsum Christum præsentem, immediatè tangentem ipsas species consecratas: 2. Ex quo contactu resultat relatio præsentiæ mutua inter vtrumque extremum; 3. Non autem importat modum accidentalem superadditum Christo: quo dicatur formaliter præsens: est enim formaliter præsens seipso. Ita tenent omnes qui negant Vbi esse modum intrinsecum.

Probatur prima pars conclusionis. Christus est in Sacramento Eucharistiæ, siue sub speciebus consecratis eo modo quo locatum est in loco, vt communiter admittunt Theologi: sed præsentia localis solùm importat ipsum locatum præsens & immediatè tangens locum, vt patet ex Physicis: ergo etiam præsentia Sacramentalis Christi Domini sub speciebus panis & vini solùm importat ipsum Christum præsentem immediatè, tangentem ipsas species consecratas. Hæc ratio magis expendetur in tertia parte.

Probatur secunda pars conclusionis. Ex præsentia & contactu actuali locati ad locum, resultat relatio mutua inter locum & locatum, tum ratione continentiæ, tum ratione conseruationis actiuæ & passiuæ, si sit locus naturalis: ergo cùm Christus ad species consecratas se habeat vt locatum ad locum; non quidem naturalem, sed præternaturalem, ex eius præsentia & contactu actuali resultat relatio præsentiæ mutua per modum contenti in Christo, & per modum continentis in speciebus.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis, in qua supponitur, quòd Christus Dominus habet quidem modum præternaturalem in sanctissimo Sacramento; est enim inextensus & indiuisibilis in ordine ad locum, per modum substantiæ, vt infra dicetur, & de quo nullus dubitat: qui est quodammodo radix præsentiæ Christi in speciebus; per hoc enim est præsens, quia diuinitus potest esse inextensus & indiuisibilis in ordine ad locum: vnde hunc non excludimus, sed modum accidentalem, quem Aduersarij vocant Vbi Sacramentale, pertinentem ad categoriam Vbi, qua Christus dicatur formaliter præsens in Eucharistia, sicut per Vbi circumscriptiuum locatum dicitur formaliter præsens loco: hunc igitur

excludimus

excludimus dicentes, quòd res locata est formaliter in loco ratione sui, seu suæ quantitatis; & per hoc quòd sit in loco nihil intrinsecè acquirit, nisi nouam relationem. Probatur; præsentia Sacramentalis non importat modum accidentalem superadditum Christo, quo dicatur formaliter præsens, sed est formaliter præsens seipso in quantum existit sub illis speciebus; si Vbi categoricum non importat talem modum, nam ab Aduersariis vocatur modus præsentiæ, vtrobique autem est præsentia: sed Vbi categoricum non importat talem modum, vt docet expresè D.Thom. 1. p.quæst.110. artic.3. vbi docet quòd mobile secundùm locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, sed solùm ad aliquid extrinsecum scilicet locum: & 2. contra gentes cap.13. ait: Aliquando denominatur aliquid ab eo quod est extra ipsum, sicut à loco dicitur aliquid esse alicubi: ex quo constat quòd per motum localem solus locus acquiritur, & non Vbi intrinsecum: sed clariùs opusc.48.de prædicamento Vbi cap.1.ait enim: Vbi nihil est aliud secundùm rem, quàm locus vt denominat locatum denominatione extrinseca: imò videtur approbare quòd Vbi sit respectus loci ad rem locatam,vnde postea subdit: Nihil ergo acquiritur in mobili, nisi Vbi,quod est respectus loci ad locatum vt cirscunscribit illud; vel est denominatio supponens prædictum respectum: hic autem respectus terminatiuè est in ipso locato. Et infra ait: In motu locali acquiritur Vbi, quod denominat extrinsecè, vel est respectus extrinsecus fundatus in locante, & terminatus in locato: Ecce quàm expresè D. Thom. negat Vbi esse modum intrinsecum locato: & licèt sit dubium, an hoc opusculum sit D.Thomæ, magnam tamen habet authoritatem: maximè dum conformatur aliis locis D.Thomæ,vt accidit in præsenti: & ratio istorum est, quia vt aliquid dicatur præsens, sufficit quòd sit indistans, & ponatur in loco cui dicitur præsens: hoc autem habet formaliter à propria sua entitate, secluso quocumque alio intrinseco; effectiuè autem ab eo à quo ponitur in loco, & sola intelligitur postea resultare relatio: ergo præsentia Sacramentalis non importat modum accidentalem superadditum Christo, quo dicatur formaliter præsens: est enim formaliter præsens seipso.

Ad primum ergo, dicendum, quòd ipsum Vbi importat locum extrinsecè continentem & denominantem: Vnde esse alicubi, est esse in aliquo loco; & mutare Vbi, est præcisè mutare locum: propterea nec Vbi circunscriptiuum, nec Vbi definitiuum Angelicum, nec Vbi Sacramentale important illum modum intrinsecum.

Ad secundum, dicendum, quòd corpus Christi esse præsens loco specierum consecratarum, est aliquid reale in rerum natura, scilicet positio de nouo & existentia Christi sub illis speciebus: quod importat, non modum illum accidentalem, sed corpus Christi locatum, & contentum sub illis speciebus; species verò ipsas locantes, & continentes, ac extrinsecè denominantes.

Ad tertium, dicendum, concesso antecedenti, quòd præsentia Sacramentalis fundatur in mutatione se tenente ex parte corporis Christi; non formali per modum illum accidentalem, sed virtualiter locali, in quantum scilicet per conuersionem panis in ipsum, de nouo ponitur sub eius speciebus, ac se habet ibi per modum locati, proportionali modo ac si de nouo per motum localem acquisisset illum locum: hæc autem positio de nouo sub speciebus consecratis, est quædam mutatio localis; non formaliter, hæc enim importat transitum de loco in locum, qui hic non reperitur: sed virtualiter, quæ importat acquisitionem loci, siue esse in loco de nouo.

DVBIVM III.

Vtrùm præsentia Sacramentalis includat aliquam vnionem corporis & sanguinis Christi cum speciebus consecratis.

Svpponendum est Christi Domini corpus & sanguinem esse modo præternaturali, & supernaturali sub speciebus panis & vini; existunt enim ibi modo indiuisibili & inextenso, in ordine ad locum: licèt enim sint extensa in ordine ad se, ita vt corpus Christi sit ordinatum habens partes extra partes, caput v. g. extra humeros, & sic de aliis (hic enim est effectus formalis primarius quantitatis:) tamen hæc eius extensio non correspondet extensioni specierum, in quibus est quasi in loco: totum enim est in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ etiam minima: hæc autem extensio in ordine ad locum est effectus secundarius quantitatis, ac proprietas ab illa in hoc mysterio separata diuinitus: & quia hic modus indiuisibiliter existendi in ordine ad locum, non est ordinarius, dicitur præternaturalis: quia verò excedit totam capacitatem naturæ, & fit secundùm potentiam obedientialem ipsius, à Deo miraculosè per separationem illius proprietatis à quantitate corporis Christi, dicitur supernaturalis: Vtrùm autem hic modus existendi Sacramentaliter, necessariò præsupponat modum existendi connaturalem, dubium est; in quo dicimus quòd ex natura rei nulla est necessaria connexio inter istos duos modos existendi: vnde de potentia Dei absoluta potuit fieri quòd Christus nullum alium habuerit modum existendi quàm Sacramentalem, & modò ex eadem Dei potentia posset desinere existere connaturaliter in Cœlo, & existere modo præternaturali in

in Sacramento : quamuis ſuppoſita inſtitutione huius Sacramenti, quæ de facto fuit, præſentia Sacramentalis Chriſti dependet à naturali; quia Chriſtus modo naturali exiſtens hoc Sacramentum inſtituit, & cauſauit ſuam præſentiam Sacramentalem.

Prima opinio Scoti in 4. d. 10. quæſt. 6. & Nominalium negat præſentiam Sacramentalem importare aliquam vnionem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus conſecratis. Probatur ſigillatim excludendo omnes modos vnionis: hæc vnio non eſt Hypoſtatica, nec per continuationem, quia natura creata, ac proinde limitata (qualis eſt corpus & ſanguis Chriſti) non poteſt Hypoſtaticè terminare aliam; ſi enim hoc denegatur ſuppoſito creato ex communi ſententia in tractatu de Incarnatione, multò magis debet denegari naturæ creatæ, cuius non eſt terminare Hypoſtaticè: nec quantitas corporis aut ſanguinis Chriſti, cùm non ſit extenſa in ordine ad locum, poteſt continuari cum quantitate ſpecierum.

Secundò, Non eſt effectiua vnio, vt ait Suares, in quantum corpus Chriſti conſeruat ipſas ſpecies conſecratas, ſicut conſeruaret propria earum ſubſtantia ſi adeſſet; ipſæ verò ſpecies attrahunt corpus Chriſti, ſicut magnes attrahit ferrum: nam illa virtus ponitur ſine vllo fundamento, quia corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus conſecratis, vi verborum conſecrationis tranſſubſtãtiantis ipſum panem in corpus Chriſti, & non virtute ſpecierum attrahentium: nec corpus Chriſti conſeruat ipſas ſpecies, cùm non ſit ſubiectum ipſarum.

Tertiò; Non eſt vnio formalis : hæc enim diuiditur in ſubſtantialem & accidentalem, quarum neutra eſt: non ſubſtantialis, quia vnum extremorum eſt accidens, & terminus actionis vnitiuæ non eſt aliqua tertia ſubſtantia: nec eſt accidentalis, quia extrema ipſius ſe habent vt actus & potentia, & efficiunt aliquod totum compoſitum: ſed nullum iſtorum hîc reperitur, vt diſcurrenti patet: ergo præſentia Sacramentalis non includit aliquam vnionem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus conſecratis; alioquin daretur modus vnionis ſupra modum præſentiæ Sacramentalis, quem tamen admittere videtur ſuperfluum.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd præſentia Sacramentalis includit aliquam vnionem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus conſecratis : 1. Non Hypoſtaticam, non quantitatiuam, nec effectiuam, nec per modum puri locati etiam ſpiritualis cum loco; 3. Sed formalem; quamuis ineffabilem & ordinis ſuperioris, reducibilem ad genus vnionis accidentis cum ſubiecto. Ita tenent multi ex Diſcipulis D. Thomæ.

Probatur prima pars concluſionis, communi conſenſu Scholaſticorum cum D. Thom. in 4. d. 11. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiuncula 1. ad 1. Deinde; niſi præſentia Sacramentalis includeret aliquam vnionem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus conſecratis, talis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti eſſet compoſſibilis cum ſubſtantia panis & vini ſub iiſdem ſpeciebus, ſicut Angelus poteſt eſſe præſens ſub iiſdem ſpeciebus, manente ſubſtantia panis & vini, quia non habet cum illis vnionem formalem, at tantum effectiuam per applicationem ſuæ virtutis: ſed præſentia Sacramentalis corporis & ſanguinis Chriſti eſt incompoſſibilis cum ſubſtantia panis & vini ſub iiſdem ſpeciebus; quia hæc præſentia fit per tranſſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, vt fides docet, & dicetur dubio ſequenti: ergo præſentia Sacramentalis includit aliquam vnionem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus conſecratis. Denique; aliqua conueniunt corpori & ſanguini Chriſti exiſtentibus in Euchariſtia, quæ eis non poſſunt conuenire ratione ſolius præſentiæ; vt quòd moueantur, & quieſcant per accidens, ad motum & quietem ſpecierum conſecratarum; quòd corpus manducetur, & bibatur ſanguis dum illæ ſumuntur, vt determinatur in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 5. conſtat autem quòd Angelus, licèt ſit præſens ſpeciebus conſecratis, nec per accidens mouetur, quieſcit, aut manducatur ratione ſpecierum: ergo præſentia Sacramentalis includit vnionem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſpeciebus conſecratis.

Probatur ſecunda pars concluſionis, quantùm ad vnionem Hypoſtaticam, quantitatiuam & effectiuam ex primo & ſecundo argumento in contrarium adductis, quæ efficaciter probant: quantùm autem ad vnionem puri locati etiam ſpiritualis cum loco, probatur expreſſa authoritate D. Thom. hîc art. 5. Deinde; Angelus poteſt eſſe in ſpeciebus conſecratis tanquam in loco per applicationem ſuæ virtutis; ibi enim Angelus eſt in loco, vbi operatur ad extra, vt conſtat ex tractatu de Angelis: ſed licèt Angelus ſit in ſpeciebus conſecratis tanquam in loco, non tamen dicitur manducari in illis, ſicut ſecundùm fidem manducatur corpus Chriſti, & bibitur eius ſanguis: ergo non habent tantùm vnionem cum ſpeciebus conſecratis per modum puri locati etiam ſpiritualis cum loco.

Probatur tertia pars concluſionis authoritate D. Thom. loco citato. Deinde; corpus & ſanguis Chriſti Domini ſunt ſub ſpeciebus conſecratis, loco ſubſtantiæ panis & vini; vnde quodammodo comparantur ad ipſas, ſicut prius ſubſtantia panis & vini comparabatur, non quidem per modum ſubiecti inhæſionis, vt patet; ad hoc enim requireretur extenſio localis in eis, ſicut eſt in accidentibus; ſed per modum ſuſtentantis ſuccedentis ſubiecto inhæſionis: ergo

præſentia

præsentia Sacramentalis includit vnionem formalem accidentalem, reducibilem ad genus vnionis accidentis cum subiecto; est tamen ineffabilis & ordinis superioris, vt ibidem ait D. Thom. propterea nulli vnioni ordinis naturalis perfectè conformatur: omnes quippe vniones, quas Deus habet cum creaturis in ordine supernaturali, qualis est Hypostatica cum humanitate assumpta, & beatifica cum intellectu creato per modum speciei intelligibilis, & vnio per gratiam cum iustis, sunt singulares ac pene ineffabiles, vt fatentur Theologi. Ex hac verò vnione resultat vnum tertium compositum accidentale, sed altioris ordinis, quia fit sine vnione partium informatiua, ex sola reali coniunctione extremorum secundùm suas præcisas entitates; non enim datur modus vnionis medius, quo formaliter vniantur. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

DVBIVM IV.

Vtrùm tota substantia panis & vini conuertatur in corpus & sanguinem Christi.

Supponendum est substantiam panis aut vini multa includere. Primò partes essentiales, videlicet materiam primam & formam, ex quibus physicè componitur. Deinde subsistentiam & existentiam, ex quibus cum ipsa essentia fit compositio metaphysica, & resultat ex ea totus panis subsistens & existens; vnde est suppositum completum extra suas causas. Denique in ipsa entitate panis & vini considerantur omnes gradus essentiales, tam superiores, quàm inferiores, à primo entis per se siue substantiæ per medios omnes, vsque ad rationem numericam & indiuidualem, quam vocant, hæcceitatem; & de omnibus his procedit præsens dubium, idest vtrùm sic tota substantia panis & vini conuertatur in corpus & sanguinem Christi, vt nihil penitus ex enumeratis facta consecratione remaneat; quæ conuersio vocatur transsubstantiatio. Relictâ igitur hæresi Caluinistarum negantium absolutè conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, agimus contra eos, qui admittentes talem conuersionem, asserunt aliquid panis & vini pertinens ad eorum substantiam remanere, vel qui dicunt panem & vinum simul esse cum corpore & sanguine Christi.

Prima opinio, sed hæretica, fuit Berengarij qui primò negauit realem præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus consecratis: sed illo errore retractato incidit in alium; dicebat enim sub speciebus consecratis remanere totam substantiam panis & vini, accidentaliter vnitam cum corpore & sanguine Christi, eo modo quo vnum suppositum potest coniungi localiter alteri: hunc errorem secuti sunt postea Vuiclef, Lutherus, & alij. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum. In Scriptura, Eucharistia aliquando vocatur caro Christi: Ioannis, 6. Caro mea verè est cibus: aliquando vocatur panis, 1. ad Cor. 10. Panis quem frangimus: & 11. Sic de pane illo edat: quod non fieret nisi vtrumque ibi reperiretur. Gelasius Papa lib. de duabus naturis in Christo ait: In Eucharistia non desinere esse substantiam vel naturam panis & vini. S. Chrysost. epist. ad Cæsarium ait, panem post consecrationem liberari ab appellatione panis, & dignum fieri appellatione Dominici Corporis; etiamsi natura panis in eo permaneat. Deinde panis & vinum sunt materia huius Sacramenti: ergo persistunt in Sacramento; quia materia est pars intrinseca & essentialis, sine qua compositum esse non potest. Denique quia accidentia panis & vini non possunt esse sine subiecto.

Secunda opinio, etiam hæretica, cuiusdam Ioannis Parisiensis, asserit in Eucharistia remanere naturam panis & vini priuatam propria subsistentia, & vnitam Hypostaticè Verbo diuino, mediante corpore humanitatis. Probatur, quia Sancti Patres vtuntur mysterio Incarnationis ad explicandum mysterium Eucharistiæ dicentes; quòd sicut Verbum assumpsit humanitatem; sic Christus assumit speciem, aut formam panis in Altari: vnde S. Prosper in libr. sententiar. August. ait sacrificium Missæ duobus constare, sicut persona Christi duobus constat, nempe Deo & homine.

Tertia opinio asserit in Eucharistia remanere formam panis & vini: quia verò sentit formam panis & vini esse accidentalem, excusatur quidem ab errore, sed non à singularitate. Probatur, panis & vinum sunt quoddam artificiale: ergo eius forma est accidentalis, & ita remanet facta consecratione, sicut remanent alia accidentia: maximè quia hæc forma non annihilatur, nec conuertitur in corpus Christi, quia Concilia admittunt tantùm transsubstantiationem, siue conuersionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Deinde, ex operatione dignoscitur forma rei, nam operari sequitur esse; esse autem consequitur formam: constat autem quòd in Eucharistia est vera operatio panis & vini, nam nutrit &c. ergo in Eucharistia remanet forma panis & vini.

Quarta opinio Durandi in 4. d. 11. q. 3. asserit in Eucharistia manere materiam panis & vini, vnitam corpori & sanguini Christi, ac informatam anima rationali Christi Domini. Probatur authoritate S. Damasceni lib. 4. fidei orthodoxæ, vbi ait; quòd sicut naturaliter per comestionem panis, & potum vini, panis & vinum in corpus & sanguinem comedentis transmutantur per nutritionem; ita proportionabi-

liter panis & vinum virtute verborum per consecrationem transeunt in corpus & sanguinem Christi, ac proinde sicut ibi remanet materia panis & vini, sic in præsenti. Deinde, nisi remaneat saltem materia prima, panis & vinum annihilantur: cùm tamen communiter negetur dari annihilationem. Denique, nulla est indecentia quòd corpori glorioso adueniat noua materia, & informetur ab eius anima; quia vt ait August. 13. de ciuitate Dei cap. 22. corporibus gloriosis non est ablata potestas comedendi, sed indigentia: & de facto Christus Dominus post Resurrectionem comedit, vt constat Lucæ 24. & Ioan. 21. & consequenter alimentum fuit conuersum in eius substantiam: ergo in Eucharistia remanet materia panis & vini.

Quinta opinio asseritio Eucharistia remanere subsistentiã, & existentiam panis, & vini. Quantùm ad subsistentiam tenet Godefredus quodlib. 8. quæst. 177. quantùm ad existentiam, probabilem tenet Bannes 1. p. quæst. 4. art. 2. dub. 2. Probatur; Illud tantùm desinit in pane & vino, quod conuertitur in corpus, & sanguinẽ Christi: hæc enim desitio est per conuersionem: sed subsistentia & existentia panis & vini non conuertuntur; alioquin deberent conuerti in subsistentiam & existentiam corporis & sanguinis Christi, sicut natura panis & vini conuertitur in naturam corporis & sanguinis Christi; terminus enim, ad quem, debet proportionari termino, à quo, cui succedit: constat autem quòd subsistentia & existentia corporis & sanguinis Christi sunt subsistentia & existentia diuina Verbi, quæ non possunt esse terminus (à quo) vel (ad quem) alicuius conuersionis: ergo in Eucharistia remanet subsistentia & existentia panis & vini. Deinde, existentia substantiæ est accidens, cùm sit idem quod duratio ex D. Th. 1. p. quæst. 10. art. 2. dicente creaturam non esse suam durationem, quia non est suum esse: & tamen constat quòd duratio sit accidens pertinens ad prædicamentum (Quando:) ergo cùm in Eucharistia remaneant omnia accidentia, etiam remanet existentia panis & vini. Denique, accidentia existunt per existentiam subiecti, non enim habent propriam: ergo cùm post consecrationem existant accidentia panis & vini, non per existentiam diuinam corporis & sanguinis Christi; aliàs essent assumpta Hypostaticè: nec per nouam acquisita ex D. Th. infra quæst. 77. art. 3. existunt per existentiam panis & vini remanentem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd tota substantia panis & vini conuertitur in corpus & sanguinem Christi: 2. Vnde post consecrationem non remanet forma panis & vini, 3. Nec materia prima, 4. Nec subsistentia, 5. Nec existentia, 6. Nec quicquam aliud pertinẽs ad eorum substantiam, etiam secundùm gradum genericum. Ita communiter Theologi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum. In Sacra Scriptura habetur forma consecrationis, Hoc est corpus meum: & Hic est calix sanguinis mei: ex qua semper persuasum fuit in Ecclesia Dei fieri hanc totalem conuersionem, vt asserit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. ait enim: Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, quæ conuersio conuenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata. Vnde forma consecrationis, Hoc est Corpus meum, non esset vera; si substantia panis, aut aliquid eius ibi remaneret: nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potiùs esset dicendum, Hic est corpus meum. Concilia tam antiqua, quàm recentiora docent hanc veritatem: nam Ephesinum anathemate II. contra Nestorium: & Nicænum II. actione 6. dicunt ipsa antytipa siue species post consecrationem esse, & credi verum Christi Domini corpus & sanguinem; quod verè non esset, si substantia panis & vini, aut aliquid substantiæ remaneret. Lateranense sub Innocentio III. Constantiense sess. 8. & Tridentinum loco citato idem definiunt: vnde Tridentinum canon. 2. sic ait: Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substãntiam panis & vini vnà cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat; anathema sit. Sancti Patres sunt vniformes & perpetui in hac veritate, vt videre est apud Controuersistas; nam aliquando dicunt quòd post consecrationem non est ampliùs panis, & vinum sub speciebus; aliquando, quòd panis & vinum conuertantur & transelementen tur in corpus & sanguinem Christi, & similia. Deinde probatur triplici ratione D. Thom. hîc art. 2. nam de fide est, vt patet ex dictis, sub speciebus consecratis esse corpus & sanguinem Christi; non per motum localem: nam desineret esse in cœlo, in motu enim relinquitur terminus à quo: pertransiret omnia media: non posset poni in instanti: nec acquirere plures terminos ad quos: quorum omnium contraria hîc reperiuntur; nam Christus remanet in cœlo, ponitur sub diuersis speciebus, & in eodem instanti: ergo

per

per conuerſionē panis & vini in ipſa; non enim ſupereſt alius modus quo ibi eſſe poſſint: ſed quod conuertitur in aliquid, facta conuerſione non manet: ergo ſalua veritate huius Sacramenti, ſubſtantia panis & vini poſt conſecrationem remanere non poſſunt. Secundò; quia cōtratiatur venerationi huius Sacramenti: ſi aliqua ſubſtantia creata eſſet ibi, quæ non poſſet adoratione latriæ adorari. Tertiò; quia contrariatur ritui Eccleſiæ, ſecūdùm quem poſt corporalem cibum non licet ſumere corpus Chriſti; cùm tamen poſt vnam hoſtiam conſecratam liceat ſumere aliam: ergo tota ſubſtantia panis & vini conuertitur in corpus & ſanguinē Chriſti. Ex quo ſequitur, quòd non maneat in Euchariſtia natura panis & vini, priuata propria ſuppoſitalitate, & vnita Hypoſtaticè Chriſto, vt dicunt aliqui; nam ſi tota ſubſtantia conuertitur, natura non poteſt remanere: maximè quia talis vnio non poteſt colligi ex ipſa forma conſecrationis; imò totalis conuerſio, vt dictum eſt.

Probatur ſecunda pars concluſionis, tum prædicta authoritate Concilij Tridentini: nam ſi eſt conuerſio totalis, non poteſt remanere forma ſubſtantialis panis, quæ eſt principalis pars ſubſtantiæ eius: Tum authoritate & rationibus D. Thom. hîc art. 6. nam ſi remaneret forma ſubſtantialis panis, ſola materia conuerteretur vtique in ſolam materiam corporis Chriſti; vnde non eſſet ibi totum corpus Chriſti: quod repugnat formæ Sacramenti, quâ dicitur Hoc eſt corpus meum. Deinde vel illa forma remanens eſſet vnita materiæ vel ſeparata ab omni materia: ſed non eſſet vnita materiæ propriæ, vt ſupponitur, cùm non remaneat: nec alienæ, quia non conſtat de nouo ibi poſitam eſſe aliquam materiam, niſi corporis Chriſti, quæ vt pote glorioſa ac incorrupta, non eſt ſuſceptibilis alterius formæ, quàm animæ Chriſti: nec eſſet ſeparata ab omni materia, quia ſi naturaliter hoc poſſet habere, eſſet per ſe ſubſiſtens ac intellectualis: quòd autem haberet ex miraculo, non conſtat: maximè, quia illud miraculum eſſet inutile ad hoc ſacramentum; cùm forma ſubſtātialis non ſit per ſe ſenſibilis, ac proinde non poſſit habere rationem Sacramenti, quod eſt ſignum ſenſibile, ſicut habent accidentia ſenſibilia, quæ propterea miraculosè ſine ſubiecto conſeruantur.

Probatur tertia pars concluſionis, tum prædicta definitione Concilij Tridentini, quâ dicitur fieri totalem conuerſionem ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti; ita vt ſit tranſſubſtantiatio, manentibus duntaxat accidentibus: ergo materia prima, cùm ſit pars ſubſtantialis panis, vt communiter docent Philoſophi, non remanet. Deinde, ſi remanet materia prima, vel informatur aliquâ formâ, vel non: Primum dici nō poteſt, quia iuxta D.Th. & rei veritatem, vt oſtenditur in Phyſicis, implicat materiam primam eſſe ſine vlla forma; & licèt detur quòd diuinitus fieri poſſit; non tamen cōſtat de illo miraculo, nullum eſt enim fundamentum aſſerendi: maximè cùm ſit impertinens ad hoc Sacramentum; ſicut dictum eſt de forma ſubſtantiali. Si dicatur ſecundum; vel illa forma eſt de nouo producta, & tunc non eſſet vera forma conſecrationis, Hoc eſt corpus meum; nam illud quod demonſtraretur, eſſet alia ſubſtantia à corpore Chriſti: vel eſſet anima Chriſti, & tunc aut illa materia continuaretur corpori Chriſti, aut non: ſi non continuetur, ſequitur eandem formam informare ſimul plures materias diſcontinuas, quod implicat ex Phyſicis: deinde ſequitur quòd in hoſtia conſecrata ſint duo corpora, ſiue duæ humanitates, quod eſt abſurdum. Si dicatur quod ſit continua, ſequuntur multa inconuenientia, ſcilicet quòd corpus Chriſti ſubſtantialiter mutetur, quòd creſcat & minuatur, quòd ſumens Euchariſtiam nutriretur materialiter ex corpore Chriſti, & quòd ex corpore Chriſti generarentur vermes dum Euchariſtia corrumpetur. Denique, ſi remaneat materia prima, conuerſio Euchariſtica eſſet eiuſdem rationis quantùm ad ſubſtantiam, ac aliæ conuerſiones naturales, & ſolùm eſſet ſupernaturalis quoad modum, quia fieret in inſtanti, & ſolis verbis: cuius contrarium conſtat ex Concilio Tridentino loco citato, vbi hanc conuerſionem vocat mirabilem & ſingularem.

Probatur quarta pars concluſionis, tum prædicta authoritate Concilij, qua dicitur fieri conuerſio totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti; conſtat autem quod ſubſiſtētia pertinet ad ſubſtantiam rei; licèt non ad eſſentiam. Deinde, ſubſiſtentia eſt actus metaphyſicus inſeparabilis ab eſſentia propria, ſaltem naturaliter: nullum autem eſt fundamentum admittendi tale miraculum ſeparationis. Denique vel remaneret ad hoc, vt eſſet ſubiectum accidentium, vel vt per illam accidentia ſubſiſterent. Non primum; quia de fide eſt accidentia Euchariſtiæ eſſe ſine ſubiecto, vt infra dicetur. Secundum eſt impoſſibile, repugnat enim naturæ accidentis, quæ eſt eſſe in alio, ſiue dicere dependentiam aptitudinalem ab alio, quod ſit per ſe ſubſiſtens; quod enim eſt tale, eſt independens ab alio, ac ſibi ſufficiens: ergo in Euchariſtia non remanet ſubſiſtentia panis.

Probatur quinta pars concluſionis, tum prædicta authoritate Concilij: conſtat enim quòd exiſtentia panis eſt ſubſtantialis, & conſequenter pertinet ad ſubſtantiam eius, licèt non ad eſſentiam. Deinde eſt actus metaphyſicus inſeparabilis à propria natura, vt dictum eſt de ſubſiſtentia. Denique ſi remaneat, hoc erit vt per ipſam accidentia, quæ remanent exiſtant: ſed hoc dici non poteſt, quia vt oſtenditur in Metaphyſicis

Metaphyſicis, accidentia habent propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ; quia actus proprius per ſe debet eſſe proportionatus ſuæ potentiæ receptiuæ; conſtat autem quòd exiſtentia ſubſtantialis, quæ dat eſſe per ſe, non eſt proportionata naturæ accidentis, quæ petit eſſe in alio: ergo exiſtentia panis non remanet in Euchariſtia.

Probatur ſexta pars concluſionis, tum ex prædicta authoritate Concilij: tum quia forma conſecrationis, Hoc eſt corpus meum, indicat totum ſubſtantiale, quod eſt ſub ſpeciebus conſecratis, eſſe corpus Chriſti: vnde vt verificetur nullum aliud ſubſtantiale debet ibi poſt conſecrationem reperiri: tum deinde, quia gradus genericus non diſtinguitur actu realiter à ſpecifico & indiuiduali; vnde ſi ſubſtantia ſpecifica & indiuidua panis non remanet; nec etiam generica: maximè, quia rationes ſuperiores non poſſunt eſſe à parte rei niſi in ſingularibus: ergo in Euchariſtia nihil remanet pertinens ad ſubſtantiam panis & vini, etiam ſecundùm gradum genericum.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Euchariſtia verè dicitur caro Chriſti, qui ibi nullum eſt aliud ſubſtantiale præter ipſam: dicitur autem panis, vel quia fit ex pane tanquam à termino à quo, vt dicetur infra, vel quia apparet panis, vel quia eſt cibus ſpiritualis animæ, ſicut panis eſt cibus corporis. Ad illud Gelaſij, & Chryſoſtomi, dicendum cum noſtro Vualdenſi lib. de Sacram. cap. 42. quòd liber ille, & illa epiſtola non ſunt eorum opera: vel dicendum, quòd pro natura panis intelligunt eius ſpeciem aut proprietatem. Ad aliud, dicendum, quòd panis & vinum non ſunt materia, quâ conſtat in facto eſſe Sacramentum, ſed ſunt materia quâ fit per totalem eorum conuerſionem: materia autem qua conſtat, ſunt ſpecies conſecratæ. Ad aliud, dicendum, quòd diuinitus accidentia poſſunt eſſe ſine ſubiecto, vt infra dicetur.

Ad ſecundum, dicendum, quòd Sancti Patres comparant myſterium Euchariſtiæ cum myſterio Incarnationis: non quòd ſit omnimoda paritas, in hoc quòd ſicut Verbum diuinum aſſumpſit humanitatem ad vnionem Hypoſtaticam, ſic Chriſtus ad eandem vnionem aſſumat ſpecies conſecratas: ſed quia ſicut in myſterio Incarnationis ſunt duo, ſcilicet humanitas apparens, & Verbum inuiſibile, ſic in myſterio Euchariſtiæ ſunt duo, ſcilicet ſpecies conſecratæ viſibiles, & Chriſtus inuiſibilis.

Ad tertium, dicendum cum D. Thom. hîc art. 6. ad 1. quòd nihil prohibet arte fieri aliquid, cuius forma non eſt accidens, ſed forma ſubſtantialis: ſicut arte produci poſſunt ranæ & ſerpentes; talem enim formam non producit res virtute propria, ſed virtute naturalium principiorum: & hoc modo producit formam ſubſtantialem panis, virtute ignis decoquentis materiam ex farina, & aqua confectam. Ad aliud, dicendum, quòd eſt vnica conuerſio totius panis in totum corpus Chriſti: ipſæ verò partes eſſentiales panis non ſigillatim & ſeorſim conuertuntur in partes corporis Chriſti. Ad aliud, dicendum, quòd quia accidentia ſunt principia proxima operandi, ſufficit quòd ipſa remaneant diuinitus, ad hoc vt operentur eo modo ac ſi eſſet ibi ſubſtantia panis & vini; cui tamen tanquam principio radicali, à quo illa accidentia emanarunt (etiamſi abſit) attribuitur actio.

Ad quartum, dicendum quòd S. Damaſcenus & alij vtuntur prædicta ſimilitudine nutritionis, ad oſtendendum quòd in Euchariſtia eſt vera conuerſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: ſed hinc non ſequitur quòd velint eſſe conuerſionem eodem modo in vtroque; in Euchariſtia enim eſt totalis; ibi autem in nutritione eſt partialis; remanet quippe materia prima ſub forma aliti, quæ fuerat ſub forma alimenti. Ad aliud, dicendum, quòd licèt nihil panis & vini remaneat, non tamen annihilantur, vt infra dicetur: ſed conuertuntur in corpus & ſanguinem Chriſti. Ad aliud, dicendum, quòd corpori glorioſo, vt pote incorruptibili, & ingenerabili, ac impaſſibili, nihil ſubſtantialiter aduenire poteſt: & licèt habeat poteſtatem manducandi, & de facto verè manducauerit Chriſtus; quia per veram actionem vitalem & organa vitæ ſumpſit ore cibum, & in ſtomachum deduxit: non tamen conuertit cibum illum in ſuam ſubſtantiam, quod importat nutritionem; ſed inuiſibiliter eiectum conuertit in præiacentem materiam.

Ad quintum, dicendum, quòd vt vna res conuertatur totaliter in aliam, non requiritur quòd quælibet eius pars conuertetur in quamlibet alterius partem ſibi correſpondentem, putà eſſentia in eſſentiam, exiſtentia in exiſtentiam: ſed quòd tota conuertatur in aliam, ſecundùm totum, id quod poteſt eſſe terminus ad quem conuerſionis. Ratio eſt, quia non debet eſſe in termino, ad quem, ſimilis entitas ei, quæ erat in termino, à quo; alioquin res materialis non poſſet conuerti in rem ſpiritualem, & è contra: cuius contrarium oſtendetur infra. Vnde licèt ſubſiſtentia & exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti, vt pote diuina non poſſit eſſe terminus, ad quem, huius conuerſionis; non tamen ſequitur quòd tota ſubſtantia panis & vini, vt etiam includit ſubſiſtentiam & exiſtentiam, non conuertatur in corpus & ſanguinem Chriſti ſecundùm totam eſſentiam, quamuis non ſecundùm totam ſubſtantiam, vt includit ſubſiſtentiam & exiſtentiam. Ad aliud, dicendum, quòd exiſtentia & ſubſiſtentia ſunt actus ſubſtantiales correſpondẽtes naturæ ſubſtantiæ; quamuis dicantur actus accidentales,

prout

prout accidens est prædicabile, & opponitur essentiæ; existentia enim substantiæ & subsistentia non sunt de essentia rei. Non autem dicuntur actus accidentales, prout accidens sumitur prædicamentaliter, & opponitur substantiæ. Nec verum est existentiam esse idem ac durationem; quamuis bene sequatur, vt ait D. Thom. quòd creatura non sit sua duratio, quia non est suum esse; nam duratio consequitur ipsum esse, quod est magis intimum rei, ac proinde si non identificatur cum ipsa, multò minus duratio identificatur, cùm mediet aliquid realiter distinctum. Ad aliud, dicendum, quòd accidentia Eucharistica existunt per existentias proprias entitatiuè accidentales, quas habebant etiam dum subiectarentur in substantia panis & vini, vt dicitur in Metaphysicis.

DVBIVM V.

Vtrùm terminus formalis transsubstantiationis sit corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam.

SVpponendum est quòd absentia substantiæ panis & vini sequitur ex natura rei ad præsentiam corporis & sanguinis Christi, vt communiter docent Discipuli D. Thom. cum eodem D. Thom. hic art. 2. & 4. contra gentes cap. 63 & in 4. d. 11. quæst. 1. art. 1. vbi ait: Impossibile est quòd corpus Christi sine loci mutatione incipiat esse sub speciebus, vbi antea non erat, nisi per conuersionem panis in ipsum. Cuius ratio est, quia terminus à quo, & terminus ad quem actionis conuersiuæ, non possunt esse simul: nam id quod est terminus à quo, debet conuerti in illud quod est terminus ad quem, ac proinde ex natura rei pugnant inter se; vnde ad præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus consecratis (sunt enim terminus ad quem conuersionis) sequitur ex natura rei absentia substantiæ panis & vini, quæ est terminus à quo; ita vt nec de potentia absoluta aliter fieri possit.

Prima opinio Scoti in 4. d. 11. quæst. 3. & 4. Bellarmini lib. 3. de Eucharistia, cap. 18. & aliorum, asserit præsentiam Sacramentalem, siue præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus Sacramentalibus esse terminum formalem transsubstantiationis, siue conuersionis substantialis: pro cuius euidentia distinguit duas species conuersionis; vnam vocat productiuam, quando scilicet aliquid conuertitur in aliud non præexistens, sed in ipsa conuersione productum: aliam vocat adductiuam, ad quam sufficit, quòd terminus ad quem incipiat esse de nouo præsens, vbi antea non erat, quamuis præexistat ipsi conuersioni, & talem dicit esse conuersionem Eucharisticam. Ex quo inferunt quòd per illam nihil substantiale producitur in corpore Christi, & quòd substantia panis & vini non transeat entitatiuè in substantiam corporis & sanguinis Christi, & consequenter sit tantùm quædam successio substantiæ ad substantiam sub speciebus, & tandem quòd corpus Christi non sit terminus formalis secundùm suam substantiam huius conuersionis, sed tantùm secundùm suam præsentiam Sacramentalem, siue secundùm quòd constituitur præsens sub speciebus consecratis loco substantiæ panis. Probatur, ex vi verborum consecrationis tantùm colligitur præsentia corporis Christi sub speciebus consecratis, nam per ly demonstratiuum, Hoc est corpus meum, solùm denotatur quòd ibi sit præsens corpus Christi, ac proinde ex vi formæ solùm acquirit illam præsentiam; nam forma causat quod significat: ergo talis præsentia est terminus formalis transsubstantiationis, nam transsubstantiatio fit virtute solius formæ. Deinde, corpus Christi per illam conuersionem acquirit tantùm esse accidentale præsentiæ Sacramentalis, non autem aliquid substantiale, nam ante conuersionem præexistit perfectum in sua substantia: ergo illa præsentia est terminus formalis talis conuersionis. Denique, per corruptionem specierum consecratarum non desinit esse corpus Christi secundùm suam substantiam, sed tantùm desinit esse præsens illis: ergo terminus conuersionis est sola præsentia Sacramentalis, nam per corruptionem specierum desinit esse id quod per consecrationem factum fuerat.

Secunda opinio Alani, Henriques & aliorum asserit terminum formalem conuersionis Eucharisticæ esse specialem modum substandi accidentibus, qui modus est substantialis in corpore & sanguine Christi: vnde hanc conuersionem vocat actionem vniriuam corporis & sanguinis Christi cum illis accidentibus. Probatur per conuersionem Eucharisticam: Nihil aliud substantiale producitur præter istum modum substandi accidentibus, qui cùm sit proprius substantiæ, est substantialis: nam substantia corporis & sanguinis Christi iam existit: ergo iste modus est terminus formalis conuersionis Eucharisticæ. Deinde, illud est terminus formalis conuersionis Eucharisticæ, quo posito ex natura rei desinit esse panis & vinum, nam terminus à quo expellitur per aduentum termini ad quem: sed posito isto modo substandi accidentibus Eucharisticis in corpore & sanguine Christi desinit esse panis & vinum; nam illa accidentia non possunt in duobus simul substare: ergo ille modus substandi accidentibus est terminus formalis conuersionis Eucharisticæ. Denique, conuersio Eucharistica est actio Sacramentalis, vt patet; ac proinde eius formalis terminus est aliquid Sacramentale causatum, & significatum per formam consecrationis, actio enim specificatur à termino formali: sed nihil aliud est Sacramentale causatum & significatum per formam consecrationis

crationis, quàm iste modus substandi accidentibus; corpus enim Christi non potest per hanc formam (Hoc est corpus meum) demonstrari, nisi vt substans accidentibus: vnde D. Thom. infra quæst. 78. art. 5. ait, per consecrationem non fieri, vt corpus Christi sit corpus Christi, quia iam antea hoc erat: sed fieri vt contentum sub his speciebus sit corpus Christi: ergo modus specialis substandi accidentibus est terminus formalis conuersionis Eucharisticæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd terminus formalis conuersionis siue transsubstantiationis Eucharisticæ non est præsentia Sacramentalis corporis & sanguinis Christi sub speciebus consecratis: 2. Nec modus specialis eius substandi accidentibus Eucharisticis: 3. Sed est ipsum corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam. 4. Vnde præsentia Sacramentalis, & ille modus substandi accidentibus sunt tantùm terminus secundarius, aut ad summum complementum primarij. Ita communiter Discipuli D. Thom.

Probatur prima pars conclusionis iam communis inter Scholasticos, authoritate Ecclesiæ, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum dicentium, quòd panis & vinum conuertuntur in substantiam corporis & sanguinis Christi; ac proinde quòd terminus talis conuersionis debet esse substantiale: sed præsentia Sacramentalis est quid accidentarium, siue intrinsecum vt aliqui volunt, siue extrinsecum, vt dictum est supra: ergo non est terminus formalis primarius conuersionis Eucharisticæ; alioquin non esset transsubstantiatio. Nec valet triplex responsio Aduersariorum, quòd scilicet hæc conuersio dicitur substantialis à termino à quo, vel à termino ad quem, non quidem formali, sed inadæquato videlicet corpore Christi præsente; vel à termino ad quem adæquato, scilicet corpore Christi vt præsente: Sed contra primum est quòd omnis transmutatio specificatur ac denominatur à termino ad quem, qui per se intenditur; & non à termino à quo, qui expellitur, vt patet ex Physicis: maximè, quia transsubstantiatio dicit transitum ab vna totali substantia in aliam, vt asserit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. sicut transformatio dicit transitum de vna forma in aliam: Contra secundum est, quòd omnis mutatio specificatur ac determinatur à termino formali primario, vt patet inductione; alioquin omnis mutatio posset dici substantialis, quia saltem mediatè terminatur ad substantiam: Contra tertium est, quòd ex subiecto & accidente nunquam fit vnus terminus, à quo specificetur ac determinetur aliqua mutatio, vt patet inductione in omnibus: vnde calefactio, licèt pro materiali includat in suo termino ad quem, substantiam scilicet subiectum recipiens calorem, non tamen dicitur mutatio substantialis. Deinde, illud est terminus formalis primarius, quod significatur per formam consecrationis primò & per se, conuersio enim fit per formam illam, & causat quod significat: sed forma, Hoc est corpus meum, non significat primò & per se præsentiam Sacramentalem; ad hanc enim significandam potiùs dicendum esset, Hîc est corpus meum: ergo præsentia Sacramentalis corporis & sanguinis Christi sub speciebus consecratis non est terminus formalis primarius conuersionis Eucharisticæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Actio conuersiua est distincta ab actione vnitiua; hæc enim præsupponit aliam, vt patet: ergo conuersio Eucharistica, quam fides admittit, non potest esse tantùm vnitiua, ac proinde eius terminus formalis primarius non est iste modus substandi accidentibus. Deinde, iste modus substandi accidentibus, licèt sit in substantia, tamen est accidentalis; quia substantia illum acquirit nulla facta mutatione substantiali in ipsa: ergo non potest esse terminus formalis primarius conuersionis Eucharisticæ, quæ est actio substantialis: vnde dicitur transsubstantiatio, nam actio specificatur à tali termino. Denique; si iste modus substandi accidentibus sit terminus formalis primarius conuersionis Eucharisticæ, sequitur quòd hæc actio debeat præsupponere aliam, scilicet adductiuam corporis Christi; est enim impossibile quòd corpus Christi intelligatur vniri speciebus, & consequenter substare accidentibus Eucharisticis, nisi priùs ibi sit: sed in consecratione est vnica actio transsubstantiatiua, exercita per formam, vt communiter docent Scholastici: ergo terminus formalis primarius conuersionis Eucharisticæ non est modus specialis substandi accidentibus Eucharisticis, causatus in corpore Christi.

Probatur tertia pars conclusionis communiter nunc recepta, authoritate Ecclesiæ, Conciliorũ, ac Sanctorum Patrum, qui dicunt panem & vinũ conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi: Ecclesia enim canit, quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem. Concilium Lateranense in cap. firmiter, de summa Trinitate: Florentinum, in decreto de vnione Armenorum: Tridentinum sess. 13. cap. 4. & canone 2. quod etiam communiter asserunt Sancti Patres: sed illud est terminus formalis primarius alicuius conuersionis, in quod aliud conuertitur, vt constat ipsis terminis, & patet inductione in omnibus; nam v. g. quando lignum conuertitur in ignem, terminus formalis conuersionis est forma ignis, quia talis conuersio est tantùm partialis, remanet enim materia ligni sub noua forma ignis; si autem esset conuersio totalis, vt est Eucharistica, totus ignis esset terminus formalis primarius: ergo ipsum corpus

corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam sunt terminus formalis primarius conuersionis Eucharisticæ. Nec obstant obiectiones Scoti, quòd scilicet transsubstantiatio est vera actio, non adductiua, aut vnitiua tantùm; sed potiùs productiua, ac proinde debet habere terminum productum; constat autem quòd corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam non producuntur. Deinde est diuersa transsubstantiatio numero in diuersis altaribus, ac diuerso tempore, & consequenter debet habere diuersos terminos, corpus autem & sanguis Christi secundùm suam substantiam non multiplicantur numero. Denique; terminus ad quem formalis transsubstantiationis debet habere formalem oppositionem cum pane & vino, quia sunt terminus à quo ipsius: sed corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam non habent formalem oppositionem cum substantia panis & vini, quia ex Aristotele non est oppositio inter substantias: ergo corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam non sunt formalis terminus transsubstantiationis. Dicendum est enim, quòd corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam quodammodo sunt de nouo producta, modo explicando dubio sequenti, in quantum sunt id in quod conuertitur panis & vinum per aliquam sui mutationem, vt dicunt aliqui: vel secundùm alios, dicendum, quòd terminus actionis debet esse proportionatus actioni; ita vt si sit productiua actio, terminus sit productus; si adductiua, adductus; si vnitiua, vnitus; si conseruatiua, conseruatus; si conuersiua, vt contingit in præsenti, sufficit quòd terminus sit id in quod aliud conuertitur. Ad aliud, dicendum, quòd actio non solùm indiuiduatur à termino ad quem; sed etiam ab agente, & à tempore; vnde multiplicatur transsubstantiatio, non multiplicatis corpore & sanguine Christi: sicut dum eadem substantia successiuè reproduceretur à Deo, esset multiplex numero reproductio; & tamen idem terminus. Ad aliud, dicendum, quòd inter corpus & sanguinem Christi ex vna parte, & panem ac vinum ex alia, reperitur oppositio, quæ est inter terminum à quo, & terminum ad quem videlicet incompossibilitatis, non autem propriæ contrarietatis; hæc enim non est inter substantias, & hanc intelligit Aristoteles, non aliam.

Probatur quarta pars conclusionis: & primò quòd præsentia Sacramentalis, & modus ille substandi accidentibus sint terminus conuersionis Eucharisticæ, constat argumentis in contrarium adductis, quę hanc partem conuincunt. Deinde authoritate D. Thom. hîc art. 2. vbi dicit, Christum non posse esse præsentem in hoc Sacramento, nisi per conuersionem panis in ipsum, & consequenter præsentia Sacramentalis est effectus causatus per conuersionem, siue est terminus ipsius: Quod idem dicendum est de modo substandi accidentibus. Quòd autem sint tantùm terminus secundarius, aut ad summum complementum primarij, constat ex hucusque dictis: nam probatum est non esse terminum formalem primarium: Vnde consequuntur & comproducuntur ad productionem & positionem termini formalis primarij, tanquam proprietates ad essentiam. Qui dicunt esse terminum secundarium, mouentur ex eo quòd accidens non possit esse complementum substantiæ. Alij tamen concedunt posse esse in artificialibus quæ pendent à voluntate instituentis, vt accidit in præsenti: maximè ex hoc quòd transsubstantiatio est actio Sacramentalis, vnde debet habere saltem pro complemento termini formalis primarij aliquid Sacramentale; quod alij negant dicentes sufficere, quòd terminus secundarius sit quid Sacramentale: & vtrumque habet suam probabilitatem.

Ad primum ergo, dicendum, quòd ex vi verborum colligitur primò quòd corpus & sanguis Christi sunt secundùm suam substantiam terminus cōuersionis Eucharisticæ. & postea siue ex consequenti quòd sint præsentia, ac substent accidentibus; alioquin in forma dicendum esset, non, Hoc est corpus meum; sed Hîc est corpus meum: & (hic) quod est in forma consecrationis sanguinis, deberet sumi vt aduerbium loci, & non vt pronomen demonstratiuum. Ad aliud, dicendum, quòd corpus Christi suam propriam acquirit substantiam, non absolutè, sed vt factam ex pane per conuersionem, sub qua ratione prius non præexistebat: ad quod sufficit vt sit id, in quod conuertitur panis. Ad aliud, dicendum similiter, quòd ad corruptionem specierum desinit esse corpus Christi non quidem absolutè, sed secundùm quòd factum erat per conuersionem, siue secundùm hanc rationem, vt est id in quod conuersus erat panis: & hoc sequitur non per actionem per se directam, at tantùm per accidens ad actionem corruptiuam specierum, sub quibus ex diuina institutione tandiu tantùm perseuerat, quandiu perseueraret substantia panis, si esset.

Ad secundum, dicendum, quòd per conuersionem Eucharisticam quodammodo producitur substantia corporis & sanguinis Christi, in quantum scilicet est id, in quod conuertuntur panis & vinum: maximè quia modus ille supponit conuersionem panis & vini in entitatem corporis & sanguinis Christi, & est accidentalis, vt dictum est. Ad aliud, dicendum, quòd hic modus substandi accidentibus præsupponit factam conuersionem totalem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, ad quam præcisè consideratam sequitur desitio panis & vini vt termini à quo, posito termino ad quem; vnde ille modus est quid subsequēs hanc desitionem,

Ad aliud, dicendum, quòd tantùm probat illum modum eſſe terminum ſecundarium, aut complementum primarij conuerſionis huius, vt dictum eſt, nec aliud probat authoritas Diui Thomæ.

DVBIVM VI.

Sub qua ratione corpus & ſanguis Chriſti ſint terminus formalis primarius conuerſionis Euchariſticæ.

PRIMA opinio Vaſquis in præſenti diſp. 181. cap. 11. aſſerit corpus & ſanguinem Chriſti eſſe terminum formalem conuerſionis Euchariſticæ præciſè vt ſuccedunt pani & vino: vnde negat conuerſionem eſſe veram actionem aliquo modo productiuam, dicens eſſe ſolam relationem ſucceſſionis inter ſubſtantiam panis & vini, ac ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. Probatur authoritate D. Thom. hîc 3. p. quæſt. ſequenti art. 6. vbi ait, Chriſti Domini corpus conſtitui in hoc Sacramento, per hoc quòd habeat aliquam habitudinem ad ſpecies, & deſinat eſſe per hoc quòd iſta habitudo tollitur ab illo. Deinde ex ſolis verbis conſecrationis debet colligi, quis ſit terminus formalis tranſſubſtantiationis; hanc enim ſignificant & cauſant: ſed verba conſecrationis ſignificant tantùm ſucceſſionem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, loco panis & vini: nam hæc verba, Hoc eſt Corpus meum, idem ſonant, ac, ſub his ſpeciebus corpus meum ſuccesſit pani: ergo corpus & ſanguis Chriſti ſunt terminus conuerſionis Euchariſticæ præciſè vt ſuccedunt pani & vino. Maximè quia hic modus explicandi eſt planior & facilior; alij verò inuoluunt maximas difficultates.

Secunda opinio aliorum aſſerit corpus & ſanguinem Chriſti, vt de nouo producta ſiue reproducta, eſſe terminum formalem conuerſionis Euchariſticæ. Probatur authoritate Sanctorum Patrum, maximè D. Thom. hîc art. 8. qui admittunt tanquam veram hanc propoſitionem, Ex pane fit corpus Chriſti. Deinde conuerſio Euchariſtica eſt noua actio, non adductiua, aut vnitiua tantùm: ergo productiua, ac ita terminus eius videlicet corpus & ſanguis Chriſti, debet eſſe productus de nouo ſiue reproductus. Denique, corpus & ſanguis Chriſti per conuerſionem Euchariſticam accipiunt eſſe ſubſtantiale, accipiunt diuerſam mutationem ſubſtantialem per hoc quòd incipiant eſſe ſub ſpeciebus conſecratis, & ponuntur in diuerſis locis: ſed hæc omnia important reproductionem: ergo corpus & ſanguis Chriſti, vt de nouo producta ſiue reproducta, ſunt terminus formalis conuerſionis Euchariſticæ.

Tertia opinio Suaris hîc, diſp. 50. ſect. 4. aſſerit terminum formalem conuerſionis Euchariſticæ eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, vt conſeruata. Probatur; Conuerſio Euchariſtica eſt actio effectiua; nam admittitur communiter, quòd ex pane fit corpus Chriſti: ſed non eſt effectiua, quaſi de nouo producens, ſiue quaſi reproducens corpus & ſanguinem Chriſti: ergo vt conſeruans, ac proinde ipſa vt conſeruata ſunt terminus formalis. Deinde opus eſt conſeruatione diſtincta, qua corpus & ſanguis Chriſti conſeruantur ſub modo indiuiſibili in hoc Sacramento, ab illa qua conſeruatur ſub modo diuiſibili & extenſo in cœlo; quia diuerſus modus eſſendi exigit diuerſam conſeruationem, actio enim identificatur cum termino: maximè quia vnus ex iſtis modis eſt connaturalis, alius præternaturalis: ergo conuerſio Euchariſtica eſt illa ſpecialis conſeruatio, ne ſuperfluè multiplicentur actiones.

Quarta opinio Scoti quodlib. 10. Gabrielis in 4. d. 11. quæſt. 1. Soto in 4. d. 9. quæſt. 1. art. 4. aſſerit corpus & ſanguinem Chriſti, vt producibilia ſi non præexiſterent, eſſe terminum formalem conuerſionis Euchariſticæ: cuius naturam in hoc eſſe dicunt, quòd ſit efficax producere corpus & ſanguinem Chriſti, licèt de facto non producat, quia ſupponit productum. Probatur; Conuerſio Euchariſtica eſt vera actio realis & ſubſtantialis: ergo cùm non ſit actualis productio ſui termini, quia illud præſupponit, ſaltem debet eſſe productiua illius; & conſequenter corpus & ſanguis Chriſti ſunt terminus eius formalis ſub ratione producibilis. Deinde, ſi conuerſio Euchariſtica non ſupponeret corpus & ſanguinem Chriſti iam producta, de facto illa produceret; hoc enim indicant verba conſecrationis, cùm enim ſint demonſtratiua corporis & ſanguinis Chriſti, etiam ſunt cauſatiua quantùm eſt ex parte ipſorum: & tunc cõuerſio eſſet eiuſdem rationis ac nunc, quia haberet eundem terminum à quo, & ad quem: ergo eius natura in hoc conſiſtit, quòd ſit productiua corporis & ſanguinis Chriſti. Denique, ſufficit ad formam aliorum Sacramentorum, quòd ſit cauſatiua, licèt de facto non cauſet, vt patet in Pœnitentia: nam forma eſt, Te abſoluo; & tamen non ſemper ſequitur abſolutio: ergo etiam in forma Euchariſtiæ ſufficiet, quòd ex ſe ſit productiua corporis & ſanguinis Chriſti, quamuis per accidens de facto non producat, quia illa præſupponit.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd corpus & ſanguis Chriſti non ſunt terminus formalis conuerſionis Euchariſticæ præciſè ſub hac ratione, quia ſuccedunt pani & vino: 1. Nec vt de nouo producta aut reproducta: 3. Nec vt ſpecialiter conſeruata: 4. Nec vt producibilia; 5. Sed vt ſunt id, in quod panis, & vinum conuertuntur. Ita Caietanus, Cornejo, & alij in præſenti.

Probatur

Probatur prima pars conclusionis. Conuersio Eucharistica est vera actio, & verè aliquid efficit, conuertit scilicet panem & vinum in corpus & sanguinem Christi; hoc enim manifestè indicat forma consecrationis, qua fit & significatur talis conuersio: nam hæc verba, Hoc est corpus meum, importanť pro termino à quo panem, & pro termino ad quem corpus Christi, in quod conuertitur: ergo non importat puram successionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi, prout successio est relatio. Deinde hic modus dicendi fugit difficultatem; non enim exprimit quomodò fiat ista successio; nam æquè bene potest fieri per actionē adductiuam corporis & sanguinis Christi in locum substantiæ panis & vini, ac per actionem conuersiuam panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Denique, contrariatur modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum dicentium, quòd ex pane & vino fit corpus & sanguis Christi, in quo importatur aliqua efficientia & non sola relatio: ergo corpus & sanguis Christi non sunt terminus formalis conuersionis Eucharisticæ præcisè sub hac ratione, quia succedunt pani & vino.

Probatur secunda pars conclusionis. Est impossibile quòd aliquid sit causa efficiens, siue principalis, siue instrumentalis suæ productionis, aut reproductionis; quia per productionem ac reproductionem acquiritur idem esse, quod debet præsupponi in actu exercito ante quamcumque operationem, nam operari sequitur esse, ac proinde esse non potest causari efficienter ab illo cuius est esse, alioquin idem esset prius & posterius simul, quod implicat: sed si corpus & sanguis Christi de nouo producta aut reproducta essent terminus formalis conuersionis Eucharisticæ, sequitur quod idem corpus & sanguis essent causa efficiens instrumentaria suæ productionis, aut reproductionis, quia ex communi consensu Theologorum cum D. Thom. infra q.78. art. 1.4.& 5. actio conuersiua procedit efficienter ab humanitate Christi, vt ab instrumento coniuncto diuinitatis: ergo corpus & sanguis Christi non sunt terminus formalis conuersionis Eucharisticæ, vt de nouo producta, aut reproducta. Plura respondent Aduersarij: aliqui quòd prædicta ratio solùm concludit de prima productione, non verò de secunda, siue de reproductione. Alij quòd Deus vtitur materia corporis Christi ad reproductionem animæ rationalis; & anima rationali, ad reproductionem materiæ. Alij dicunt quòd sufficit Christum extitisse, vt institueret Sacramenta, & daret illis virtutem v. g. formæ consecrationis, ad hoc vt per illam reproducatur etiamsi nullo modo esset. Alij, quòd talis conuersio, vt Sacramentalis quidem est instrumentaliter à Christo, absolutè tamen considerata est à solo Deo, & vt sic potest esse productiua, aut reproductiua Christi. Alij denique, quòd Christus, ac forma consecrationis non concurrant physicè, at tantùm moraliter ad conuersionem Eucharisticam: idem autem secundùm esse morale potest esse causa sui secundùm esse physicum. Sed contra primum est, quòd idem esse omninò est terminus primæ ac secundæ productionis; alioquin non esset reproductio eiusdem: est autem impossibile quòd idem simplicissimum, quale est esse, sit terminus & principium effectiuum eiusdem actionis; principium enim est prius, terminus posterius: in hoc autem casu idem esse esset principium & terminus eiusdem actionis; principium quidem, quia operari sequitur esse: terminus autem, quia per ipsam reproduceretur: nec vlla reperitur diuersitas realis, sed tantùm secundùm rationem, inter esse primò productum, & reproductum. Contra secundum est; quòd æquè implicat idem esse causam suæ causæ in eodem genere, ac esse causam suiipsius, vt patet. Contra tertium est; quicquid sit de possibili, tamen de facto actio conuersiua procedit à Christo actu existente, vt instrumento physico; vnde eadem recurrit difficultas. Contra quartum etiam; nam licèt conuersio Sacramentalis importet duas rationes, conuersionis scilicet, & Sacramentalis; est tamen vnica actio realiter & indiuisibiliter, ad quam effectiuè concurrit humanitas Christi: vnde manet difficultas in sua vi. Contra vltimum est communis ferè omnium Scholasticorum opinio, quòd Christus & formæ Sacramentorum physicè concurrant: vt dictum est in tractatu de Sacramentis in communi.

Probatur tertia pars conclusionis. Actio conuersiua, & actio conseruatiua formaliter sunt diuersæ, etiamsi detur quòd possint identificari; nam conuersio importat transmutationem vnius in aliud: conseruatio autem est continuata productio alicuius, non importans terminum à quo, sicut importat conuersio. Deinde, implicat (vt dictum est) idem producere se ipsum: ergo & conseruare se, cùm conseruatio sit continuata productio: idem est enim esse quod producitur, & quod conseruatur; & à quo debet procedere actio conseruatiua effectiuè: est autem impossibile quòd actio effectiuè dependeat à suo termino, vt dictum est; simul enim esset prior & posterior: Hic autem sermo est de actione immediatè conseruatiua. Denique, esto, sit necessaria conseruatio corporis Christi secundùm vnionem, quam de nouo acquirit cum speciebus Sacramentalibus: tamen est superflua distincta conseruatio ab illa, qua in cœlo conseruatur, cùm idem esse habeat in cœlo & in Eucharistia: nec quantùm ad intrinseca habet diuersum modum essendi in vtroque: & si esset talis actio, priùs esset productiua illius modi, quàm conseruatiua, cùm

cùm tamen Suares non admittat hanc actionem esse productiuam: ergo corpus & sanguis Christi non sunt terminus formalis conuersionis Eucharisticæ, vt specialiter conseruata.

Probatur quarta pars conclusionis. Conuersio Eucharistica de facto, & non tantùm de possibili, est effectiua alicuius; per ipsam enim ex pane fit corpus Christi: ergo terminus formalis ipsius non sunt corpus & sanguis Christi, vt producibilia. Deinde; actio productiua in actu primo solùm importat expresse terminum ad quem; actio verò conuersiua vtrumque importat terminum, à quo, & ad quem: maximè quia actio, cùm sit actus secundus, non est productiua in actu primo: sed si est productiua, debet esse actualis productio. Denique, Christus cócurrit effectiuè ad illam actionem: ergo implicat quòd sit productio, aut productiua ipsius, vt iam expensum est.

Probatur & explicatur quinta pars conclusionis. Terminus formalis alicuius conuersionis, est illud in quod aliquid conuertitur, sub hac ratione, scilicet vt est id in quod conuertitur, vt patet ex ipsis terminis, nam per hoc distinguitur actio conuersiua ab omni alia actione, quædam enim actiones sunt productiuæ sui termini, aliæ vnitiuæ, aliæ adductiuæ, &c. conuersiua autem ex vi sua præcisè importat transmutationem alicuius vt termini, à quo, in aliud vt terminum ad quem: ergo corpus & sanguis Christi, vt sunt id in quod conuertuntur panis & vinum, sunt terminus formalis conuersionis Eucharisticæ: vnde per ipsam habent, non esse simpliciter, sed esse id in quod panis & vinum conuertuntur; & hoc indicat communis modus loquendi Sanctorum Patrum, & Scholasticorum; dum dicunt quòd ex pane fit corpus Christi. Nec in hoc modo dicendi vlla est repugnantia: nam ex vna parte, actio conuersiua verè est effectiua; nam efficit, non corpus Christi, sed quòd corpus Christi sit idem in quod panis substantia est conuersa, quod est aliquid reale de nouo in rerum natura: ex alia verò parte potest aliquis effectiuè in se aliquid conuertere, nam præsupponitur ad talem conuersionem, & naturaliter quid simile habetur in nutritione.

Ad primum ergo, dicendum, quòd vt constat ex titulo articuli, & ipso textu D. Thom. non agit ibi de corpore Christi secundùm quòd est terminus conuersionis: sed de ipso prout est sub speciebus Sacramentalibus, tanquam in loco, dependenter siue per habitudinem ad species; ita vt ibi permaneat, quandiu conseruantur species, desinat verò ad corruptionem illarum. Ad aliud, dicendum, quòd ex forma consecrationis colligitur conuersio totalis panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quæ importat veram efficientiam, & non solam relationem successionis, vt communiter docent Theologi, & indicant Concilia: nec propter difficultates relinquenda est veritas, cùm multò maiores tam in hoc mysterio, quàm in aliis reperiantur: vnde non est legitima illa expositio formæ consecrationis: potiùs sic est exponenda, Hic panis conuertitur in corpus meum.

Ad secundum, dicendum, quòd illa propositio est vera, non quia producitur de nouo, aut reproducitur corpus Christi; hoc enim non significat, sed quia panis in ipsum conuertitur. Ad aliud, dicendum, quòd conuersio Eucharistica non est actio adductiua, aut vnitiua, aut productiua; sed conuersiua siue effectiua quòd panis fiat corpus Christi. Ad aliud, dicendum, quòd corpus & sanguis Christi non accipiunt esse substantiale: hanc autem diuersam mutationem, & diuersam præsentiam Sacramentalem in diuersis locis accipiunt, non per sui productionem aut reproductionem, sed per multiplicem conuersionem panis & vini in se, ratione cuius est corpus aut sanguis multiplex virtualiter, non autem actualiter: ratione tamen huius multiplicitatis virtualis diuersa & opposita per accidens ei conueniunt, vt moueri, quiescere, &c.

Ad tertium, dicendum, quòd conuersio Eucharistica est effectiua, non corporis Christi aut sanguinis secundùm se; sed sub ratione termini ad quem ipsius conuersionis: quæ ratio est aliquid de nouo in rerum natura. Ad aliud, dicendum, quòd corpus Christi vbicumque sit, cùm sit idem omnino, & eodem modo quoad intrinseca, eadem indiuisibili actione conseruatur: nec verum est, quòd actio identificetur cum termino; omnis enim actio subiectatur in agente, vt dictum est in Physicis: requiritur tamen noua actio ex parte termini (quia ex parte principij, Deus vnica actione, & à se indistincta, omnia efficit) qua conseruetur corpus Christi; non quidem secundùm se, sed vt vnitum speciebus consecratis: hæc tamen conseruatio præsupponit terminum conuersionis Eucharisticæ iam positum; vnde cóuersio & conseruatio sunt duæ actiones habentes duos terminos formales.

Ad quartum, dicendum, quòd conuersio Eucharistica est vera actio realis & substantialis; non per hoc quòd producat actu, aut sit producibilis substantiæ; sed quia transmutat vnam substantiã in aliam, vnde dicitur transsubstantiatio. Ad aliud, dicendum, quòd ex vi institutionis huius Sacramenti factæ à Christo, verba consecrationis habent tantùm virtutem conuertendi panem & vinum in corpus & sanguinem Christi; non autem producendi de nouo corpus & sanguinem Christi; quia ex vi institutionis factæ Christus Dominus concurrit physicè ad hanc conuersionem, siue ad actionem Eucharisticam; est autem impossibile quòd concurrat ad productionem sui: dato tamen quòd

quòd verba consecrationis ex diuina virtute essent productiua corporis & sanguinis Christi, & de facto producerent, si non præexisterent iam producta: tunc illa actio esset diuersæ rationis & speciei ab illa, quam habēt nunc: nam nunc esset actio productiua, nunc est conuersiua; actio autem productiua non est inter duos terminos positiuos, sicut actio conuersiua. Ad aliud, dicendum, quòd est discrimen multiplex inter Eucharistiā & alia Sacramēta: & hoc principaliter quòd Eucharistiæ Sacramentum non consistit in vsu, sicut alia Sacramenta; sed consistit in consecratione materiæ: ex quo sequitur, quòd eius forma debeat habere actionem conuersiuam, ac ita semper efficacem in actu secundo, quando adest debita materia, debitus minister, ac debita intentio: forma verò aliorum Sacramentorum est productiua gratiæ in subiecto disposito.

DVBIVM VII.

Vtrùm per conuersionem Eucharisticam annihiletur substantia panis & vini.

Svpponendum est ex dictis conuersionem Eucharisticam esse veram & realem actionem, vt communiter docent Scholastici, excepto Vasques. Ratio est, quia habet terminum ad quem, verum & realem; nam panem & vinum esse conuersa in corpus & sanguinē Christi, & similiter corpus & sanguinem Christi esse facta ex pane & vino, dicit aliquem nouum effectum in rerum natura; nouus autem realis effectus connotat nouum & realem influxum siue actionem, & hoc indicat Concilium Tridentinū sess. 13. cap. 4. & Sancti Patres, dum dicunt verba consecrationis conuertere panem & vinum in corpus & sanguinem Christi. Sed de hoc agetur postea.

Prima opinio Scoti in 4. d. 11. q. 4. asserit per conuersionem Eucharisticam verè & propriè annihilari substantiam panis & vini. Probatur, Substantia panis & vini ita desinit, vt nihil eius remaneat, vt communi consensu Scholasticorum constat: ergo talis substantia annihilatur, nam annihilatio est desitio rei in purum nihil; maximè quia facta consecratione verum est dicere, quòd panis & vinum quæ antea erant, nihil sunt: vnde si debeant reproduci, hoc fiet, per veram creationem.

Secundò; Si corpus Christi non esset in rerum natura dum fit consecratio, sed de nouo poneretur siue produceretur, tam quoad materiam, quàm quoad formam; reuera crearetur; nam produceretur in quantum ens & ex nihilo sui; quamuis esset ibi vera conuersio: ergo pari modo, quia per consecrationem desinit panis, tam quoad materiam, quàm quoad formam, verè annihilatur, non obstante conuersione ipsius in corpus Christi, vt constat ex paritate rationis: & maximè quia nisi panis sit annihilatus, non poterit reproduci per veram creationem, nam creatio est productio totius ex nihilo.

Tertiò, Si panis desineret secundùm totam substantiam, vt nunc desinit, & non succederet in locum eius corpus Christi; talis desitio panis esset vera annihilatio, vt communiter admittitur: ergo licèt succedat corpus Christi, non desinet talis desitio esse vera annihilatio; tum quia illa successio non facit quòd aliquid panis remaneat; tum quia corruptio ligni, siue succedat alia forma in eius materiam, siue non, est eiusdem rationis; quia priuatio specificatur à forma priuata, quæ est eadem in vtroque casu.

CONCLVSIO.

Respondeo dicendum, quòd per conuersionem Eucharisticam non annihilatur substantia panis & vini. Ita D. Thom. hîc artic. 3. & communiter eius Discipuli, & penè omnes alij Theologi.

Probatur conclusio authoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum, qui docēt panem & vinū conuerti, transsubstantiari, & transelementari in corpus & sanguinem Christi; nec potest dici quòd loquantur impropriè de cōuersione, nam in Conciliis maxime, non potest admitti improprietas sermonis in re tanti momenti, & tam exactè pertractata: sed conuersio & transsubstantiatio sunt actiones distinctæ ab annihilatione, nam annihilatio est pura desitio rei secundùm totum suum esse, sicut creatio, cui correspondet, est productio rei secundùm totum suum esse siue entitatē: sed conuersio & transsubstantiatio non sunt pura desitio rei, sed sunt transmutatio ipsius in aliam; & in præsenti est transmutatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, vt indicat forma consecrationis; nam, Hoc est corpus meum, vel, Hic est calix sanguinis mei, importat, significat, & causat conuersionem totalem panis vel vini, in corpus vel sanguinem Christi, vt docet Conciliū Tridentinum toties citatum sess. 13. ergo per conuersionem Eucharisticam non annihilatur substantia panis & vini.

Secundò; Ad annihilationem requiruntur duo, scilicet quòd res desinat secundùm suam totam entitatem per subtractionem concursus, & non per influxum aut actionem; & quòd ad eius desitionem non ponatur aliud per se, & ex natura rei. Ratio vtriusq; est, quia per influxum & actionem aliquid fit, siue terminus actionis veræ est aliquid positiuum, terminus autem annihilationis est aliquid negatiuum, siue desitio totalis rei, quæ fit per subtractionem concursus, quo ipsa res conseruabatur; & ita illo subtracto desinit conseruari, vnde redit in nihilum, ex quo per creationem fuerat educta; conseruatio enim est continuata creatio: si autem

tem ad desitionem illius poneretur aliud per se & ex natura rei, potiùs est conuersio totalis, quàm annihilatio; nam sicut creatio non importat destructionem, aut desitionem alterius, dum ponitur id quod creatur; aliàs esset conuersio, & non creatio; sic annihilatio opposita creationi non importat positionē alterius, dum desinit id quod annihilatur: sed substantia panis & vini in Eucharistia non desinit per substractionem concursus, imò per actionem miraculosam destruitur, ad quam concurrit Sacerdos vt applicans formam consecrationis, & forma ipsa vt instrumentum physicum: & ex alia parte desitio substantiæ panis & vini facta per consecrationem, per se & ex natura rei postulat positionem & existentiam corporis & sanguinis Christi, vt indicat ipsa forma: ergo substantia panis & vini non annihilatur in Eucharistia.

Tertiò; Ad annihilationem, sicut & ad creationem non potest assumi aliqua creatura vt instrumentum Dei, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 104. & pro nunc supponimus: sed verba consecrationis, & ex consequenti Sacerdos illa proferens sunt instrumentum physicum desitionis panis & vini, vt communis est Theologorum, paucis exceptis, opinio: ergo non est annihilatio; & ita substantia panis & vini in Eucharistia non annihilatur.

Ad primum ergo, dicendum cum D. Th. hîc artic. 3. ad 1. quòd substantia panis vel vini facta consecratione, neque sub speciebus Sacramenti manet, neque alibi: non tamen sequitur quòd annihiletur, conuertitur enim in corpus Christi: sicut non sequitur si aër, ex quo generatus est ignis, non sit ibi, vel alibi; quòd sit annihilatus. Ad aliud, dicendum cum D. Thom. ibidem ad 3. quòd licèt post consecrationem hæc sit falsa, Substantia panis est aliquid: id tamen in quod substātia panis est conuersa, est aliquid; & ideo substantia panis non est annihilata: maximè quia actio, qua desinit esse substantia panis, non terminatur vltimò ad non esse ipsius, sed habet pro termino vltimo positionem corporis Christi: vnde non est destructiua entis simpliciter, sed talis entis scilicet panis, conuertendo illud in aliud ens. Ad aliud, dicendum, quòd panis & vinum possunt reproduci dupliciter à Deo, vel per reconuersionem corporis & sanguinis Christi in ipsa: vel per creationem, quia simpliciter nihil sunt in seipsis: sed tamen non sequitur, quòd illud sit annihilatum quod reproducitur per creationem; nam formæ materiales per corruptionem compositi non annihilantur, sed redeunt in potentiam materiæ; & tamen possunt reproduci per creationem.

Ad secundum, dicendum, quòd quia in illo casu productio corporis Christi esset ex pane, tanquam termino à quo, non esset vera creatio, sed conuersio; quia creatio debet fieri ex nihilo, ita vt excludatur tam subiectum, quàm terminus à quo positiuus: sicut annihilatio est desitio in nihilum: vnde excludit totam entitatem subiecti, & insuper quemcumque terminum ad quem, positiuum. Ad aliud, dicendum, quòd sufficit vt nihil panis remanserit in seipso ad hoc vt possit reproduci per creationem; non autem vt dicatur annihilatus ob rationem dictam.

Ad tertium dicendum, quòd in casu antecedentis esset vera annihilatio, non autē in casu consequentis; quia successio corporis Christi est terminus ad quem desitionis panis: vnde licèt nihil panis remaneat, tamen talis desitio non est annihilatio, quia annihilatio non habet terminum ad quem positiuum, vt dictum est. Ad instantiam respondent aliqui, quòd esset corruptio diuersæ rationis in vtroque casu, nam eius specificatio non sumitur præcisè à forma, sed à modo sub quo fit talis priuatio, quem constat esse diuersum: sed admissio antecedenti (quia corruptio ex se tantùm excludit formam à materia; quòd autem alia succedat, est ei per accidens ad exigentiam solius materiæ, quæ non potest esse sine forma) negatur consequentia, quia per se succedit corpus Christi in locum panis; imò per eandem indiuisibilem actionem desinit panis, & ponitur corpus Christi, vt dicetur dubio sequenti: vnde talis desitio non est annihilatio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm per eandem indiuisibilem actionem desinat substantia panis aut vini, & ponatur corpus aut sanguis Christi.

Prima opinio Suaris hîc disput. 80. sect. 6. negat per eandem actionem desinere substantiam panis aut vini in hoc Sacramento; & poni corpus aut sanguinem Christi: ponit enim duas, vnam conseruatiuam corporis aut sanguinis Christi & aliam præuiam quā separantur accidentia panis aut vini ab eorum substantia, ad quam separationem sequitur destructio talis substantiæ, quæ naturaliter conseruari non potest sine propriis accidentibus. Probatur; In transsubstantiatione sunt duæ mutationes, vna priuatiua ab esse panis aut vini ad non esse ipsorum, alia positiua à non esse corporis aut sanguinis Christi in Sacramento ad esse ipsorum: ergo etiam sunt duæ actiones: sicut pari ratione est duplex actio in generatione, propter concomitantiam corruptionis, vna expulsiua vnius formæ alia introductiua alterius.

Secundò; Corpus aut sanguis Christi non habet ex natura rei physicam & formalem repugnantiam cum substantia panis & vini; cùm non sit oppositio, aut contrarietas inter substantias ex Aristo-

Aristotele : ergo actio positiua vnius non est destructiua alterius, quia actio positiua nunquã tendit ad destructionem alterius; nisi habeat incompossibilitatem, & repugnantiam cum eo quod ponit; quia corruptio, cùm sit malum, est tantùm per accidens intenta.

Tertiò; Verba consecrationis non attingunt effectiuè instrumentaliter positionem corporis Christi; benè tamen desitionem panis, vt expressè docet D. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. artic. 4. quæstiunc. 1. ad 6. & dist. 8. quæst. 2. artic. 3. ad 5. ait enim verba consecrationis non attingere instrumẽtaliter ipsam conuersionem, quantùm ad accessum ad terminum ad quem, sed solùm quantùm ad recessum à termino à quo : ergo positio corporis Christi, & desitio panis sunt duæ actiones; est enim impossibile quòd eadem actio ab eodem simul attingatur, & non attingatur.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum quòd per eandem indiuisibilem actionem desinit substantia panis aut vini, & ponitur corpus aut sanguis Christi: 2. Alioquin non esset vera conuersio. 3. Hæc actio est vera & realis; 4. Ac virtualiter multiplex.

Probatur prima & secunda pars conclusionis. Substantia panis aut vini desinit, & ponitur corpus aut sanguis Christi per veram conuersionem totalem, siue per transsubstantiationem panis aut vini in corpus aut sanguinem Christi, vt docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. & canone 2. & communiter Scholastici : sed conuersio est vna indiuisibilis actio essentialiter distincta à creatione, generatione, & aliis; non enim importat puram successionem duarum rerum, quarum vna desinat, & alia incipiat esse in rerum natura : sed est transmutatio vnius in aliam : vnde si Deus annihilaret vnum Angelum, & statim in eodem loco crearet alium, ibi non esset vera conuersio, vt patet: sed pura successio vnius ad alium : & hoc ideo quia conuersio debet versari inter duos terminos positiuos, propterea non potest constare duplici actione, quarum vna sit destructiua, & alia positiua : vtraque enim istarum importat terminum priuatiuum; destructiua quidem terminum ad quem, positiua autem terminum à quo: ergo per eandem indiuisibilem actionem desinit substantia panis aut vini, & ponitur corpus aut sanguis Christi. Nec valet solutio Suaris, quòd hæc conuersio non est physica & naturalis, quæ quidem est vnica actio, sed est artificialis & Sacramentalis, quæ potest consistere in duplici actione. Nam contra; est conuersio simpliciter ac proinde physica, siue in toto rigore & non secundùm quid tantum, nam à Concilio Tridentino loco citato vocatur sine limitatione, imò in toto rigore conuersio; ac proinde est vnica actio: nam, vt admittunt Aduersarij, si consisteret in duplici actione, esset conuersio tantùm secundùm quid.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini loco citato vbi definit Ecclesiam semper credidisse conuersionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi Domini, fieri per consecrationem; quod etiam docent Sancti Patres. Nec potest securè dici quòd Concilia, dum aliquid expressè determinant, loquantur impropriè : sed vbi est fieri, ibi est facere formaliter, ac proinde agere, & actio : ergo talis conuersio est vera & realis actio. Maximè quia forma consecrationis significat hanc conuersionem passiuam, significat enim, quòd illud quod in principio erat panis, fit corpus Christi; vnde communiter admittitur quòd ex pane fit corpus Christi : ergo illam causat, nam Sacramenta nouæ Legis efficiunt quod significant, & ita est ibi vera & realis conuersio actiua. Deinde D. Thom. hic art. 4. comparat hanc conuersionẽ totalem cum conuersione formali, quando ex transmutatione materiæ vna forma succedit alteri, quòd vtraque fit per virtutem & influxum agentis; formalis quidem per influxum agentis limitati & creati, quod exigit de necessitate subiectum quod transmutet & agat, & ita non potest causare conuersionem totalem : totalis autem conuersio per influxum & virtutem Dei agentis infiniti, cuius actio se extendit ad totam naturam entis : ergo sicut conuersio formalis actiua est vera & realis actio; sic ista totalis, quæ vocatur substantialis siue transsubstantiatio, & consequenter hæc conuersio non importat puram relationem successionis inter panem & corpus Christi, vt dicit Vasques. Nec contrariatur D. Thom. hîc art. 4. ad 3. dum ait, quòd cùm hæc conuersio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, est sicut in subiecto in vtraque substantia, vt ordo & numerus. Nec etiam in 4. d. 11. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. dum ait, in transsubstantiatione non interuenire actionem imperfectam sicut in mutationibus naturalibus, sed interuenire successionem actuum perfectorum ad inuicem, quæ relatio successionis esse realis in pane, rationis verò in corpore Christi. Nam in primo loco, D. Thom. loquitur de conuersione passiuè sumpta, sic enim importat duplicem mutationem, cùm ibi interueniat ordo substantiarum, panis qui mutatur de esse ad non esse, & corporis Christi quod mutatur de non esse Sacramentali ad esse sacramentale : vltra hoc tamen est vera conuersio actiua causans hanc successionem. In secundo autem loco, solùm excludit ab vtraque illa mutatione rationes imperfectas, quæ sunt in mutationibus naturalibus, vt quòd paulatim materia, & cum motu debeat disponi ad illas, & multum tempus insumatur : Sed sunt actus perfecti sibi succedentes

cedentes per actionem conuersiuam: ad quos consequitur relatio, realis quidem in pane, dum est in ipso transmutari, licèt instantaneo; quia realiter mutatur quantùm ad suam substantiam: rationis verò, in corpore Christi; quia non mutatur intrinsecè & absolutè quantùm ad substantiam.

Probatur & explicatur quarta pars conclusionis. Per conuersionem Eucharisticam desinit substantia panis & vini: ex consequenti existunt accidentia separata à propriis subiectis: & tandem ponitur sub speciebus consecratis panis aut vini, corpus aut sanguis Christi: ergo virtualiter est multiplex, nam ista tria quæ efficit, possunt fieri per tres actiones, aut quasi actiones distinctas.

Ad primum ergo, dicendum, quòd in transsubstantiatione est quidem duplex mutatio; positiua quidem propriè sumpta, quia connotat subiectum scilicet corpus Christi, sub vtroque termino, videlicet non esse sui, prout est id in quod fit conuersio & sui esse: priuatiua verò latè sumpta, quia non connotat subiectum permanens sub vtroque termino, nam definit per non esse: eo modo quo creatio, & annihilatio dicuntur mutationes. Hæc tamen duplex mutatio causatur per vnam & indiuisibilem realiter actionem, virtualiter tamen multiplicem: sicut eadem actione calefactionis causantur in diuersis subiectis plures mutationes. Similiter generatio actiua est vnica actio vel quasi actio; quia, vt dicitur in libris de generatione, non distinguitur adæquatè ab alteratione actiua præcedenti: & tamen causat duas mutationes, videlicet generationem passiuam; & corruptionem.

Ad secundum, dicendum, quòd corpus & sanguis Christi, si considerentur absolutè secundùm se, non habent repugnantiam & oppositionem cum substantia panis & vini: vnde sic possunt esse simul sub iisdem speciebus consecratis. Maximè quia sunt ibi corpus & sanguis modo indiuisibili: si autem considerentur vt sunt terminus ad quem conuersionis Eucharisticæ, sic habent physicam repugnantiam & incompossibilitatem cum substantia panis & vini, quæ est terminus à quo talis conuersionis; constat autem quòd terminus à quo, & terminus ad quem sunt incompossibiles.

Ad tertium, dicendum, quòd verba consecrationis attingunt effectiuè instrumentaliter positionem corporis & sanguinis Christi, vt dicetur infra ex D. Thom. Ad authoritatem autem illam Sancti Doctoris respondent communiter eius Discipuli ipsum mutasse sententiam.

DVBIVM IX.

Vtrùm quodlibet ens possit conuerti in quodlibet.

SVpponendum est ad veram conuersionem requiri sequentes conditiones. Prima est, quòd res quæ dicitur conuerti, & est terminus à quo conuersionis, desinat esse. Secunda est, quòd res in quam fit conuersio, siue quæ est terminus ad quem conuersionis, aliquo modo fiat, & incipiat esse; quia nisi terminus ad quem sit aliquo modo mutatus, non est fundamentum dicendi terminum à quo fuisse potiùs in ipsum cõuersum, quàm in quamcumque aliam rem; sicut si terminus à quo non desinat, sed maneat in seipso immutatus substantialiter, non potest intelligi quomodo sit in aliud conuersus. Tertia conditio est, quòd sit ex natura rei connexio inter desitionem termini à quo, & inceptionem termini ad quem; ita vt ex vi vnius sequatur altera: alioquin si tantùm per accidens conuerterentur; esset tantùm successio, quia ad conuersionem requiritur quòd vnũ transeat in aliud, ad quod supponitur desitio vnius, & inceptio alterius. Quarta conditio est quòd vterque terminus à quo, & ad quem, sit positiuus; quia nihil non potest conuerti in aliquid: nec aliquid in nihil propriè loquendo, & ita creatio & annihilatio non possunt dici conuersio. Ex quo sequitur quòd generatio & corruptio non sunt propriè conuersiones, vt ait D. Tho. hîc art. 3. quia forma vna non conuertitur in aliam, sed succedit alteri: sicut nec conuersio aquæ in vinum, Ioan. 2. aut vxoris Loth in statuam salis, est rigorosa conuersio, quia ex D. Thom. in 4. d. 17. quæst. 1. conuersiones miraculosæ non differunt quantùm ad substantiam, sed tantùm quantùm ad modum à naturalibus. Vltra has conditiones aliqui requirunt aliquod tertium commune vtrique termino, putà accidentia panis & vini in hoc Sacramento. Sed hoc non est necessarium absolutè, & ex natura rei; sed tantùm ex institutione Christi: vnde positis quatuor prædictis conditionibus erit vera conuersio, & si fiat inter substantias, erit transsubstantiatio.

Prima opinio Durandi in 4. d. 11. quæst. 2. & 3. asserit impossibilem esse conuersionem totalem vnius substantiæ in aliam: vnde consequenter negat quodlibet ens posse conuerti in quodlibet. Probatur authoritate S. August. libr. 7. de Genesi ad litteram cap. 12. vbi sic ait, Sic omne quippe corpus in omne corpus posse mutari non defuerunt, qui assererent; corpus autem aliquod siue terrenum, siue cœleste, conuerti in animam, fierique naturam incorpoream, neque quemquam sensisse scio, nec fides habet. Idem docet Boëtius libro de duabus naturis:

ergo

ergo quodlibet ens non potest conuerti in quodlibet.

Secundò, Ad veram conuersionem requiritur quòd terminus à quo desinat, & incipiat terminus ad quem: sed est impossibile quòd idem desinat,& incipiat simul; nam simul esset & non esset, quod implicat: sicut est impossibile quòd pars desinat per inceptionem totius, totum enim constat ex suis partibus: ergo idem non potest conuerti in seipsum, nec pars in totum; & consequenter quodlibet ens non potest conuerti in quodlibet.

Tertiò; Implicat accidentia corporea subiectari in substantia purè spirituali, vt Angelo, & anima rationali: sicut & accidentia spiritualia in subiecto corporeo, quia debet esse proportio inter recipiens & receptum, iuxta axioma Philosophicum; Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo multò magis implicat rem corpoream, siue substantialem, siue accidentalem conuerti in spiritualem,& rem spiritualem in corpoream; nam sicut magis est fieri vnum aliquid, quàm ei vniri, sic requiritur maior proportio in conuersione, quàm in informatione.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt Deus non possit in aliud conuerti, aut aliud in se conuertere; 2. Tamen loquendo de conuersione absoluta, potest immediatè, vel mediante instrumento quodlibet ens in quodlibet conuertere: 3. Loquendo verò de conuersione, quæ fiat per formam demonstratiuam, potest quamlibet substantiam sensibilem, aut etiam accidens sensibile conuertere in quamcumque substantiam, & accidens, siue sint ordinis materialis, siue spiritualis mediante homine vt instrumento: 4. Non autem rem spiritualem in corpoream.

Probatur prima pars conclusionis communis inter Theologos. Terminus à quo conuersionis debet desinere, & terminus ad quem debet aliquo modo fieri, ita vt saltem aliquo modo immutetur, vt dictum est: sed implicat Deum desinere, cùm sit ens simpliciter ex natura sua necessarium: implicat etiam aliquo modo mutari, cùm sit ab intrinseco simpliciter immutabilis: ergo non potest esse terminus à quo, aut terminus ad quem alicuius conuersionis: & ita non potest conuerti in aliud, aut aliud in se conuertere. Deinde, Deus habet maximam oppositionem, reducibilem ad contradictoriam, cum quolibet alio; nam est ens per se, independens, per essentiam, increatum, &c. quodlibet autem aliud est ens ab alio, dependens, per participationem, creatum, &c. ergo nec Deus potest conuerti in creaturam, nec creatura in Deum: quod debet intelligi de conuersione creaturæ in Deum quoad substantiam, non quoad affectum tantùm.

R.P. Philippi Carm. discal. Disp. Theolog. in 3. p.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. hic art. 4. in corpore, & ad 3. cuius rationem affert: Natura entis est communis vtrique termino conuersionis, quodlibet enim quod est in rerum natura est ens: sed Deus est author totius entis, ita vt eius potentiæ subdantur omnia entia, tam in ordine ad esse, quàm in ordine ad non esse, creat enim, & potest annihilare: ergo etiam subduntur in ordine ad conuersionem in aliud quodcumque ens: ita vt nihil eorum remaneat, sed totaliter conuertantur. Igitur possibilitas huius conuersionis in duobus fundatur, videlicet in omnipotentia diuina, quæ cùm faciat, & fecerit vt ea quæ non sunt, fiant & facta fuerint; multò magis potest facere vt ea quæ sunt, in aliud conuertantur; maior enim est distantia inter ens & non ens (est enim infinita) quàm inter vnum ens creatum & aliud: inter ens autem creatum & Deū est infinita distantia positiua, ac proinde maior quàm inter ens creatum & non ens, hæc enim est tantùm infinita negatiuè. Aliud in quo fundatur est potentia obedientialis passiua, ingenita cuicumque creaturæ in ordine ad omne illud quod non implicat contradictionem: cùm igitur conuerti quodcunque ens creatum in quodcumque aliud non implicet contradictionem, minus enim est vnum conuerti in aliud, quàm ex nihilo fieri (quia experimur naturaliter fieri conuersiones partiales siue formales mediis creaturis; & tamen non potest aliquid ex nihilo fieri mediis creaturis,) poterit quodcumque ens creatum in quodcumque aliud conuerti: & tunc desinit esse quod erat, & incipit esse quod non erat; non enim potest simul esse vnum & aliud.

Probatur tertia pars conclusionis, quæ negari non potest: Ad conuersionem quæ fit demonstratiuè, sufficit quòd terminus à quo illius sit sensibilis & demonstrabilis; non enim terminus ad quem debet esse sensibilis, vt constat in conuersione Eucharistica: nam talis forma demonstrat terminum à quo, & conuertit in terminum ad quem: ergo potest Deus tali conuersione quamlibet substantiam sensibilem, aut etiam accidens sensibile conuertere in quamcumque substantiam & accidens, siue sint ordinis materialis, siue spiritualis mediante homine vt instrumento: & ita potest conuertere lapidem, aut quantitatem eius in Angelum, sicut de facto conuertit panem & vinum in corpus & sanguinem Christi: non autem rem spiritualem in corpoream, vt Angelum in lapidem, quod est quarta pars conclusionis.

AD primum ergo, dicendum, quòd S. Aug. loquitur ibi de potentia Dei ordinaria, & secundùm leges naturæ, ac de facto, non de possibili; ibi enim disputat contra aliquos asserentes animam rationalem esse productam de limo terræ sicut corpus, aut ex alia materia, & eodem

eodem modo intelligendus est Boëtius.

Ad secundum, dicendum, quòd in conclusione debet intelligi, quòd quodlibet conuerti potest in quodlibet aliud, scilicet distinctum à se: idem enim non potest conuerti in seipsum: similiter quia totum non distinguitur à suis partibus vnitis & simul sumptis; ideò diuinitus qualibet pars potest fieri totum, sed non conuerti propriè in totum adæquatè sumptum, nam conuerteretur etiam in seipsam, cùm sit in toto; bene tamen in alias partes totius.

Ad tertium, dicendum, quòd accidens & subiectum simul remanent; vnde non mirum si requiratur proportio inter ipsa: sed in conuersione vnum desinit, & fit aliud; vnde non coniunguntur simul duo, quæ possint dici incompossibilia: & ita quicquid sit de Antecedente, aliqui enim concedunt, & valde probabiliter, quando effectus formalis talis accidentis non repugnat naturæ subiecti, sicut quantitas repugnat rei spirituali; negatur Consequentia, non enim ex duobus fit aliquo modo vnum, sicut ex subiecto & accidente, sed vnum fit aliud, ad quod sufficit quòd non sit infinita distantia positiua, quæ est tantùm inter Deum & creaturas.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo, quo Christus est in hoc Sacramento, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de modo, quo Christus existit in hoc sacramento.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

¶ Primo, vtrùm totus Christus sit sub hoc sacramento.

¶ Secundo, vtrùm totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti.

¶ Tertio, vtrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

¶ Quarto, vtrum dimensiones corporis Christi tota sint in hoc sacramento.

¶ Quinto, vtrùm corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.

¶ Sexto, vtrùm corpus Christi moueatur ad motum hostiæ, vel calicis post consecrationem.

¶ Septimo, vtrùm corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

¶ Octauo, vtrùm verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento, quando miraculosè apparet sub specie pueri vel carnis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm totus Christus contineatur sub hoc Sacramento.

448 AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quòd non totus Christus contineatur sub hoc sacramento. Christus enim incipit esse in hoc sacramento per conuersionem panis & vini: sicut dictum est.* Sed manifestum est, quòd panis & vinum non possunt conuerti, neque in diuinitatem Christi, neque in eius animam. Cum ergo Christus existat ex tribus substantiis, scilicet diuinitate, anima & corpore (vt suprà habitum est †) videtur, quod totus Christus non sit sub hoc sacramento.

¶ 2 Præterea: Christus est in hoc sacramento, secundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo & potu consistit sicut supra dictum est.* Sed Dominus dicit Io. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ergo solum caro & sanguis Christi continentur in hoc sacramento. Sunt autem multæ aliæ partes corporis Christi, puta nerui, ossa, & alia huiusmodi. Non ergo totus Christus continetur sub hoc sacramento.

¶ 3 Præterea, Corpus maioris quantitatis, non potest totum contineri sub minoris quantitatis mensura. Sed mensura panis & vini consecrati, est multo minor, quam propria mensura corporis Christi. Non potest ergo esse, quod totus Christus sub hoc sacramento contineatur.

Sed contra est, quod Ambr. † dicit in lib. de Offic. In illo sacramento Christus est

Inf. q. 97. a. 1. ad 3. & q. 6. 10. art. 2. & quol. 7. a. 1. & Ioan. 6. le. 6. fin.
** q. 75. art. 4.*
** q. 73. a. 1.*
refertur de cons. d. 2. ca. ante ... & c. In sacramento. Et habetur de iis qui mysteriis initiantur cap. 9.

CONCLVSIO.

Cùm diuinitas & anima Christi, licet ad ea non terminetur conuersio panis & vini, corpori Christi realiter coniunctæ sint, totum Christum in hoc sacramento esse, fide catholica credendum est.

RESPONDEO dicendum, quod omnino necesse est confiteri secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento. Sciendum tamen, quod aliquid Christi est in hoc sacramento dupliciter. Vno modo quasi ex vi sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus huius sacramenti, id in quod directe conuertitur substantia panis & vini præexistens prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiua in hoc sacramento: sicut & in cæteris mutationibus: puta, cum dicitur, Hoc est corpus meum, vel, Hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud, quod realiter est coniunctum ei, in quod prædicta conuersio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, vbicunque est vnum realiter, oportet & aliud esse. Sola enim operatione animæ discernuntur, quæ realiter sunt coniuncta.

Ad primum ergo dicendum, quod quia conuersio panis & vini non terminatur ad diuinitatem, vel animam Christi, consequens est, quod diuinitas vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Quia enim diuinitas corpus assumptum numquam deposuit, vbicunque est corpus Christi, necesse est & eius diuinitatem esse: & ideo in hoc sacramento necesse est esse diuinitatem Christi, concomitantem eius corpus. Vnde in Symbolo Ephesino * legitur: Participes efficimur corporis & sanguinis Christi, non vt communem carnem percipientes, nec vt sanctificati & Verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem sed vere viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Anima vero realiter separata fuit à corpore, vt supra dictum est. † Et ideo si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi sacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur (vt dicitur Rom. 6.) anima eius semper est realiter corpori eius vnita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidem Christi est ex vi sacramenti, anima autem Christi ex reali concomitantia.

** habetur in conc. Eph. 1. tom. 1. ep. ad Nestorium a .... & refertur de cons. d. 2. c. Confessio.*
† q. 50. ar. 13. & 4.

Ad secundum dicendum, quod ex vi sacramenti sub hoc sacramento continetur quantum ad species panis non solum caro, sed totum corpus Christi, scilicet ossa, nerui & alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius sacramenti: in qua non dicitur, hæc est caro mea, sed, hoc est corpus meum. Et ideo cum Dominus dixit Ioan. 6. Caro mea vere est cibus: caro ponitur ibi pro toto corpore: quia secundum consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accommodata: prout scilicet homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus vel aliis huiusmodi.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est *) facta conuersione panis in corpus Christi, vel vini in sanguinem, accidentia vtriusque manent. Ex quo patet, quod dimensiones panis vel vini, non conuertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam. Et sic substantia corporis Christi, vel sanguinis est sub hoc sacramento ex vi sacramenti, non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi. Vnde patet, quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, & non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substantiæ continetur indifferenter in parua vel magna quantitate: sicut tota natura aëris in magno vel paruo aere, & tota natura hominis in magno vel paruo homine. Vnde & tota substantia corporis & sanguinis Christi continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis & vini.

** q. 75. a. 5.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm totus Christus contineatur sub vtraque specie huius Sacramenti.

449 AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd non sub vtraque specie huius sacramenti totus Christus contineatur. Hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute eius quod sub speciebus continetur: quia species erant etiam ante consecrationem, ex qua est virtus huius sacramenti. Si ergo nihil continetur sub vna specie, quod non contineatur sub alia, sed totus Christus continetur sub vtraque, videtur, quod altera illarum superfluat in hoc sacramento.

¶ 2 Præterea, Dictum est, † quod sub nomine carnis omnes aliæ partes corporis continentur: sicut ossa, nerui, & alia huiusmodi. Sed sanguis est vna partium humani corporis: sicut patet per Arist. in lib. * de an. Si ergo sanguis Christi continetur sub specie panis, sicut continentur ibi aliæ partes corporis, non deberet seorsum sanguis consecrari, sicut neque seorsum consecratur aliqua alia pars corporis.

¶ 3 Præterea, Quod iam factum est, iterum fieri non potest. Sed corpus Christi iam incepit esse in hoc sacramento per consecrationem panis. Ergo non potest esse, quod de nouo incipiat esse per consecrationem vini. Et ita sub specie vini non continebitur corpus Christi, & per consequens nec totus Christus. Non ergo sub vtraque specie totus Christus continetur.

Sed contra est, quod 1. Cor. 11. super illud: Et calicem dicit * gl. quod sub vtraque specie, scilicet panis & vini idem sumitur. Et ita videtur sub vtraque specie totus Christus esse.

Inf. q. 78. a. 6. ad 2. & q. 79. a. 1. ad 3. & q. 80. a. 12. ad 3. & 4. d. 8. q. 2. a. 1. q. 1. ad 2. & Io. 6. le. 7. ... & 1. Cor. 11. leg. 6. ... art. præced. li. 3. de ge... ... cap. 4.
gl. ord. ... per ... & ... .

CONCLVSIO.

Licet sub specie panis corpus Christi & sub specie vini sanguis ex vi Sacramenti tantum contineatur, sub vtraque tamen

tamen specie, ex reali concomitantia, totum Christum contineri certissima fide tenendum est.

Respondeo dicendum, certissime tenendum esse, quod sub utraque specie sacramenti totus est Christus, aliter tamen & aliter. Nam sub speciebus panis, est quidem corpus Christi ex vi sacramenti, sanguis autem, ex reali concomitantia, sicut supra dictum est de anima & diuinitate Christi*. Sub speciebus vero vini, est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti, corpus autem Christi ex reali concomitantia, sicut anima & diuinitas: eo quod nunc sanguis Christi non est ab eius corpore separatus, sicut fuit tempore passionis & mortis. Vnde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum sub speciebus panis, fuisset corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini, sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam primo quidem hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis à corpore separatus: vnde & in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione. Secundo, hoc est conueniens vsui huius sacramenti, vt seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. Tertio, quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est*, quod corpus exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ.

Ad secundum dicendum, quod in passione Christi (cuius hoc sacramentum est memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis abinuicem separatæ, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur Exo. 12. Nec os illius confringetis. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis à corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.

Ad tertium dicendum, quod sicut dictum* est, corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia, & ideo per consecrationem vini, non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini.

450 AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod non sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini: Species enim illæ diuidi possunt in infinitum. Si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum prædictarum, sequeretur quod infinities esset in hoc sacramento: quod est inconueniens: nam infinitum repugnat non solum naturæ, sed etiam gratiæ.

¶ 2 Præterea, Corpus Christi cum sit organicum, habet partes determinate distantes: est enim de ratione organici corporis, determinata distantia singularum partium abinuicem: sicut oculi ab oculo, & oculi ab aure. Sed hoc non posset esse, si sub qualibet parte specierum esset totus Christus: oporteret enim, quod sub qualibet parte esset qualibet pars: & ita vbi esset vna pars esset & alia. Non ergo potest esse, quod totus Christus sit sub qualibet parte hostiæ, vel vini contenti in calice.

¶ 3 Præterea, Corpus Christi semper veram retinet corporis naturam, nec vnquam mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est, vt sit quantitas positionem habens; vt patet in * Prædicamentis. Sed ad rationem huius quantitatis pertinet, quod diuersæ partes in diuersis partibus loci existant: Non ergo potest esse (vt videtur) quod totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Sed contra est, quod Aug.* dicit in quodam sermone: Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.

CONCLVSIO.

Cum corpus Christi sit in hoc Sacramento eo modo quo substantia est sub dimensionibus, manifestum est totum Christum sub qualibet specierum panis aut vini contineri, siue frangatur hostia siue integra remaneat.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supradictis patet*, quia in hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiua ex vi realis concomitantiæ, ideo corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, id est, per modum quo substantia est sub dimensionibus: non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas dimensiua alicuius corporis, est sub quantitate dimensiua loci. Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur: sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter, siue sint dimensiones actu diuisæ (sicut cum aer diuiditur vel panis secatur) vel etiam sint actu indiuisæ, diuisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est, quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur: sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine quæ apparet in speculo, quæ apparet vna in speculo integro, in speculo autem fracto, apparent singulæ in singulis partibus. Quod quidem non est omnino simile: quia multiplicatio huiusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diuersas reflexiones ad diuersas partes speculi: hic autem non est nisi vna consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod numerus sequitur diuisionem. Et ideo quamdiu quantitas manet indiuisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis: & per consequens neque infinities, sed toties, in quot partes diuiditur.

Ad secundum dicendum, quod illa determinata distantia partium in corpore organico, fundatur super quantitate dimensiua ipsius: ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam quantitatem dimensiuam. Et quia conuersio substantiæ panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cuius modum proprie & directe est in hoc sacramento corpus Christi, talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero: sed non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum, sed secundum modum suæ substantiæ, sicut dictum est*.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de natura corporis, quam habet secundum quantitatem dimensiuam. Dictum est autem †, quod corpus Christi comparatur ad hoc sacramentum non ratione quantitatis dimensiuæ: sed ratione suæ substantiæ, sicut dictum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc Sacramento.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod non tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento. Dictum est enim*, quod totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiæ consecratæ. Sed nulla quantitas dimensiua, tota continetur in aliquo toto, & in qualibet parte eius. Ergo est impossibile, quod tota quantitas dimensiua corporis Christi, contineatur in hoc sacramento. 451

¶ 2 Præterea, Impossibile est, duas quantitates dimensiuas esse simul, etiam si vna sit separata, & alia in corpore naturali, vt patet per Philosophum* in 3. metaph. Sed in hoc sacramento remanet quantitas dimensiua panis, vt sensu apparet. Non ergo est ibi quantitas dimensiua corporis Christi.

¶ 3 Præterea, Si duæ quantitates dimensiuæ inæquales iuxta se ponantur, maior extenditur vltra minorem. Sed quantitas dimensiua corporis Christi, est multo maior, quam quantitas dimensiua hostiæ consecratæ, secundum omnem dimensionem. Si ergo in hoc sacramento sit quantitas dimensiua corporis Christi cum quantitate dimensiua hostiæ: quantitas dimensiua corporis Christi extenditur vltra quantitatem hostiæ: quæ tamen non est sine substantia corporis Christi. Ergo substantia corporis Christi erit in hoc sacramento, etiam præter species panis: quod est inconueniens: cum substantia corporis Christi non sit in hoc sacramento, nisi per consecrationem panis, vt dictum est*. Impossibile ergo videtur, quod tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento.

Sed contra est, quod quantitas dimensiua corporis alicuius, non separatur secundum esse à substantia eius. Sed in hoc sacramento est tota substantia corporis Christi, vt supra habitum* est. Ergo tota quantitas dimensiua corporis Christi est in hoc sacramento.

CONCLVSIO.

Tota dimensiua corporis Christi quantitas est in hoc sacramento, non quidem ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est*) dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramento. Vno modo ex vi sacramenti, alio modo ex reali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti quantitas dimensiua corporis Christi non est in hoc sacramento. Ex vi enim sacramenti est in hoc sacramento illud, in quod directe conuersio terminatur. Conuersio autem, quæ fit in hoc sacramento, directe terminatur ad substantiam corporis Christi: non autem ad dimensiones eius. Quod patet ex hoc, quod quantitas dimensiua panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamen substantia corporis Christi, realiter non diuiditur* à sua quantitate dimensiua, & ab aliis accidentibus: inde est, quod ex vi realis concomitantiæ, est in hoc sacramento tota quantitas dimensiua corporis Christi, & omnia accidentia eius.

Ad primum ergo dicendum, quod modus essendi cuiuslibet rei determinatur secundum id, quod est ei per se, non autem secundum id, quod est ei per accidens: sicut corpus est in visu, secundum quod est album, non autem secundum quod est dulce, licet idem corpus sit album & dulce. vnde & dulcedo est in visu secundum modum albedinis, non secundum modum dulcedinis. Quia igitur ex vi huius sacramenti est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiua eius est ibi concomitanter, & quasi per accidens: ideo quantitas dimensiua corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum (vt scilicet sit tota in toto, & singulæ partes in singulis partibus) sed per modum substantiæ, cuius natura est esse tota in toto & tota in qualibet parte.

Ad secundum dicendum, quod duæ quantitates dimensiuæ, non possunt naturaliter simul esse in eodem, ita quod vtraque sit ibi secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ. In hoc autem sacramento quantitas dimensiua panis est, secundum proprium modum, scilicet secundum commensurationem quamdam, non autem quantitas dimensiua corporis Christi, sed est ibi per modum substantiæ, vt dictum est*.

Ad tertium dicendum, quod quantitas dimensiua corporis Christi non est in hoc sacramento secundum modum commensurationis, qui est proprius quantitati: ad quem pertinet quod maior quantitas extendatur vltra minorem, sed est ibi per modum iam dictum †.

ARTICVLVS V.

Vtrùm corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco.

452 AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco. Esse enim in aliquo definitiue vel circumscriptiue, est pars eius quod est esse in loco. Sed corpus Christi videtur esse definitiue in hoc sacramento (quia ita est vbi sunt species panis vel vini, quod non est in alio loco altaris) videtur etiam ibi esse circumscriptiue: quia ita continetur superficie hostiæ consecratæ, quod nec excedit, nec exceditur. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento, sicut in loco.

¶ 2 Præterea, Locus specierum panis non est vacuus (natura enim non patitur vacuum) nec est ibi substantia panis vt supra habitum est, sed est ibi solum corpus Christi. Ergo corpus Christi replet locum illum. Sed omne quod replet locum aliquem, est in eo localiter. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

¶ 3 Præterea, Sicut dictum est in hoc sacramento est corpus Christi cum sua quantitate dimensiua, & cum omnibus suis accidentibus. Sed esse in loco, est accidens corporis: vnde & ibi connumeratur inter nouem genera accidentium. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

SED contra est, quod oportet locum & locatum esse æqualia, vt patet per Philosophum in 4. physic. Sed locus, vbi est hoc sacramentum, est multo minor, quàm corpus Christi. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento, sicut in loco.

CONCLVSIO.

Cùm Christus sit in hoc sacramento, non per modum quantitatis dimensiuæ, sed per modum substantiæ, non est in eo sicut in loco: sed eo modo quo substantia à dimensionibus continetur.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut iam dictum est) corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ, sed magis secundum modum substantiæ. Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensiuæ, inquantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensiuam. Vnde relinquitur, quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, eo s. modo, quo substantia continetur à dimensionibus. Succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiæ panis: vnde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi. non tamen substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis. Et ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ita quod è conuerso dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati. Vnde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

AD primum ergo dicendum, quod corpus Christi non est in hoc sacramento definitiue: quia sic non esset alibi, quàm in hoc altari, vbi conficitur hoc sacramentum, cum tamen sit & in cœlo in propria specie, & in multis aliis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet, quod non est in hoc sacramento circumscriptiue: quia non est ibi secundum commensurationem propriæ quantitatis: vt dictum est. Quod autem non est extra superficiem sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc, quod sit ibi definitiue, vel circumscriptiue, sed ad hoc, quod incæpit ibi esse per consecrationem & conuersionem panis & vini, vt supra dictum est.

AD secundum dicendum, quod locus ille, in quo est corpus Christi, non est vacuus, neque tamen propriè est repletus substantia corporis Christi, quæ non est ibi localiter, sicut dictum est. Sed est repletus speciebus sacramentorum quæ habent replere locum, vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculosè, sicut & miraculosè subsistunt per modum substantiæ.

AD tertium dicendum, quod accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento (sicut supra dictum est) secundum realem concomitantiam & ideo illa accidentia corporis Christi, sunt in hoc sacramento quæ sunt ei intrinseca. Esse autem in loco, est accidens per comparationem ad extrinsecum continens. Et ideo non oportet, quòd Christus sit in hoc sacramento sicut in loco.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento.

453 AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quòd corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus in secundo Top. quòd motis nobis mouentur ea, quæ in nobis sunt. Quod quidem est verum etiam de spirituali substantia animæ. Sed Christus est in hoc sacramento, vt supra habitum est. Ergo mouetur ad motum ipsius.

¶ 2 Præterea, Veritas debet respondere figuræ. Sed de agno paschali, qui erat figura huius sacramenti, non remanebat quidquam vsque mane, sicut præcipitur Exod. 12. Ergo neque etiam si hoc sacramentum reseruetur in crastinum, erit ibi corpus Christi. Ergo non est immobiliter in hoc sacramento.

¶ 3 Præterea, Si corpus Christi remanet sub hoc sacramento etiam in crastino, pari ratione remanebit & per totum sequens tempus: non enim potest dici, quod desinat ibi esse cessantibus speciebus: quia esse corporis Christi, non dependet à speciebus illis. Non autem remanet sub hoc sacramento Christus per totum tempus futurum. Videtur ergo, quod statim in crastino, vel post modicum tempus, desinat esse sub hoc sacramento. Et ita videtur, quod Christus mobiliter sit in hoc sacramento.

SED contra, Impossibile est idem esse motum & quietum: quia sic contradictoria verificarentur de eodem. Sed corpus Christi in cœlo quietum residet. Non ergo est mobiliter in hoc sacramento.

CONCLVSIO.

Cùm Christus non sit in hoc sacramento sicut in loco; perspicuum est, eum immobiliter quidem per se, per accidens verò mobiliter in eo esse.

RESPONDEO dicendum, quod cum aliquid est vnum subiecto, & multiplex secundum esse, nihil prohibet secundum aliquid moueri, & secundum aliquid immobile permanere, sicut corpori est aliud esse album, & aliud esse magnum, vnde potest moueri secundum albedinem, & permanere immobile secundum magnitudinem. Christo autem non est idem esse secundum se, & esse sub hoc sacramento: quia per hoc quod dicimus ipsum esse sub hoc sacramento, significatur quædam habitudo eius ad hoc sacramentum. Secundum igitur hoc esse non mouetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens: quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco, sicut prædictum est. Quod autem non est in loco, non mouetur per se in loco, sed solum ad motum eius in quo est. Similiter autem neque per se mouetur secundum esse quod habet in hoc sacramento, quacumque alia mutatione: puta quantum ad hoc, quod desinat esse sub sacramento: quia illud quod de se habet esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium: sed alio deficiente, hoc desinit esse in eo, sicut Deus, cuius esse est indeficiens & immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc, quod creatura corruptibilis desinit esse. Et hoc modo cum Christus habeat de se esse indeficiens, & incorruptibile, non desinit esse sub sacramento: neque per hoc, quod ipsum desinat esse, neque etiam per motum localem sui (vt ex dictis patet) sed solum per hoc, quod species huius sacramenti desinunt esse. Vnde patet, quod Christus per se loquendo, immobiliter est in hoc sacramento.

AD primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de motu per accidens, quo ad motum nostri mouentur ea quæ in nobis sunt. Aliter tamen ea quæ per se possunt esse in loco: sicut corpora, & aliter ea quæ per se non possunt esse in loco: sicut formæ & spirituales substantiæ. Ad quem modum potest reduci, quod dicimus Christum moueri per accidens secundum esse quod habet in hoc sacramento, in quo non est sicut in loco.

AD secundum dicendum, quòd hac ratione moti videntur fuisse quidam, ponentes, quod corpus Christi non remanet sub hoc sacramento, si in crastinum reseruetur. Contra quos Cyrillus dicit: insaniunt quidam, dicentes mysticam benedictionem cessare à sanctificatione si quæ eius reliquiæ remanserint in diem subsequentem: non enim mutatur sacratum corpus Christi, sed virtus benedictionis & viuificatiua gratia, iugis in eo est. Sicut etiam omnes aliæ consecrationes immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis: propter quod non iterantur. Veritas autem licet figuræ respondeat, tamen figura non potest eam adæquare.

AD tertium dicendum, quòd corpus Christi remanet in hoc sacramento, non solum in crastino, sed etiam in futuro quousque species sacramentales manent. Quibus cessantibus desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eo dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species: per quem modum Deus desinit esse dominus creaturæ desinentis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Corpus Christi prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur quòd corpus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato. Oculus enim noster impeditur à visione corporis Christi, in hoc sacramento existentis, propter species sacramentales ipsum circumuelantes. Sed oculus glorificatus non potest ab aliquo impediri, quin corpora quælibet videat prout sunt. Ergo oculus glorificatus potest videre corpus Christi, prout est in hoc sacramento. 454

¶ 2 Præterea, Corpora gloriosa sanctorum, erunt configurata corpori claritatis Christi: vt dicitur Philip. 3. Sed oculus Christi videt seipsum prout est in hoc sacramento. Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus potest ipsum videre.

¶ 3 Præterea, Sancti in resurrectione erunt æquales Angelis, vt dicitur Luc. 20. Sed Angeli vident corpus Christi, prout est in hoc sacramento: quia etiam dæmones inueniuntur huic sacramento reuerentiam exhibere, & ipsum timere: ergo pari ratione oculus glorificatus potest Christum videre, prout est in hoc sacramento.

SED contra, Nihil idem existens, potest simul ab eodem videri in diuersis speciebus. Sed oculus glorificatus semper videt Christum, prout est in sua specie, secundum illud Isa. 33. Regem in decore suo videbunt. Ergo videtur quod non videat Christum, prout est sub specie huius sacramenti.

CONCLVSIO

Licet Christus in hoc sacramento per modum substantiæ existens, nec oculo corporeo, nec ab intellectu viatoris, nisi per fidem, conspici possit, ab intellectu tamen beato per diuinæ essentiæ visionem videri potest.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est oculus scilicet

licet corporalis proprie dictus, & intellectualis, qui per ſimilitudinem dicitur. A nullo autem oculo corporali corpus Chriſti poteſt videri, prout eſt in hoc ſacramento. Primo quidem, quia corpus viſibile per ſua accidentia immutat medium. Accidentia autem corporis Chriſti ſunt in hoc ſacramento mediante ſubſtantia, ita ſcilicet quod accidentia corporis Chriſti non habent immediatam habitudinem, neque ad hoc ſacramentum, neque ad corpora, quæ ipſum circumſtant. Et ideo non poſſunt immutare medium, vt ſic ab aliquo corporali oculo videri poſſint. Secundo, quia ſicut ſupra dictum eſt *, corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento per modum ſubſtantiæ. Subſtantia autem in quantum huiuſmodi, non eſt viſibilis oculo corporali, neque ſubiacet alicui ſenſui, ſed nec etiam imaginationi, ſed ſoli intellectui, cuius obiectum eſt quod quid eſt, vt dicitur in tertio de anima *. Et ideo proprie loquendo, corpus Chriſti ſecundum modum eſſendi, quem habet in hoc ſacramento, neque ſenſu neque imaginatione perceptibile eſt, ſed ſolo intellectu, qui dicitur oculus ſpiritualis. Percipitur autem diuerſimode à diuerſis intellectibus. Quia enim modus eſſendi quo Chriſtus eſt in hoc ſacramento, eſt penitus ſupernaturalis: à ſupernaturali intellectu, ſcilicet diuino, ſecundum ſe viſibilis eſt, & per conſequens ab intellectu beato, vel Angeli vel hominis: qui ſecundum participatam claritatem diuini intellectus videt ea quæ ſupernaturalia ſunt, per viſionem diuinæ eſſentiæ; ab intellectu autem hominis viatoris, non poteſt conſpici niſi per fidem, ſicut & cætera ſupernaturalia. Sed nec etiã intellectus Angelicus ſecundum ſua naturalia ſufficit ad hoc intuendum. Vnde dæmones non poſſunt videre per intellectum Chriſtum in hoc ſacramento niſi per fidem, cui non voluntarie aſſentiunt, ſed ad eam euidentia ſignorum conuincuntur: prout dicitur Iacobi 2. Quod dæmones credunt & contremiſcunt.

a. 1. huius quæſt.

l. 3 de anima. 26. com. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd oculus noſter corporeus per ſpecies ſacramentales impeditur à viſione corporis Chriſti ſub eis exiſtentis, non ſolum per modum tegumenti, ſicut impedimur videre id quod eſt velatum quocunque corporali velamine: ſed quia corpus Chriſti non habet habitudinem ad medium quod circumſtat hoc ſacramentum, mediantibus propriis accidentibus, ſed mediantibus ſpeciebus ſacramentalibus.

Ad ſecundum dicendum, quòd oculus corporalis Chriſti videt ſeipſum ſub ſacramento exiſtentem: non tamen poteſt videre ipſum modum eſſendi, quo eſt ſub ſacramento, quod pertinet ad ſolum intellectum. Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo, quia etiã ipſe oculus Chriſti eſt ſub hoc ſacramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorioſus.

Ad tertium dicendũ, quòd Angelus bonus vel malus, non poteſt aliquid videre oculo corporeo, ſed ſolum oculo intellectuali. Vnde non eſt ſimilis ratio, vt ex dictis patet *.

in co. a.

ARTICVLVS VIII.

Verùm quando in hoc ſacramento apparet miraculosè caro vel puer, ſit ibi verè corpus Chriſti.

441 Ad octavvm ſic proceditur. Videtur, quod quando in hoc ſacramento miraculosè apparet caro vel puer, non ſit ibi vere corpus Chriſti. Corpus enim Chriſti deſinit eſſe ſub hoc ſacramento, quando deſinunt eſſe ſpecies ſacramentales: vt dictum eſt *. Sed quando apparet caro vel puer, deſinunt eſſe ſpecies ſacramentales. Ergo non eſt ibi vere corpus Chriſti.

a. 6. 10. a. 2. q. 8. ad. 1. & a. 4. q. 8 & 3. & qu. 5 b. c. 11. † a prae. ad 3. 476.

¶ 2 Præterea, Vbicunque eſt Corpus Chriſti, vel eſt ibi ſub ſpecie propria, vel ſub ſpecie ſacramẽti. Sed quando tales apparitiones fiunt, manifeſtum eſt, quod non eſt ibi Chriſtus ſub ſpecie propria, (quia in hoc ſacramento totus Chriſtus continetur, qui permanet integer in forma, qua aſcendit in cælum: cum tamen id quod miraculosè apparet in hoc ſacramento, quandoque videatur vt quædam parua caro, quandoque autem vt paruus puer) manifeſtum eſt etiam, quod non eſt ibi ſub ſpecie ſacramenti, quæ eſt ſpecies panis vel vini. Ergo videtur, quod corpus Chriſti nullo modo ſit ibi.

¶ 3 Præterea, Corpus Chriſti incipit eſſe in hoc ſacramento per conſecrationem & conuerſionem, vt ſupra dictum eſt *. Sed caro & ſanguis miraculosè apparentia non ſunt conſecrata nec conuerſa in verum corpus & ſanguinem Chriſti. Non ergo ſub his ſpeciebus eſt corpus, vel ſanguis Chriſti.

q. 75. a. 2.

Sed contra eſt, quod tali apparitione facta, eadem reuerentia exhibetur ei quod apparet, quæ etiam primo exhibebatur. Quod quidẽ non fieret, ſi vere non eſſet ibi Chriſtus, cui reuerentiam latriæ exhibemus. Ergo etiam tali apparitione facta Chriſtus eſt ſub hoc ſacramento.

CONCLVSIO.

Remanentibus in ſacramento dimenſionibus, quæ prius fuerant, quanquam miraculosè appareat ibi puer, vel caro ad oſtendendam corporis Chriſti veritatem: verum nihilominus Chriſti corpus in eo continetur.

Respondeo dicendum, quòd dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc ſacramento miraculosè videtur caro aut ſanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorũ oculi immutantur tali immutatione, ac ſi expreſſè viderent exterius carnem, vel ſanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte ſacramenti. Et hoc quidem videtur contingere, quando vni videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, aliis tamen videtur ſicut & prius ſub ſpecie panis: vel quando eidem ad horam videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, & poſtmodum ſub ſpecie panis. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionẽ, ſicut accidit in magorum præſtigiis: quia talis ſpecies diuinitus formatur in oculo, ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc ſcilicet quod manifeſtetur verè corpus Chriſti eſſe ſub hoc ſacramento, ſicut etiam Chriſtus abſque deceptione apparuit diſcipulis euntibus in Emmaus. Dicit enim Aug. * in lib. de quæſt. Euang. quod cum fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte ſacramenti, manifeſtum eſt, quòd non deſinit Chriſtus eſſe ſub hoc ſacramento tali apparitione facta. Quandoque vero contingit talis apparitio non per ſolam immutationem videntium, ſed ſpecie quæ videtur, realiter exterius exiſtente. Et hoc quidẽ videtur eſſe quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & non ad horam, ſed per longum tempus ita permanet. Et in hoc caſu quidam dicunt, quod eſt propria ſpecies corporis Chriſti: nec obſtat, quod quandoque non videtur ibi totus Chriſtus, ſed aliqua pars carnis, vel etiam videtur non in ſpecie iuuenili, ſed in effigie puerili, quia in poteſtate corporis glorioſi eſt, quòd videatur ab oculo non glorificato, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem & in effigie vel propria vel aliena, vt infra dicetur. * Sed hoc videtur eſſe inconueniens. Primo quidem quia corpus Chriſti, non poteſt in propria ſpecie videri, niſi in vno loco, in quo definitiue continetur. Vnde cum videatur in propria ſpecie, & adoretur in cælis, ſub propria ſpecie non videtur in hoc ſacramento.

li. 2. q. 51. ab. non procul à prin. ſi. a.

non abſolute mente præmiſſam, ſed vide in ſine. 3. p. q. 4. q. 5. art. 4.

Secundo, quia corpus glorioſum quod apparet vt vult, poſt apparitionem cum voluerit diſparet, ſicut dicitur Luc. vltimo quod Dominus ex oculis diſcipulorum euanuit. Hoc autem quod ſub ſpecie carnis in hoc ſacramento apparet, diu permanet: quinimo legitur quandoque eſſe incluſum, & multorum epiſcoporum conſilio in pixide reſeruatum, quod nefas eſſet de Chriſto ſentire ſecundùm propriam ſpeciem. Et ideo dicendum eſt, quòd manentibus dimenſionibus, quæ prius fuerunt, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia (puta figuram & colorem & alia huiuſmodi) vt videatur caro vel ſanguis, aut etiam puer. Et ſicut prius dictum eſt *, hoc non eſt deceptio: quia fit in figuram cuiuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quòd in ſacramento eſt vere corpus & ſanguis Chriſti. Et ſic patet, quòd remanentibus dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, vt infra * dicetur, remanet vere corpus Chriſti in hoc ſacramento.

in iſſo art.

q. ſeq. a. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod facta tali apparitione ſpecies ſacramentales quandoque quidem totaliter remanent in ſeipſis quandoque autem ſecundum id, quod eſt principale in eis, vt * dictum eſt.

in cor. art.

Ad ſecundum dicendum, quòd in huiuſmodi apparitionibus ſicut dictum eſt *, non videtur propria ſpecies Chriſti, ſed ſpecies miraculosè formata, vel in oculis intuentium, vel etiam in ipſis ſacramentalibus dimenſionibus: vt dictum eſt *.

in cor. art.

Ad tertium dicendum, quod dimenſiones panis & vini conſecrati manent, immutatione circa eas miraculosè facta quantum ad alia accidentia, vt dictum eſt *.

ibidem. q. 75. a. 5 & 6.

DISPVTATIO IV.

De modo quo Chriſtus eſt in Euchariſtia.

Determinato iam ſecundùm fidem in præcedenti diſputatione, Chriſtum eſſe verè, & realiter in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: in præſenti determinandum eſt cum D. Thoma quæſt. 76. de modo, quo in eo exiſtit.

DVBIVM I.

Vtrùm corpus Chriſti ſit ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini.

Svpponendum eſt ex D. Thoma hîc art. 1 quòd aliquid eſt in Euchariſtia dupliciter; vno modo quaſi ex vi Sacramenti, ſiue ex vi verborum conſecrationis: alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem Sacramenti eſt ſub ſpeciebus huius Sacramenti, id in quod directè conuertitur ſubſtantia panis & vini præexiſtens, prout ſignificatur per verba formæ, quæ ſunt effectiua in hoc Sacramento id quod ſignificant. Ex naturali autem concomitantia eſt in hoc Sacramento illud, quod realiter eſt coniunctum ei in quod prædicta conuerſio terminatur

minatur: si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, vbicumque est vnum realiter oportet & aliud esse; sola enim operatione animæ discernuntur, quæ realiter sunt coniuncta.

Prima opinio Gabrielis lect. 41. in canonem Missæ: Marsilij in 4. quæst. 8. art. 1. dub. 2 & Maioris d. 10. quæst. 5. asserit solam materiam primam, quæ est in corpore Christi poni sub speciebus panis ex vi verborum. Probatur; Corpus Christi, vt condistinctum ab eius anima, ponitur ex vi verborum sub speciebus panis, quia ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. ex vi Sacramenti non ponitur anima, sed corpus: atqui corpus, vt condistinctum ab anima, nihil est aliud quàm sola materia prima, quia in Christo nulla est alia forma præter animam, vt expresse docet D. Thom. & eius Discipuli: ergo sola materia prima corporis Christi ponitur ex vi verborum sub speciebus panis. Deinde; ex vi verborum ponitur corpus Christi quod fuit viuum & mortuum in triduo, vt communiter admittunt Theologi: sed hoc solam importat materiam primam: & si importaret aliquam formam, cùm non esset eadem forma corporis viui ac corporis mortui, vt patet; non esset idem numero corpus: ergo sola materia prima ponitur ex vi verborum sub speciebus panis.

Secunda opinio Scoti in 4. d. 11. quæst. 3. & Henrici quodlibero 4. quæst. 3. asserit corpus Christi, vt importat compositum ex materia prima & forma substantiali corporeitatis, poni sub speciebus panis ex vi verborum. Probatur; Corpus importat aliquid materiale tantùm; non solam materiã: hęc enim est solùm pars corporis: ergo ipsam vt informatam forma corporeitatis; anima enim rationalis, vt pote spiritualis, non potest causare formaliter gradum materialem corporeitatis: cùm enim forma causet formaliter dando seipsam, non potest causare formaliter aliquid tale vt quod; nisi ipsa sit talis vt quo. Deinde; in triduo mortis fuit in corpore Christi Domini forma corporeitatis, non enim fuit producta de nouo in morte eius, & consequenter antea erat: sed ipsa cum materia prima facit verum corpus: ergo cùm ex Concilio Tridentino ex vi verborum sub speciebus panis sit tantùm corpus Christi, debet esse compositum hoc ex materia prima & forma corporeitatis. Denique idem fuit corpus Christi ante mortem in triduo mortis, & nunc gloriosum, vt constat ex illo Ioan. 19. Accessit ad Pilatum vt tolleret corpus Iesu: & ex illo Psalmi; Caro mea requiescet in spe: & videtur euidens; nam si fuisset reseruata hostia quam Christus consecrauit, in triduo fuisset idem corpus Christi, sed mortuum: & Ecclesia tenet quòd si in triduo mortis fuisset facta consecratio, fuisset in hostia corpus Christi mortuum: sed non habuit in triduo esse corporeum ab anima rationali, fuit enim separata: ergo à forma corporeitatis quæ constituitur corpus, quod ponitur ex vi verborum sub speciebus panis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd corpus Christi est sub speciebus panis ex vi verborum: 2. Non vt præcisè importat materiam primam; 3. Aut corpus de prædicamento substantiæ secundùm communem rationem corporis quæ est species subalterna; 4. Aut corpus prout importat compositum ex materia prima & forma corporeitatis; 5. Sed vt est corpus organicum habens partes dissimilares, scilicet membra requisita ad corpus humanum, & in eis carnem, pellem, ossa, neruos, & alia huiusmodi: 6. Sicut & totus sanguis Christi sub speciebus vini.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide: tum ex ipsa forma consecrationis, quæ efficit quod significat: vnde cùm forma, Hoc est corpus meum, significet sub speciebus panis esse corpus Christi, efficit quòd ibi sit: ergo est ex vi verborum. Tum authoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. vbi sic ait: Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verúmque eius sanguinem sub panis & vini specie, vnà cum ipsius anima, & diuinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborũ, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animámque sub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur.

Probatur secunda pars conclusionis: Verba consecrationis sunt significatiua propriè, & non tantùm impropriè, vt patet; vnde efficiunt vt sit sub speciebus panis id quod propriè significant, scilicet verum corpus Christi: sed sola materia prima propriè non est corpus, at tantum pars corporis, vt patet ex Philosophia: ergo non sola materia prima ponitur ex vi verborum sub speciebus panis. Deinde; si nomine corporis intelligeretur sola materia prima, posset consecratio fieri sub his verbis; Hæc est mea materia prima, quod tamen nullus concedit. Denique; vt postea dicetur, debet esse corpus organicum, quod importat plusquam materiam primam, quæ est pura potentia; organizatio autem importat aliquam actuationem. Ex hîc dictis sequitur, quòd corpus Christi positum ex vi verborum sub speciebus panis non importat corpus de prædicamento quantitatis, vt docet D. Thom. hîc art. 1. ad 3. vbi ait, quòd substantia corporis Christi vel sanguinis est sub hoc Sacramento ex vi Sacramenti; non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi. Ratio est, quia tale corpus est accidens, panis autem conuertitur in substantiã corporis Christi:

maximè

maximè quia aliàs posset fieri consecratio sub his verbis æquiualentibus & sinonymis; Hoc est quantitas mea; vel, Hoc est dimensiones meæ, quod nullus Catholicus admittit.

Probatur tertia pars conclusionis. Panis ex vi verborum conuertitur in corpus humanum Christi Domini, siue organizatum, vt postea dicetur, & vt importat veram carnem, iuxta illud Ioannis 6. Caro mea verè est cibus; vnde admittunt communiter Theologi, quòd æquè fieret consecratio sub his verbis, Hæc est caro mea, quia caro sumitur ex D. Thom. hîc art. 1. ad 2. pro tota substantia corporis humani: sed corpus de prædicamento substantiæ secundùm communem rationem corporis (quæ est species subalterna, & habet esse ab anima secundùm rationem communem, priùs naturâ, quã det esse viuentis, animalis, & hominis) non est corpus organizatum, vt patet: ergo tale corpus non est illud præcisè, quod est sub speciebus panis ex vi verborum. Et hoc expressè habet D.Thom. hîc art. 1. ad 2. vt dicetur postea.

Probatur quarta pars conclusionis. Ex dictis in libris de generatione & corruptione, in quolibet composito substantiali est vna tantùm forma substantialis, sicut in homine est tãtùm anima rationalis; quia ex pluribus entibus in actu non potest fieri vnum per se: si autem ante aduentum formæ specificæ, materia prima haberet aliam; esset in actu: & ita adueniente forma specifica, non fieret vnum per se: ergo non datur in Christo corpus compositum ex materia prima & forma corporeitatis. Deinde, nulla est forma, quæ vnita materiæ primæ non constituat corpus; resultans enim totum est corporeum secluso quocumque alio, non enim est substantia spiritualis & incorporea: ergo non datur forma corporeitatis distincta ab specifica, vt pote superflua. Denique ex Aristotele 2. de generatione animalium cap. 1. caro & facies æquiuocè dicuntur de carne & facie viua & mortua, & consequenter corpus constans carne & facie aliisque membris, æquiuocè dicitur de corpore viuo & mortuo: ergo non est eadem forma corporeitatis, quæ priùs in viuo remaneat in mortuo: ex diuersitate enim tantũ formarum sequitur distinctio specifica compositorum: nec corpus mortuum esset specie distinctum à viuo, nisi ratio corporeitatis in ipsis proueniret ex diuersa specie forma.

Probatur quinta pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc art. 1. ad 1. vbi sic ait: Ex vi Sacramenti sub hoc Sacramento continetur quantùm ad species panis, non solùm caro, sed totum corpus Christi, scilicet ossa, nerui, & alia huiusmodi; & hoc apparet ex forma huius Sacramenti, in qua non dicitur, Hæc est caro mea; sed, Hoc est corpus meum: & ideò cùm Dominus dixit, Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, caro ponitur ibi pro toto corpore, quia secundùm consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accommodata, prout scilicet homines carnibus vescuntur communiter, non autem ossibus, vel aliis huiusmodi. Vnde vis rationis D. Thom. in hoc consistit, quòd ex vi formæ Sacramẽtalis ratione ly, meum, ponitur corpus Christi quod tunc erat & semper remansit organizatum: per organizationem autem non intelligimus formalem & accidentalem, hæc enim prouenit à quantitate molis siue dimensiua, quam infra dicemus esse tantùm per concomitantiã in hoc Sacramento: sed substantialem & radicalem quæ importat ipsam substantiam corporis, habentem talem quantitatem, figuram organicam, quam exigit ratione formæ ad quam sequuntur talia accidentia: non autem importat ipsam vt habentem talem organizationẽ formalem. Quod sic magis declaratur; forma rationalis hominis communicat subiecto omnes gradus essentiales, scilicet esse entis, substantiæ, corporis, viuentis, animalis, & hominis quodã ordine; ita vt priùs naturâ communicet primum, deinde secundum, & sic successiuè incipiendo à superioribus vsque ad specificum; organizatio autem tota completur ab anima vt est sensitiua: nam vt est intellectiua non indiget organis nisi præsuppositiuè, in quantũ eius intellectualis operatio dependet à sensitiua: vnde corpus organicum humanum viuum importat compositum ex materia prima, & anima rationali; sed non vt tali, at vt virtualiter saltem sensitiua causat organizationem quam retinet adueniente forma cadaueris: corpus autem Christi, vt positum nunc ex vi verborum sub speciebus panis, est integrum, sicut nunc est in cœlo; vnde si reassumpsit præputium in Resurrectione, vt pote pertinens ad integritatem corporis, sicut docet Suares, Cornejo, & alij; etiam illud ex vi verborũ ponitur sub speciebus panis, coniunctum aliis mẽbris corporis: licet non fuerit in prima consecratione, quando Christus Dominus instituit hoc sanctissimum Sacramentum: quia tunc erat separatum à corpore.

Probatur sexta pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini adducta in prima parte, vbi definit Concilium sanguinem Christi esse sub speciebus vini ex vi verborum: hæc autem indefinita propositio æquiualet vniuersali. Deinde; illud est in hoc Sacramento ex vi verborum, quod significatur per verba, nam illa efficiunt quod significant: sed verba consecrationis significant sanguinem Christi indefinitè, ac proinde totum sanguinem esse sub speciebus vini: ergo sub illis est totus sanguis ex vi verborum. Si dicatur quòd in forma consecrationis additur; Qui pro vobis effundetur; totus autẽ non fuit effusus. Respondetur quòd totus fuit effusus, & quamuis non fuisset totus effusus, per has particulas non limitatur quantitas

titas sanguinis existentis in Sacramento, sed declaratur pretium talis sanguinis, amor Christi in nos quo effusus est, & finis institutionis huius Sacramenti; in memoriam passionis videlicet Christi. Ponitur autem iuxta modum quem habet, nam modò ponitur totus quẽ habet Christus in cœlo, cum totus modò hypostaticè sit Verbo vnitus: si autẽ quid illius Christus non reassũpserit, vt minus probabiliter aliqui tenent, vt videre est in tractatu de Incarnatione, sub Sacramento non ponitur. Si consecratio facta fuisset in triduo, positus fuisset omnis hypostaticè Verbo vnitus, dispersus tamen & discontinuus; nam ponuntur in Sacramento tam corpus quàm sanguis Christi, vt sunt à parte rei: vnde Christus consecrando in institutione huius Sacramenti, posuit suum corpus mortale, in triduo si facta fuisset consecratio, fuisset in Sacramento mortuum, nunc autem ponitur gloriosum: vnde in triduo mortis fuisset quidẽ sanguis Christi in Sacramento vnus, non continuatione, sed supposito, quia quælibet pars illius dispersi remansit vnita eidem supposito Verbi: vnde sub qualibet particula specierum vini fuisset totus sanguis vt discontinuus, quia est ibi modo indiuisibili, & non connaturali in ordine ad locum, ac proinde licèt sit totus in vno vase; non tamen continuatur (sicut si esset modo connaturali) in ordine ad locum vasis.

Ad primum ergo, dicendum, quòd Concilium Tridentinum, dum ait animam Christi poni per concomitantiam, in hoc Sacramento, intelligit secundùm gradum specificum rationalis quem habet, & communicat toti, qui est præcipuus, ac proinde quæ secundùm illum conueniunt animæ, dicuntur absolutè conuenire: non autem intelligit de ipsa secundùm quòd communicat gradum corporeitatis, organizationem, & alios gradus superioris. Ad aliud, dicendum, quòd corpus Christi viuum importat materiam primam, & formam substantialem, sub aliquo gradu superiori saltem communicatam, putà corporeitatis: mortuum autem importat materiam primam cum forma cadaueris. Est autem idem numero, vt ait D. Thom. supra quæst. 50. art. 5. triplici identitate, videlicet materiæ primæ, suppositi, & existentiæ actualis: & hoc sufficit vt dicatur simpliciter idem (quamuis desit identitas formæ corporeitatis, & non sit idem omnibus modis) quia corpus est concretum, vnde non significat formam corporeitatis, sed suppositum habens illam; non quidem realiter distinctam à forma rationali: constat autem quòd idem est suppositum corporis Christi viui ac mortui, nempe suppositum diuinum Verbi.

Ad secundum, dicendum, quòd anima rationalis, licèt sit formaliter spiritualis, est tamen eminenter corporea: sicut enim datur eminentia in genere causæ efficientis, sic etiam datur in genere causæ formalis: imò forma quæ est tantùm aliquid eminenter in genere causæ efficientis, non denominat subiectũ secundùm illud: sicut lux non dat denominationem calidi formaliter, quamuis contineat eminenter calorem: quod autem est eminenter aliquid in genere causæ formalis, denominat subiectum formaliter secundùm illud. Ratio discriminis est, quia forma causat vnita immediatè per suam entitatem, vnde communicat totum quod habet, siue formaliter, siue eminenter: causa verò agens causat media actione à se distincta, vnde effectus correspondet actioni potius, quàm causæ agenti. Ad aliud, dicendum, quòd in triduo mortis fuit in corpore Christi forma cadaueris dans esse corporeum materiæ, sed diuersum ab eo quod priùs dabat anima rationalis; hæc autem forma causatur tempore corruptionis diuersa pro diuersitate dispositionum, à cœlo, vel à prima causa, cuius est supplere defectum causæ particularis, vt sæpe docet D. Th. nullum est autem incõueniens admittere quòd Christus assumpserit formam cadaueris, & postea dimiserit, non enim assumpserat ex primaria intentione, sed propter materiam sibi vnitam: vnde fuit assumpta quasi in via, sicut præputium, si non reassumpsit: vnde axioma S. Damasceni, Quod semel assumpsit nunquam dimisit, intelligitur de tota humanitate, & partibus principalibus illius. Poterat autem tunc concedi propter communicationem idiomatum, quòd Deus erat cadauer, & cadauer Deus: sicut dicitur quòd sit mortuus, crucifixus, &c. Ad aliud patet ex dictis: quomodò corpus Christi viuum & mortuum sit idem triplici identitate: in aliis verò est tantùm idem identitate materiæ; hæc tamen sufficit, vt illi exhibeatur adoratio debita Sanctis.

DVBIVM II.

Vtrùm corpus Christi contineatur per concomitantiam sub speciebus vini, & sanguis sub speciebus panis.

PRIMA opinio esse potest, quòd corpus Christi non contineatur per concomitantiam sub speciebus vini, nec sanguis sub speciebus panis. Probatur, Si quid suaderet continentiam hanc per concomitantiam, esset maximè quia corpus & sanguis Christi sunt coniuncta; quando autem aliqua sunt coniuncta & vbi est vnum, ibi debet esse concomitanter aliud: sed hoc fundamentum est falsum, nam secundùm fidem humanitas Christi est Hypostaticè coniuncta Verbo, & tamen secundùm fidem non est vbique, sicut est Verbum. Similiter alij humores, & excrementa sunt coniuncta corpori Christi, & tamen non sunt per concomitantiam in hoc Sacramento: ergo

ergo corpus Christi non continetur per concomitantiam sub speciebus vini, nec sanguis sub speciebus panis.

Secundò, Sanguis non informatur eadem anima ac corpus; vnde non sunt continua, sed tantùm contigua: sicut cibus dum est in stomacho non est continuus, at tantùm contiguus ipsi stomacho: ergo sicut cibus, qui erat in stomacho Christi dum consecrauit, non fuit per concomitantiam in hoc Sacramento: sic nec corpus Christi est per concomitantiam sub speciebus vini, nec sanguis sub speciebus panis.

Tertiò; Dato quòd remanserit aliquid sanguinis in corpore Christi, si in triduo facta fuisset consecratio, non fuisset per concomitantiam sub speciebus panis, & tamen fuit coniunctus ipsi corpori; ergo sanguis non est per concomitantiam sub speciebus panis nunc; quia sanguis viuus non habet maiorem coniunctionem cum corpore viuo, quàm sanguis mortuus cum corpore mortuo.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd corpus Christi continetur per concomitātiam sub speciebus vini, sicut & sanguis sub speciebus panis. Si autem in triduo mortis Christi facta fuisset consecratio, talis concomitantia non fuisset.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide, authoritate Conciliorum: nam in Constantiensi sess. 13. Basiliens. sess. 30. Florentino in decreto Eugenij, & Tridentin. sess. 13. cap. 3. definitur totum Christum esse sub qualibet specie; vnde Tridentinum loco citato ait: Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri; totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub qualibet ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit: ergo cum ex vi verborū corpus non contineatur sub speciebus vini, nec sanguis sub speciebus panis: & aliunde pertineāt ad integritatem humanitatis Christi, continentur per concomitantiam. Deinde, Concilium Tridentinum paulò ante expressè id determinat: postquam enim dixit, Corpus ex vi verborum contineri sub speciebus panis, & sanguinē sub speciebus vini, subdit ipsum corpus contineri sub specie vini. & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur. Denique ratione indicata à Concilio, & proposita à D. Thom. hic art. 1. quando aliqua sunt realiter coniuncta adæquatè, vbicumque est vnum realiter, oportet & aliud esse: sola enim operatione animæ discernuntur; quæ realiter sunt coniuncta: sed corpus viuum & gloriosum Christi Domini, est realiter coniunctum cum suo sanguine, quem intra venas con-

tinet; & sanguis est realiter coniunctus cum corpore, cùm intra venas eius contineatur: ergo vbicumque est vnum ipsorum realiter, ibi est & aliud: & hoc est esse per concomitantiā; & consequenter corpus est per concomitantiam sub speciebus vini, & sanguis sub speciebus panis.

Probatur secunda pars conclusionis ratione deducta ex Conciliis supra adductis; Ideò corpus Christi est per concomitantiam sub speciebus vini, & sanguis sub speciebus panis, quia corpus viuum & sanguis habent naturalē connexionem, & realem coniunctionem: sed in triduo mortis non fuit talis connexio & coniunctio, imò sanguis sacratissimus fuit separatus à corpore, & hinc inde dispersus vt fides docet: ergo tunc talis concomitantia non fuisset. Deinde authoritate D. Thom. hic artic. 2. vbi sic ait: Sanguis Christi fuit ab eius corpore separatus tempore passionis & mortis; vnde si tunc fuisset hoc Sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine, & sub speciebus vini sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate. Ratio D. Thomæ in hoc fundatur; quòd corpus & sanguis Christi ponuntur in hoc Sacramento, eo modo quo sunt à parte rei, quia hæc positio est per conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi; vt dictum est: conuersio autem quæ nunc fit, habet pro termino ad quem corpus, vel sanguinem Christi prout nunc existit, ac proinde secundùm modum quem habet, dum fit conuersio: hoc enim indicat forma consecrationis, quæ est de præsenti; vnde quando Christus cōsecrauit in institutione huius Sacramenti, fuit in eo corpus Christi mortale, in triduo fuisset mortuū, nunc est gloriosum: quamuis ex vi Sacramenti præscindat à mortali, mortuo, & glorioso: vnde vt ponitur, præscindit ab anima, vt dat gradum vitæ.

AD primum ergo, dicendum, quòd non sufficit quælibet realis coniunctio aliquorum, vt vbi est vnum, ibi sit & aliud, nam in triduo mortis corpus & sanguis Christi erant vnita in vno tertio, scilicet supposito diuino: & tamen corpus & sanguis non fuissent simul per concomitantiam, vt dictum est; sed requiritur coniunctio adæquata, id est quòd illud quod dicitur esse per concomitantiam saltem æquè latè pateat, ac aliud quod concomitatur: constat autē quòd humanitas Christi non adæquat Verbum, vnde non est vbique sicut Verbum. Deinde hæc coniunctio debet esse naturalis ad concomitantiam, vt ait Concilium, & hæc reperitur tantùm inter res, quæ pertinent ad integritatem eiusdē: excrementa autem, sicut & humores non informati forma totius, se habent per accidens, sicut & vestes ac alia extrinseca, vnde ista non possunt esse per concomitantiam in hoc Sacramento.

Ad secundum, dicendum, quòd verus sanguis informatur animâ totius, vt in homine anima rationali, quia pertinet ad veritatem & integritatem corporis humani, vt dictum est in libris de Anima; vnde non est tantùm contiguus, vt cibus in stomacho; sed est continuus sicut aliæ partes. Non tamen sequitur, quòd debeat poni in hoc Sacramento ex vi verborum quia vt notauit D. Thom. hic art. 2. ad 2. ideo in hoc Sacramēto seorsùm consecratur sanguis à corpore, non autem aliqua alia pars separata ab alia, quia in passione Christi (cuius hoc Sacramentum est memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis ab inuicem separatæ, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit; vnde ex vi consecrationis solus sanguis ponitur sub speciebus vini, & non ponitur nisi per concomitantiam sub speciebus panis, sub quibus ponitur ex vi verborum quicquid est de integritate corporis, vt pars illius solida: imò aliqui comprehendunt etiam alios tres humores, qui ex doctrina D. Thom. informantur anima rationali.

Ad tertium, dicendum, quòd dato illo casu, sanguis ille qui mansisset in corpore Christi, fuisset per concomitantiam sub speciebus panis: & vice versa corpus fuisset per concomitantiam sub speciebus vini. Ratio primi est, quia forma cadaueris humani exigit in suo saltem principio sanguinem illum emortuum, non minùs ac reliquas partes corporis, cùm sit quædam vmbra animæ rationalis, vt colligitur ex figura humana quæ remanet in cadauere; ac ita sanguis habet naturalem coniunctionem cum corpore; hæc autem naturalis coniunctio est ratio formalis concomitantiæ, vt patet ex Concilio. Ratio secundi est, quia non solus sanguis, qui effusus est, consecratur, sed totus verus sanguis, ac proinde ex vi verborum positum fuisset sub speciebus vini, illud omne quod remansisset in corpore mortuo: & cùm aliunde habeat naturalem connexionem cum illo, vt dictum est, corpus fuisset ibi positum per concomitantiam.

DVBIVM III.

Vtrùm anima & diuinitas Christi sint sub vtraque specie per concomitantiam.

SVpponendum est ex D. Thoma 1. p. q. 118. art. 2. quòd cùm generatio vnius semper sit corruptio alterius, necesse est dicere, quòd tam in homine, quàm in animalibus aliis, quando perfectior forma aduenit, fit corruptio prioris: ita tamen quòd sequens forma habet quicquid habebat prima, & adhuc amplius; & sic per multas generationes & corruptiones peruenitur ad vltimam formam substantialem, tam in homine, quàm in aliis animalibus: & hoc ad sensum apparet in animalibus ex putrefactione generatis. Sic igitur dicendum est, quòd anima intellectiua creatur à Deo in fine generationis humanæ, quæ simul est & sensitiua, & nutritiua, corruptis formis præexistentibus. Hanc autem successionem formarum describit sic art. præcedenti ad 4. vbi sic ait: In materia feminis statim à principio est anima vegetabilis, non quidem secundùm actũ secundum, sed secundùm actum primum; sicut anima sensitiua in dormientibus: cùm autem incipit attrahere alimentum, tunc iam actu operatur: huiusmodi igitur materia transmutatur à virtute, quæ est in semine maris, quovsque perducatur in actũ animæ sensitiuæ: postquam autem per virtutem principij actiui, quod erat in semine, producta est anima sensitiua in generato, quantùm ad aliquam partem principalem, tunc iam illa anima sensitiua prolis incipit operari ad complementum proprij corporis, per modum nutritionis & augmenti. Hæc dicta sint ad ostendendum quomodò organizatio præcedit introductionem animæ rationalis: & licèt in Christo Domino non fuerit hæc successio animarum; quia sanctissimum eius corpus non virtute seminis, sed virtute Spiritus Sancti ex purissimo sanguine Beatissimæ Virginis in instanti efformatum, statim informatum est anima rationali: hæc tamen eius organizatio non est effectus eius vt rationalis, sed vt est sensitiua saltem eminenter.

Prima opinio asserit animam Christi Domini esse in hoc Sacramento, non per concomitantiam, sed ex vi verborum, saltem sub specie panis. Probatur; Corpus Christi importat materiam primam informatam forma substantiali, quæ alia non est nisi anima rationalis: ergo cùm corpus Christi sit sub specie panis ex vi verborum, est etiam anima rationalis. Deinde, consecratio terminatur ad corpus Christi vt viuum; sicut terminata fuisset ad ipsum vt mortuum, si facta fuisset in triduo: sed corpus viuum vt tale includit animam: ergo anima est in hoc Sacramento ex vi verborum. Denique, anima rationalis vt dans esse corporeum, est eadem realiter cum seipsa vt dat gradum vitæ, sola ratione differens: ergo cùm admittatur esse ex vi verborum vt dat esse corporeum, debet etiam admitti quòd sit ex vi verborum vt dat gradum vitæ, & vt anima.

Secunda opinio asserit suppositum diuinum Verbi esse in hoc Sacramento ex vi verborum. Probatur; In forma consecrationis, tam corporis quàm sanguinis, importatur suppositum; nam pronomina (meum) & (mei) referuntur ad Christũm, cùm ipse sit qui loquitur: sed omne illud est in hoc Sacramento ex vi verborum, quod importatur per formam: ergo & suppositum Christi. Item Pronomina (hoc) & (hic) quæ sunt in forma, significant aliquid substantium,

tiuum, & subsistens: ergo cùm corpus & sanguis Christi non habeant aliam subsistentiam quàm diuinam Verbi, hæc erit ex vi verborum in hoc Sacramento. Deinde, terminus à quo huius cōuersionis Eucharisticæ importat panem & vinum, vt desinentia secundùm totum substantiale quod habent, idest essentiam, subsistentiam, & existentiam: ergo terminus ad quem positus ex vi verborum, scilicet corpus & sanguis, important etiam subsistentiā, & existentiam Verbi. Denique, Eucharistiæ Sacramentum est sanctificatiuum, viuificatiuum, & cibus spiritualis animæ; sed nisi importetur suppositum diuinum, non habet hanc virtutem, ratione solius corporis & sanguinis: ergo suppositum diuinum Verbi est in eo ex vi verborum.

Tertia opinio est in alio extremo, quòd diuinitas non sit in hoc Sacramento, nec per concomitantiam. Probatur, Illa solùm sunt in hoc Sacramento per concomitantiam, quæ habent naturalem connexionem cum corpore & sanguine Christi, quæ ponuntur ex vi verborum: sed diuinitas non habet naturalem connexionem cum corpore & sanguine Christi, siue naturale opponatur supernaturali, aut libero; nam talis connexiò est supernaturalis & libera: ergo diuinitas non est in hoc Sacramento per concomitantiam. Deinde; quod est alicubi per concomitantiam, incipit de nouo ibi esse: constat autem quòd diuinitas est vbique per immensitatem: ergo non est in hoc Sacramento per concomitantiam. Denique, si omne illud quod est vnitum corpori & sanguini Christi, est in hoc Sacramento per concomitantiam; etiam Pater, & Spiritus Sanctus sic erunt, quia mediante diuinitate, cui identificantur, vniuntur ipsi corpori & sanguini Christi: sed hoc admitti non potest: ergo nec diuinitas (licèt vnita corpori & sanguini Christi) per concomitantiam in hoc Sacramento.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd anima rationalis Christi Domini est sub vtraque specie huius Sacramenti per cōcomitantiam; 1. Sicut & eius diuinitas; 3. Ac suppositum diuinum: 4. Et similiter Pater ac Spiritus Sanctus; per concomitantiam tamen solùm mediatam & secundariam.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. vbi ait animā sub vtraque specie contineri vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur. Deinde authoritate D. Thom. hîc art. 1. ad 1. vbi ait: Et ideò in hoc Sacramento corpus quidem Christi est ex vi Sacramenti; anima autem Christi ex reali concomitantia. Denique ratione D. Thom. articulo citato in corpore; vbi sic eam proponit: Si aliqua duo sunt realiter coniuncta, vbicumque est vnum realiter; oportet & aliud esse: sed corpus & sanguis Christi sunt realiter coniuncta cum anima: ergo cùm in hoc Sacramento sit ex vi verborum corpus Christi sub specie panis, & sanguis sub specie vini, anima eius est sub vtraque per concomitantiam.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. vbi postquam dixit animam Christi esse sub vtraque specie per concomitantiam, subdit: diuinitatem propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem. Deinde authoritate & ratione D. Thom. hic art. 1. ad 1. vbi sic ait: Quia enim diuinitas corpus assumptum nunquam deposuit, vbicumque est corpus Christi, necesse est & eius diuinitatem esse; & ideò in hoc Sacramento necesse est esse diuinitatem Christi concomitantem eius corpus.

Probatur tertia pars conclusionis prædicta authoritate Concilij; Per diuinitatē enim non intelligit solam naturam diuinam, sed totum id diuinum quod est in Christo; vt euidenter colligitur ex duobus: Primo, quia dicit diuinitatem esse per concomitantiam sub vtraque specie, propter admirabilem illam eius cum corpore & anima Hypostaticam vnionem; constat autem quòd vnio hypostatica corporis & animæ Christi est primariò cum supposito diuino Verbi, & secundariò tantùm cum natura. Secundo, quia ex hac concomitantia animæ & diuinitatis sub vtraque specie, colligit totum Christum esse sub vtraque: constat autem quòd Christus importat suppositum, quod est diuinum Verbi. Deinde, prædicta authoritate D. Thomæ; nam diuinitas, vt significat naturam diuinam, non propriè assumpsit corpus Christi; assumere enim primariò conuenit personæ, & secundariò tantùm naturæ diuinæ, ac proinde D. Thom. per diuinitatem intelligit totum diuinum cui Hypostaticè fuit vnitum corpus Christi. Denique, vt constat ex dictis, quando aliqua sunt realiter coniuncta, vbi est vnum per se; ibi est aliud per concomitantiam: dummodò illud quod per concomitantiam esse debet, æquè latè pateat ac aliud: sed suppositum diuinum Verbi est coniunctum realiter, ac Hypostaticè vnitum cum corpore & sanguine Christi: ergo est per concomitantiam sub vtraque specie, in qua reperitur per se, siue ex vi verborum corpus aut sanguis Christi. Quarta pars conclusionis manet explicata & probata in tractatu de Incarnatione.

AD primum ergò, dicendum, quòd corpus Christi importat materiam primam informatam forma substantiali (quæ est anima rationalis) quamuis vt dans esse corporeum, & non sub conceptu rationalis; vt docet D. Thom. quæst.

præcedenti art. 6. ad 2. ait enim: Conuertitur igitur forma panis in formam corporis Chriſti, ſecundùm quòd dat eſſe corporeum, non autem ſecundùm quòd dat eſſe animatum tali anima, ideſt rationali. Ad aliud, dicendum, quòd quia corpus Chriſti abſtrahit ab hoc quòd ſit viuum & mortuum (de facto enim fuit mortuum & eſt viuum) ſic conſecratio non terminatur ad ipſum, vt mortuum, aut viuum reduplicatiuè; per accidens enim ſe habet ad corpus Chriſti mors & vita, eſt enim idem numero ratione materiæ & ſuppoſiti, ex quo habet quòd ſit Chriſti: quamuis ſpecie differat ratione formarum: ſed terminatur ad ipſum viuum ſpecificatiuè, & terminata fuiſſet in triduo ad ipſum mortuum etiam ſpecificatiuè. Ad aliud, dicendum, quòd quia anima rationalis eſt eminenter multiplex, ſcilicet corporea, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis: & priùs natura communicat eſſe corporeum, vegetatiuum, & ſenſitiuum, quàm rationale: ideò poteſt accipi vt dans præcisè eſſe corporeum: hæc enim prioritas naturæ eſt realis, & non tantùm per rationem.

Ad ſecundum, dicendum, quòd ly (meum) vel (mei) ad ſummum important ſuppoſitum diuinum indirectè, & in obliquo: illud autem quod ponitur ex vi verborum in hoc Sacramento, debet importari directè & in recto, per formam conſecrationis, cùm ſit terminus ad quem conuerſionis. Ad aliud, dicendum, quòd per illa pronomina ſolùm demonſtratur id quod ſignificatur per corpus vel ſanguinem: ad ſummum autem ſignificat in obliquo ſuppoſitum. Ad aliud, dicendum, quòd panis & vinum ex vi verborum deſinunt quoad ſubſtantiam, quam directè important: per concomitantiam verò quantùm ad ſubſiſtentiam & exiſtentiam quas indirectè important. Ad aliud, dicendum, quòd ſufficit vnio Hypoſtatica corporis ad Verbum diuinum, vt ſit ſanctificatiuum, viuificatiuum, & cibus ſpiritualis animæ: & ratione huius vnionis Verbum diuinum eſt in hoc Sacramento per concomitantiam.

Ad tertium, dicendum, quòd ibi naturale ſumitur, vt opponitur libero: vnio autem Hypoſtatica corporis & ſanguinis Chriſti, licèt ſit abſolutè libera; tamen ex ſuppoſitione diuini decreti, quod nunquam ſoluetur, eſt neceſſaria: & propterea dicitur naturalis. Ad aliud, dicendum, quòd ſufficit vt diuinitas ſit nouo modo ſub ſpeciebus conſecratis, vltra modum generalem immenſitatis, vt dicatur ibi eſſe per concomitantiam: nouus autem modus & ſpecialis ibi exiſtendi ſacramentaliter, eſt quòd ibi terminet Hypoſtaticè corpus & ſanguinem Chriſti, vt ſubſtant illis ſpeciebus. Ad aliud, dicendum, quòd Pater, & Spiritus Sanctus ſunt etiam in hoc Sacramento per concomitantiam, ſed mediatam & ſecundariam, vt dictum eſt in tractatu de Incarnatione.

DVBIVM IV.

Vtrùm quantitas corporis & ſanguinis Chriſti ponatur per concomitantiam ſub vtraque ſpecie in hoc Sacramento.

Svpponendum eſt ex D. Thoma quæſt. præcedenti art. 7. quòd conuerſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti fit in inſtanti: quod ſic probat; Aliqua mutatio fit ſucceſſiuè & non tota ſimul, ac proinde in tempore & non in inſtanti: ex triplici capite; vel quia forma introducenda ſuſcipit magis & minus: vel quia ſubiectum indiget multis diſpoſitionibus, quas non poteſt in inſtanti recipere: vel quia agens eſt limitatæ virtutis, & non poteſt ſtatim ſubiectum diſponere ad receptionem formæ: Sed nullum ex iſtis obſtat in præſenti; Non primum, quia ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, ad quam terminatur iſta conuerſio, non ſuſcipit magis neque minus: Non ſecundum, quia in hac conuerſione non eſt aliquod ſubiectum, quod ſucceſſiuè præparetur: Non tertium, quia agitur Dei virtute infinita: vnde hæc conuerſio fit in inſtanti; & conſequenter totum quod eſt ſub qualibet ſpecie ſiue ex vi Sacramenti, ſiue per concomitantiam ponitur ſimul & inſtantaneè.

Prima opinio Vaſquis hîc diſp. 187. & aliorum aſſerit quantitatem corporis Chriſti poni ſub ſpeciebus panis ex vi verborum. Probatur; Ex vi verborum ponitur corpus Chriſti verum & organicum, id eſt vt habet partes diſſimilares, caput, pectus, brachia, &c. nam ponitur vt eſt corpus humanum Chriſti, vt patet per ly, meum: ſed corpus non eſt organicum, nec habet diuerſas partes, niſi per quantitatem: nam ex D. Thom. ſubſtantia ſecundùm ſe eſt indiuiſibilis; nec eſt extenſa, niſi ratione quantitatis, cuius eſſentia eſt habere partes extra partes: ergo cùm quantitas includatur indiſpenſabiliter in corpore organico, ponitur ex vi verborum cum ſubſtantia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis.

Secunda opinio Durandi in 4. d. 10. quæſt. 2. art. 7. Maioris, Gabrielis, & Ochami ibidem aſſerit nullo modo, etiam per concomitantiam, quantitatem corporis & ſanguinis Chriſti poni in hoc Sacramento. Probatur; Chriſtus Dominus eſt in hoc Sacramento indiuiſibiliter & inextenſè: ſed repugnat rei quantæ eſſe inextenſam; cùm extenſio partiũ ſit eſſentia quantitatis, quam neceſſariò communicat ſubiecto: ergo quantitas corporis & ſanguinis Chriſti non eſt in hoc Sacramento. Nec valet ſolutio, quòd corpus Chriſti habet partes extenſas in ordine ad ſe, ſed non in ordine ad locum.

Nam

Nam contra, tum quia si coëxistunt inextensè in ordine ad locum, etiam coëxistent inextensè inter se, nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: tum quia res essentialiter inextensa, vt angelus, non potest esse extensa in ordine ad locum: ergo nec vice versa res essentialiter extensa potest esse inextensa in ordine ad locum. Deinde extensio in ordine ad locum est effectus formalis quantitatis, ab illa inseparabilis, sicut & ratio figuræ: ergo cùm corpus Christi ita sit indiuisibiliter in hoc Sacramento, vt nec à Deo diuidi possit, caret quantitate. Denique si quid suaderet ponendam esse quantitatẽ Christi Domini in hoc Sacramento modo indiuisibili, maximè ratio D. Thom. quia scilicet est ibi per accidens ratione substantiæ, vnde est indiuisibiliter ad modum ipsius: Sed hæc ratio non valet; quia non est necesse vt illud quod est per concomitantiam, conformetur ei quod est ex vi Sacramenti, aut quod est per se, nam anima rationalis Christi, & diuinitas sunt in hoc Sacramento per concomitantiam, & tamen non sunt ad modum substantiæ corporeæ; imò potuit fieri quòd quantitas esset in hoc Sacramento ex vi verborum, & tamen adhuc corpus Christi esset modo indiuisibili vt nunc. Similiter in creatione & generatione quantitas secundùm suam connaturalem diuisibilitatem consequitur substantiam indiuisibilem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd quantitas corporis & sanguinis Christi ponitur: non quidem ex vi verborum, 2. Sed per concomitantiam sub vtraque specie: 3. Quantitas quidem corporis per concomitantiam immediatam sub specie panis, sicut & quantitas sanguinis sub specie vini: per concomitantiam verò mediatam quantitas corporis sub specie vini, & quantitas sanguinis sub specie panis. Ita docent communiter Theologi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. hic art. 1. ad 3. vbi sic ait: Dimensiones panis vel vini non conuertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam; & sic substantia corporis Christi vel sanguinis est sub hoc Sacramento ex vi Sacramenti; non autem dimensiones corporis vel sanguinis Christi: vnde patet quòd corpus Christi est in hoc Sacramento per modũ substantiæ, & non per modũ quantitatis: & art. 4. id ex professo probat. Deinde, illud totum est ex vi verborum in hoc Sacramento, quod significatur directè & explicitè per ipsam formam consecrationis; ex cuius defectu excluditur quòd sit ex vi verborum ipsa anima rationalis licèt magis intima ipsi corpori Christi, quàm quantitas: & ratio est quia forma propria vi tantùm efficit quod significat: sed per formam consecrationis non significatur directè & explicitè ipsa quantitas corporis & sanguinis Christi, at tantùm substantia, vt constat ex ipsis verbis: ergo quantitas corporis & sanguinis Christi non ponitur ex vi verborum in hoc Sacramento. Denique, Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. docet per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini, in substantiam corporis & sanguinis Christi; quam propterea vocat transsubstantiationẽ, quia eius terminus primarius siue positus ex vi verborum est tantùm substantia; nec vlla fit mentio in Concilio de accidẽtibus: ergo quantitas corporis & sanguinis Christi non est in hoc Sacramento ex vi verborum.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini, quod sess. 13. can. 3. & sess. 21. cap. 3. definit sub anathemate, sub qualibet specie contineri totum Christum: sed ad integritatẽ Christi Domini pertinet eius quantitas, sine qua non esset in statu perfecto. Deinde authoritate & ratione D. Thom. artic. 4. vbi postquam probauit quantitatẽ corporis & sanguinis Christi non esse in Sacramento ex vi verborum, quia scilicet conuersio, quæ fit in hoc Sacramento, directè terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones eius; quod patet ex hoc quòd quantitas dimensiua panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte, sic concludit: quia tamen substantia corporis Christi realiter non diuiditur à sua quantitate dimensiua & ab aliis accidentibus, inde est quòd ex vi realis concomitantiæ est in hoc Sacramento tota quantitas dimensiua corporis Christi, & omnia accidentia eius. Vis rationis D. Thom. fundatur in hoc principio, quod attulit art. 1. scilicet quòd quando aliqua sunt naturaliter coniuncta, vbi est vnum, ibi & aliud oportet esse. Hic autem non est nouum miraculum, quòd quantitas corporis Christi sit simul cum quantitate panis: nam supposito primo, quòd quantitas corporis Christi sit per modum substantiæ, sequitur quòd naturaliter possit esse cum alia, quia vt ait D. Thom. loco citato ad 2. duæ quantitates dimensiuæ non possunt naturaliter simul esse in eodem; ita quòd vtraque sit ibi secundùm proprium modum quantitatis dimensiuæ: in hoc autem Sacramento quantitas dimensiua panis est secundùm proprium modum, scilicet secundùm commensurationem quandam, non autem quantitas dimensiua corporis Christi; sed est ibi per modum substantiæ.

Probatur tertia pars conclusionis. Concomitantia fundatur in coniunctione siue connexione naturali, ac proinde sequitur leges ipsius; ita vt sit talis concomitãtia, qualis coniunctio: sed quantitas corporis Christi habet cum eo immediatam coniunctionem; mediatam verò cum sanguine: sicut è contra quantitas sanguinis habet

habet immediatam coniunctionem cum eodem sanguine, & mediatam cum corpore, vt patet; nam quantitas immediatè recipitur in propria substantia tanquam in subiecto, siue sit totalis, siue partialis: in alia verò substantia non potest esse nisi mediatè, in quantum propria sub alia comprehenditur; ergo quantitas corporis Christi Domini est per concomitantiam immediatam sub specie panis; sicut & quantitas sanguinis sub specie vini; per concomitantiam verò mediatam quantitas corporis sub specie vini, & quãtitas sanguinis sub specie panis. Igitur actionem conuersiuam panis & vini in corpus & sanguinem Christi, terminatam directè in substantiam corporis & sanguinis Christi, concomitantur aliæ actiones, vt illæ quibus ponitur anima rationalis, quantitas, & alia accidentia modo præternaturali; non enim ista sunt terminus conuersionis: quamuis possint dici terminus secundarius, quia ad exigentiam primi debent poni, sed distincta actione: maximè quia à quantitate separatur proprietas extensionis localis: diuinitas autem non ponitur, nec per actionem conuersiuam directè, quia non potest esse terminus conuersionis, nec per aliam distinctam; sed per illam præcisè qua facta est vnio Hypostatica, adueniente tamen conuersione: nam cùm ex vna parte, ratione immensitatis sit vbique: ex alia verò terminet humanitatem assumptam, & singulas eius partes, sequitur quòd vbicumque sit humanitas & eius partes, ac quocumque modo; ibi etiam sit diuinitas terminans, vel immediatè si sumatur pro supposito diuino Verbi, vel mediatè si sumatur pro natura diuina.

Ad primum ergo, dicendum, quòd organizatio alia est radicalis & substantialis: alia verò formalis & accidentalis. Primam dat anima completè, considerata vt priùs naturâ dat esse corporeum sensitiuum, ratione diuersæ dispositionis in materia: nam per formas præcedentes vt dictum est (quas tamen respectu corporis Christi suppleuit virtus Spiritus Sancti statim illud efformans) diuersimodè disponitur materia secundùm diuersas partes: vnde pro diuersitate partium exigit diuersa organa, quæ propterea communicantur ipsi substantialiter per animam rationalem, vt eminenter sensitiuam; continet enim eminenter præcedentes, & hæc organizatio est de ratione corporis humani: diuersitas autem dispositionis materiæ secundùm diuersas partes reducitur vltimò in naturam, eiúsque authorem Deum, qui adhibet causas proportionatas ad producendos effectus à se intentos; vnde medio semine & aliis concurrentibus id efficit. Organizatio formalis & accidentaria non est de substantia corporis, sed illud consequitur, & causatur à quantitate Diuersitas partium materiæ quæ præsupponitur ad eius dispositionem, prouenit quidem à quantitate,

sed quam habet materia sub forma quæ corrumpitur in ipsa generatione, ac proinde distincta & præuia ad quantitatem corporis organici quod de nouo fit.

Ad secundum, dicendum, quòd extensio est quidem essentia quantitatis; non in ordine ad locum, locus enim est quid ipsi extrinsecum, sed in ordine ad se: & hoc est inseparabilis à quantitate, & illam communicat formaliter rei quantæ: vnde res quanta necessariò est extensa in ordine ad se; extensio verò localis est proprietas consequens aliam, sed diuinitus separabilis, sicut & impenetrabilitas istam consequens. Vnde ad primam instantiam, dicendum, quòd coëxistentia rei quantæ in ordine ad aliam quantam, est diuersæ rationis ab eius coëxistentia in ordine ad locum: nam comparatur ad locum tanquam res locata actu vel possibiliter, ac proinde secundùm extensionem localem: ad aliam verò rem quantam comparatur tantùm prout ambæ habent quantitatem, ac participant extensionem in ordine ad se: cùm igitur coëxistentia vtriusque in ordine ad locum sit alterius rationis, ab illa quam habent inter se, non sequitur quòd si coëxistunt inextensè in ordine ad locum, coëxistant etiam inextensè in ordine ad se. Ad secundam instantiam, dicendum, quòd habere extensionem in ordine ad locum, necessariò præsupponit tanquam proprietas, extensionem in ordine ad se; priùs est enim quòd aliquid sit tale in ordine ad se siue in se, quàm in ordine ad aliud extrinsecum, quando est aliquid absolutum: vnde res inextensa in se non potest esse extensa in ordine ad locum; benè autem vice versa res extensa in se potest esse inextensa in ordine ad locum, quia diuinitus proprietates possunt separari ab essentia. Ad aliud, dicendum quòd extensio in ordine ad locum est effectus quidem formalis quantitatis, sed tantùm secundarius, & ita potest impediri. Similiter figura quæ consequitur extensionem localem, est separabilis à quantitate; quæ verò consequitur extensionem partium in ordine ad se & ad suum totum, quæ in homine potest vocari organica, est intrinseca & inseparabilis. Quòd sit hæc duplex figura, probatur; nam manus dum extenditur aut clauditur, mutat figuram in ordine ad locum; non autem in ordine ad se, cùm semper remaneat eadem organizatio: corpus autem inextensum in ordine ad locum est quidem diuisibile à Deo immediatè, aut mediatè instrumento spirituali; non autem mediante corporeo, nam istud diuidit partes per hoc quòd expellit eas à loco quem occupat: & ita necessariò supponit extensionem localem in ipsis. Ad aliud, dicendum, quòd ratio D. Thom. est optima, si benè intelligatur: sic enim eam proponit art. 4. huius q. ad 1. Modus essendi cuiuslibet rei determinatur secundùm id quod est ei per se, non autem secundùm id

quod

quod est ei per accidens: sicut corpus est in visu secundum quòd est album, non autem secundùm quòd est dulce; licèt idem corpus sit album & dulce, vnde & dulcedo est in visu secundùm modum albedinis, non secundùm modum dulcedinis: quia igitur ex vi huius Sacramēti est in Altari substātia corporis Christi, quantitas autem dimensiua eius est ibi concomitanter & quasi per accidens; ideò quantitas dimensiua corporis Christi est in hoc Sacramento non secundùm proprium modum (vt scilicet sit tota in toto, & singulæ partes in singulis partibus) sed per modum substantiæ, cuius natura est tota in toto, & tota in qualibet parte. Vnde ad duas priores instantias dicendum, quòd illud quod est per accidens & ratione alterius, sequitur naturam eius in eo in quo potest ei conformari, si autem non esset possibile vt ei conformaretur, naturam eius non sequeretur; propterea anima rationalis & diuinitas quæ sunt in hoc Sacramento per concomitantiam, non sunt ibi ad modum substantiæ corporeæ, quia hoc non est possibile; quantitas verò est modo indiuisibili, quia hoc est possibile. Ad aliam, dicendum quòd si Deus voluisset miraculosè ponere quantitatem ex vi verborū modo indiuisibili, sicut nunc est; tunc fuisset miraculum per se primò terminatum ad quantitatem, sicut & ad substantiam corporis Christi: nunc autem est miraculum dependens à primo; per hoc enim quòd quantitas ponitur hic ratione substantiæ, debet sequi aliud miraculum, quòd ponatur ad modum substantiæ sine extensione ad locum. Ad aliam, dicendum, quòd ratio D. Thom. non procedit de prima productione rei; quia producitur ad hoc vt sit extensa per quantitatem; sed procedit de positione eius iam productæ alicubi de nouo, vbi ante non erat, vt patet ex ipso textu D. Th. & exemplo proposito.

DVBIVM V.

Vtrùm totus Christus sit in tota Hostia, & totus in qualibet parte etiam minima.

SVpponendum est hostiam ante consecrationem esse quoddam continuum substantiale: nam sub dimensionibus continetur substantia panis, extensa mediis illis; non enim substantia est extensa seipsa. Nec D. Thom. hic art. 3. negat substantiam extendi ratione dimensionum, dum ait totam naturam aëris & panis esse sub qualibet parte aëris & panis; nam aliud est natura, aliud substantia: natura enim in homogeneis, qualis est aër & panis, est tota in toto, & tota in qualibet parte, nam quælibet pars aëris & panis est aër & panis; secus autem in etherogeneis, nam caput hominis non est homo, sed est pars hominis. Substantia verò tam in homogeneis, quàm in etherogeneis non est tota in qualibet parte, sed tota in toto, & pars in parte. Hostia post consecrationē est tantùm continuum accidentale, constans multis partibus, quæ partes possunt considerari vel in ipso toto coniunctæ, vel etiam separatæ: & de his sub vtraque consideratione procedit dubium: & quæ dicentur de speciebus panis, proportione seruata, debent intelligi de speciebus vini.

Prima opinio negat totum Christum esse sub qualibet parte coniuncta Hostiæ: asserit enim totum esse in tota Hostia, & per actualem diuisionem multiplicari iuxta multiplicationem partium, & confirmat exemplo speculi in quo est imago; sed non in qualibet eius parte, nisi diuidatur: tunc enim facta diuisione tot sunt imagines, quot partes. Probatur; Res spiritualis, vt Angelus, non potest poni etiam diuinitus in loco diuisibiliter, idest quòd pars correspondeat parti loci: ergo nec res quanta potest poni indiuisibiliter in loco, vel quasi loco; ita vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte: constat autem quòd corpus Christi est res quanta.

Secundo; Corpus Christi est in Hostia per modum cibi spiritualis, & ita in tota Hostia non est nisi vnus cibus; per diuisionem autem fit multiplex, vt patet ex analogia ad cibum corporeum: ergo ante diuisionem non est totus in qualibet parte; alioquin quælibet Hostia esset multiplex cibus.

Tertiò; Si Christus esset totus sub qualibet specie, sequerentur duo inconueniētia. Primum quòd Christus esset infinities in qualibet Hostia, quia cùm eius corpus sit continuum, est in infinitum diuisibilis in semper diuisibilia. Secundū, quòd partes Christi essent inter se confusæ, nam in minima parte non potest dari distantia inter partes: sed non datur infinitum in actu, ac proinde nec multiplicatio infinita eiusdem Christi: partes verò corporis organici non possunt esse confusæ, petunt enim distantiam inter se, ita vt vna sit extra aliam: ergo Christus ita est totus in tota Hostia, vt non sit totus in qualibet parte.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd totus Christus est in tota Hostia: 2. Et totus in qualibet parte etiam minima, tam coniuncta, 3. Quàm separata à toto. Ita nunc cōmuniter Theologi.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide, authoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. vbi sic ait: Quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit: ergo totus Christus est in tota Hostia, vt magis constabit ex dicendis.

Probatur secunda pars conclusionis prædicta

authoritate Concilij, vbi habetur sine vlla distinctione partis coniunctæ aut diuisæ, totum Christum esse sub quauis ipsius speciei parte. Deinde authoritate S. Aug. & D. Thom. S. Augustinus in quodam sermone relato in can. singuli, de consecr. dist. 2. ait: Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Quamuis autem loquatur de portionibus separatis, eadem tamen est ratio de coniunctis, vt patebit. D. Th. hîc art. 3. sic ait: Et ideò manifestum est quòd totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam Hostia integra manente, & non solùm cùm frangitur. Denique, Christus est sub Hostia loco panis, est enim per conuersionem panis in ipsum, vnde est totus, vbi esset tota natura siue essentia panis: sed tota natura panis ante conuersionem erat sub qualibet etiam minima parte Hostiæ, cùm panis sit quoddam homogeneum, cuius natura est tota in toto, & tota in qualibet parte etiam coniuncta; ergo Christus est totus sub qualibet parte coniunctæ Hostiæ. Confirmatur; assignata aliqua parte Hostiæ, vel est ibi totus Christus, vel pars eius, vel nihil. Si dicatur primum, habetur intentum. Si dicatur secundum, sequitur quòd post diuisionem Hostiæ, sub illa parte sit tantùm pars Christi, quod est contra Concilium Tridentinum loco citato dicens, quòd sub qualibet parte Hostiæ est totus Christus; quod debet intelligi saltem de qualibet parte separata: sequela patet; non enim habetur vnde ponatur totus Christus sub illa parte Hostiæ post diuisionem, cùm antea non esset nisi pars Christi: hæc enim diuisio potest fieri à non Sacerdote, & Christus non ponitur per diuisionem in hoc Sacramento, sed per consecrationem conuersiuam panis in corpus Christi. Si dicatur tertium, quòd sub illa parte assignata Hostiæ nihil sit corporis Christi, sequitur quòd Christus non est in Hostia, quod est hæreticum, nam cùm possit inquiri de singulis partibus, siue de qualibet in particulari; si in qualibet nihil sit Christi, in tota non erit Christus, nam vt aliquid sit in aliquo toto, debet esse vel totum, vel saltem aliquid eius in qualibet parte, vt patet inductione in omnibus.

Probatur tertia pars conclusionis, tum prædictis authoritatibus Concilij Tridentini, S. Augustini, & D. Thom. quæ saltem procedunt de portionibus Hostiæ separatis: Tum quia vt dictum est, Christus est in hoc Sacramento per conuersionem panis in corpus eius, quod concomitantur omnia alia quæ pertinent ad Christum, ratione connexionis naturalis; & consequenter totus Christus est, vbi esset substantia panis, succedit enim in locum ipsius: sed in qualibet minima parte separata, dummodo sit perceptibilis, esset substantia panis, si non facta fuisset conuersio: ergo sub illa est totus Christus: Tum ex vsu vniuersalis Ecclesiæ quæ iubet colligi minimulas particulas, & cōsumi à Sacerdote: quia verò potest ita diuidi panis, vt soluatur species eius, ideò si talis sit particula, vt sub ipsa non posset conseruari natura panis, nec sub ipsa est Christus: vnde non est in minori minima separata; benè autem coniuncta, quia conseruatur in toto.

Ad primum ergo, dicendum vt supra, quòd esse diuisibiliter in loco, supponit habere partes commensuratas in loco: est autem impossibile, quòd res purè spiritualis, quæ non habet in se partes, habeat res in ordine ad locũ; hoc enim secundum, vt proprietas primi, illud supponit; sed quia proprietas potest diuinitus separari; ideò potest fieri quòd res quanta habens in se partes, eas non habeat commensuratas loco, & ita sit in eo indiuisibiliter. Nec instantia Aduersariorum est ad rem; quia vt ait D. Th. loco citato, multiplicatio huiusmodi imaginum accidit in speculo fracto, propter diuersas reflexiones ad diuersas partes speculi: hîc autem non est nisi vna consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc Sacramento.

Ad secundum, dicendum, quòd indiuisibilitas non repugnat cibo spirituali animæ rationalis, sicut nec ipsi animæ: vnde per hoc quòd totus Christus sit sub qualibet parte Hostiæ, non sequitur quòd sit multiplex cibus, sicut non sequitur quòd sit multiplex anima, quia est tota in qualibet parte, sed tantùm quòd sit vnica anima, & vnicus cibus in toto & in qualibet parte, quamuis virtualiter sit multiplex.

Ad tertium, dicendum, quòd tantùm probat Christum esse infinities in aliqua Hostia, non actu, sed tantùm virtualiter, quod non est inconueniens: vnde ait D. Thom. hîc art. 3. ad 1. numerus sequitur diuisionem; & ideò quandiu quantitas manet indiuisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis; & per consequens neque infinities, sed toties, in quot partes diuiditur. Ad aliud, dicendum, quòd quia corpus Christi est in Hostia extensum in ordine ad se, non verò in ordine ad locum; ideò partes eius non sunt confusæ in se, sed quælibet est extra aliam in proprio ordine & situ naturali; quamuis in ordine ad locum possint dici confusæ, quia non est assignabile cui parti Hostiæ correspōdeat caput, & cui pes: cùm in qualibet parte assignabili sit totus. Quod sic explicat D. Thom. ad 2. Illa determinata distantia partium in corpore organico, fundatur super quantitate dimensiua ipsius; ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam quantitatem dimensiuam; & quia conuersio substantiæ panis directè terminatur ad substantiam corporis Christi, secundùm cuius modum propriè & directè est in hoc Sacramento corpus

pus

pus Christi, talis distantia partium est quidem in ipso corpore Christi vero, sed non secundùm hanc distantiam comparatur ad hoc Sacramentum, sed secundùm modum suæ substantiæ.

Solet hic inquiri, an etiam totus Christus sit sub indiuisibilibus specierum consecratarum panis & vini. Aliqui tenent partem affirmatiuam. Alij probabiliùs negatiuam: dicimus enim ex prædictis, quòd solùm ibi est Christus, vbi fuit substantia panis, aut aliquid substantiæ; ita vt verum sit dicere de illo, quòd sit panis cùm panis sit quoddam homogeneum, cuius minimum habet denominationem totius: sed sub indiuisibilibus specierum consecratarum panis & vini, non fuit aliquid substantiæ panis & vini, quod verè possit denominari panis & vinum; nam esto, dentur indiuisibilia substantiæ correspondentia indiuisibilibus quantitatis, sicut subiectum ipsorum: illa tamen indiuisibilia non sunt substantia; sicut nec indiuisibilia quantitatis, vt puncta sunt quantitas; sed tantùm sunt aliquid reductiuum, & ad quantitatem, & ad substantiam: & multò minus participant naturam panis & vini: ergo sub illis non est corpus Christi. Deinde possunt negari indiuisibilia substantiæ, dicendo quòd indiuisibilia quantitatis inhærent siue adhærent ipsi quantitati, nec amplius petunt ex natura sua: ipsa autem quantitas extensa & continua per illa indiuisibilia subiectatur in substantia, ipsam extendendo seclusis indiuisibilibus ipsi propriis: non enim est necesse quòd quantitas causet in substantia omnia quæ habet in se: vnde partes substantiæ sunt vnitæ ratione quantitatis, per quam illas habet; partes verò quantitatis, cùm sint omnes actuales, non possunt vniri per se; & ideò indigent illis indiuisibilibus mediis vnientibus & terminatiuis.

DVBIVM VI.

Vtrùm Christus sub Sacramento existens moueatur localiter.

SVpponendum est ex D. Thoma hîc art. 5. corpus Christi non esse in hoc Sacramento, tanquam in loco, propriè loquendo. Quod sic probat: Corpus Christi non est in hoc Sacramento secundùm proprium modum quantitatis dimensiuæ, sed magis secundùm modum substantiæ: omne autem corpus locatum est in loco secundùm modum quantitatis dimensiuæ, in quantum scilicet commensuratur loco secundùm suam quantitatem dimensiuam; vnde relinquitur quòd Corpus Christi non est in hoc Sacramento, sicut in loco; sed per modum substantiæ, eo scilicet modo quo substantia continetur à dimensionibus; succedit enim substantia corporis Christi in hoc Sacramento substantiæ panis; vnde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ: ita nec substantia corporis Christi, Non tamen substantia corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis; & ideò substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus; substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, ita quòd è conuerso dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati: vnde nullo modo corpus Christi est in hoc Sacramento localiter. Et confirmat inductione, respondendo ad 1. Non est inquit, definitiuè; quia sic non esset alibi, quàm in hoc Altari vbi conficitur hoc Sacramentum; cùm tamen sit in cœlo in propria specie, & in multis aliis Altaribus sub specie Sacramenti: Similiter etiam patet quòd non est in hoc Sacramento circunscriptiuè, quia non est ibi secundùm commensurationem propriæ quantitatis: Quod autem non est extra superficiem Sacramenti, nec est in alia parte Altaris, non pertinet ad hoc quòd sit ibi definitiuè, vel circunscriptiuè, sed ad hoc quòd incipit ibi esse per consecrationem, & conuersionem panis & vini. Hæc omnia D. Thomas.

Prima opinio durandi in 4. d. 10. q. 3. negat corpus Christi vllo modo moueri in Sacramento Eucharistiæ. Probatur; Vt aliquid localiter moueatur, debet recipere motum; motus enim ex Philosopho est in mobili: sed corpus Christi, vt existens in Sacramento non potest recipere motum; quia motus localis est diuisibilis, Christus autem in Sacramento est modo indiuisibili: constat autem quòd debet esse proportio inter subiectum & accidens in eo receptum: ergo corpus Christi nullo modo mouetur in Sacramento Eucharistiæ.

Secundò; Moueri localiter supponit esse in loco, aut saltem esse coniunctum rei existenti in loco, vt saltem sit motus localis per accidens: sed Christus non est in Sacramento vt in loco, nec habet coniunctionem cum speciebus Sacramentalibus quæ sunt in loco: ergo non mouetur localiter.

Tertiò; Si Christus moueatur localiter in Sacramento Eucharistiæ, sequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd idem moueatur simul motibus contrariis, nam in vna Hostia poterit eleuari, in alia deprimi. Secundum, quòd pari modo posset moueri aliis motibus alterationis, corruptionis &c. quod tamen repugnat corpori glorioso: ergo Christus non mouetur localiter in Sacramento Eucharistiæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus in Sacramento Eucharistiæ mouetur localiter: 2. Non quidem per se; 3. Sed per accidens ad

motum rectum ſpecierum conſecratarum. 4. Si autem perfectè circulariter moueantur, Chriſtus nec per accidens ibi mouetur. Ita communiter Diſcipuli D. Thomæ.

Probatur prima pars concluſionis communis inter Scholaſticos, authoritate Concilij Tridentini definientis canone 6. ſeſſ. 13. corpus Chriſti eſſe ſolemniter ferendum in proceſſionibus, vt publicè adoretur: quod non poſſet verificari, ſi localiter moueri non poſſet. Deinde, Sacerdos communicans verè manducat & bibit corpus & ſanguinem Chriſti, vt fides docet: ſed vt corpus manducetur & ſanguis bibatur, requiritur neceſſariò quòd ore ſumantur & deducantur in ſtomachum, ad quod ſequitur motus localis, ſiue tranſitus de ore in ſtomachum: ergo mouentur localiter. Denique; dum eleuatur Hoſtia aut deprimitur, non ſola Hoſtia, ſed Chriſti corpus in ea exiſtens mutat diſtantiam ad polos mundi: ſed hoc eſt moueri localiter: ergo Chriſtus mouetur localiter in Sacramento Euchatiſtiæ.

Probatur ſecunda pars concluſionis, authoritate & duplici ratione D. Thom. hîc art. 6. Primam ſic proponit in argumento, Sed contra. Impoſſibile eſt idem eſſe motum & quietum (id eſt per ſe) quia ſic contradictoria verificarentur de eodem: ſed corpus Chriſti in cœlo quietum reſidet: non ergo eſt mobiliter in hoc Sacramento. Secundam proponit in corpore articuli ſic: Secundùm eſſe quod Chriſtus habet ſub hoc Sacramento, non mouetur per ſe ſecundùm locum, ſed ſolùm per accidẽs, quia Chriſtus non eſt in hoc Sacramẽto, ſicut in loco; vt prædictum eſt: quod autem non eſt in loco, non mouetur per ſe in loco, ſed ſolùm ad motum eius in quo eſt. Radicem huius affert D. Thom. ibidem, quia licèt Chriſtus in cœlo, & in Sacramento ſit idem ſubiecto; tamen eſt multiplex ſecundùm eſſe: nam aliud habet eſſe ſecundùm ſe in cœlo, & aliud in hoc Sacramento; propterea in cœlo eſt omninò immobiliter, dum in Sacramento per accidens mouetur. Et ex his probata manet tertia pars concluſionis.

Probatur quarta pars concluſionis. Chriſtus Dominus eſt totus in tota Hoſtia, & totus in qualibet parte, vt dictum eſt; ita vt non correſpondeat vni parti caput, & alteri pedes: ergo cùm maneat eadem diſtantia Hoſtiæ ad polos mundi, dum perfectè circulariter mouetur, ſequitur quòd Chriſtus ſub illa exiſtẽs nullo modo mutet locum, nec ſecundùm partes etiam ad motũ ſpecierum, & ita nec per accidẽs mouetur.

Ad primum ergo, dicendum, quòd mobile per ſe recipit motum in ſe: mobile verò per accidens mouetur per motum in alio receptum & inhærentem: vnde cùm Chriſtus in hoc Sacramento moueatur tantùm per accidens, mouetur per motum receptum & inhærentem in ſpeciebus conſecratis.

Ad ſecundum, dicendum, quòd vt aliquid moueatur per ſe localiter, debet eſſe in loco: vt autem moueatur per accidens, ſufficit quòd ſit coniunctum cum eo ratione cuius mouetur; & quod debet eſſe in loco: Chriſtus autem eſt vnitus ſpeciali modo cum ſpeciebus Sacramentalibus, vt dictum eſt, ad quarum motum mouetur.

Ad tertium, dicendum, quòd quamuis ſit impoſſibile, vt idem per ſe moueatur motibus contrariis; eſt tamen poſſibile quòd vno motu moueatur per ſe, & alio contrario moueatur per accidens: ſicut & quòd duobus contrariis moueatur per accidens, vt conſtat in cœlis infra primum mobile; & in homine qui mouetur ad Occaſum intra nauim tendẽtem ad Ortum. Ad aliud, dicendum, quòd eſt diſcrimen inter motum localem, & alios; quòd per motum localem nihil acquiritur intrinſecum, ſed tantùm locus extrinſecus: per alios autem motus acquiritur aliquid intrinſecum: vnde ſi illud intrinſecum repugnet mobili, non poterit moueri illis motibus, & hoc contingit in præſenti, nam terminus alterationis corruptiuæ, ipſiúſque corruptionis repugnat corpori glorioſo incorruptibili & immortali; vnde Chriſtus in hoc Sacramento non poteſt alterari aut corrumpi: imò nec alterari alteratione perfectiua, cuius terminus exigit quantitatem extenſam in ordine ad locum: benè autem moueri localiter per accidens: tum quia hic motus non repugnat corpori glorioſo: tum quia non exigit quantitatem extenſam, imò nec quantitatem abſolutè in ſubiecto, ſed tantùm in alio ratione cuius mouetur, vt patet in anima rationali, quæ per accidens mouetur ad motum corporis: ad quem modum dicimus moueri corpus Chriſti in hoc Sacramento; ſicut enim per motum receptum in toto ſecundùm corpus, mouetur anima per accidens; ſic per motum receptum in toto compoſito accidentali ex Chriſto & ſpeciebus ſecundùm ipſas ſpecies, mouetur per accidens Chriſtus. Nec refert quantùm ad præſens, quòd totum ſit per ſe ſubſtantiale, aut tantùm accidentale, dummodò ſit perfecta connexio inter extrema.

DVBIVM VII.

Vtrùm Chriſtus Dominus in Sacramento exiſtens poſſit agere & pati.

Svpponendum eſt Actiones & Paſſiones, alias eſſe purè ſpirituales, alias corporeas & materiales, quæ mediis organis exercentur: actiones ſpirituales ſunt intellectio & volitio, quæ quia in corporibus glorioſis ſunt independentes omninò à phantaſmatibus, dicuntur purè ſpirituales (quamuis non repugnet Beatos cognitione naturali intelligere per conuerſionem

ad

ad phantasmata;) passiones spirituales sunt, vt tristitia in parte superiori, & similia. Actiones corporeæ siue organicæ; aliæ sunt purè materiales, vt ambulatio, manducatio; aliæ sunt eleuatiures à materia, vt sunt actiones vitales sensuum externorum, & internorum; & aliæ quas vocamus intentionales, vt immutatio medij per immissionem specierum intentionalium: similiter passiones, aliæ sunt purè materiales, vt alteratio corruptiua, ipsáque corruptio. Vt autem separemus certa ab incertis, nullus dubitat quin Christus in sacramento existens possit agere & pati, actione & passione purè spirituali: de actione intelligimus secundùm omnem statum, scilicet mortalem, aut gloriosum, dummodò sit ibi viuus: de passione autem non ita; nam nunc cùm sit beatus perfectè, & nullo modo viator; non potest habere passionem propriè dictam, vt tristitiam: & ita pro nunc abstrahimus ab statu mortali, & glorioso. Ratio autem cur Christus in Sacramento existens possit habere similes actiones & passiones, est quia ad illas non requiritur quantitas, & multò minus extensio quantitatis in ordine ad locum, sed sufficit ipsa anima cum suis potētiis; nam etiam separata illas habet. Vnde præsens dubium procedit de actiune & passione aliquo modo materiali & corporea.

Prima opinio potest esse, quòd Christus in Sacramento existens possit etiam naturaliter agere & pati, actione & passione materiali. Probatur; Christus in hoc Sacramento potest videri saltem ab oculo glorioso; maximè à proprio: sed ad hoc prærequiritur actio intentionalis, scilicet immissio specierum: ergo Christus in Sacramento existens potest naturaliter agere actione materiali.

Secundò; Non est maior ratio, cur Christus possit localiter mutari, potius quàm transmutari alio genere mutationis; dummodò aliunde non habeat oppositionem ad statum eius gloriosum, qualis est alteratio perfectiua, vt illuminatione: sed illuminari est pati passione materiali, lux enim est qualitas corporea: ergo Christus in Sacramento existens potest pati passione materiali.

Tertiò; Ad corruptionem specierum consecratarum Christus desinit esse in Sacramento, siue amittit esse Sacramentale: ergo in Sacramento existens aliquid patitur.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus existens in Sacramento, non potest virtute & modo naturali agere ad extra, aut pati ab agente naturali extrinseco: 2. Benè tamen de potentia Dei absoluta. 3. Actiones verò sensuum externorū & internorum nō potest exercere connaturali modo, aut etiam supernaturaliter: 4. Sicut nec terminare visionem etiam oculi glorificati In Discipuli D. Thomæ.

Probatur prima pars conclusionis ratione deducta ex D. Thom. hic art. 7. Agens naturale, vt agat virtute naturali & modo sibi connaturali ad extra, si sit corporeum, vt hîc accidit, mediis suis accidentibus debet disponere subiectum: quæ accidentia vt pote corporea & attingentia physicè subiectum corporeum, debent esse extensa in ordine ad locum, quia hæc attingentia fundatur in contactu quantitatiuo. Similiter subiectum corporeum sic attingibile, debet esse extensum in ordine ad locum: sed Christus Dominus in Sacramento existens non est extensus in ordine ad locum; nec eius accidentia sunt extensa, vt dictum est: ergo Christus In Sacramento existens non potest virtute & modo naturali agere ad extra, aut pati ab agente naturali extrinseco.

Probatur secunda pars conclusionis. Deus de facto vtitur igne corporeo inferni, ad torquendos Dæmones & animas Damnatorum; licèt sint purè spirituales, ita vt verè patiantur ab illo eleuato virtute diuina: ergo etiam poterit vti alia re corporea ad inducendam passionem corpori Christi, etiam indiuisibiliter existenti in hoc Sacramento: si enim modus existendi indiuisibiliter obstaret, etiam obstaret in rebus purè spiritualibus. E contra Deus potest vti substantia purè spirituali indiuisibili tanquam instrumento, vt agat in rem corpoream: ergo etiam poterit vti substantia corporis Christi etiam indiuisibiliter existentis in hoc Sacramento, vt agat ad extra in rem corpoream: vnde colligitur quòd extensio in ordine ad locum, tam in agente, quàm in patiente physico est conditio quidem indispensabilis naturaliter, diuinitus tamen dispensabilis: sicut & contactus quantitatiuus.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate & ratione D. Thom. hîc art. 7 quæ licet directè probet quartam partem, etiam hanc probat debitè applicata: Ad hoc vt sensus tam externi, quàm interni vitaliter operentur, debent recipere species intentionales extensas, ac proinde extensè, vt connaturaliter recipiant: sed non possunt eas recipere extensè, nisi in se habeant extensionem localem, cùm omne quod recipitur ad modū recipientis recipiatur: ergo Christus inextensus localiter in hoc Sacramento existens non potest exercere connaturali modo actiones sensuum externorum & internorum, etiam diuinitus. Vtrùm autem sit possibilis modus extraordinarius & supernaturalis, quo tales actiones exerceat, Aliqui affirmant, Alij negant: sed probabilior est pars affirmatiua; quia ex D. Thom. art. 7. d. 2. oculus Christi videt ipsum Christum sub hoc Sacramento.

Probatur quarta pars conclusionis, tum authoritate, tum duplici ratione D. Thom. quam sic probat: Primò, quia corpus visibile per sua acciden

accidentia immutat medium: accidentia autem corporis Chriſti ſunt in hoc Sacramento mediante ſubſtantia; ita ſcilicet quòd accidentia corporis Chriſti non habent immediatam habitudinem, neque ad hoc Sacramentum, neque ad corpora quę ipſum circũſtant;& ideò non poſſunt immutare medium, vt ſic ab aliquo corporali oculo videri poſſint. Secundò; quia, vt ſupra dictum eſt, corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ: ſubſtantia autem in quantum huiuſmodi, non eſt viſibilis oculo corporali, neque ſubiacet alicui ſenſui, ſed nec etiam imaginationi, ſed ſoli intellectui, cuius obiectum eſt quod quid eſt; & ideò propriè loquendo corpus Chriſti ſecundùm modum quem habet in hoc Sacramento, neque ſenſu, neque imaginatione perceptibile eſt, ſed ſolo intellectu: & adhuc per diuinam reuelationem, cùm hic modus ſit ſupernaturalis: vnde articulo ſequenti docet D. Thom. quòd quando fiunt aliquæ apparitiones in hoc Sacramento; non eſt ipſe Chriſtus qui videtur in ſe, ſed fit aliqua immutatio vel ex parte videntis, vel ex parte ſpecierum conſecratarum; ex parte videntis quidem, cùm à paucis, & ad breue tempus videntur: ex parte verò ſpecierum, quando à multis, & ad longum tempus videntur.

Ad primum ergo, dicendum, quòd corpus Chriſti ſub Sacramento exiſtens non poteſt videri ab alio oculo glorioſo, quàm à proprio, vt ait D. Thom. art. 7. ad 2. quod debet fieri miraculoſè, non per hoc quòd ipſũ c orpus emittat ſuam ſpeciem in oculum; ſed per productionem miraculoſam talis ſpeciei: conueniens enim eſt quòd Chriſtus videat ſeipſum ibi exiſtentem.

Ad ſecundum, dicendum, quòd per motum localem Chriſtus nihil acquirit intrinſecum, vt dictum eſt, quod exigat extenſionem in ipſo: benè autem per alias alterationes, etiam perfectiuas mutationes.

Ad tertium, dicendum cum D. Thom. hic art. 6. quòd Chriſtus per ſe non mouetur, ſecundùm eſſe quod habet in hoc Sacramento, quacumque mutatione, putà quantùm ad hoc quòd deſinat eſſe ſub Sacramento: quia illud quod de ſe habet eſſe indeficiens, non poteſt eſſe deficiendi principiũ, ſed alio deficiente hoc deſinit eſſe in eo; ſicut Deus, cuius eſſe eſt indeficiẽs & immortale, deſinit eſſe in aliqua creatura corruptibili, per hoc quòd creatura corruptibilis deſinit eſſe: & hoc modo cùm Chriſtus habeat de ſe eſſe indeficiens & incorruptibile, non deſinit eſſe ſub Sacramento, neq; per hoc quòd ipſum deſinat eſſe, neque etiam per motum localem ſui, ſed ſolùm per hoc quòd ſpecies huius Sacramenti deſinunt eſſe: vnde patet quòd Chriſtus per ſe loquendo immobiliter eſt in hoc Sacramento.

QVÆSTIO LXXVII.

De remanentibus in ſacramento accidentibus, in octo articulos diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de accidentibus remanentibus in hoc ſacramento.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

¶ Primo, vtrùm accidentia quæ remanent, ſint ſine ſubiecto.

¶ Secundo, vtrùm quantitas dimenſiua ſit ſubiectum aliorum accidentium.

¶ Tertio, vtrùm huiuſmodi accidentia poſſint immutare aliquod corpus intrinſecum.

¶ Quarto, vtrùm poſſint corrumpi.

¶ Quinto, vtrùm ex eis poſſit aliquid generari.

¶ Sexto, vtrùm poſſint nutrire.

¶ Septimo, de fractione panis conſecrati.

¶ Octauo, vtrùm vino conſecrato poſſit aliquid permiſceri.

ARTICVLVS I.

Vtrùm accidentia remaneant ſine ſubiecto in hoc ſacramento.

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quod accidentia non remaneant in hoc ſacramento ſine ſubiecto. Nihil enim inordinatum aut fallax debet eſſe in hoc ſacramento veritatis. Sed accidentia eſſe ſine ſubiecto, eſt contra rerum ordinem, quem Deus naturæ indidit. videtur etiam ad quandam fallaciam pertinere, cum accidentia naturaliter ſint ſigna naturæ ſubiecti. Ergo in hoc ſacramento non ſunt accidentia ſine ſubiecto. 456 q.75.a.5. & 1.d.47. a.4.c.& 4.d.11.q. 3.a.1.& 4. con. 63.& 65.& quo.3.a. 1.& quo. 4.a.5.& q.2.a.8. & 1.Cor. 11 lec. 3 co.l.5. l.4.met. tt.28 1.3.

¶ 2 Præterea, Fieri non poteſt etiam miraculosè, quod definitio rei ab ea ſeparetur, vel quod vni rei conueniat definitio alterius rei (puta quod homo manens homo ſit animal irrationale) ad hoc enim ſequeretur contradictoria eſſe ſimul: hoc enim quod ſignificat nomen rei, eſt definitio, vt dicitur in 4.° meta. Sed ad definitionem accidentis pertinet quod ſit in ſubiecto; ad definitionem vero ſubſtantiæ, quod per ſe ſubſiſtat, non in ſubiecto. Non ergo poteſt miraculosè fieri, quod in hoc ſacramento ſint accidentia ſine ſubiecto.

¶ 3 Præterea, Accidens indiuiduatur ex ſubiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc ſacramento ſine ſubiecto: non erunt indiuidua, ſed vniuerſalia: quod patet eſſe falſum: quia ſic non eſſent ſenſibilia, ſed intelligibilia tantum.

¶ 4 Præterea, Accidentia per conſecrationem huius ſacramenti, non adipiſcuntur aliquam compoſitionem. Sed ante conſecrationem non erant compoſita neque ex materia & forma, neque ex quo eſt, & quod eſt. Ergo etiam poſt conſecrationem non ſunt compoſita altero horum modorum quod eſt inconueniens: quia ſic eſſent ſimpliciora quàm Angeli, cum tamen hæc accidentia ſint ſenſibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc ſacramento ſine ſubiecto.

Sed contra eſt, quod Greg. dicit in * homilia paſchali, quòd ſpecies ſacramentales ſunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini. Et ita cum non remaneat ſubſtantia panis & vini, videtur quod huiuſmodi ſpecies remaneant ſine ſubiecto. refertur de con. d.2. c. Species.

CONCLVSIO.

Remanent accidentia panis, & vini in ſacramento: non in aliquo ſubiecto exiſtentia, ſed ſola diuina virtute ſine ſubiecto exiſtunt.

Respondeo dicendum, quòd accidentia panis & vini, quæ ſenſu deprehenduntur in hoc ſacramento remanere poſt conſecrationem, non ſunt ſicut in ſubiecto in ſubſtantia panis & vini, quæ non manet (vt ſupra habitum eſt *) neque etiam in forma ſubſtantiali, quæ non manet: & ſi remaneret, ſubiectum eſſe non poſſet, vt patet per Boët. † in lib. de trin. Manifeſtum eſt etiam, quod huiuſmodi accidentia non ſunt in ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti ſicut in ſubiecto, quia ſubſtantia humani corporis nullo modo poteſt his accidentibus affici: neque etiam eſt poſſibile, quod corpus Chriſti glorioſum & impaſſibile exiſtens, alteretur ad ſuſcipiendas huiuſmodi qualitates. q.75.a.2. & 6. In lib. de vna. ante med.

Dicunt autem quidam, quod ſunt ſicut in ſubiecto in aëre circumſtante. Sed nec hoc eſſe poteſt. Primo quidem, quia aër non eſt huiuſmodi accidentium ſuſceptiuus: Secundo, quia huiuſmodi accidentia non ſunt vbi eſt aër quinimo ad motum harum ſpecierum aër depellitur. Tertio, quia accidentia nõ tranſeunt de ſubiecto in ſubiectum: vt ſ. idem accidens numero quod primo fuit in vno ſubiecto, poſtmodũ fiat in alio: accidens enim numerũ accipit à ſubiecto: vnde nõ poteſt eſſe, quod idẽ numero manens, ſit quãdoque in hoc, quandoque in illo ſubiecto. Quarto, cum aër non ſpolietur accidentibus propriis, ſimul haberet accidentia propria & aliena. Nec poteſt dici, quod fiat miraculosè virtute conſecrationis: quia verba conſecrationis hoc nõ ſignificant: quæ tamen nõ efficiunt niſi ſuum ſignificatum. Et ideo relinquitur, quod accidentia in hoc ſacramento, manent ſine ſubiecto. Quod quidem virtute diuina fieri poteſt. Cum enim effectus magis dependeat à cauſa prima, quàm à cauſa ſecunda; Deus qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ & accidentis, per ſuam infinitam virtutem conſeruare poteſt in eſſe accidens: ſubtracta ſubſtantia, per quam conſeruabatur in eſſe ſicut per propriam cauſam ſicut etiam alios effectus naturalium cauſarum poteſt producere ſine naturalibus cauſis: ſicut humanum corpus formauit in vtero virginis ſine virili ſemine.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet aliquid eſt

eſſe ordinatum ſecundum communem legem naturæ, cuius tamen contrarium eſt ordinatum ſecundum ſpeciale priuilegium gratiæ, vt patet in reſuſcitatione mortuorũ, & in illuminatione cæcorum: prout etiam in rebus humanis quædam aliquibus conceduntur ex ſpeciali priuilegio præter legem communem. Et ita etiam licet ſit ſecundum communem naturæ ordinem, quod accidens ſit in ſubiecto, ex ſpeciali tamen ratione ſecundum ordinem gratiæ: accidentia ſunt in hoc ſacramento ſine ſubiecto, propter rationes ſupra inductas *.

AD ſecundum dicendum, quòd cum ens non ſit genus, hoc ipſum quod eſt eſſe, non poteſt eſſe eſſentia ſubſtantiæ vel accidentis. Non eſt ergo definitio ſubſtantiæ ens per ſe ſine ſubiecto; nec definitio accidentis, ens in ſubiecto: ſed quidditati ſeu eſſentiæ ſubſtantiæ competit habere eſſe non in ſubiecto: quidditati autem ſiue eſſentiæ accidentis competit habere eſſe in ſubiecto. In hoc autem ſacramento non datur accidentibus quod ex vi ſuæ eſſentiæ non ſint in ſubiecto, ſed ex diuina virtute ſuſtentante. Et ideo non deſinunt eſſe accidentia. quia nec ſeparatur ab eis definitio accidentis, quæ eſt aptitudo ad ſubiectum, quæ ſemper manet in eis, non actualis inhærentia, nec competit eis definitio ſubſtantiæ.

AD tertium dicendum, quòd huiuſmodi accidentia acquiſierunt eſſe indiuiduum in ſubſtantia panis & vini, qua conuerſa in corpus & ſanguinem Chriſti, remanent virtute diuina accidentia in illo eſſe indiuiduato, quod prius habebant. Vnde ſunt ſingularia & ſenſibilia.

AD quartum dicendum, quod accidentia huiuſmodi, manente ſubſtantia panis & vini, non habebant ipſa eſſe, nec alia accidentia, ſed ſubiecta eorum habebant huiuſmodi eſſe, per ea: ſicut nix eſt alba per albedinem. Sed poſt conſecrationem ipſa accidentia quæ remanent habent eſſe, vnde ſunt compoſita ex eſſe, & quod eſt (ſicut in prima parte de Angelis dictum eſt *) & cum hoc habent compoſitionem partium quantitatiuarum.

1.p.q.50. a.2.ad 3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc ſacramento quantitas dimenſiua panis, vel vini, ſit aliorum accidentium ſubiectum.

457 AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd in hoc ſacramento quantitas dimenſiua panis vel vini, non ſit aliorum accidentium ſubiectum. Subiectum enim accidentis non eſt accidens, nulla enim forma poteſt eſſe ſubiectum, cum ſubiici pertineat ad proprietatẽ materiæ. Sed quantitas dimenſiua eſt quoddam accidens. Ergo quantitas dimenſiua non poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium.

4. d. 12. q. 1. ar. 1. q. 3. & 4. & 22. q. 2. & 3. & 3. Co. 22. & q. 1. ſo.

¶ 2 Præterea, Sicut quantitas indiuiduatur ex ſubſtantia, ita etiam & alia accidentia. Si ergo quantitas dimenſiua panis aut vini remanet indiuiduata ſecundum eſſe prius habitum, in quo conſeruatur, pari ratione & alia accidentia remanent indiuiduata ſecundum eſſe, quod prius habebant in ſubſtantia. Non ergo ſunt in quantitate dimenſiua ſicut in ſubiecto, cum omne accidens indiuiduetur per ſuum ſubiectum.

¶ 3 Præterea, Inter alia accidentia panis & vini quæ remanent, deprehenduntur etiam ſenſu, rarum & denſum, quæ non poſſunt eſſe in quantitate dimenſiua, præter materiam exiſtente. quia rarum eſt, quod habet parum de materia ſub magnis dimenſionibus: denſum autem quod habet multum de materia ſub paruis dimenſionibus: vt dicitur 4. phyſ. * Non ergo videtur, quod quantitas dimenſiua poſſit eſſe ſubiectum accidentium, quæ remanent in hoc ſacramento.

Lib. 4. text. 84. & 5.

¶ 4 Præterea, Quantitas a ſubiecto ſeparata, videtur eſſe quantitas mathematica, quæ non eſt ſubiectum qualitatum ſenſibilium. Cum ergo accidentia, quæ remanent in hoc ſacramento, ſint ſenſibilia, videtur, quod nõ poſſint eſſe in hoc ſacramento, ſicut in ſubiecto in quantitate dimenſiua panis & vini remanente poſt conſecrationem.

SED contra eſt, quod qualitates non ſunt diuiſibiles niſi per accidens, ſcilicet ratione ſubiecti. Diuiduntur autem qualitates remanentes in hoc ſacramento per diuiſionem quantitatis dimenſiuæ, ſicut patet ad ſenſum. Ergo quantitas dimenſiua eſt ſubiectum accidentium, quæ remanent in hoc ſacramento.

CONCLVSIO

Omnia accidentia præter quantitatem dimenſiuam, quæ remanent in ſacramento, quamuis in nulla ſint ſubſtantia, ſunt tamen in quantitate dimenſiua panis & vini tanquam in ſubiecto.

RESPONDEO dicendum, quod neceſſe eſt dicere accidentia alia quæ remanent in hoc ſacramento, eſſe ſicut in ſubiecto in quantitate dimenſiua panis, vel vini remanente. Primo quidem per hoc, quod ad ſenſum apparet aliquid quantum eſſe ibi coloratum, & aliis accidentibus affectum: nec in talibus ſenſus decipitur. Secundò, quia prima diſpoſitio materiæ eſt quantitas dimenſiua, vnde & Plato * poſuit primas differentias materiæ, magnum & paruum. Et quia primum ſubiectum eſt materia, conſequens eſt, quod omnia alia accidentia referantur ad ſubiectum mediante quantitate dimenſiua (ſicut & primum ſubiectum coloris dicitur eſſe ſuperficies) ratione cuius quidam poſuerunt dimenſiones eſſe ſubſtantias corporum: vt dicitur in 3. met. † Et quia ſubtracto ſubiecto, remanent accidentia ſecundum eſſe, quod prius habebant, conſequens eſt, quod omnia accidentia remaneant fundata ſuper quantitatem dimenſiuam. Tertiò, quia cum ſubiectum ſit principium indiuiduationis accidentium, oportet id quod ponitur aliquorum accidentium ſubiectum, eſſe aliquo modo indiuiduationis principium. Eſt enim de ratione indiuidui, quod non poſſit in pluribus eſſe. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo, quia non eſt natum eſſe in aliquo: & hoc modo formæ immateriales ſeparatæ, per ſe ſubſiſtentes, ſunt etiam per ſeipſas indiuiduæ. Alio modo ex eo, quod forma ſubſtantialis, vel accidentalis eſt quidem nata in aliquo eſſe, non tamen in pluribus: ſicut hæc albedo, quæ eſt in hoc corpore.

Apud Ari. lib. 1. met. tx. 8. & 7.

Lib. 3. tx. 19. & ſeq. 3.

Quantum igitur ad primum, materia eſt indiuiduationis principium omnibus formis inhærentibus: quia cum huiuſmodi formæ quantum eſt de ſe, ſint natæ in aliquo eſſe, ſicut in ſubiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non eſt in alio, iam nec forma ipſa ſic exiſtens poteſt in alio eſſe.

Quantum autem ad ſecundum dicendum eſt, quòd indiuiduationis principium eſt quantitas dimenſiua. Ex hoc enim aliquid eſt natum eſſe in vno ſolo, quod illud eſt in ſe indiuiſum, & diuiſum ab omnibus aliis. Diuiſio autem accidit ſubſtantiæ ratione quantitatis: vt dicitur in primo phyſic. * Et ideo ipſa quantitas dimenſiua eſt quoddam indiuiduationis principium huiuſmodi formis, inquantum ſcilicet diuerſæ formæ numero, ſunt in diuerſis partibus materiæ. Vnde & ipſa quantitas dimenſiua ſecundum ſe habet quandam indiuiduationem: ita quod poſſumus imaginari plures lineas ſeparatas * eiuſdem ſpeciei, differentes poſitione, quæ cadit in ratione huius quantitatis: conuenit enim dimenſioni, quod ſit quantitas poſitionem habens. Et ideo potius quantitas dimenſiua poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium, quàm è conuerſo.

Lib. 1. Phyſ. t. 15.

Al. non habentes ſeparatas.

AD primum ergo dicendum, quòd accidens per ſe non poteſt eſſe ſubiectum alterius accidentis. quia per ſe non eſt. Secundum vero quod eſt in alio, vnum accidens dicitur eſſe ſubiectum alterius, inquantum vnum accidens recipitur in ſubiecto, alio mediante, ſicut ſuperficies dicitur eſſe ſubiectum coloris. Vnde quando accidenti datur diuinitus vt per ſe ſit, poteſt etiam per ſe alterius accidentis ſubiectum eſſe.

AD ſecundum dicendum, quòd alia accidentia etiam ſecundum quod erant in ſubſtantia panis, indiuiduabantur mediante quantitate dimenſiua: ſicut dictum eſt. * Et ideo potius quantitas dimenſiua eſt ſubiectum aliorum accidentium remanentium in hoc ſacramento, quàm è conuerſo.

In corp. art.

AD tertium dicendum, quòd rarum & denſum ſunt quædam qualitates conſequentes corpora ex hoc quòd habent multum vel parum de materia ſub dimenſionibus ſicut etiam omnia alia accidentia conſequuntur ex principiis ſubſtantiæ. Et ideo ſicut ſubtracta ſubſtantia, diuina virtute conſeruantur alia accidentia: ita ſubtracta materia, diuina virtute conſeruantur qualitates materiam conſequentes, ſicut rarum & denſum.

AD quartum dicendum, quòd quantitas mathematica non abſtrahit à materia intelligibili, ſed à materia ſenſibili: vt dicitur 7. * met. Dicitur autem materia ſenſibilis ex hoc quod ſubſternitur ſenſibilibus qualitatibus. Et ideo manifeſtum eſt, quod quantitas dimenſiua quæ remanet in hoc ſacramento ſine ſubiecto, non eſt quantitas mathematica.

Lib. 7. t. 35.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſpecies quæ remanent in hoc ſacramento poſſint immutare aliquid extrinſecum.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd ſpecies quæ remanent in hoc ſacramento: non poſſint immutare aliquid extrinſecum. Probatur enim 7. Phyſic. quod formæ quæ ſunt in materia, fiunt à formis quæ ſunt in materia, non autem à formis, quæ ſunt ſine materia, eo quod ſimile agit ſibi ſimile. Sed ſpecies ſacramentales ſunt ſpecies ſine materia: quia remanent ſine ſubiecto, vt ex dictis patet *. Non ergo poſſunt immutare materiam exteriorem inducendo aliquam formam. 458

4. d. 12. q. 1. ar. 2. q. 1. & 2.

Art. 1. huius quæ.

¶ 2 Præterea, Ceſſante actione principalis agentis neceſſe eſt quod ceſſet actio inſtrumenti: ſicut quieſcente fabro, non mouetur martellus. Sed omnes formæ accidentales agunt inſtrumentaliter in virtute formæ ſubſtantialis tanquam principalis agentis. Cum ergo in hoc ſacramento non remaneat forma ſubſtantialis panis & vini (ſicut ſupra habitum eſt †) videtur quod formæ accidentales remanentes, agere non poſſint ad immutationem exterioris materiæ.

q. 75. a. 2. & 6.

¶ 3 Præterea, Nihil agit vltra ſuam ſpeciem: quia effectus non poteſt eſſe potior cauſa. Sed ſpecies ſacramentales omnes ſunt accidentia. Non ergo poſſunt exteriorem materiam immutare, ad minus ad formam ſubſtantialem.

SED contra eſt, quod ſi non poſſent immutare exteriora corpora non poſſent ſentiri. Sentitur enim aliquid per hoc, quod immutatur ſenſus à ſenſibili: vt dicitur 2. † de anima.

Lib. 2. tx. 51. & 2. & 121 com. 2.

CONCLVSIO.

Cùm ſpecies ſacramentales diuina virtute remaneant in ſuo eſſe quod habebant, ſubſtantia panis & vini exiſtente, dubium non eſt, quin exteriora corpora immutare poſſint.

RESPONDEO dicendum, quod quia vnumquodque agit inquantum eſt ens actu, conſequens eſt, quod vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ſe habeat ad agere. Quia igitur ſecundum prædicta *, ſpeciebus ſacramentalibus datum eſt diuina virtute, vt remaneant in ſuo eſſe quod habebant, ſubſtantia panis & vini exiſtente, conſequens eſt, quod etiam remaneant in ſuo agere: & ideo omnem actionem, quam poterant agere, ſubſtantia panis & vini exiſtente, poſſunt etiam agere, ſubſtantia panis & vini tranſeunte in corpus & ſanguinem Chriſti. Vnde non eſt dubium quod poſſunt immutare exteriora corpora.

Ar. 1. huius quæſt.

AD primum ergo dicendum, quòd ſpecies ſacramentales licet ſint formæ ſine materia exiſtentes: retinent tamen idem eſſe, quod habebant prius in materia. Et ideo ſecundum ſuum eſſe aſſimilantur formis, quæ ſunt in materia.

AD

AD ſecundum dicendum, quod ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ ſubſtantialis, ſicut eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantiæ. Et ideo ſicut diuina virtute datur ſpeciebus ſacramentalibus, vt poſſint eſſe ſine ſubſtantia: ita datur eis vt poſſint agere ſine forma ſubſtantiali, virtute Dei, à quo ſicut à primo agente dependet omnis actio formæ & ſubſtantialis & accidentalis.

AD tertium dicendum, quod immutatio quæ eſt ad formam ſubſtantialem, non fit à forma ſubſtantiali immediate, ſed mediantibus qualitatibus actiuis & paſſiuis, quæ agunt in virtute formæ ſubſtantialis. Hæc autem virtus inſtrumentalis conſeruatur in ſpeciebus ſacramentalibus diuina virtute, ſicut & prius erat. Et ideo poſſunt agere ad formam ſubſtantialem inſtrumentaliter. Per quem modum aliquid poteſt agere vltra ſuam ſpeciem, non quaſi virtute propria, ſed virtute principalis agentis.

419 ARTICVLVS IV.

Vtrùm ſpecies ſacramentales poſſint corrumpi.

Inf. c. 5. & 4. d. 1. q. 2. ar. 2. q. 3. & 4. contr. 46. AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod ſpecies ſacramentales corrumpi non poſſint. Corruptio enim accidit per ſeparationem formæ à materia. Sed materia panis non remanet in hoc ſacramento, ſicut ex ſupradictis patet. † Ergo huiuſmodi ſpecies non poſſunt corrumpi. q. 75. art. 2. & 6

¶ 2 Præterea, Nulla forma corrumpitur, niſi per accidens, corrupto ſubiecto: vnde formæ per ſe ſubſiſtentes, incorruptibiles ſunt, ſicut patet in ſubſtantiis ſpiritualibus. Sed ſpecies ſacramentales ſunt formæ ſine ſubiecto: ergo corrumpi non poſſunt.

¶ 3 Præterea, Si corrumpuntur aut hoc erit naturaliter aut miraculoſe. Sed non naturaliter: quia non eſt ibi aſſignare aliquod corruptionis ſubiectum, quod maneat corruptione terminata. Similiter etiam nec miraculoſe: quia miracula quæ ſunt in hoc ſacramento, fiunt virtute conſecrationis, per quam ſpecies ſacramentales conſeruantur, non eſt autem idem cauſa conſeruationis & corruptionis. Ergo nullo modo ſpecies ſacramentales corrumpi poſſunt.

SED contra eſt, quod ſenſu deprehenditur, hoſtias conſecratas putreſcere & corrumpi.

CONCLVSIO.

Species ſacramentales cum idem eſſe quod ante conſecrationem habebant, retineant ſicut ante, ita & poſt conſecrationem vel per ſe vel per accidens poſſunt corrumpi.

art. præc. RESPONDEO dicendum, quod corruptio eſt motus ex eſſe in non eſſe. Dictum eſt autem ſupra *, quod ſpecies ſacramentales retinent idem eſſe quod prius habebant, ſubſtantia panis & vini exiſtente. Et ideo ſicut eſſe horum accidentium poterat corrumpi, ſubſtantia panis & vini exiſtente: ita etiam poteſt corrumpi, illa ſubſtantia abeunte. Poterant autem huiuſmodi accidentia primo corrumpi dupliciter, vno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem ſicut per alterationem qualitatum, & augmentum vel diminutionem quantitatis. Non quidem per modum augmenti vel diminutionis, qui inuenitur in ſolis corporibus animatis (qualia non ſunt ſubſtantia panis & vini) ſed per additionem vel diuiſionem. Nam ſicut dicitur 3. Met. per diuiſionem vna dimenſio corrumpitur, & fiunt duæ, per additionem autem è conuerſo ex duabus fit vna. Et per hunc modum manifeſte poſſunt corrumpi huiuſmodi accidentia poſt conſecrationem quia & ipſa quantitas dimenſiua remanens poteſt diuiſionem & additionem ſuſcipere, & cum ſit ſubiectum qualitatum ſenſibilium (ſicut dictum eſt *) poteſt etiam eſſe ſubiectum alterationis earum: puta, ſi alteretur color aut ſapor panis aut vini. Alio modo poterant corrumpi per accidens, per corruptionem ſubiecti, & hoc modo poſſunt corrumpi etiam poſt conſecrationem. Quamuis n. ſubiectum non remaneat, remanet tamen eſſe quod habebant huiuſmodi accidentia in ſubiecto, quod quidem eſt proprium & conforme ſubiecto. Et ideo huiuſmodi eſſe poteſt corrumpi à contrario agente, ſicut corrumpebatur ſubſtantia panis vel vini, quæ etiam non corrumpebatur niſi præcedente alteratione circa accidentia. Ar. 2 huius q.

Diſtinguendum tamen eſt inter vtramque modum prædictarum corruptionum: quia cum corpus Chriſti & ſanguis ſuccedant in hoc Sacramento ſubſtantiæ panis & vini, ſi fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non ſuffeciſſet ad corruptionem panis & vini, propter talem immutationem non deſinit corpus & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc ſacramento, ſiue fiat immutatio ex parte qualitatis (puta, cum modicum immutatur color aut ſapor panis vel vini) ſiue ex parte quantitatis, ſicut cum diuiditur panis aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis poſſit ſaluari natura panis aut vini.

Si vero fiat tanta immutatio, quod fuiſſet corrupta ſubſtantia panis & vini: non remanent corpus & ſanguis Chriſti ſub hoc ſacramento. Et hoc ſiue ex parte qualitatum, ſicut cum ita immutatur color & ſapor & aliæ qualitates panis & vini, quod nullo modo poſſent compati naturam panis aut vini: ſiue etiam ex parte quantitatis: puta, ſi puluerizetur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt iam non remaneant ſpecies panis vel vini.

AD primum ergo dicendum, quod ad corruptionem per ſe pertinet, quod auferat eſſe rei, vnde inquantum eſſe alicuius formæ eſt in materia, conſequens eſt quod per corruptionem ſeparatur forma à materia. Si vero huiuſmodi eſſe non eſſet in materia, ſimile tamen ei quod eſt in materia, poſſet per corruptionem auferri etiam materia non exiſtente: ſicut accidit in hoc ſacramento, vt dictis patet †.

in cor. ar. AD ſecundum dicendum, quod ſpecies ſacramentales licet ſint formæ non in materia: habent tamen eſſe quod prius in materia habebant.

AD tertium dicendum, quod corruptio illarum ſpecierum non eſt miraculoſa, ſed naturalis. Præſupponit tamen miraculum quod eſt factum in conſecratione, ſcilicet quod illæ ſpecies ſacramentales retineant eſſe ſine ſubiecto, quod prius habebant in ſubiecto: ſicut & cæcus miraculoſe illuminatus, naturaliter videt.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid poſſit generari.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quod ex ſpeciebus ſacramentalibus nihil poſſit generari. Quod enim generatur, ex aliqua materia generatur: ex nihilo enim nihil generatur, quamuis ex nihilo fiat aliquid per creationem. Sed ſpeciebus ſacramentalibus non ſubeſt aliqua materia niſi corporis Chriſti, quod eſt incorruptibile. Ergo videtur quod ex ſpeciebus ſacramentalibus nihil poſſit generari. 460 Inf. ar. 8. ad 2. & 4. d. 12. q. 1. a. 2. q. 4. & 4. cont. cap. 66. & quol. 9. q. 5. ad 3. & 1. Cor. 11. lec. 4 fin.

¶ 2 Præterea, Ea quæ non ſunt vnius generis, non poſſunt ex ſe inuicem fieri: non enim ex albedine fit linea. Sed accidens & ſubſtantia differunt genere. Cum ergo ſpecies ſacramentales ſint accidentia, videtur quod ex eis non poſſit aliqua ſubſtantia generari.

¶ 3 Præterea, Si ex eis generetur aliqua ſubſtantia corporea, illa ſubſtantia non erit ſine accidente. Si ergo ex ſpeciebus ſacramentalibus generetur aliqua ſubſtantia corporea, oportet quod ex accidente generetur ſubſtantia & accidens, duo ſcilicet ex vno, quod eſt impoſſibile. Ergo impoſſibile eſt, quod ex ſpeciebus ſacramentalibus aliqua ſubſtantia corporea generetur.

SED contra eſt, quod ad ſenſum videri poteſt ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generari, vel cineres, ſi comburantur: vel vermes, ſi putreſcant, vel puluerem, ſi conterantur.

CONCLVSIO.

Poteſt ex ſacramentalibus ſpeciebus, quanquam nulla adſit materia, aliquid generari, quantitate dimenſiua vicem materiæ gerente.

RESPONDEO dicendum, quod cum corruptio vnius ſit generatio alterius, vt dicitur in 1. de gener. * neceſſe eſt quod ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, vt dictum eſt. † Non enim ſic corrumpuntur, vt omnino diſpereant, quaſi in nihilum redigantur, ſed manifeſte aliquid ſenſibile eis ſuccedit. Quomodo autem ex eis aliquid generari poſſit, difficile eſt videre. Manifeſtum eſt enim quod ex corpore & ſanguine Chriſti, quæ ibi veraciter ſunt, non generatur aliquid, cum ſint incorruptibilia. Si autem ſubſtantia panis, aut vini remaneret in hoc ſacramento, vel eorum materia, facile eſſet aſſignare, quod ex eis generatur illud ſenſibile quod ſuccedit, vt quidam poſuerunt, ſed hoc eſt falſum, vt ſupra habitum eſt †. Et ideo quidam dixerunt, quod ea quæ generantur, non fiunt ex ſpeciebus ſacramentalibus, ſed ex aëre circumſtante. Quod quidem multipliciter apparet eſſe impoſſibile. Primo, quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum & corruptum apparet. Nulla autem alteratio vel corruptio prius apparuit in aëre circumſtante: vnde ex eo vermes, vel cineres non generantur. Secundo, quia natura aëris non eſt talis, quod ex eo per tales alterationes talia generentur. Tertio quia poteſt contingere in magna quantitate hoſtias conſecratas comburi vel putrefieri, nec eſſet poſſibile tantum de corpore terreno ex aëre generari, niſi magna & valde ſenſibili inſpiſſatione aëris facta. Quarto, quia idem poteſt accidere corporibus ſolidis circumſtantibus (puta ferro aut lapidibus) quæ integra remanent poſt prædictorum generationem. Vnde hæc poſitio ſtare non poteſt: quia contrariatur ei quod ad ſenſum apparet. Et ideo alij dixerunt quod redit ſubſtantia panis & vini in ipſa corruptione ſpecierum: & ſic ex ſubſtantia panis & vini redeunte generantur cineres, aut vermes, aut aliquid huiuſmodi. Sed hæc poſitio videtur eſſe impoſſibilis. Primo quidem, quia ſi ſubſtantia panis & vini conuerſa eſt in corpus & ſanguinem Chriſti (vt ſupra habitum eſt *) non poteſt ſubſtantia panis aut vini redire, niſi corpore aut ſanguine Chriſti iterum conuerſo in ſubſtantiam panis vel vini, quod eſt impoſſibile: ſicut ſi aër ſit conuerſus in ignem, non poteſt aër redire, niſi iterum ignis conuertatur in aërem. Si vero ſubſtantia panis aut vini ſit annihilata, non poteſt iterum redire: quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero, niſi forte dicatur redire prædicta ſubſtantia, quia Deus de nouo creat aliam nouam ſubſtantiam loco primæ. Secundo videtur hoc eſſe impoſſibile, quia non eſt dare, quando ſubſtantia panis redeat. Manifeſtum eſt enim ex ſupradictis †, quod manentibus ſpeciebus panis & vini, manet corpus & ſanguis Chriſti, quæ non ſunt ſimul cum ſubſtantia panis & vini, in hoc ſacramento, ſecundum præhabita. * Vnde ſubſtantia panis & vini non poteſt redire, ſpeciebus ſacramentalibus manentibus. Similiter etiam nec eis ceſſantibus: quia iam ſubſtantia panis & vini eſſet ſine propriis accidentibus: quod eſt impoſſibile. Niſi forte dicatur, quod in ipſo vltimo inſtanti corruptionis ſpecierum redit, non quidem ſubſtantia panis & vini (quia illud idem inſtans eſt, in quo primo habent eſſe ſubſtantiæ generatæ ex ſpeciebus) * ſed materia panis & vini, quæ magis proprie loquendo diceretur de nouo creata quàm rediens. Et ſecundum hoc poſſet ſuſtineri prædicta poſitio. Verum, quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculoſe aliquid accidat in hoc ſacramento, niſi ex ipſa conſecratione, ex qua non eſt quod materia creetur vel redeat, melius videtur dicendum, quod in ipſa conſecratione miraculoſe datur quantitati dimenſiuæ panis & vini, quod ſit primum ſubiectum ſubſequentium formarum. Hoc autem eſt proprium materiæ, & ideo ex conſequenti datur prædictæ

quantitati

lib. 1. text. 17. & 20. · art. præc. · q. 75. a. 2. & 6. · q. 75. art. 4. & 8 · art. 4. huius q. & q. 76. a. 6. ad 3 · q. 75. a. 2

quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis vel vini: non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur: quantitas tamen dimensiva supplet vicem materiæ, vt dictum est.

Ad secundum dicendum quod illæ species sacramentales, sunt quidem accidentia; habent tamen actum & vim substantiæ vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quod quantitas dimensiva panis & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculose vim & proprietatem substantiæ. Et ideo potest transire in vtramque, idest in substantiam & dimensionem.

461

ARTICVLVS VI.

Vtrum species sacramentales possint nutrire.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod species sacramentales non possint nutrire. Dicit enim Ambr. in lib. de sacramentis, Non iste panis est qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit, sed omne quod nutrit, vadit in corpus, ergo panis iste non nutrit. Et eadem ratio est de vino.

¶ 2 Præterea, Sicut dicitur 2. de † Generatione, ex iisdem nutrimur, ex quibus sumus: Species autem sacramentales sunt accidentia, ex quibus homo non constat: non enim accidens est pars substantiæ. Ergo videtur, quod species sacramentales nutrire non possunt.

¶ 3 Præterea, Philosophus 2. de Anima dicit, quod alimentum nutrit prout est substantia quædam, auget autem prout est aliquid quantum. Sed species sacramentales non sunt substantia, Ergo non possunt nutrire.

Sed contra est, quod Apost. 1 Cor. 11. loquens de hoc sacramento, dicit, Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Vbi dicit gl. quod notat illos, qui post celebrationem sacri mysterij & consecrationē panis & vini, suas oblationes vendicabant, & aliis non communicantes, soli sumebant, ita vt inde etiam inebriarentur. Quod quidem non posset contingere, si sacramentales species non nutrirent. Ergo species sacramentales nutriunt.

CONCLVSIO.

Quemadmodum ex sacramentalibus speciebus aliquid generari potest, ita & nutriri quispiam ex eisdem potest.

Respondeo dicendum, quod hæc quæstio difficultatem non habet, præcedente quæstione soluta. Ex hoc enim (vt dicitur 2. de Ani.) cibus nutrit, quod convertitur in substantiam nutriti. Dictum est autem, † quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur. Per eandem autem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres vel in vermes, & ideo manifestum est quod nutriunt. Quod autem quidam dicunt, quod non vere nutriunt, quasi in corpus humanum convertantur, sed reficiunt & confortant quadam sensuum immutatione (sicut homo confortatur ex odore cibi, & inebriatur ex odore vini) ad sensum patet esse falsum. Talis enim refectio non diu sufficit homini cuius corpus propter continuam deperditionem restauratione indiget: & tamen homo diu sustentari posset si hostias & vinum consecratum sumeret in magna quantitate. Similiter etiam non potest stare quod quidam dicunt, quod species sacramentales nutriunt, propter formam substantialem panis & vini, quæ remanet, tum quia non remanet, vt supra habitum est: tum quia non est actus formæ nutrire: sed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti, recedente forma nutrimenti. Vnde dicitur in 2. de Anima, quod nutrimentum in principio est dissimile, in fine autem simile.

Ad primum ergo dicendum, quod facta consecratione dupliciter potest dici panis in hoc sacramento esse. Vno modo ipsæ species panis, quæ retinent nomen prioris substantiæ: vt Greg. dicit in homi. Paschali. Alio modo potest dici panis ipsum corpus Christi: quod est panis mysticus de cælo descendens. Ambr. † ergo cum dicit, quod iste panis non transit in corpus, accipit panem secundo modo: quia scilicet corpus Christi: non convertitur in corpus hominis, sed reficit mentem eius, non autem loquitur de pane primo modo dicto.

Ad secundum dicendum, quod species sacramentales etsi non sint ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur: sicut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod species sacramentales, quamuis non sint substantia, habent tamen virtutem substantiæ sicut dictum est.

ARTICVLVS VII.

Vtrum species Sacramentales frangantur in hoc sacramento.

462 Ad septimum sic proceditur. Videtur quod species sacramentales non frangantur in hoc sacramento. Dicit enim Philosophus 4. Meteo. quod corpora dicuntur frangibilia propter determinatam dispositionem pororum, quod non potest attribui sacramentalibus speciebus. Ergo sacramentales species non possunt frangi.

Præterea, Fractionem sequitur sonus. Sed species sacramentales non sunt sonabiles. Dicit enim Philosophus † 2. de Anima, quod sonabile est corpus durum, habens superficiem lenem. Ergo species sacramentales non franguntur.

¶ 3 Præterea, Eiusdem videtur esse manducari, frangi & masticari. Sed verum corpus Christi est quod manducatur secundum illud Io. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: ergo corpus Christi est quod frangitur & masticatur. Vnde in confessione Berengarij dicitur, Consentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & corde & ore profiteor panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem verum corpus & sanguinem Christi esse, & in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Non ergo fractio debet attribui sacramentalibus speciebus.

Sed contra est, quod fractio fit per divisionem quanti. Sed nullum quantum ibi dividitur, nisi species sacramentales quia neque corpus Christi, quod est incorruptibile, neque substantia panis, quæ non manet, neque substantia vini. Ergo species sacramentales franguntur.

CONCLVSIO.

Species Sacramentales frangi possunt in Sacramento secundum quantitatem dimensivam illarum; non autem frangitur Christi corpus, sed in quauis particula integrum manet.

Respondeo dicendum, quod apud antiquos circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod non erat in hoc sacramento fractio secundum rei veritatem, sed solum secundum aspectum intuentium. Sed hoc non potest stare quia in hoc sacramento veritatis sensus non decipitur circa ea, quorum iudicium ad ipsum pertinet, inter quæ est fractio, per quam ex vno fiunt multa, quæ quidem sunt sensibilia communia, vt patet in lib. † de Anima. Vnde alij dixerunt, quod erat quidem ibi vera fractio, sine subiecto existente †. Sed hoc etiam sensui contradicit. Apparet enim in hoc sacramento aliquid quantum prius vnum existens, postea in multa partitum, quod quidem oportet esse subiectum fractionis. Non autem potest dici, quod ipsum corpus Christi verum frangatur. Primo quidem, quia est incorruptibile & impassibile. Secundo, quia est totum sub qualibet parte (vt supra habitum est) quod quidem est contra rationem eius, quod frangitur. Vnde relinquitur, quod fractio sit sicut in subiecto in quantitate dimensiva panis, sicut & alia accidentia. Et sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio huiusmodi specierum est sacramentum Dominicæ passionis, quæ fuit in corpore Christi vero.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in speciebus sacramentalibus remanet rarum & densum (vt supra dictum est) ita etiam remanet ibi porositas, & per consequens frangibilitas.

Ad secundum dicendum, quod densitatem sequitur duritia. Et ideo ex quo in speciebus sacramentalibus remanet densitas, consequens est, quod remaneat ibi duritia, & per consequens sonabilitas.

Ad tertium dicendum, quod illud quod manducatur in propria specie, ipsum & frangitur & masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. Vnde & super illud Ioann. 6. Caro non prodest quicquam, dicit Aug. Hoc est intelligendum secundum illos, qui carnaliter intelligebant, carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur. Et ideo ipsum corpus Christi non frangitur nisi secundum speciem sacramentalem. Et hoc modo intelligenda est confessio Berengarij, vt fractio & attritio dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri.

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod vino consecrato non possit aliquis liquor misceri. Omne enim quod permiscetur alicui, recipit qualitatem ipsius. Sed nullus liquor potest recipere qualitatem sacramentalium specierum: quia accidentia illa sunt sine subiecto, vt dictum est. Ergo videtur, quod nullus liquor possit permisceri speciebus sacramentalibus vini. 463

¶ 2 Præterea, Si aliquis liquor permisceatur illis speciebus, oportet quod ex his fiat aliquid vnum. Sed non potest fieri aliquid vnum neque ex liquore (qui est substantia) & speciebus sacramentalibus, quæ sunt accidentia: neque ex liquore & sanguine Christi, qui ratione suæ incorruptibilitatis neque additionem recipit, neque diminutionem. Ergo nullus liquor potest admisceri vino consecrato.

¶ 3 Præterea, Si aliquis liquor admisceatur vino consecrato: videtur quod etiam ipsum efficiatur consecratum, sicut aqua quæ admiscetur aquæ benedictæ, efficitur benedicta. Sed vinum consecratum est vere sanguis Christi. Ergo aliquid etiam liquor permixtus esset sanguis Christi. Et ita aliquid fieret sanguis Christi aliter quam per consecrationem: quod est inconueniens. Non ergo vino consecrato potest aliquis liquor permisceri.

¶ 4 Præterea, Si duorum unum totaliter corrumpatur, non erit mixtio: vt dicitur in primo de generatione. Sed ad permixtionem cuiuscumque liquoris, videtur corrumpi totaliter species sacramentalis vini, ita quod sub ea desinat esse sanguis Christi, tum quia magnum & paruum sunt differentiæ quantitatis, & diuersificant ipsam, sicut album & nigrum colorem, tum etiam liquor permixtus, cum non habeat obstaculum, videtur vndique diffundi per totum, & ita desinit ibi esse sanguis Christi, qui non est ibi simul cum alia substantia: Non ergo aliquis liquor potest permisceri vino consecrato.

Sed contra est, quod ad sensum patet, alium liquorem vino permisceri posse post consecrationem, sicut & ante.

CONCLV-

CONCLVSIO.

Potest vino consecrato permisceri liquor, omnimoquem in tanta quantitate, vt vini species mutetur in aliam, & desinat ibi esse sanguis Christi, aut etiam in modica quantitate, vt non varie tur species, & ibi adesse possit sanguis Christi.

ar. 1. & 2. huius q. RESPONDEO dicendum, quod huius quæstionis veritas manifesta est ex præmissis *. Dictum est enim suprà quod species in hoc sacramento remanentes, sicut adipiscuntur virtute consecrationis modum essendi substantiæ, ita etiam consequuntur modum agendi & patiendi: vt scilicet agere & pati possint quicquid ageret vel pateretur substantia, si ibi præsens existeret. Manifestum est autem, quod si esset ibi substantia vini, liquor aliquis posset ei permisceri. Huius tamen permixtionis diuersus esset effectus, & secundum formam liquoris, & secundum quantitatem. Si enim permisceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum. Quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est: sed vtrumque transit in quoddã tertium ex his compositum. Vnde sequeretur quod vinum prius existens, non remaneret: sed liquor permixtus esset alterius speciei (puta, si permisceretur aqua) solueretur species vini, & esset liquor alterius speciei, si autem esset eiusdem speciei liquor adiunctus (puta, si vinum permisceretur vino) remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum: quod declarat diuersitas accidentium: puta, si vnum vinum esset album, & aliud rubeum. Si vero liquor adiunctus esset tam paruæ quantitatis quod non posset perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars eius. Quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ: remaneret tamen eadem specie, non solum si paruus liquor permixtus esset eiusdem speciei: sed etiam si esset alterius speciei: quia gutta aquæ multo vino permixta, transit in speciem vini, vt dicitur in 1. * de generat. Manifestum est autem ex prædictis †, quod corpus & sanguis Christi remaneat in hoc sacramento, quamdiu illæ species manent eædem numero: consecratur enim hic panis, & hoc vinum. Vnde si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscunque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi. Si vero fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quod non possit diffundi per totum, sed vsque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia.

lib. 1. text. 34. 35. & 83 to. 2.
† a. 4. huius q. & q. 76. ar. 6. ad 3.

AD primum ergo dicendum, quod Innoc. iij. * dicit in quadam Decret. quod ipsa accidentia vinum appositum videntur afficere: quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. contingit igitur accidentia mutare subiectum, sicut & subiectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Hoc tamen non est sic intelligendum, quasi idem numero accidens, quod prius fuit in vino ante consecrationem, postmodum fiat in vino apposito: sed talis permutatio fit per actionem. Nam accidentia vini remanentia, retinent actionem substantiæ secundum prædicta *: & ita immutando, afficiunt liquorem appositum.

in decre. l. 3. tit. 41. c. cum Marthæ. §. Quæsiuisti.
in cor. ar.

AD secundum dicendum, quòd liquor appositus vino consecrato, nullo modo miscetur substantiæ sanguinis Christi: miscetur tamen speciebus sacramentalibus. Ita tamen quod permixtione facta, corrumpuntur prædictæ species, vel in toto, vel in parte: secundum modum quo supra dictum est *, quod ex speciebus illis potest aliquid generari. Et si quidem corrumpantur in toto, nulla iam remanet quæstio: quia iam totum erit vniforme. Si autem corrumpantur in parte, erit quidem vna dimensio secundum continuitatem quantitatis, non tamen vna secundum modum essendi: quia vna pars eius erit sine subiecto, alia erit in subiecto. Sicut si aliquod corpus constituatur ex duobus metallis. Erit vnum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen vnum secundum speciem naturæ.

ibidem.

AD tertium dicendum, quòd sicut Inno. iij dicit in Decr. prædicta, * si post consecrationem calicis aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, neque sanguini commiscetur: sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod sub eis latet, vndique circumfunditur, non madidans circumfusum. Quod quidem intelligendum est, quando non fit tanta permixtio liquoris extranei, quod sanguis Christi desinat esse sub toto: tunc enim dicitur vndique circumfundi non quia tangat sanguinem Christi secundum eius proprias dimensiones, sed secundum dimensiones sacramentales, sub quibus continetur. Nec est simile de aqua benedicta: quia illa benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquæ, sicut facit consecratio vini.

[illegible] cit. in fol. 1.

AD quartum dicendum, quòd quidam posuerunt, quod quantumcunque parua fiat extranei liquoris permixtio, substantia sanguinis Christi desinit esse sub toto, & hac ratione inducta *. Quæ tamen non cogit: quia magnum & paruum diuersificant quantitatem dimensiuam, non quantum ad eius essentiam, sed quantum ad determinationem mensuræ. Similiter etiam liquor appositus adeo potest esse paruus, quòd sua paruitate impeditur ne diffundatur per totum, & non solis dimensionibus: quæ licet sint sine subiecto, tamen obstant alteri liquori, sicut & substantia, si ibi adesset, secundum ea, quæ præmissa sunt.

DISPVTATIO V.

De Accidentibus Eucharisticis.

QVIA, vt dictum est, in conuersione Eucharistica tota substantia panis & vini transmutatur in corpus & sanguinem Christi, remanentibus duntaxat accidentibus: inquirendum est cum D.Thom. hic q.77. quomodò remaneant ipsa accidentia.

DVBIVM I.

Vtrùm accidentia Eucharistica sint sine subiecto substantiali.

SVpponendum est in Hostia & vino consecratis remanere accidentia, vt definit Coucilium Tridentinum, docent communiter Theologi, & sensibus ipsis percipitur: videmus enim in Hostia albedinem, gustamus saporem, tangimus figuram &c. Constat autem quòd sensus non possunt decipi circa sensibile proprium debitè applicatum: difficultas tamen est, quo modo remaneant; supposito quòd ibi non sit substantia panis, quæ erat eorum subiectum.

Prima opinio, sed hæretica, negat accidentia Eucharistica esse sine subiecto substantiali. Ita tenent Lutherani, Caluinistæ, & alij hæretici negantes transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Ad hanc opinionem possunt reduci aliqui Catholici, qui dicunt talia accidentia subiectari, vel in aëre circumstante, vel in corpore & sanguine Christi. Probatur authoritate S. Augustini & Aristotelis. S. Augustin. in epist. 77. ait: Tolle ipsa corpora à qualitatibus corporum, non erit vbi sint, & ideo necesse est vt non sint. Aristoteles autem pluribus locis docet accidens esse entis ens, ac proinde essentialiter respicere subiectum, & inhærentiam esse eorum existentiam: ergo cùm res non possint esse sine sua essentia & existentia, accidentia Eucharistica non sunt sine subiecto.

Secundò; minor est dependentia materiæ primæ à forma substantiali, quàm accidentis à subiecto: tum quia accidens indiuiduatur à subiecto, vnde mutato subiecto non est idem numero accidens: materia autem prima non indiuiduatur à forma, quin potiùs illam indiuiduat: tum quia materia prima non est entis ens, sicut accidens, sed est ens per se, vnde essentialiter non dependet ab alio, sicut accidens: sed nec diuinitus materia prima potest esse sine forma substantiali: ergo nec accidentia sine subiecto; & ita sicut substantia non potest inhærere subiecto, sic nec accidentia possunt non

inhære

inhærere; eorum quippe contraria est natura.

Tertiò; si accidentia Eucharistica sunt sine subiecto substantiali: vel conseruantur à Deo eodem concursu, quo priùs conseruabantur, addendo solùm quòd Deus suppleat subiectum; vel maiori concursu. Non primum; tum quia Deus non potest supplere causam materialem & formalem, tum quia ille influxus necessariò exigit consortium subiecti sustentantis. Nec secundum; quia ille concursus maior esset positiuus alicuius, quod haberet rationem subiecti; & ita semper accidentia illa essent in subiecto: ergo accidentia Eucharistica non sunt sine subiecto substantiali: alioquin essent in continuo statu violento; maximè quia non separantur à quantitate, à qua tamen minus dependent, quàm à substantia.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd accidentia Eucharistica sunt sine subiecto substantiali, quia non inhærent substantiæ panis & vini, quæ per consecrationem desinit esse: 2. Nec corpori & sanguini Christi, in quæ substantia panis & vini conuertitur: 3. Nec aëri circumstanti. Ita communiter Theologi.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide, authoritate Concilij Tridentini sess. 13. canone 2. vbi ait: Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramēto remanere substantiam panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini; quam quidem conuersionē Catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat; anathema sit. Deinde, nulla est contradictio, quòd accidentia sint separata ab omni subiecto, vt patebit ex responsione ad obiectiones: & ex eo quòd inhærentia actualis se habet ad accidens; sicut subsistentia ad substantiam: sicut enim subsistentia complet substantiam, nam perfectè dat ti esse per se, quia per illam redditur independens ab alio tanquam à sustentante, cùm ex sua essentia sit independens ab alio tanquam à subiecto: sic inhærentia actualis in subiecto complet accidens, nam per ipsam actu est in subiecto, quod ex natura sua aptitudinaliter actuat, quia est entis ens: sed potest fieri diuinitus, quòd substantia sit in rerum natura absque vlla subsistentia, vt dictum est in Metaphysica: ergo etiam quòd accidens sit absque vlla inhærentia, ac proinde separatum ab omni subiecto substantiali.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. ac duplici eius ratione: quam sic proponit hîc art. 1. Manifestum est etiam, quòd huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis & sanguinis Christi, sicut in subiecto: quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam est possibile quòd corpus Christi gloriosum & impassibile existens, alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates. Deinde; corpus & sanguis Christi sunt in Eucharistia modo indiuisibili & inextēso, vt dictum est: ergo accidentia panis & vini extensa non possunt in eis recipi: maximè quia sunt corruptibilia, debet enim esse proportio inter accidens & subiectum, cùm omne quod recipitur, ad modum recipientis recipiatur. Denique ex opposito sequuntur tria inconuenientia. Primum, quòd accidens transiret de subiecto in subiectum, quod sine miraculo saltem fieri non potest: hic autem non est fundamentum admittendi tale miraculum. Secundum, quòd corpus Christi haberet diuersas figuras: naturalem scilicet & humanam ratione propriæ quantitatis: & rotundam ratione quantitatis, quæ priùs erat in pane, de nouo aduenientis eique inhærentis. Tertium, quòd istæ quantitates se penetrarent; quod tamen sine miraculo fieri non potest, de quo non constat.

Probatur tertia pars conclusionis, tum authoritate, tum multiplici ratione D. Th. hîc ar. 1. quam sic breuiter proponit: Primò, quia aër non est huiusmodi accidentium susceptiuus. Secundò; quia huiusmodi accidentia non sunt vbi est aër; quinimò ad motum harum specierum aër depellitur. Tertiò, quia accidentia non transeunt de subiecto in subiectum, vt scilicet idem accidens numero quod primò fuit in vno subiecto, postmodùm fiat in alio; accidens enim numerum accipit à subiecto, vnde non potest esse quòd idem numero manens fit quandoque in hoc, quandoque in alio subiecto. Quartò, cùm aër non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria & aliena. Nec potest dici, quòd fiat miraculosè virtute consecrationis. Nam contra; quia verba consecrationis hoc non significant; quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum. Vnde sic concludit D. Th. Et ideò relinquitur, quòd accidentia in hoc Sacramento manent sine subiecto: quod quidem virtute diuina fieri potest; cùm enim effectus magis dependeat à causa prima, quàm à causa secunda; Deus qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens subtractā substantiā, per quam conseruabatur in esse, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis: sicut humanum corpus formauit in vtero B. Virginis sine virili semine.

AD primum ergo, dicendum quòd S. Augustinus loquitur de potentia naturali & lege ordinaria; non autem ex natura rei, & de potentia Dei absoluta. Aristoteles verò, quia solùm cognouit ea quæ naturaliter accidunt, ideò dixit

dixit accidens esse entis ens; fortè intelligens quòd essentialiter petat actu inhærere, sed ratio naturalis debet corrigi per fidem hîc, sicut & alibi sæpè, vt dicatur accidens esse entis ens; quia essentialiter respicit subiectum, & habet aptitudinem ad inhærendum: vnde inhærere non est essentia, nec existentia accidentis; sed eius proprietas naturaliter consequens.

AD secundum, dicendum, quòd licèt in aliquibus accidens magis dependeat à subiecto, quàm materia prima à forma, vt probant rationes: tamen in ordine ad existendum, est maior dependentia materiæ primæ à forma, quàm accidentis à subiecto: quia, vt dictũ est in Physicis, materia prima, seclusa forma substantiali, non est in determinata specie perfecta & completa, ac caret prima existentia, eámque habet à forma: vnde est impossibile quòd existat sine forma; accidens autem secundùm se est in determinata specie, ac habet propriam existentiam, & ita independenter ab actuali inhærentia potest existere. Ad aliud, dicendum, quòd inhærere prout contradistinguitur ab informare, repugnat substantiæ, cuius natura in hoc consistit quòd sit per se, quod opponitur ad esse actu in alio: accidens autem per hoc quòd separetur à subiecto, non amittit propriam naturam; nam semper est entis ens, quia licèt actu non inhæreat, tamen connaturaliter petit inhærere.

AD tertium, dicendum, quòd Deus conseruat accidentia Eucharistica; non quidem supplendo causam materialem per seipsum, aut producendo subiectum nouum ipsorum; sed nouo & speciali concursu ea conseruat sine subiecto; cùm antea concursu generali in subiecto conseruaret, vt infra explicabitur. Ad aliud, dicendum, quòd tanta est subiectio cuiuscumque creaturæ ad Deum, vt status quem habet à Deo, etiam præter naturalem inclinationem, non sit ei violentus, nisi Deus velit talem statum esse violentum, vt contingit in Damnatis. Ad aliud, dicendum quòd alia accidentia non separantur à quantitate, quia remanet: bene autem à substantia panis & vini, quia desinit esse.

DVBIVM II.

Vtrùm reliqua accidentia Eucharistica subiectentur in quantitate.

SVpponendum est in Sacramento Eucharistiæ remanere quantitatem, quæ fuit panis & vini: hoc enim patet ad sensum, videmus enim ibi aliquod quantum coloratum & affectum aliis accidentibus. Ipsa autem quantitas dimensiua recepta in toto composito physico est subiectum, quo, aliorum accidentium materialium: ipsa enim mediante recipiuntur in subiecto, quod, & apparet à posteriori; nam alia accidentia recipiuntur diuisibiliter in subiecto, ac extensè; vnde subiectum præsupponitur extensum per quantitatem, eius enim effectus formalis est extensio: vnde D. Thom. hîc art. 2. ait: Indiuiduationis principium est quantitas dimensiua: ex hoc enim aliquid est natum esse in vno solo, quod illud est in se indiuisum & diuisum ab omnibus aliis: diuisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, vt dicitur in 1. Physicorum; & ideo ipsa quantitas dimensiua est quoddam indiuiduationis principium huiusmodi formis tam substantialibus, quàm accidẽtalibus receptis; in quantũ scilicet diuersæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ: vnde & ipsa quantitas dimensiua secundùm se habet quandam indiuiduationem, ita quòd possumus imaginari plures lineas separatas eiusdem speciei, differentes positione quæ cadit in ratione huius quantitatis: conuenit enim dimensioni quòd sit quantitas positionem habens: & ideò potiùs quantitas dimensiua potest esse subiectum aliorũ accidentium, quàm è conuerso. Hæc D. Thomas. Præsens igitur difficultas procedit, vtrùm quantitas panis & vini, quæ ante consecrationem erat subiectũ, quo, reliquorum accidentium panis & vini, post consecrationem perseueret esse subiectum ipsorum, & habeat quodammodo rationem subiecti, quod, cùm nullum sit aliud, & quantitas sit separata ab omni subiecto, ac per se stans ad modum substantiæ.

Prima opinio aliquorum Nominalium negat accidentia Eucharistica subiectari in quantitate; asserit enim omnia esse sine subiecto. Probatur authoritate Aristotelis, & D. Thomæ. Aristoteles cap. 2. de substantia asserit esse proprium substantiæ substare accidentibus; imò denominatur substantia à substando; & ideò hoc non potest conuenire quantitati, quæ est accidens. Et 4. Metaph. c. 4. ait, quòd vnum accidens non accidit alteri, sed vtrumque accidit subiecto: & paulò infra ait: Ex accidentibus non magis hoc illi, quàm illud huic accidit. D. Thomas autem docet, quòd inter accidentia datur ordo causæ, quia alia oriuntur ex aliis, vt secundæ qualitates ex primis; non tamen datur ordo subiectionis; quia vnum accidens non est subiectum alterius: ergo reliqua accidentia Eucharistica non subiectantur in quantitate. *Maximè* quia quantitas separata, est *mathematica: & ita non* potest esse subiectum accidentium *sensibilium.*

Secundò; Reliqua accidentia Eucharistica *non sunt educta de potentia* quantitatis, sed de *potentia materiæ, aut potiùs totius compositi; quia sunt actus ipsius, & non quantitatis: ergo non subiectantur in quantitate, siue ante, siue post consecrationem; accidentia enim illi soli inhærent, de cuius potentia educuntur; alioquin transirent de subiecto in subiectum.*

Tertiò

Tertiò; Omnia accidentia inhærentia immediatè, reſpiciunt ſubſtantiam tanquam ſubiectum: tum quia ab illa indiuiduantur: tum quia relatio inhærentiæ non poteſt habere plures terminos: ergo deſinente per conſecrationem ſubſtantia panis, & vini; reliqua accidentia Euchariſtica non ſubiectantur in quantitate: quia non immutatur quantitas, nihil enim de nouo recipit; alioquin talia accidentia mutarent ſubiectum, quod eſt impoſſibile: & maximè quia rarum & denſum non poſſunt eſſe in quantitate ſine materia, vt conſtat ex illorum definitione; nam rarum eſt, quod habet parum de materia ſub magnis dimenſionibus: denſum autem, quod habet multum de materia ſub paruis dimenſionibus.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd reliqua accidētia Euchariſtica ſubiectātur in quantitate, 2. Ex vi miraculi quo conſeruatur quātitas ſeparata à ſubſtantia panis & vini, abſque nouo miraculo: 3. Vnde facta eſt mutatio in ſola quantitate, non verò in aliis accidentibus.

Probatur prima pars concluſionis authoritate & rationibus D. Thom. hic art. 2. quas ſic proponit: Primò quidem, per hoc quòd ad ſenſum apparet aliquid quantum ibi eſſe coloratum, & aliis accidentibus affectum, nec in talibus ſenſus decipitur. Secundò, quia prima diſpoſitio materiæ eſt quantitas dimenſiua: & quia primum ſubiectum eſt materia, conſequens eſt, quòd omnia alia accidentia referantur ad ſubiectum, mediante quantitate dimenſiua; ſicut & primū ſubiectū coloris dicitur eſſe ſuperficies: & quia ſubtracto ſubiecto remanēt accidentia ſecundùm eſſe quod priùs habebant, conſequens eſt quòd omnia accidentia remaneant fundata ſuper quantitatem dimenſiuam. Deinde, eſt impoſſibile, quòd plura accidentia ſimul coniungantur, & ſic cōiuncta remaneant niſi ſint in aliquo communi ſubiecto, nec ſufficit quòd fuerint in tali ſubiecto: maximè ſi talia accidentia debeant alterari; nam omnis mutatio ſupponit ſubiectum in quo exerceatur: ſed in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſunt plura accidentia, vt figura, albedo, odor, & ſimilia quæ verè alterantur, nam figura poteſt mutari, albedo & odor poſſunt deſinere, alióque modo alterari; vt caleſieri, frigeſieri: ergo ſunt in aliquo ſubiecto communi, quod non poteſt eſſe aliud quàm quantitas dimenſiua: maximè quia condenſatio & rarefactio, quæ in Euchariſtia contingere poſſunt, conſequuntur quaſi proprietates ipſam quantitatem.

Probatur ſecunda pars cōcluſionis, intellecta de accidentibus communibus, ſcilicet figura, colore, & ſimilibus. talia accidentia inhærent quantitati tanquam ſubiecto, quo [illegible] conſecrationē, ac proindè immediatè [illegible] verò ipſa inhærent ſubſtantiæ, vt dic[illegible] ex D. Thom. Nec talia accidentia habent neceſſariam connexionem cum hac vel illa ſubſtantia; aliàs eſſent propria & non communia: ergo ex vi miraculi, quo conſeruatur quantitas ſeparata à ſubſtantia panis & vini per ſe exiſtens, abſque nouo miraculo reliqua accidentia Euchariſtica in ea ſubiectantur; nam perſeuerante ſubiecto immediato accidentium, ipſa quoque accidentia perſeuerant. Radix huius eſt, quia quantitas indiget ſolùm ſubſtantia tanquam ſuſtentāte, ad hoc vt ſit in rerum natura; nam ex ſe habet virtutem ſubiectandi proximè accidentia materialia, ſicut potentiæ animæ habent virtutem ſuſtentandi accidentia ſpiritualia: vnde ſi diuinitus poſſit eſſe in rerum natura abſque tali ſuſtentante, vt contingit in præſenti, poteſt ſubiectare accidentia materialia: ſicut potentiæ animæ, ſi diuinitus conſeruarentur ſeparatæ ab ipſa anima, poſſent ſubiectare accidentia ſpiritualia. Dictum eſt concluſionem intelligi de accidentibus communibus: nam accidentia propria habent neceſſariam connexionem cum ſubſtantia cuius ſunt paſſiones, ad cuius exigentiam producuntur: vnde naturaliter ab illa ſeparari non poſſunt: ergo vltra miraculum, quo quantitas conſeruatur ſeparata, opus eſt nouo miraculo, vt talia accidentia ſint ſeparata à ſua propria ſubſtantia, ſiue debet eſſe maius miraculum ad vtrumque terminatum.

Probatur tertia pars concluſionis. Reliqua accidentia immediatè inhærent & vniuntur ipſi quantitati, & mediante ipſa, ſubſtantiæ, vt dictum eſt; quantitas autem immediatè vnitur ſubſtantiæ: ſed dummodò maneat ſubiectum immediatum accidentium, nulla ſit mutatio in accidentibus: ſicut ſi intellectus ſepararetur ab anima, & ſic ſeparatus conſeruaretur, habitus in ipſo ſubiectati eodem modo ſe haberent in ſtatu ſeparationis, ac in ſtatu vnionis: & ſolus ipſe intellectus alio modo ſe haberet; nam ſimpliciter non eſſet vnitus, ſicut priùs: habitus autem ſimpliciter in vtroque ſtatu, eſſent vniti, quamuis amitterēt mediatam vnionem ad ſubſtantiam animæ, quod proportionaliter accidit in præſenti: ergo facta eſt mutatio in ſola quantitate, non verò in aliis accidentibus Euchariſticis.

AD primum ergo, dicendum, quòd proprium eſt ſubſtantiæ eſſe primum ſubiectum, quod, omnium accidentium, etiam ipſius quantitatis; & hoc nulli alteri communicatur: quantitas autem eſt ſubiectum proximum, quo, & hoc neceſſariò inhæret ſubſtantiæ niſi diuinitus conſeruetur ſeparatum. Ad aliud, dicendum ſimiliter, quòd Ariſtoteles, dum ait vnum accidens non accidere alteri, ſed ſubiecto; intelligit de ſubiecto primo, & ſubiecto quod; non autem de ſubiecto proximo, & quo Similiter debet intelligi in alio loco, de ſubiecto primo,

 nam

nam de subiecto proximo datur ratio, cur vnum accidens potiùs accidat alteri, quàm alterum illi; sicut figura quantitati, non autem quantitas figuræ. D. Thomas autem solùm vult, quòd aliqua accidentia simpliciter dicuntur oriri ex aliis, quia accidentia sunt ex se actiua; imò sunt virtus agendi substantiæ: non autem dicitur vnum accidens simpliciter subiectari in alio, quia vtrumque subiectatur in substantia. Ad aliud, dicendum, quòd quantitas mathematica abstrahit à materia sensibili, & accidentibus sensibilibus: talis autem non est quantitas Eucharistica.

Ad secundum, dicendum, quòd eo ipso quòd accidentia Eucharistica sunt educta de substantia panis & vini affecta quantitate, sunt educta de potentia ipsius quantitatis; tanquam subiecti, quo, cui immediatè inhærent: vnde desinente substantia panis, & vini, non mutant subiectum: quantitas igitur est actus respectu substantiæ, & potentia respectu aliorum accidentium.

Ad tertium, dicendum, quòd accidentia indiuiduantur tam à subiecto primo, & quod; quàm à subiecto, quo, & ita indiuiduantur adæquatè ab vtroque; idest à subiecto quod, mediante subiecto, quo: & sic accidentia Eucharistica etiam secundùm quòd erant in substantia panis indiuiduabantur mediante quantitate dimensiua, & ideò potiùs quantitas dimensiua est subiectum aliorum accidentium remanentium in hoc Sacramento, quàm è conuerso. Ad aliud, dicendum, quòd eadem relatio maximè transcendentalis potest terminari ad plures terminos subordinatos vel partiales, quia in vtroque casu sunt per modum vnius: quod sic explicat D. Thom. hîc art. 2. ad 1. sic dicens: Accidens per se non potest esse subiectum alterius accidentis, quia per se non est: secundùm verò quòd est in alio, vnum accidens dicitur esse subiectum alterius; in quantum vnum accidens recipitur in subiecto, alio mediante; sicut superficies dicitur esse subiectum coloris: vnde quando accidenti datur diuinitus vt per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subiectum esse. Ad aliud, dicendum cum D. Thom. art. 2. ad 3. quòd rarum & densum sunt quædam qualitates consequentes corpora, ex hoc quòd habent multum, vel paruum de materia sub dimensionibus: sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantiæ; & ideò sicut subtracta substantia, diuina virtute conseruantur alia accidentia, ita subtractâ materiâ, diuina virtute conseruantur qualitates materiam consequentes, sicut rarum & densum.

DVBIVM III.

Vtrùm quantitas Eucharistica acquirat aliquid positiuum, quo seperata per se existat.

Supponendum est præsentem difficultatem non habere locum in aliis accidentibus Eucharisticis: quia, vt dictum est, per desitionem substantiæ panis & vini, nulla facta est mutatio circa ipsa; vnde existunt in alio scilicet in quantitate cui immediatè inhærent: quantitas verò ipsa, cùm sit separata ab omni subiecto existit quodammodo per se: est autem duplex modus existendi per se; Primus est positiuus, alius negatiuus. Positiuus negat existentiam in alio tanquam in subiecto, tam actualem, quàm aptitudinalem: & hic conuenit omni & soli substantiæ; licèt enim sola substantia; completa, qualis est persona perfectè sit per se, quia nullo modo est in alio, nec tanquam in subiecto, nec tanquam in toto, nec tanquam in supposito: tamen nulla substantia etiam incompleta est in alio tanquam in subiecto: quia hæc existẽtia est actus metaphysicus. Negatiuus autem negat quidem existentiam in alio tanquam in subiecto actualem, non tamen aptitudinalem: & hic modus existendi conuenit Eucharisticæ quantitati.

Prima opinio asserit quantitatem Eucharisticam acquirere actum subsistentiæ, eiusdem rationis cum subsistentia substantiæ. Probatur; Per se subsistere, & existere in alio, sunt modi essendi oppositi, adæquatè diuidentes ens reale: ergo cuicumque enti reali non conuenit existere in alio, conuenit subsistere per se: constat autem quòd quantitas Eucharistica non existit in alio; & ideò per se subsistit.

Secunda opinio Vasquis, Suaris, & aliorum in præsenti asserit, quantitatem Eucharisticam acquirere modum positiuum existendi similem substantiali. Probatur authoritate D. Thom. hîc art. 1. ad 4. vbi ait, in quantitate separata esse nouam compositionem ex esse, & quod est: sed illud esse non est proprium ipsius accidentale, quia iam illud habebat ante consecrationem vnita substantiæ: ergo est esse substantiale. Deinde; posito isto modo quantitas naturaliter conseruatur: excluso autem ad eius conseruationem opus est continuato miraculo: ergo cùm non sint admittenda miracula sine necessitate, & sine magno fundamento, admittendum est quantitatem Eucharisticam acquirere modum positiuum existendi similem substantiali.

Tertiò; *Vel quantitas Eucharistica conseruatur distincta actione ab illa, qua conseruabatur dum erat in substantia: vel eadem. Non eadem; quia hæc tantùm conseruabat quantitatem simul concurrente substantia. Si sit distincta,*

cta; ergo habet terminum positiuum productum existendi per se: maximè quia sine illo esset in continuo statu violento.

CONCLVSIO

RESPONDEO dicendum, quòd quantitas Eucharistica in ipsa separatione non acquirit actum subsistentiæ, 2. Nec modum positiuum existendi per se similem substantiali, 3. Sed existit propriâ existentiâ, quam habebat in statu vnionis, concurrente Deo speciali influxu ad eius conseruationem, nihil tamen ponendo intrinsecum in ea: qui influxus vocatur manutenentia Dei extrinseca miraculosa. Hæc conclusio nunc pene est communis.

Probatur prima pars conclusionis. Subsistentia est actus substantialis, & complementum intrinsecum ipsius substantiæ; nam substantia quæcumque, vt condistincta ab accidente, est per se, prout esse per se excludit esse in alio tanquam in subiecto; perficitur autem quando per actum subsistentiæ ab ea excluditur esse in alio tanquam in supposito: ergo cùm implicet accidens esse per se, prout ly esse per se excludit dependentiam ab alio tanquam à subiecto, siue inhærentiam tam actualem, quàm aptitudinalem (quod tamen in genere essendi per se, est quid imperfectum) multò magis implicat accidens esse per se, prout ly (esse per se) importat perfectionem & complementum modi essendi per se, & excludit dependentiam tam actualem quàm aptitudinalem, ab alio etiam vt toto, & supposito. Radix huius est, quia accidens est entis ens, ac proinde dicens dependentiam à substantia, quæ est ens per se. Deinde, transsubstantiatio Eucharistica est actio conuersiua, vt dictum est, ac proinde eius est transmutare tantùm substantiam panis & vini in corpus & sanguinem Christi; non verò aliquid substantiale de nouo producere in accidentibus: maximè quia Concilium Tridentinum definit remanere tantùm species seu accidentia panis & vini: & meritò, nam nihil potest intelligi fieri de nouo, quàm quod significatur per formam consecrationis; ipsa enim tantùm efficit quod significat: constat autem quòd forma consecrationis tantùm significat, corpus & sanguinem Christi succedere per veram conuersionem substantiæ panis & vini sub iisdem accidentibus: ergo quantitas Eucharistica in ipsa separatione non acquirit actum subsistentiæ.

Probatur secunda pars conclusionis. Ille modus positiuus existendi per se similis substantiali, vel est accidentalis, vel substantialis; sicut enim substantia & accidens diuidunt adæquatè ens per suas differentias oppositas contradictoriè, sic omnis actus, omnis modus, omnis formalitas aut realitas reducitur ad substantiam, vel ad accidens; & ita est substantialis, vel accidentalis, quia ex Arist. 9. Metaphysicæ textu 13. Actus & Pote[illegible] es-se in eodem genere: sed talis modus non est substantialis; hic enim repugnat accidenti, vt dictum est in prima parte: nec est accidentalis, quia indigeret aliquo alio ad sui conseruationem, de quo potest fieri eadem difficultas: ergo quantitas non acquirit modum positiuum existendi per se similem substantiali. Deinde probatur eadem ratione, qua probata est prima pars, desumpta ex transsubstantiatione.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis. Dicimus enim, quòd Deus speciali & maiori concursu conseruat quantitatem in statu separationis, eo, quo conseruabat in statu vnionis; concursus enim proportionatur effectui: maior autem & perfectior est effectus conseruatio quantitatis in statu separationis, cùm sit supernaturalis, quàm conseruatio eiusdem in statu vnionis, cùm sit naturalis: non tamen superaddit aliquid reale quantitati, sed solùm efficit quòd quantitas existat separata per propriam existentiam, sublata inhærentia eius actuali, quæ est modus connaturalis ipsius: vnde conseruat ipsam sine tali modo, cùm antea conseruaret dependenter ab illo: & ita quantitas Eucharistica amittit modum istum positiuum inhærentiæ, & per hoc mutatur; non verò per acquisitionem alicuius positiui. Probatur authoritate D. Thom. hìc art. 1. vbi sic ait: Et ideò relinquitur quòd accidentia in hoc Sacramento manent sine subiecto; quod quidem virtute diuina fieri potest: cùm enim effectus magis dependeat à causa prima, quàm à causa secunda, Deus qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest accidens, subtracta substantiâ, per quam conseruabatur in esse, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formauit in vtero B. Virginis sine virili semine. Deinde; posito hoc speciali concursu Dei, quantitas intelligitur per se existere propriâ existentiâ, seclusoquocumque alio: nam existit in quocumque statu ponatur extra causas; per se autem si cõseruetur separata à subiecto inhæsionis: ergo hic specialis concursus siue manutenentia est necessaria; positio autem alicuius intrinseci superflua. Denique; hoc magis concordat cum transsubstantiatione Eucharistica, & authoritate Concilij Tridentini, quòd admittit conuersionem totalem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, manentibus duntaxat accidentibus. Nec in eo est fundamentum ponendi actionem productiuam alicuius de nouo in accidentibus, sed tantùm conseruationem eorundem accidentium in statu separationis, supposito quòd debeant permanere.

AD primum ergo, dicendum, quòd per hoc quòd quantitas amittit inhærentiam in subiecto, siue modum existendi in alio, non est necesse

cesse quòd acquirat actum subsistentiæ, siue modum positiuum existēdi per se: sed sufficit quòd existat per se negatiuè, id est non actu in alio: hoc autem habet per præcisam conseruationem sui, suæque existentiæ separatæ ab omni subiecto.

AD secundum, dicendum, quòd D. Thom. tantùm vult, quòd accidens, dum est in subiecto, non propriè sit; sed cùm sit entis ens, potiùs subiectum habet aliquod esse ab ipso, putà esse quanti, aut albi, quando autem est separatum, habet esse vt quod in se; quia existit ad modum substantiæ: & ita est compositum ex esse, & quod est; siue ex essentia & existentia: non tamen dicit D. Thom. quòd hæc compositio fiat de nouo; hanc enim habebat etiam in statu vnionis. Ad aliud, dicendum, quòd conseruatio quantitatis separatæ, etiamsi fieret medio illo modo, esset miraculum continuatum: nam sicut ille modus deberet produci miraculosè; ita & conseruari, cùm sit aliquid supra naturam quantitatis: vnde debent Aduersarij nobiscum dicere, quòd nullum est inconueniens admittere continuatum miraculum in conseruatione quantitatis Eucharisticæ.

AD tertium, dicendum, quòd actio conseruatiua quantitatis Eucharisticæ, importat aliquid maioris concursus supra seipsam, vt erat conseruatiua eiusdē quantitatis vt erat in subiecto: non autem est necesse quòd ratione illius maioris concursus aliquid producat; non enim est actio productiua, sed tantùm conseruatiua producti: at tantùm requiritur quòd sit aliquid maius in conseruatione passiua quantitatis, sicu[illegible] de facto est; maius enim est ipsam conseruari separatam, cùm sit supernaturale, quàm conseruari vnitam, cùm sit ipsi connaturale. Ad aliud, dicendū, quòd in qualibet creatura est duplex inclinatio naturalis: vna ad bonum proprium, alia ad obediendum suo Creatori: & hæc posterior est potior, connaturalior, & vehementior; cui cedit prior, sicut cedit inclinationi ad bonum totius: vnde non est violenter in quocumque statu ponatur à Deo: & si esset sic violenter, etiam esset in statu violento, cum illo modo præternaturali quem ponunt Aduersarij.

DVBIVM IV.

Vtrùm species Sacramentales possint agere ad extra.

SVpponendum est tria esse genera actionum, de quibus præsens difficultas procedit: nam quædam sunt intentionales, quæ versantur circa immutationem sensuum per productionem specierum in ipsis: aliæ dicuntur physicæ accidentales, vt alterationes reales, calefactionis, frigefactionis, & similes quarum termini sunt qualitates: aliæ deniq; sunt actiones substantiales, quarum terminus est substantia, vel vt destruenda, vel vt producenda, quales sunt corruptio & generatio substātialis.

Prima opinio negat species Sacramentales posse agere ad extra actione intentionali. Probatur; Vel talis actio, si agerent, esset eiusdem rationis, ac erat dum tales species erant in subiecto, vel diuersæ rationis: sed neutrum dici potest. Non primum; quia tunc non solùm causabant notitiam sui in sensu, sed etiam notitiam substantiæ panis & vini in intellectu: si autem nunc secundam notitiam causarent, inducerent in errorem, qui refunderetur in Deum. Nec secundum; quia si diuersa ratione immutarent sensum nunc ac antea, per hoc quòd talis immutatio sisteret in sensu, & nullo modo attingeret intellectum, posset ipse intellectus arguitiuè concludere, quòd sub illis speciebus non est ampliùs substantia panis & vini; quod tamen est impossibile, cùm desitio panis & vini sit aliquid ordinis supernaturalis: ergo species Sacramentales non possunt agere ad extra actione intentionali.

Secunda opinio negat species Sacramentales posse agere ad extra actione physica accidentali. Probatur; Actiones physicæ quæcumque sunt suppositorū, vt docet Arist. 11. Metaph. tanquam principij, quod; formæ verò accidentalis tanquam principij, quo; deficiente autem vno ex istis, non est actio: ergo cùm species Sacramentales non sint in subiecto, aut supposito, non possunt agere physicè ad extra. Deinde; forma accidentalis non concurrit nisi instrumentaliter, & concurrente principaliter forma substantiali: sed cessante actione causæ principalis, cessat actio instrumenti: ergo species Sacramentales separatæ à substantia panis & vini non possunt agere physicè ad extra. Denique, si species Sacramentales agerent physicè ad extra, possent remitti; quia omne agens physicum agendo patitur: data autem illa remissione, non est vnde reducatur in pristinum statum; cùm tamen experiamur ipsa esse semper in eodem statu: ergo non possunt agere ad extra physicè.

Tertia opinio negat species Sacramentales posse agere ad extra actione physica substantiali. Ita Scotus in 4. dist. 12. quæst. 3. Durandus ibidem quæst. 2. num. 7. dicunt enim, quòd accidentia Eucharistica attingunt tantùm vltimam dispositionem, quâ positâ, forma substantialis introducitur à Deo supplēte vicem panis & vini. Probatur authoritate Aristotelis, & D. Thom. hic art. 3. ad 2. vbi ait: Sicut diuina virtute datur speciebus *Sacramentalibus, vt possint* esse sine substantia, ita *datur eis vt possint* agere sine forma substantiali *virtute Dei, à quo* sicut à primo agente dependet omnis actio formæ, & substantialis & accidentalis. Aristoteles autem

autem 7. Physicor. probat quòd formæ, quæ sunt in materia, fiunt à formis quæ sunt in materia, nō autē à formis quæ sunt siue materia, eo quòd simile agit in sibi simile; & cōsequenter species Sacramentales, quæ sunt formæ sine materia, non possunt producere formam substantialem in materia. Deinde, species Sacramentales sunt multò imperfectiores forma substantiali: ergo illam producere non possunt: nec in virtute substantiæ, cùm enim non sit ibi substantia panis & vini, non possunt ab illa participare talem virtutem. Denique, generatio substantialis est actio realiter distincta ab alteratione præcedenti: ergo petit principium distinctum & proportionatum; & ita cùm species Sacramentales sint principium alterationis, & sint accidentia, non sunt principium generationis substantialis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd species Sacramentales possunt agere ad extra tam actione intentionali, quàm physica accidentali, & substantiali.

Probatur conclusio quoad omnes partes, tum authoritate, tum ratione D. Thom. hic art. 3. quam sic proponit. Quia vnumquodque agit, in quantum est ens actu, consequens est quòd vnumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere: quia igitur secundùm prædicta speciebus Sacramentalibus datum est diuina virtute, vt remaneant in suo esse, quod habebant substantiâ panis & vini existente, consequens est quòd etiam remaneant in suo agere; & ideò omnem actionem, quam poterant agere substantia panis & vini existente, possunt etiam agere, substantia panis & vini transeunte in corpus & sanguinem Christi: vnde non est dubium, quin possint immutare exteriora corpora, tam actione intentionali, quam physica accidentali, & substantiali. Deinde probatur à posteriori; species Sacramentales videntur, odorantur, gustantur, tanguntur: ergo agunt intentionaliter, immittendo species intentionales in hos sensus. Similiter, accidentia vini alterant aquam permixtam ipsis, calefaciunt stomachum &c. hæ autem sunt actiones physicæ accidentales, vt patet: ergo agunt actione physica accidentali. Et tandem talia accidentia de facto corrumpunt aquam, & ex illa generant vinum: ergo agunt actione physica substantiali. Ad euidentiam horum supponimus ex Physicis, duo ibi probata, & ex quibus manent responsiones Scoti & Durandi impugnatæ. Primum, quòd substantia non est immediatè operatiua, sed operatur mediis accidentibus. Secundum, quòd generatio substantialis non est actio adæquatè distincta ab alteratione præcedenti, sed est terminus eius [illegible]: vnde accidentia connaturalia ad alte[illegible], at-

cingunt etiam generationē substantialem: forma enim vna substantialis non introducitur, nisi quia priùs introducuntur in materia dispositiones ipsi propriæ: nec alia expellitur, nisi quia introducuntur in subiecto dispositiones ipsi contrariæ: introductio autem formæ, siue generatio est de primaria intentione; expulsio verò formæ, siue corruptio est tantùm de secundaria intentione.

AD primum ergo, dicendum, quòd species Sacramentales eodem modo immutant sensum post consecrationem, ac ante: intellectum autem præuentum lumine fidei non immutant, sicut priùs; nam fide illuminatus corrigit sensum dictantem ibi esse substantiam panis & vini, creditque loco panis & vini ibi esse corpus & sanguinem Christi: quod non concludit lumine naturali, sed lumine fidei.

AD secundum, dicendum, quòd quantitas ex vi primi miraculi gerit vicem substantiæ & suppositi; tam in agendo, quàm in patiendo, vt infra dicetur. Deinde quando dicitur, quòd actiones sunt suppositorum, debet sic intelligi, scilicet quòd quando in principio agente est suppositū & forma, actiones attribuuntur supposito, vt principio, quod; formæ verò tantùm vt principio, quo; non autem debet intelligi vniuersaliter: nam sufficit quòd aliquid sit per se subsistens aut existens singulare, ad hoc vt possit agere. Vel dicendum, quòd actio specierum Sacramentalium attribuitur pani & vino, in cuius virtute agunt, vt dicetur postea; quia actio formæ accidentalis, ita depēdet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ; & ideò sicut diuina virtute datur speciebus Sacramētalibus vt possint esse sine substantia, ita datur eis vt possint agere sine forma substantiali, virtute Dei, à quo sicut à primo agente dependet omnis actio formæ & substantialis & accidentalis. Ad aliud, dicendum, quòd quandiu durat virtus principalis agentis, tandiu dicitur influere; quamuis perierit quantùm ad suam substantiam. Vel dicendum cum D. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. Caietano in præsenti, Ferrariensi 4. contra gentes cap. 66. quantitatem ex vi primi miraculi habere rationē subiecti, quod: vnde agit vt quod principaliter per qualitates quas habet, tanquam per proprias virtutes. Ad aliud, dicendum, quòd accidentia illa connaturalia pani & vino, si quandoque remittantur, restituuntur ad pristinum statum à generante, vt dictum est 7. Physicorum, concurrente ad hoc quantitate, eo modo quo concurreret substantia panis & vini si adesset, ex vi primi miraculi.

AD tertium, dicendum quòd D. Thom. tantùm vult quòd accidentia Eucharistica habent virtute Dei, quòd agant independenter à substantia; quia eadem virtute Dei conseruantur separata à substantia: non autē quòd de nouo

FFf reci

recipiant à Deo virtutem agendi. Ad aliud ex Aristotele, dicendum cum D. Thom. hîc art. 3. ad 1. quòd species Sacramentales, licèt sint formæ sine materia existentes, retinent tamen idem esse quod habebant priùs in materia; & ideò secundùm suum esse assimilantur formis quæ sunt in materia. Ad aliud, dicendum cum D. Thom. loco citato ad 4. quòd immutatio, quæ est ad formam substantialem, non fit à forma substantiali immediatè, sed mediantibus qualitatibus actiuis & passiuis, quæ agunt in virtute formæ substantialis: hæc autem virtus instrumentalis conseruatur in speciebus Sacramentalibus diuina virtute, sicut & priùs erat; & ideò possunt agere ad formam substantialem instrumentaliter; per quem modum aliquid potest agere vltra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis. Vtrùm autem illa virtus sit aliquid superadditum realiter ipsis speciebus, ac distinctum? aliqui affirmant: sed meliùs dicendum, quòd importat præcisè ipsas species vt emanatas à tali substantia; ex diuersa quippe emanatione, v.g. calor habet diuersam virtutem; nam calor ignis producit ignem, calor naturalis producit carnem, &c. vt experimur: hæc igitur virtus est quid modale permanens; vnde potiùs dicuntur agere vt virtus substantiæ, quàm in virtute substantiæ; & in hoc differunt ab instrumentis artis, quæ recipiunt à causa principali virtutem fluentem & incompletam, quâ simul applicantur & eleuantur ad agendũ. Ad aliud, dicẽdum, quòd generatio substantialis non distinguitur à tota alteratione præcedenti in ratione actionis, vt dictum est in Physicis; vnde idem est principium totius alterationis, & generationis subsequentis.

DVBIVM V.

Vtrùm species Sacramentales possint alterari, & corrumpi virtute naturali.

SVpponendum est accidentia posse corrumpi dupliciter, vel per se, vel per accidens. Corrumpuntur per se, quando corruptio terminatur immediatè ad non-esse ipsorum accidentium, vt quando v.g. calor ita remittitur à frigore suo contrario, vt tandem desinat esse ipso subiecto manente: vnde talis corruptio tantùm fit à contrariis. Corrumpuntur autem per accidens, quando corruptio primariò, directè, & immediatè terminatur ad non-esse subiecti; secundariò autem, indirectè, & mediatè terminatur ad non-esse accidentium, quæ corrupto subiecto corrumpuntur, quia sine ipso esse non possunt.

Prima opinio negat species Sacramentales posse corrumpi naturaliter. Quantùm ad quantitatem sequuntur Scotus, Durandus, Ferrariensis Suares, & alijs; sed ex diuerso fundamento: nam Ferrariensis tenet quantitatem supplere vicem materiæ, ac ita remanere tanquam subiectum commune sub forma de nouo genita. Suares autem tenet quantitatem esse ingenerabilem & incorruptibilem absolutè: Scotus, & Durandus admittunt quidem ipsam corrumpi, sed à solo Deo. Probatur; Quod immediatè conseruatur à Deo, non potest corrumpi virtute naturali; quia nulla virtus agentis creati potest superare virtutem Dei conseruantem aliquid, cùm hæc sit infinita, alia verò finita: sed species Sacramentales conseruantur immediatè à Deo: ergo non possunt corrumpi virtute naturali.

Secundò; Si species Sacramentales possent corrumpi: vel hoc esset per se, vel per accidens: sed neutrum dici potest. Non per se, quia non habent contrarium: & maximè quantitas. Nec per accidens; quia non habent subiectum, ad cuius corruptionem per accidens corrumpantur: ergo species Sacramentales non possunt corrumpi virtute agentis naturalis.

Tertiò; Formæ separatæ ab omni subiecto non possunt corrumpi, vt patet in Angelis; quia corruptio importat separationem formæ à materia per introductionem alterius: sed species Sacramentales sunt formæ separatæ ab omni subiecto, vt fides docet: ergo non possunt corrumpi virtute agentis naturalis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd species Sacramentales possunt alterari, & corrumpi virtute agentis naturalis: 1. Illæ quidem quæ habent contrariũ, tam per se, quàm per accidens: 3. *Aliæ* verò, vt quantitas, tantùm per accidens. Ita cõmuniter Scholastici cum D.Thom. hîc art.4.

Probatur prima pars conclusionis *ratione D. Thom.* quam sic proponit: Corruptio est motus ex esse in non-esse: dictum est autem supra, quòd species Sacramentales retinent idem esse quod priùs habebant, substantiâ panis & vini existente; & ideò sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantiâ panis & vini existente, ita etiam potest corrumpi illâ substantiâ nõ existẽte. Deinde, videmus species Sacramẽtales alterari & corrũpi, quando agens naturale in hostia cõsecrata aliquas dispositiones cõtrarias introducit, nam ignis medio calore illas comburit, & redigit in cinerem; ita vt nihil penitus ipsarum remaneat: ergo species Sacramentales possunt alterari, & corrumpi virtute agentis naturalis; nam ab actu ad potentiam valet consequentia. Duo respondent Aduersarij: Scotus & Durandus dicunt, quòd illa corruptio non fit ab agente naturali, *quod tantùm potest attingere substantiam, sed fit à solo Deo liberè subtrahente* concursum conseruatiuum quantitatis, quia statuit tandiu conseruare illa accidentia, quandiu conseruaretur substantia panis & vini,

vini, si ibi esset. Suares autem dicit quantitatem esse omninò incorruptibilem & ingenerabilem, eámque subiectari immediatè in materia prima. Sed contra primum est; si Deus positis illis dispositionibus ex natura sua corruptiuis substantiæ panis & vini, conseruaret quantitatem, aliásque species Sacramentales, esset miraculum: putà si in medio igne conseruaret; vnde quando de facto sic conseruauit; fuit ab Ecclesia approbatum, vt miraculum: ergo licèt talis corruptio accidat, quia Deus liberè subtrahit suum concursum conseruatiuum, tamen dicitur naturalis, & est ab agente naturali, quia illa subtractio fit ad exigentiam actionis eius: sicut creatio animæ rationalis dicitur naturalis, quia fit ad exigentiam agentis naturalis. Deinde, ex illis speciebus potest generari ignis, quem cōsequuntur propria accidentia incompossibilia cum illis speciebus, quæ sunt accidentia proportionata naturæ panis & vini: ergo hæc debent corrumpi. Contra secundum est, quòd quantitas est proprietas consequens substantiam corpoream completam, & non solam materiam; quia ex D. Thom. & Aristotele, materia prima est pura potentia, nec est quid, nec quanta, nec qualis. Deinde, quia materia prima est potentia substantialis, primariò respicit actum substantialem siue formam, & tantùm secundariò actum accidentalem vt quantitatem; quia inter potentiam & eius actum primarium debet esse proportio: vnde quantitas supponit in materia actum substantialem; & quia ex materia & tali actu fit compositum; ideò quantitas recipitur in toto composito ita D. Thom. 1. q. 76. ar. 6.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. hic ar. 4. vbi postquam dixit species Sacramentales posse corrumpi, subiungit: Per se quidem sicut per alterationem qualitatum: & paulò infrà; cùm quantitas dimensiua remanens sit subiectum qualitatum sensibilium, potest etiam esse subiectum alterationis earum, putà si alteretur color, aut sapor panis & vini. Quæ ratio sic expenditur. Ad corruptionem accidentis per se requiritur ex dictis, quòd talis corruptio terminetur immediatè ad non esse ipsius: sed hoc tantùm contingit, quando illud accidens habet contrarium, à quo expellitur à proprio subiecto; sic color & sapor in speciebus consecratis possunt alterari, imò ab illis totaliter expelli, per introductionem coloris & saporis contrarij, remanente eadem quantitate dimensiua, quæ habet rationem subiecti communis respectu illorum accidentium: ergo illæ species Sacramentales, quæ habent contrarium, possunt per se corrumpi. Quòd autem possint corrumpi per accidens, [illegible] est ratio de omnibus speciebus, siue [illegible] ntibus.

Probatur tertia pars conclusionis, quòd species Sacramentales, quæ non [illegible] contrarium, non possint per se corrumpi, patet ex dictis: cùm enim non habeant contrarium, à nullo expelluntur à subiecto quia cum nullo habent contrarietatem, nec incompossibilitatem. Quòd autem corrumpantur per accidens, sic probat D. Thom. loco citato. Alio modo poterant corrumpi per accidens per corruptionem subiecti, & hoc modo possunt corrumpi etiam post consecrationem; quamuis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse quod habebant huiusmodi accidentia in subiecto: quod quidem est proprium & conforme subiecto; & ideò huiusmodi esse potest corrumpi à contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis vel vini, quæ etiam non corrumpebatur nisi præcedente alteratione circa accidentia. Licèt autem D. Thom. videatur dicere quòd quantitas Eucharistica per se corrumpitur per diuisionem in minutissimas partes: non tamen intelligit de corruptione per se simpliciter, hęc enim reperitur tantùm inter contraria propriè dicta: maximè quia quantitas secundùm se non habet terminum paruitatis; nulla enim est dabilis tam parua, quæ non sit diuisibilis in semper diuisibilia; & ita per diuisionem non potest ratione sui deficere; benè tamen ratione substantiæ, quæ sub tam parua quantitate conseruari non potest. Dicitur tamen à D. Thom. corruptio per se, quia sequitur ad actionem versantem circa ipsam quantitatem directè, sicut aliæ alterationes versantur circa qualitates quæ per se corrumpuntur: propterea etiam potest rarefieri & condensari: & tunc raritas & densitas important maiorem & minorem extensionem partium ipsius quantitatis, in ordine ad eandem prorsus materiam, quæ ante consecrationem substabat quantitati.

Ad primum ergo, dicendum, quòd conseruatiuus concursus, quo Deus conseruat species Sacramentales, quantùm ad efficaciam conseruandi, correspondet illi quo conseruaret, si adesset substantia panis & vini; vnde tunc istum subtrahit ad exigentiam agentis naturalis, quando illum subtraheret si adesset eadem substantia. Si autem vellet sua infinita virtute conseruare, tunc nullo modo possent corrumpi ab agente naturali, vt aliquando contingit.

Ad secundum, dicendum, quòd species Sacramentales aliquæ habent contrarium, vt color, odor, sapor: & istæ corrumpuntur, tam per se, quàm per accidens: aliæ verò non habent contrarium, vt quantitas: & hæ corrumpuntur tantùm per accidens, quando corrumperetur subiectum si adesset: nam licèt non habeāt actualiter esse in subiecto, dicunt tamen ordinem ad illud, per hoc quòd habent idem esse, quod priùs habebant in materia. Hæc autem corruptio non est miraculosa, sed naturalis; præsupponit tamē miraculum quod est factum in consecratione, scilicet quòd illæ species Sa-

cramentales retineant esse sine subiecto: sicut & cæcus miraculosè illuminatus, naturaliter videt. D. Thom. hîc art.4. ad 3.

Ad tertium, dicendum cum D. Thom. hîc ad 1. quòd ad corruptionem per se pertinet, quod auferat esse rei; vnde in quantum esse alicuius formæ est in materia, consequens est quòd per corruptionem separetur forma à materia: si verò huiusmodi esse non esset in materia; simile tamen ei quod est in materia, posset per corruptionem auferri, etiam materia non existente, sicut accidit in hoc Sacramento.

DVBIVM VI.

Vtrum ex speciebus Sacramentalibus posit naturaliter aliquid generari.

Supponendum est ex dictis, species Sacramentales posse corrumpi; non solùm per alterationem, sed etiam per multiplicem diuisionem in minimas partes, in quibus substantia panis & vini non posset conseruari, & etiam per admixtionem alterius liquoris. Species panis diuiduntur & franguntur, vt patet ad sensum, & probat D.Thom. hic art.7. hæc autem fractio non attingit corpus Christi, cùm sit ibi incorruptibile & modo indiuisibili, sed recipitur in quantitate dimensiua panis: sicut in ipsa subiectantur alia accidentia; per hoc enim quòd habet raritatē & densitatē, habet porositatem, ac proinde potest frangi. Sicut autē species Sacramentales sunt Sacramentū corporis Christi veri: ita fractio huiusmodi specierum est Sacramentum *Dominicæ* passionis, quæ fuit in corpore *Christi vero*. Quòd speciebus vini cōsecrati possit admisceri aliquis liquor, docet D. Thom. hîc art. 8. per hoc quòd tales species ex vi miraculi, quo habent modum essendi substantiæ, habent etiam modum agendi & patiendi ipsius: vnde sicut substantiæ vini, si adesset, posset admisceri alius liquor; sic admisceretur eius speciebus. Ex quo infert D. Thom. quòd si liquor admixtus propter quantitatem peruadat species secundum omnes partes, ita vt resultet vera & totalis mixtio (quia in tali casu non remaneret vini simpliciter, si liquor esset alterius speciei, vel non remaneret idem numero, si talis liquor sic aliud vinum, vt appareret ex accidentibus de nouo resultātibus) tunc desinit ibi esse sanguis Christi: quod etiam verum putant Soto, Victoria, & alij Thomistæ, si species vini consecrati permisceantur aliis speciebus non cōsecratis: quia sanguis Christi tandiu tantùm cōseruatur sub speciebus, quandiu conseruaretur eadem numero substantia vini, si adesset: illæ tamen species debent adorari sicut priùs, quia non habetur certitudo de tali mixtione totali; si enim non est totalis, sanguis Christi perseuerat sub partibus impermixtis: & hoc contingit, si permisceatur liquor alius in parua quantitate. Aliqui tamen sunt liquores, qui non permiscentur mutuò; sed generosior etiam in parua quantitate corrūpit alium in maiori quantitate; & tunc certum est quòd si liquor admixtus corrumpit species vini consecrati, desinit ibi esse sanguis Christi.

Prima opinio Scoti in 4. dist. 12. quæst. 6. Vasquis in præsenti disp.195. cap.3. & aliorum negat ex speciebus consecratis posse naturaliter generari aliquid substantiale. Probatur; Generatio substantialis requirit materiā primam, ex qua fiat, & educatur forma de nouo genita, per alterationem præcedentem dispositâ materiâ ad talem eductionem: sed sub speciebus consecratis non est materia prima alia, quàm corporis & sanguinis Christi, quam constat nullo modo alterari, cùm corpus Christi sit gloriosum & impassibile: ergo ex speciebus consecratis non potest naturaliter generari aliquid substantiale.

Secundò; Generatio concomitans ipsam corruptionem debet ei proportionari; vt si corruptio sit tantùm accidentalis, sic & generatio; si corruptio sit substantialis, sic & generatio; vt patet inductione in omnibus, & ipsa concomitantia exigit: sed corruptio specierum Sacramentaliū non est substantialis, nihil enim sub illis est substātiale, nisi corpus & sanguis Christi, quæ habent statum incorruptibilitatis; vnde tantùm est accidentalis: ergo & generatio consequens; & ita ex speciebus Sacramentalibus non potest naturaliter generari aliquid substantiale.

Tertiò; Si admittatur generatio alicuius substantialis ex speciebus Sacramentalibus, debet admitti aliquod ex sequentibus inconuenientibus: Vel quòd corpus, & sanguis Christi conuertantur in rem de nouo genitam: Vel quòd res illa de nouo genita non habeat materiam primam, sed loco eius quantitatem dimensiuam, quæ erat in Sacramento: vel quòd creetur noua materia vt sit in re genita: ergo ex speciebus Sacramentalibus non potest naturaliter generari aliquid substantiale.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd ex speciebus Sacramentalibus potest naturaliter generari aliquid substantiale: 2. Non per hoc quòd in instanti corruptionis specierum creetur materia prima; 3. Sed per conuersionem miraculosam quantitatis dimensiuæ in materiam primam, ex qua educitur forma de nouo genita: 4. Propter quod etiam species sacramentales possunt nutrire: 5. *Materia autem illa est ipsamet* quæ ante consecrationem erat panis aut vini.

Probatur prima pars conclusionis, tum authoritate tum ratione D. Thom. hic art. 5 quam sic

sic proponit: Cùm corruptio vnius sit generatio alterius, vt dicitur in 1. de Generatione; necesse est quòd ex speciebus Sacramentalibus aliquid generetur, cùm corrumpantur: non enim sic corrumpuntur, vt omninò dispereant, quasi in nihilum redigantur; sed manifestè aliquid sensibile eis succedit: Quæ ratio D.Thomæ fundatur in experientia: nam ex speciebus consecratis generantur vermes ex humiditate, cineres si adhibeatur ignis. Huic rationi experimentali aliqui respondent, quòd istæ generationes fiunt ex aëre circũstante. Alij quòd redit substantia panis & vini ex qua ista generentur. Alij quòd redit materia quæ fuit panis & vini, quæ sit subiectum generationis. Sed has omnes responsiones impugnat fusè D.Th. vt videre est art.5. cuius tamen rationes leuiter attingimus. Nam contra primum est; quia species Sacramentales alterantur & non aër, vnde non ex aëre, sed ex speciebus fit generatio. Deinde ex aëre per similem alterationem non generantur vermes aut cineres, sicut tunc generantur; & multò minus in tanta quantitate, vt aliquando contingit. Denique, licèt non circunstet aër, sed species recludantur in corporibus solidis, vt auro, argento, &c. similis accidit generatio: ergo non fit ex aëre, sed ex speciebus. Contra secundum est; quia cùm substantia panis & vini sit conuersa in corpus & sanguinem Christi, non potest redire manentibus speciebus, nisi corpore & sanguine Christi iterum conuersis in ipsam: quod non debet admitti; nam ex Scholasticis non datur illa iterata conuersio, nisi dicatur quòd creatur de nouo illa substantia: sed non datur fundamentum admittendi hanc creationẽ. Deinde, non est dare quando redeat illa substantia; non ante corruptionem specierum, quia illis manentibus manet sub illis corpus & sanguis Christi; non post corruptionem; quia substantia panis & vini esset sine propriis accidentibus, quod est impossibile. Contra tertium est, quia si virtute agentis naturalis rediret materia prima, vel crearetur à Deo; esset nouum miraculum, vt patet: & tamen non videtur rationabiliter dici, quòd miraculosè aliquid accidat in hoc Sacramẽto, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quòd materia creetur, vel redeat simpliciter, aut vllo modo virtute agentis naturalis; benè tamen per conuersionem, vt postea dicetur. Multò minus potest responderi quòd similia generentur ex corpore Christi, vel quòd fiant immediatè à Deo per creationem. Nam contra primum est; quòd corpus Christi gloriosum est incorruptibile. Contra secundum; quòd agens naturale concurrit ad hanc productionem, & tamen nullum creatum concurrit ad creationem, nec potest concur[illegible] D.Th. Deinde, quia sequeretur illas [illegible] annihilari, nam desinunt in nihilum & [illegible] ei; sic-ret: tamen in hoc casu nullus Scholasticus admittit annihilationem. Et ex his patet secunda pars conclusionis.

Probatur tertia pars conclusionis, quam sequuntur cõmuniter Thomistæ, Capreolus in 4. dist.12. quæst.1. art.3. Caietanus, Cornejo in præsenti, Nostri Complutenses in Physicis: & extra scholam D. Thomæ plures alij: authoritate D.Th. hìc art.5. ad 3. vbi sic ait: Quantitas dimensiua panis & vini retinet naturã propriam, & accipit miraculosè vim & proprietatem substantiæ; & ideò potest trãsire in vtrumque, idest in substantiam & dimensionem. Et art.6. ad 2. ait: Species Sacramentales, etsi non sint ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea conuertuntur. Et in corpore præmiserat; Species Sacramentales possunt conuerti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur: Non autem potest intelligi de totali & immediata conuersione illarum in substantiam; quia hic verè non esset generatio, sed conuersio, quæ est actio distincta à generatione, vt patet ex dictis de conuersione Eucharistica: & ita debet intelligi de conuersione illarum in materiam, ex qua educatur forma in eodem instanti: in quo saluatur vera generatio, & cum aliis modis dicendi non potest saluari. Nec contrariatur D.Thom. dum art.5. negat materiam redire, aut creari; & asserit quantitatem dimensiuam panis & vini in ipsa consecratione acquirere quòd sit primum subiectum subsequentiũ formarum: nam solùm excludit reditum materiæ, ad hoc vt sit subiectum alterationis corruptiuæ, aut reditum eius per creationem: non autem vt sit subiectum ex quo educatur forma de nouo genita: vnde sensus D. Thomæ est in ipsa consecratione datum esse quantitati, vt ratione sui, & in seipsa sit primum subiectum totius alterationis corruptiuæ, quæ præcedit generationem, & in puncto corruptionis specierum datum est quòd ex vi primi miraculi & concomitanter ad illud, conuertatur in materiam primam, & sic conuersa sit subiectum generationis, & pars substantialis rei genitæ. Quòd autem quantitas non perseueret in seipsa, docet D. Thom. art.4. præcedenti vbi ait, quantitatem huius Sacramenti naturaliter corrumpi. Deinde; omne ens physicum cõstat ex materia & forma substantiali: quia actus & potentia, ex quibus fit vnum per se, debent esse eiusdem generis, ac proinde substantiales, si ex eis resultet substantia: vnde sicut implicat quòd quantitas suppleat formam substantialẽ in constitutione substantiæ; sic implicat quòd suppleat materiã primam: maximè quia per consecrationem non mutatur eius natura, sed tantùm modus essendi. Denique, ex illo multa sequerentur inconuenientia, vt quòd vermis genitus ex speciebus Sacramentalibus non esset eiusdem speciei, ac alij: quòd non esset vnum

per se, sed partim accidentale, partim substantiale. Quòd esset continuatum miraculum in conseruatione illius quantitatis. Quòd si quis per totam vitam nutriretur speciebus consecratis, non constaret materia prima, deperdita illa quam in sua natiuitate habuit; & similia quæ nullus admittit.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate & ratione D.Thom. hîc art. 6. vbi ait: Species Sacramentales per eandem rationem possunt conuerti in corpus humanum, per quam possunt conuerti in cineres, vel in vermes; & ideò manifestum est quòd nutriunt. Deinde probat à posteriori quia homo diu sustentari posset, si hostias & vinum consecratum sumeret in magna quantitate: hæc autem fiunt, non nouo miraculo, sed ex vi miraculi priùs facti, vt docet hîc D. Thom. art. 5. quia ex hoc quòd Deus dedit quantitati in ipsa consecratione modum standi per se, & quòd sit subiectum alterationis; ex quadam concomitantia debuit illi dari quòd ex ea generetur aliquid, & homo nutriatur per conuersionem iam dictam ipsius quantitatis in materiam primam factam à solo Deo, occasionatam tamen ob actionem agentis naturalis alterantem ipsam quantitatem: vnde hæc conuersio est miraculum consequens aliud; & ita non dicitur nouum, sed idem continuatum.

Probatur quinta pars conclusionis communis inter recentiores, authoritate Innocentij III. lib. 4. de mysterio Altaris cap. 2. Deinde; formæ quæ generantur ex speciebus consecratis, habent maiorem conuenientiam cum materia prima, quæ ante consecrationem erat panis & vini, quàm cum qualibet alia: nam videmus easdem penitus formas generari, quæ generarentur si adesset substantia panis & vini, per eductionem ab eorum materia; videmus enim ex speciebus vini consecratis generari acetum: ergo materia, in quam conuertitur quantitas Eucharistica, est ipsamet quæ ante consecrationem erat panis & vini. Denique, quia ex hoc modo dicendi minimus perturbatur ordo naturæ, vt patet, nam redit illa materia, & est in toto de nouo genito, quæ remaneret ex corruptione illorum accidentium, si adesset substantia panis & vini, & transit in substantiam totius de nouo geniti.

AD primum ergo, dicendum, quòd ad talem generationem sufficit, quòd ponatur ibi materia prima in instanti, quo fit generatio per conuersionē miraculosam quantitatis in ipsam; quæ quantitas fuit subiectum totius alterationis præcedentis: quòd autem ipsa materia non fuerit priùs disposita, solùm facit hanc generationem non esse connaturalem omninò & ordinariam.

AD secundum, dicendum, quòd generatio & corruptio debent proportionari; non tamen formaliter de necessitate, benè tamē virtualiter: & ita contingit in præsenti, nam licèt corruptio specierum Sacramentalium sit formaliter accidentis, virtualiter tamen est substantialis: nam talis est naturæ, quòd si ibi inueniret substantiam panis & vini, illam corrumperet: per accidens autem est, quòd non inueniat: maximè quia etiā formaliter illa corruptio habet quemdam modum substantialis, in quantum dimensiua quantitas, quæ est subiectum illius, existit per se quasi ad modum substantiæ.

AD tertium, dicendum, quòd nullum ex dictis sequitur: sed tantùm quòd quantitas dimensiua Sacramentalis conuertatur in materiā primam, quæ perseuerat in genito, vt pars est substantialis ipsius, vt dictum est: hæc autē conuersio fit ad exigentiam agentis naturalis, & tunc corpus & sanguis Christi nō annihilantur, nec conuertuntur in aliud, sed desinunt esse sub illis speciebus per desitionem ipsarum.

QVÆSTIO LXXVIII.

De forma sacramenti Eucharistiæ, in sex articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de forma huius sacramenti.

¶ Et circa hoc quæruntur sex.
¶ Primo, quæ sit forma huius sacramenti.
¶ Secundo, vtrum sit conueniens forma consecrationis panis.
¶ Tertio, vtrùm sit conueniens forma consecrationis sanguinis.
¶ Quartò, de virtute vtriusque formæ.
¶ Quintò, de veritate loquutionis.
¶ Sextò, de comparatione vnius formæ ad aliam.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc sit forma huius sacramenti, hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei.

664

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit forma huius sacramenti, hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei. illa enim verba videntur pertinere ad formam huius sacramenti, quibus Christus corpus suum & sanguinem consecrauit. Sed Christus ante benedixit panem acceptum, & postea dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, vt habetur Mat. 26. & similiter fecit de calice. Ergo prædicta verba non sunt forma huius sacramenti.

¶ 2 Præterea, Eusebius Emissenus dicit*, quod inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in suum corpus conuertit, dicens, Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Ergo totum hoc videtur pertinere ad formam huius sacramenti. Et eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem.

¶ 3 Præterea, In forma baptismi exprimitur persona ministri & actus eius, cum dicitur, Ego te baptizo: sed in prædictis verbis nulla fit mentio de persona ministri, nec de actu eius. Ergo non est conueniens forma sacramenti.

¶ 4 Præterea, Forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti: vnde sacramentum baptismi quandoque perfici potest solis verbis formæ prolatis, omnibus alijs prætermissis. Si ergo prædicta verba sunt forma huius sacramenti, videtur, quod aliquando possit hoc sacramentum perfici his solis verbis prolatis, & omnibus alijs prætermissis, quæ in missa dicuntur. Quod tamen videtur esse falsum: quia [illegible] prædicta verba acciperentur, [illegible] corpus & sanguis [illegible]. Non ergo prædicta verba alijs prætermitterentur [illegible] ex persona sacerdotis proferentis [illegible] panis & vinum non [illegible] verba sunt forma huius sacramenti.

SED contra est, quod Ambrosius dicit in lib. de sacramentis. Consecratio fit verbis & sermonibus Domini Iesu: nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos vtitur, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.

CONCLVSIO.

Conueniens est forma sacramenti Eucharistiæ, quam Christus expressit, hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei.

RESPONDEO dicendum, quod hoc sacramentum ab alijs sacramentis differt in duobus: primo quidem, quantum ad hoc, quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ: alia vero sacramenta perficiuntur in vsu materiæ consecratæ. Secundò.

Secundò, quia in aliis sacramentis consecratio materiæ consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quandam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere. Sed in hoc sacramento consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conversione substantiæ, quæ a solo Deo perfici potest. Vnde minister in hoc sacramento perficiendo non habet alium actum nisi prolationem verborum. Et quia forma debet esse conveniens rei, ideo forma huius sacramenti differt à formis aliorum sacramentorum in duobus: primo quidem, quia formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ, puta baptizationem vel consignationem: sed forma huius sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit: puta cum dicitur hoc est corpus meum, vel hic est calix sanguinis mei. Secundo, quia formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri, sive per modum exercentis actum: sicut cum dicitur, Ego te baptizo, vel, Ego te confirmo: sive per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur, Accipe potestatem, &c. sive per modum deprecantis, sicut cum in sacramento extremæ unctionis dicitur. Per istam unctionem & nostram intercessionem, &c. Sed forma huius sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit nisi quod profert verba Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod Christus qui habebat potestatem excellentiæ in sacramentis, absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit, & postea verba protulit, sub quibus alij postmodum consecrarent. Quod videntur sonare verba Innocen. iij.* dicentis, Sane dici potest, quod Christus virtute diuina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Sed contra hoc expresse sunt verba Euangelij in quibus dicitur, quod Christus benedixit: quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est. Vnde prædicta verba Innocentij sunt opinatiue magis dicta, quàm determinatiue. Quidam autem dixerunt, quod benedictio illa facta est quibusdam aliis verbis nobis ignotis. Sed nec hoc stare potest: quia benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum quæ tunc acta sunt. Vnde si tunc per hæc verba non est facta consecratio, nec modo fieret. Et ideo alij dixerunt quod illa benedictio eisdem etiam verbis facta est, quibus modo fit, sed Christus ea bis protulit. Primo quidem secretè ad consecrandum: secundo manifestè ad instruendum. Sed nec hoc stare potest: quia sacerdos consecrat, proferens hæc verba, non ut à Christo in occulta benedictione dicta, sed ut publice prolata. Vnde cum non habeant vim huiusmodi verba, nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifestè ea proferens consecrauerit. Et ideo alij dixerunt, quod Euangelistæ non semper eundem ordinem in recitando seruauerunt, quo res sunt gestæ: ut patet per Aug. in * lib. de Consensu Euangelistarum. Vnde intelligendum est ordinem rei gestæ sic exprimi posse: Accipiens panem benedixit, dicens hoc est corpus meum, & deinde fregit, & dedit discipulis suis. Sed idem sensus haberi potest etiam verbis Euangelij non mutatis: nam hoc participium, Dicens, concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt. Non autem oportet quod hæc concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit, quando dedit discipulis suis. Sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis: ut sit sensus, Dum benediceret, frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit, Accipite, &c.

Ad secundum dicendum, quod in his verbis, Accipite & comedite, intelligitur usus materiæ consecratæ: qui non est de necessitate huius sacramenti (ut supra habitum est †) & ideo nec hæc verba sunt de substantia formæ. Quia tamen ad quandam perfectionem sacramenti pertinet materiæ consecratæ usus (sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio rei) ideo per omnia ista verba exprimitur tota perfectio huius sacramenti. & hoc modo Euseb. intellexit, * his verbis confici sacramentum, quantum ad primam & secundam perfectionem ipsius.

Ad tertium dicendum, quòd in hoc sacramento baptismi minister aliquem actum exercet circa usum materiæ, qui est de essentia sacramenti, quod non est in hoc sacramento, & ideo non est similis ratio.

Ad quartum dicendum, quod quidam dixerunt, hoc sacramentum perfici non posse, prædictis verbis prolatis, & aliis prætermissis, præcipue quæ sunt in canone missæ. Sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Amb. * supra inductis, tum etiam quia canon missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diuersa sunt à diuersis apposita. Vnde dicendum est, quod si sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum: quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiam si verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Grauiter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, ritum Ecclesiæ non seruans. Nec est simile de baptismo, quod est sacramentum necessitatis: defectum autem huius sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, sicut Augu. * dicit.

lib. 3. de sacro altaris mysterio, ca. 6. circa fin.

lib. 2. collegens ex ca. 10. & 31. & 44. tam. 4.

q. 74. a. 7.

fere citato in arg.

in art. sed contr.

tract. 26. in Ioan. n Colligitur etiam ex eo quod in Aug. refertur de consec. d. 4. c. Nulli.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit conueniens forma consecrationis panis, hoc est corpus meum.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quod hæc non sit conueniens forma consecrationis panis, hoc est corpus meum. Per formam enim sacramenti debet exprimi sacramenti effectus. Sed effectus, qui fit in consecratione panis, est conuersio substantiæ panis in corpus Christi, quæ magis exprimitur per hoc verbum Fit, quam per hoc verbum Est. Ergo in forma consecrationis deberet dici, hoc fit corpus meum.

465

¶ 2 Præterea, Ambros. † dicit in lib. de sacramentis. Sermo Christi hoc conficit sacramentum: quis sermo Christi? hic, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & facta sunt cœli & terra. Ergo & forma huius sacramenti conuenientior esset per verbum imperatiuum, ut diceretur, hoc sit corpus meum.

¶ 3 Præterea, Per subiectum huius locutionis importatur illud quod conuertitur, sicut per prædicatum importatur conuersionis terminus. Sed sicut est determinatum id in quod fit conuersio (non enim fit conuersio nisi in corpus Christi) ita est determinatum id quod conuertitur: non enim conuertitur in corpus Christi nisi panis. Ergo sicut ex parte prædicati ponitur nomen, ita ex parte subiecti debet poni nomen, ut dicatur, hic panis est corpus meum.

¶ 4 Præterea, Sicut id, in quod terminatur conuersio, est determinatæ naturæ (quia est corpus) ita etiam est determinatæ personæ. Ergo sicut ad determinandum naturam dicitur corpus, ita ad determinandam personam deberet dici, hoc est corpus Christi.

¶ 5 Præterea, in verbis formæ non debet poni aliquid, quod non sit de substantia eius. Inconuenienter ergo additur in quibusdam libris hæc coniunctio Enim, quæ non est de substantia formæ.

Sed contra est, quòd Dominus hac forma in consecrando est usus, ut patet Matthæi 26.

CONCLVSIO

Cùm forma sacramentalis significare debeat, quod in sacramento efficitur, conuenientissima consecrationis forma est, qua usus est Christus: hoc est corpus meum.

Respondeo dicendum, quod hæc est conueniens forma consecrationis panis. Dictum est enim *, quod hæc consecratio consistit in conuersione substantiæ panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id, quod in sacramento efficitur. Vnde & forma consecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in corpus Christi. In qua tria considerantur: scilicet ipsa conuersio, & terminus a quo, & terminus ad quem. Conuersio autem potest considerari dupliciter. Vno modo, ut in fieri: alio modo, ut in facto esse. Non autem debuit significari conuersio in hac forma, ut in fieri, sed ut in facto esse. Primo quidem: quia hæc conuersio non est successiua (ut supra dictum est *) sed instantanea. In huiusmodi autem mutationibus fieri, non est nisi factum esse. Secundo, quia ita se habent formæ sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formæ artificiales ad repræsentandum effectum artis. Forma autem artificialis, est similitudo ultimi effectus, in quem fertur intentio artificis: sicut forma artis in mente ædificatoris, est forma domus ædificatæ principaliter, ædificationis autem per consequens. Vnde & in hac forma debet exprimi conuersio, ut in facto esse, ad quod fertur intentio. Et quia ipsa conuersio exprimitur in hac forma, ut in facto esse, necesse est quod extrema conuersionis significentur, ut se habent in facto esse conuersionis. Tunc autem terminus ad quem, habet propriam naturam suæ substantiæ: sed terminus a quo, non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subiacet, & ad sensum determinari potest. Vnde conuenienter terminus conuersionis à quo exprimitur per pronomen demonstratiuum relatum ad accidentia sensibilia quæ manent: terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam eius, in quo fit conuersio. Quod quidem est totum corpus Christi, & non sola caro eius, ut dictum est †. Vnde hæc forma est conuenientissima, hoc est corpus meum.

Ad primum ergo dicendum, quòd fieri non est ultimus effectus huius consecrationis, sed factum esse: ut dictum est *. Et ideo hoc potius exprimi debet in forma.

Ad secundum dicendum, quod sermo Dei operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione: aliter tamen & aliter. Nam hic operatur effectiuè & sacramentaliter, i. secundum vim significationis. Et ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis, per verbum substantiuum indicatiui modi, & præsentis temporis. Sed in creatione rerum operatus est solum effectiuè: quæ quidem efficientia est per imperium suæ sapientiæ. Et ideo in creatione rerum exprimitur sermo diuinus per verbum imperatiui modi: secundum illud Gene. 1. Fiat lux, & facta est lux.

Ad tertium dicendum, quòd terminus à quo in ipso facto esse conuersionis, non retinet naturam suæ substantiæ, sicut terminus ad quem: & ideò non est simile.

Ad quartum dicendum, quod per hoc pronomen, Meum, quod includit demonstrationem primæ personæ (quæ est persona loquentis) sufficienter exprimitur persona Christi, ex cuius persona hæc proferuntur, ut dictum est *.

Ad quintum dicendum, quòd hæc coniunctio, Enim, apponitur in hac forma secundum consuetudinem Ecclesiæ, à beato Petro Apostolo deriuatum: & hoc propter continuationem ad verba præcedentia. Et ideo non est de forma, sicut nec verba præcedentia formam.

In 4. d. 8. q. 2. ar. 2. q. 1. & q. 5. a. 2. ad 2 & 3. Et q. 4. a. 1. ad 3 & 4 & q. 1. a. 1. ad 3 & 4. & q. 1. a. 2. & 4. & opusc. 5. a. 4. & opusc. 65. a. 4.

† lib. 4. c. 4.

art. 1. huius q.

q. 75. a. 7.

q. 76. art. 1. ad 2.

in cor. art.

art. præc. & art. 1.

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc sit conueniens forma consecrationis vini, hic est calix sanguinis mei, &c.

466

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd hæc non sit conueniens forma consecrationis vini, hic est calix sanguinis

4. d. 8. q. 2. a. 2. q. 2. c. & 3. & 1. Cor. 11. lec. 6. cor. 3. 4. & 5. q. 78. art. 1. & 2.

sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Sicut enim panis conuertitur in corpus Christi ex vi consecrationis, ita & vinum in sanguinem Christi sicut ex supradictis patet †. Sed in forma consecrationis panis, non ponitur in recto corpus Christi, nec aliquid aliud additur. Inconuenienter ergo in hac forma ponitur sanguis Christi in obliquo, & additur calix in recto cum dicitur, hic est calix sanguinis mei.

¶ 2 Præterea, Non sunt maioris efficaciæ verba quæ proferuntur in consecratione panis, quam ea quæ proferuntur in consecratione vini, cum vtraque sint verba Christi. Sed statim dicto, hoc est corpus meum, est perfecta consecratio panis. Ergo statim cum dictum est, hic est calix sanguinis mei, est perfecta consecratio sanguinis. & ita ea quæ sequuntur, non videntur esse de substantia formæ, præsertim cum pertineant ad proprietates huius Sacramenti.

¶ 3 Præterea, Testamentum nouum pertinere videtur ad internam inspirationem: vt patet ex hoc quod Apostol. ad Heb. 8. introducit verba quæ habentur Hie. 31. Consummabo super domum Israel Testamentum nouum dando leges meas in mentem eorum. Sacramentum autem exterius visibiliter agitur. Inconuenienter ergo in forma sacramenti dicitur, noui Testamenti.

¶ 4 Præterea, Nouum dicitur aliquid ex eo quod est prope principium sui esse, æternum autem non habet principium sui esse. Ergo inconuenienter dicitur, noui & æterni quia videtur contradictionem implicare.

¶ 5 Præterea, Occasiones erroris sunt hominibus subtrahendæ: secundum illud Is. 57. Auferte offendicula de via populi mei. Sed quidam errauerunt, æstimantes mystice solum esse corpus & sanguinem Christi in hoc Sacramento. Ergo in hac forma inconuenienter ponitur, mysterium fidei.

q. 73. art. 3. ad 3.

¶ 6 Præterea, Supra dictum est*, quod sicut baptismus est sacramentum fidei, ita Eucharistia est sacramentum charitatis. Ergo in hac forma magis debet poni charitas, quam fides.

¶ 7 Præterea, Totum hoc sacramentum & quantum ad corpus & quantum ad sanguinem, est memoriale Dominicæ passionis, secundum illud primæ Co. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Non ergo magis debuit in forma consecrationis sanguinis, fieri mentio de passione Christi & eius fructu, quam in forma consecrationis corporis, præsertim cum Luc. 22. Dominus dixerit, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.

qu. 48. & 49. art. 3.

¶ 8 Præterea, Passio Christi (vt supra habitum est †) ad sufficientiam profuit omnibus, quantum vero ad efficientiam profuit multis. Debuit ergo dici, Qui effundetur pro omnibus aut pro multis, sine hoc quod adderetur, Pro vobis.

¶ 9 Præterea, Verba quibus hoc Sacramentum conficitur, efficaciam habent ex institutione Christi. Sed nullus Euangelista recitat Christum hæc omnia verba dixisse. Ergo hæc non est conueniens forma consecrationis vini.

De cele. missæ cap. cum Marthæ.

Sed contra est, quod Ecclesia ab Apostolis instructa* vtitur hac forma in consecratione vini.

CONCLVSIO.

Conueniens forma consecrationis vini ea est, qua vsus est Christus, videlicet, Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Respondeo dicendum, quod circa hanc formam est duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod de substantia formæ huius est hoc solum quod dicitur, hic est calix sanguinis mei: non autem ea quæ sequuntur. Sed hoc videtur inconueniens: quia ea quæ sequuntur sunt quædam determinationes prædicati, idest sanguinis Christi: vnde pertinent ad integritatem eiusdem *locutionis. Et propter hoc sunt alij qui melius dicunt, quod omnia sequentia sunt de substantia formæ vsque ad hoc, quod postea sequitur. Hæc quotiescunque feceritis: quod pertinet ad vsum huius Sacramenti: vnde non est de substantia formæ. Et inde est, quod sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert. Etiam Luc. 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur, Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine. Dicendum est ergo, quod omnia prædicta † verba sunt de substantia formæ. Sed per prima verba, cum dicitur, hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est † in forma consecrationis panis. Per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento: quæ quidem ad tria ordinatur. Primo quidem & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem: secundum illud Heb. 10. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi. Et ad hoc designandum dicitur, noui & æterni Testamenti. Secundo, ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem, secundum illud Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi, & quantum ad hoc subditur, mysterium fidei. Tertio autem ad remouendum impedimenta vtriusque prædictorum, scilicet peccata: secundum illud Hebr. 9. Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, id est, à peccatis. Et quantum ad hoc subditur, Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

*al. nominatur ly consistens.

posita in arg. 1.

art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, hic est calix sanguinis mei, est locutio figuratiua: & potest dupliciter intelligi. Vno modo secundum metonymiam, quia ponitur continens pro contento, vt sit sensus, Hic est sanguis meus contentus in calice, de quo fit hic mentio: quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur, inquantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis, & ideo oportuit hoc designari per vas huic vsui accommodatum. Alio modo potest intelligi secundum metaphoram, prout per calicem similitudinarie intelligitur passio Christi, quæ ad similitudinem calicis inebriat (secundum illud Thren. 3. Repleuit me amaritudinibus: inebriauit me absynthio, vnde & ipse Dominus passionem suam calicem nominat, Matth. 26. dicens, Transeat a me calix iste) Vt sit sensus, hic est calix passionis meæ, de qua fit mentio in sanguine seorsum à corpore consecrato, quia separatio sanguinis a corpore fuit per passionem.

in cor. art. & qu. 76. a. 2. ad 1.

Ad secundum dicendum quod quia (vt dictum est †) sanguis seorsum consecratus, expresse passionem Christi repræsentat, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quod est passionis subiectum. Quod etiam designatur in hoc quod dominus dicit, Quod pro vobis tradetur, quasi diceret, Quod pro vobis passioni subiicietur.

Ad tertium dicendum, quod Testamentum est dispositio hæreditatis. Hæreditatem autem cœlestem disposuit Deus hominibus dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi: quia vt dicitur Heb. 9. Vbi est Testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus: primo quidem in figura, quod pertinet ad vetus Testamentum. Et ideo Apostolus ibidem concludit, Vnde nec primum Testamentum sine sanguine dedicatum est. Quod patet ex hoc, quod sicut dicitur Ex. 24. Lecto omni mandato legis a Moyse, omnem populum aspersit, dicens, Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Secundo autem est exhibitus in rei veritate, quod pertinet ad nouum Testamentum. Et hoc est quod Apostolus ibidem præmittit dicens, ideo noui Testamenti mediator est Christus, vt morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Dicitur ergo hic sanguis noui testamenti, quia iam non in figura, sed in veritate exhibetur: vnde subditur, Qui pro vobis effundetur: Interna autem inspiratio ex huius sanguinis virtute procedit, secundum quod passione Christi iustificamur.

Ad quartum dicendum, quod hoc Testamentum est nouum ratione exhibitionis. Dicitur autem æternum tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Testamentum disponitur. Ipsa etiam persona Christi, cuius sanguine Testamentum disponitur, est æterna.

Ad quintum dicendum, quod mysterium hic ponitur, non quidem ad excludendam rei veritatem, sed ad ostendendam occultationem: quia & ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento, & ipsa passio Christi occulte fuit figurata in veteri Testamento.

Ad sextum dicendum, quod dicitur mysterium fidei, quasi fidei obiectum: quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur. Ipsa etiam passio Christi per fidem iustificat: Baptismus autem dicitur sacramentum fidei, quia est quædam fidei protestatio. Hoc autem est sacramentum charitatis, quasi figuratiuum & effectiuum.

in sol. ad 2. & locis citatis.

Ad septimum dicendum, (quod sicut † dictum est) sanguis seorsum consecratus à corpore, expressius repræsentat passionem Christi. Et ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi & fructu ipsius, quam in consecratione corporis.

Ad octauum dicendum, quod sanguis passionis Christi, non solum habet efficaciam in Iudæis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris Testamenti, sed etiam in Gentilibus, nec solum in sacerdotibus, qui hoc conficiunt sacramentum, vel aliis, qui sumunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. Et ideo signanter dicit, pro vobis Iudæis, & pro multis, scilicet Gentilibus: vel, pro vobis manducantibus, & pro multis pro quibus offertur.

c. 7. eccle. hier. p. 3.

Ad nonum dicendum, quod Euangelistæ non intendebant tradere formas sacramentorum quas in primitiua Ecclesia oportebat esse occultas: vt dicit Diony. in fine eccle. hierar. sed intenderunt historiam de Christo texere. Et tamen hæc omnia fere verba ex diuersis Scripturæ locis accipi possunt. Nam quod dicitur, hic est calix, habetur Luc. 22. & primæ Cor. 11. Matt. autem 26. dicitur hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quod autem additur, æterni & iterum mysterium fidei: ex traditione Domini habetur quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit: secundum illud primæ Corinth. 11. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum prædictis verbis formarum insit aliqua vis creata, effectiua consecrationis.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod prædictis verbis † formarum non insit aliqua vis creata, effectiua consecrationis. Dicit enim Dam. * in quarto lib. Sola virtute Spiritus sancti fit conuersio panis in corpus Christi. Sed virtus Spiritus sancti est virtus increata. Ergo nulla virtute creata horum verborum conficitur hoc sacramentum.

¶ 2 Præterea, Opera miraculosa non fiunt aliqua virtute creata, sed sola virtute diuina: vt in 1. parte habitum est †. Sed conuersio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, est opus non minus miraculosum, quam creatio rerum, vel etiam formatio corporis Christi in vtero virginali, quæ quidem nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc sacramentum conficitur aliqua virtute creata dictorum verborum.

¶ 3 Præterea, Prædicta verba* non sunt simplicia, sed ex multis composita: nec simul, sed successiue proferuntur. Conuersio autem prædicta (vt supra dictum est †)

stantia: unde oportet, quod fiat per simplicem virtutem. Non ergo fit per virtutem horum verborum.

Sed contra est, quod Amb. † dicit in lib. de Sacramentis; Si tanta est vis in sermone domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi creaturam mutat.

CONCLVSIO.

Cùm Eucharistiæ sacramentum cæteris sit dignius, verba formalia huius sacramenti necesse est habere virtutem quandam creatam consecrationis effectiuam.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt nullam virtutem creatam esse nec in prædictis verbis † ad transsubstantiationem faciendam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in ipsis sacramentis ad inducendos sacramentorum effectus. Quod (sicut supra habitum est †) et dictis sanctorum repugnat, & derogat dignitati sacramentorum nouæ legis. Vnde cum hoc sacramentum sit præ cæteris dignius (sicut supra dictum est *) consequens est quod in verbis formalibus huius sacramenti, sit quædam virtus creata ad conuersionem huius sacramenti faciendam, instrumentalis tamen, sicut & in aliis sacramentis, sicut supra dictum est *. Cum enim hæc verba ex persona Christi proferantur, ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem a Christo: sicut & cætera eius facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, vt supra dictum est *.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur sola virtute Spiritus sancti panem in corpus Christi conuerti, non excluditur virtus instrumentalis, quæ est in forma huius sacramenti. Sicut cum dicitur, Solus faber facit cultellum, non excluditur virtus martelli.

Ad secundum dicendum, quod opera miraculosa, nulla creatura potest facere quasi agens principale, potest tamen ea facere instrumentaliter: sicut ipse tactus manus Christi sanauit leprosum. Et per hunc modum verba Christi conuertunt panem in corpus Christi. Quod quidem fieri non potuit in conceptione corporis Christi, qua corpus Christi formabatur, vt aliquid à corpore Christi procedens haberet instrumentalem virtutem ad ipsius corporis formationem. In creatione etiam non fuit aliquod extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari, vnde non est simile.

Ad tertium dicendum, quod prædicta verba * quibus fit consecratio sacramentaliter operantur. Vnde vis conuersiua, quæ est in formis horum sacramentorum, consequitur significationem, quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur. Et ideo in vltimo instanti prolationis verborum prædicta verba consequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia. Et hæc virtus est simplex ratione simplicis significati, licet in ipsis verbis exterius prolatis, sit quædam compositio.

ARTICVLVS V.

Vtrùm prædictæ locutiones sint veræ.

468 AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd prædictæ locutiones non sint veræ. Cùm enim dicitur, hoc est corpus meum, hoc, est demonstratiuum substantiæ. Sed secundum prædicta *, quando profertur hoc pronomen, hoc, adhuc est ibi substantia panis, quia transubstantiatio fit in vltimo instanti prolationis verborum. Sed hæc est falsa, panis est corpus Christi, ergo & hæc est falsa, hoc est corpus meum.

¶ 2 Præterea; Hoc pronomen, hoc, facit demonstrationem ad sensum. Sed species sensibiles, quæ sunt in hoc sacramento, neque sunt ipsum corpus Christi, neque accidentia corporis Christi. Ergo hæc locutio non potest esse vera, hoc est corpus meum.

¶ 3 Præterea, Hæc verba (sicut dictum * est) sua significatione efficiunt conuersionem panis in corpus Christi. Sed causa effectiua præintelligitur effectui. Ergo significatio horum verborum præintelligitur conuersioni panis in corpus Christi. Sed ante conuersionem hæc est falsa, hoc est corpus meum. Ergo simpliciter est iudicandum, quod sit falsa. Et eadem ratio est de hac locutione, hic est calix sanguinis mei, &c.

Sed contra est, quod hæc verba proferuntur ex persona Christi, qui de se dicit Io. 14. Ego sum veritas.

CONCLVSIO.

Cùm verba consecrationis virtutem habeant efficiendi id quod significant, & hæc dictio, hoc, substantiam demonstret absque determinatione propriæ naturæ, ipsa verissima esse, credendum est.

Respondeo dicendum, quod circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod in hac locutione, hoc est corpus meum, hæc dictio, hoc, importat demonstrationem vt conceptam, & non vt exercitam, quia tota ista locutio, sumitur materialiter, cùm recitatiue proferatur. Recitat enim sacerdos Christum dixisse, hoc est corpus meum. Sed hoc stare non potest: quia secundum hoc verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, & ita non perficeretur sacramentum: dicit enim Aug. super Io. Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Et præterea ex hoc totaliter non euitatur difficultas huius quæstionis: quia eadem ratio manet circa primam prolationem, qua Christus hæc verba protulit: quæ non materialiter, sed significatiue sumebantur. Et ideo dicendum est quod etiam quando proferuntur a sacerdote significatiue, & non tantum materialiter sumuntur, sicut & dicta: quia propter virtutem Christi; quasi ex persona sua, in persona Christi, ... non ...

æquat, quæ Christum tetigerunt, sed ad omnes vbique terrarum, per omnia futura secula; ita etiam ex prolatione ipsius Christi, hæc verba virtutem consecratiuam sunt consecuta, à quocumque sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. Et ideo alij dixerunt, quod hæc dictio, hoc, in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum: vt sit sensus, hoc est corpus meum, id est significatum per hoc, est corpus meum. Sed nec hoc stare potest: quia cum in sacramentis hoc efficiatur quod significatur, non fieret per hanc formam, vt corpus Christi sit in hoc sacramento, secundum veritatem, sed solum sicut in signo, quod est hæreticum, vt supra dictum * est. Et ideo alij dixerunt, quod hæc dictio, hoc, facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur hæc demonstratio, non pro illo instanti locutionis quo profertur hæc dictio, sed pro vltimo instanti locutionis. Sicut cum aliquis dicit nunc taceo, hoc aduerbium, nunc, facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti locutionem, est enim sensus, statim his verbis dictis, taceo. Sed nec hoc stare potest quia secundum hoc, huius locutionis esset sensus, corpus meum est corpus meum. Quod prædicta locutio non facit; quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum; vnde nec hoc prædicta locutio significat. Et ideo aliter dicendum est quod sicut prædictum est *, hæc locutio habet virtutem factiuam conuersionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significatiuam, & non factiuam sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiua rei, conceptioni intellectus nostri speculatiui, quæ est accepta à rebus: nam voces sunt signa intellectuum, secundum Philosophum *. Et ideo sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam; ita veritas huius locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam: sic enim se habet verbum Dei ad res factas per Verbum. Hæc autem conuersio non fit successiue, sed in instanti, sicut dictum est *. Et ideo oportet quidem intelligere prædictam locutionem secundum vltimum instans prolationis verborum, non tamen ita quod præsupponatur ex parte subiecti id quod est terminus conuersionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi, neque etiam illud quod fuit ante conuersionem, scilicet panis, sed id quod communiter se habet quantum ad vtrumque scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt hæc verba, quod corpus Christi sit corpus Christi; neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus, hic panis est corpus meum, quod esset secundum intellectum secundæ opinionis: neque hoc corpus meum, est corpus meum, quod esset secundum intellectum tertiæ opinionis, sed in generali, hoc est corpus meum, nullo nomine apposito à parte subiecti: sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi, sine qualitate, id est, forma determinata.

Ad primum ergo, dicendum, quod hæc dictio, hoc, demonstrat substantiam: sed absque determinatione propriæ naturæ, sicut dictum est *.

Ad secundum dicendum, quod hoc pronomen, hoc, non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam sub accidentibus contentam, quæ primo fuit panis, & postea est corpus Christi. Quod licet non informetur his accidentibus, tamen sub eis continetur.

Ad tertium dicendum, quod significatio huius locutionis præintelligitur rei significatæ ordine naturæ, sicut causa naturaliter est prior effectu. Non tamen ordine temporis, quia hæc causa simul habet secum suum effectum. Et hoc sufficit ad veritatem locutionis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm forma consecrationis panis, consequatur suum effectum antequam perficiatur forma consecrationis vini.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quòd forma consecrationis panis, non consequatur suum effectum quousque perficiatur forma consecrationis vini. Sicut enim per consecrationem panis incipit esse corpus Christi sub hoc sacramento, ita per consecrationem vini incipit esse sanguis. Si ergo verba consecrationis panis haberent suum effectum ante consecrationem vini, sequeretur, quod in hoc sacramento inciperet esse corpus Christi * sine sanguine, quod est inconueniens. 469

¶ 1 Præterea; Vnum sacramentum, vnum habet complementum: vnde licet in baptismo sint tres immersiones, non tamen prima immersio consequitur suum effectum, quousque tertia fuerit terminata. Sed totum hoc sacramentum est vnum, vt supra dictum est *. Ergo verba quibus consecratur panis, non consequuntur suum effectum, sine verbis sacramentalibus quibus consecratur vinum.

¶ 3 Præterea, In ipsa forma consecrationis panis, sunt plura verba, quorum prima non consequuntur effectum, nisi prolato vltimo: sicut dictum est. * Ergo pari ratione nec verba quibus consecratur corpus Christi, habent effectum, nisi prolatis verbis, quibus sanguis Christi consecratur.

Sed contra est, quod statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata proponitur populo adoranda. Quod non fieret, si non esset ibi corpus Christi: quia hoc ad idololatriam pertineret. Ergo verba consecrationis panis suum effectum consequuntur: antequam proferantur verba consecrationis vini.

CONCLVSIO.

Verba consecrationis panis, effectum suum consequuntur, non prolatis verbis consecrationis vini.

Respondeo dicendum, quod quidam antiqui doctores dixerunt, quod hæ duæ formæ, s. consecrationis pa-

nis & vini, se inuicem expectant in agendo: ita scilicet quod prima non perficit suum effectum antequam proferatur secunda. Sed hoc stare non potest: quia, sicut dictum est *, ad veritatem huius locutionis, hoc est corpus meum, requiritur propter verbum præsentis temporis, quod res significata simul tempore sit cum ipsa significatione locutionis, alioquin si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum præsentis, ita scilicet quod non diceretur, hoc est corpus meum, sed hoc erit corpus meum, significatio autem huius locutionis completur statim completa locutione horum verborum: & ideo oportet rem significatam statim adesse. Quæ quidem est effectus huius sacramenti, alioquin locutio non esset vera. Est etiam hæc positio contra ritum ecclesiæ, quæ statim post prolationem verborum, corpus Christi adorat. Vnde dicendum est, quod prima forma non expectat secundam in agendo, sed statim habet suum effectum.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione videntur fuisse decepti illi, qui prædictā * positionē posuerunt. Vnde intelligendum est, quod facta consecratione panis, est quidem corpus Christi ibi ex vi sacramenti, & sanguis ex reali concomitantia: sed postmodum per consecrationem vini, fit ibi e conuerso sanguis Christi ex vi sacramenti; corpus autem ex reali concomitantia. Ita quod totus Christus est sub vtraque specie: sicut supra dictum est *.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum est vnum perfectione (vt supra dictum est *) inquantum scilicet constituitur ex duobus, scilicet cibo & potu, quorum vtrumque per se habet suam perfectionem. Sed tres immersiones baptismi ordinantur ad vnum simplicem effectum. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod diuersa verba, quæ sunt in forma consecrationis panis constituunt veritatem vnius locutionis. non autem verba diuersarum formarum. Et ideo non est simile.

DISPVTATIO VI.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

CVM iam determinatum sit de materia Sacramenti Eucharistiæ, de conuersione eius in corpus & sanguinem Christi, ac de accidentibus post consecrationem remanentibus: determinandum est de ipsa forma consecrationis cum D. Thoma q. 78. multa ad controuersias remittendo.

DVBIVM I.

Vtrùm Christus vsus sit aliqua forma in consecratione sui corporis & sanguinis.

SVpponendum est Christum Dominum, in institutione Sacramenti Eucharistiæ vsum fuisse sacris aliquibus cæremoniis: dicitur enim quòd accipiens panem gratias egit, benedixit, & distribuit discipulis consecratum: hæc autem tria, gratias agere, benedicere, & consecrare distinguuntur: nam gratias agere non respicit panem consecrandū, sed Deum ipsum cui Christus Dominus vt homo exhibebat continuò gratias, pro beneficiis sibi collatis; & cum maximè pro excellentia quam habuit in institutione Sacramentorum: vnde fuit quid præuium ad hanc institutionem; alia verò duo respiciunt materiam Sacramenti. Quòd etiam distinguantur, constat ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 1. & colligitur ex Euangeliis, vbi benedictio præmittitur consecrationi: vnde etiam habetur in vsu ab Ecclesia vniuersali; nam iubet benedici materiā à Sacerdote paulò ante consecrationem: nec obstat quòd aliquando à sanctis Patribus hæc duo pro eodem sumuntur.

Benedictio autem præuia fuit quædam inuocatio diuinæ virtutis supra materiam consecrandam, siue imploratio assistentiæ diuinæ, vt deinceps Ministris suis ad mandatum suum consecraturis adesset.

Prima opinio negat Christum Dominum vsum fuisse aliqua forma verborum in consecratione sui corporis & sanguinis. Probatur; Christus Dominus habuit potestatem authoritatiuam in administratione Sacramentorum: nam constat ex Euangelio quòd dimisit peccata Magdalenæ & aliis, non proferendo verba absolutionis: ergo non fuit conueniens quòd vteretur aliqua forma in institutione huius Sacramenti; sed ad summum quòd formam determinaret, qua vsuri erant eius Discipuli & successores.

Secundò; Christus Dominus benedicendo panem & calicem consecrauit: nam cùm dedit Discipulis, dixit; accipite &c. Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei: quæ verba sunt assertoria quòd res ipsis tradita esset corpus & sanguis eius; non autem consecratoria talis rei in corpus & sanguinē eius: quod colligitur ex ipso Euangelio, nam si illa res quando tradebatur à Christo Discipulis, non erat corpus & sanguis eius, falsa fuisset eius propositio; nam in hac propositione, Hoc est enim corpus meum, ly (enim) est dictio causalis, ac ita importat prioritatem; vnde priùs illa res est corpus & sanguis Christi, quàm tradatur Discipulis.

Tertiò; Si Christus Dominus vsus fuit aliqua forma in consecratione sui corporis & sanguinis: maximè illa qua vtitur Ecclesia, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei: sed non fuit vsus tali forma, quia vt habetur Marci 14. Christus Dominus priùs dedit calicem Apostolis, & Apostoli priùs biberūt, quàm hæc verba, Hic est calix sanguinis mei, vel, Hic est sanguis meus, fuerint prolata: ergo Christus non est vsus aliqua forma in consecratione sui corporis & sanguinis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Christus Dominus consecrauit suum corpus & sanguinem, iisdem verbis semel tantùm prolatis, quibus vtitur Ecclesia in simili consecratione, videlicet, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei &c. Ita communiter Scholastici cum D. Thom. in hac quæst. & in 4. d. 11.

Probatur conclusio authoritate Sacræ Scripturæ: nam sacri Euangelistæ, dum referunt institutionem huius sanctissimi Sacramenti factam à Christo, asserunt Christum protulisse verba, quibus nunc Ecclesia vtitur in consecratione: & postea dixisse Apostolis, vt hoc facerent in eius commemorationem, idest vt eo modo consecrarent corpus & sanguinem eius eo modo quo ipse consecrauerat: ergo cùm in Ecclesia Catholi

Catholica Sacerdotes vtantur forma præscripta à Christo; imò consecrent in persona Christi, certum est Christum Dominum eadem forma vsum fuisse in institutione huius Sacramenti, quando corpus & sanguinem suum consecrauit. Deinde, authoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. 1. vbi ait: Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Dei Ecclesia fuerunt qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentū in vltima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis viniq; benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est, quæ verba à sãctis Euangelistis cõmemorata, & à Sancto Paulo postea repetita &c. Constat autem quòd Christus Dominus hoc Sacramentum instituit, dum consecrauit corpus & sanguinem suum: ergo vsus est in tali consecratione disertis ac perspicuis illis verbis, siue forma vsitata in Ecclesia. Et cap. 4. declarat per verba consecrationis fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: quia Christus dicendo, hoc quod offerebat esse corpus & sanguinem suum, consecrauit, & eandem fecit conuersionem. Deinde, authoritate Sanctorū Patrū. Chrisostomus hom. 83. in Matthæum ait, loquens de sacrificio Missæ, illud esse idē (idest ac illud quod obtulit Christus) quia eadem sunt verba, quæ Sacerdotes sacrificando nunc pronuntiant, & quæ Christus Dominus consecrans locutus est. Idem communiter docent alij Sancti. Et Tertullianus libr. 4. in Marcionem capit. 40. ait, acceptum panem & distributum Discipulis corpus suum illum fecit; Hoc est corpus meum, dicendo: vnde quando Innocentius III. ait: Sanè dici potest quòd Christus virtute diuina confecit, & postea formam expressit sub qua posteri benedicerent: magis opinatiuè locutus est, quā determinatiuè vt habet D. Th. hîc art. 1. ad 1. Dictum est in conclusione Christū consecrasse iisdē verbis semel tantū prolatis: contra aliquos quos refert in cōmuni & impugnat D. Th. loco citato, qui dicebant Christum Dominū bis protulisse verba consecratoria: primò quidem secretè ad consecrandum: secundò manifestè ad instruendū: sed hoc stare non potest., vt subiungit D. Thom. quia Sacerdos consecrat proferens hæc verba, non vt à Christo in occulta benedictione dicta, sed vt publicè prolata: vnde cùm non habeant vim huiusmodi verba nisi ex Christi prolatione videtur quòd etiā Christus manifestè ea proferens cōsecrauerit: maximè quia in Sacra Scriptura non est fundamentum occultæ illius prolationis, nec in traditione Ecclesiastica nec in Sanctis Patribus.

Ad primum ergo, dicendum quòd Christus Dominus voluisset consecrare alio ...

quàm proferendo verba consecrationis, consecrasset propter authoritatē excellentiæ: sed hoc est de possibili, & non de facto; nam de facto habetur in Scripturis, quòd consecrauit proferendo illa verba.

Ad secundum, dicendū quòd ad veritatem illius propositionis, Hoc est corpus meum, vel, Hic est calix sanguinis mei, sufficit quòd in fine prolationis, illud quod traditur, sit corpus, vel sanguis Christi: vnde illa verba efficiunt nunc, & effecerunt prolata à Christo, quòd res oblata, quæ in principio erat panis aut vinum, in fine prolationis sit corpus aut sanguis Christi.

Ad tertium, dicendum cum S. Aug. in libro de consensu Euangelistarum, quòd Euangelistæ non semper eundem ordinem in recitando seruauerunt, quo res sunt gestæ: vnde licèt S. Marcus referat calicem datum Discipulis, illósque bibisse, antequam referat Christum dixisse, Hic est sanguis meus, non sequitur quòd Christus hoc dixerit postquam Apostoli biberunt: vnde intelligendum est ordinem rei gestæ sic exprimi posse: Accipiens panem benedixit dicens, hoc est corpus meum, & deinde fregit, & dedit Discipulis suis. Et similiter de calice.

DVBIVM II.

Vtrum preces Ecclesiæ sint forma conficiens Sacramentum Eucharistiæ.

Supponendum est quòd aliquando totum, quod dicitur in Missa, vocatur oratio seu preces Ecclesiæ: & ita preces Ecclesiæ in hoc sensu comprehenderent totum Canonem; ipsa etiam verba consecratoria: & in hoc sensu non procedit præsens difficultas; sed vt preces Ecclesiæ important præcisè quandam deprecationem, & inuocationem Deo factam ad obtinendum aliquid; & sic verba consecratoria non sunt preces.

Prima opinio quorundam Græcorum asserit, preces Ecclesiæ esse formam conficientem Sacramentum Eucharistiæ: vnde dicunt consecrationem fieri per hanc ipsorum orationem; Rogamus te sancte Pater, vt mittas Spiritum Sanctum tuum super nos, & super hæc apposita munera, & fac panē istum pretiosum corpus Filij tui, & quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui. Probatur authoritate Ecclesiæ Græcæ, quæ hoc modo credit confici hoc Sacramentum: ergo preces Ecclesiæ sunt forma conficiens Sacramentum Eucharistiæ.

Secundò; Plures Sancti Patres asserunt hoc Sacramentum fieri per inuocationem, per orationem, aut preces Ecclesiæ; vnde S. Greg. epist. 63 ait morem Apostolorum fuisse, vt ad ipsam solummodo orationē Dominicā coblatio-

nis hostiam consecrarent: ergo preces Ecclesiæ sunt forma conficiens Sacramentum Eucharistiæ.

Tertiò; Nullus Patrum, qui vixerunt ante octauum sæculum Christi, significat expressè ista verba, Hoc est corpus meum, &, Hic est calix sanguinis mei, esse consecratoria corporis & sanguinis Christi: ergo preces ipsæ Ecclesiæ sunt forma conficiens Sacramentum Eucharistiæ.

CONCLVSIO.

REPONDEO dicendum, quòd preces Ecclesiæ non sunt forma conficiens Sacramentum Eucharistiæ: sed talis forma constat verbis à Christo Domino institutis & prolatis: videlicet, Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei, &c. Ita communiter Scholastici cum D. Thom. hic art. 1.

Probatur conclusio authoritate vniuersalis Ecclesiæ, quæ continua traditione tenuit à tempore Apostolorum ad hæc vsque tempora, per prædicta verba, non verò per alia, fieri cõsecrationem corporis & sanguinis Christi. Deinde authoritate Sanctorum Patrum. S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ait: Consecratio fit verbis & sermonibus Domini Iesu; nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi autem Sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus Sacerdos vtitur; sed vtitur sermonibus Christi. Idem docet S. August. lib. 30. contra Faustum cap. 13. Deinde, formæ Sacramentorum debent esse certæ & determinatæ, vt communiter docent Scholastici cum D. Thom. supra quæst. 60. art. 7. & de forma Eucharistiæ docet S. Aug. loco citato: sed preces Ecclesiæ, etiam in celebratione huius Sacramenti adhibendæ, non sunt determinatæ, sed mutabiles pro voluntate Ecclesiæ ex Concilio Mileuitano 2. can. 12. ergo preces Ecclesiæ non sunt forma conficiens hoc Sacramentum. Denique, in omnibus aliis Sacramentis tam forma, quàm materia est instituta à Christo, vt dictum est in tractatu de Sacramentis in communi, & est doctrina communis Theologorum cum D.Thom. quæst. ci-tata art. 5. & 7. quia cùm Sacramenta sint assumpta & instituta à Christo, vt instrumenta iustificationis humanæ, non ex necessitate (sicut assumuntur instrumenta naturalia ab homine illis indigente) sed ex mera eius libertate; ideò ad ipsũ pertinet determinare res assumendas, & verba quibus conficiuntur Sacramenta: hæc autem debent constare vel ex Scriptura, vel ex traditione Ecclesiastica; & propterea admittitur communiter, quòd forma Baptismi, pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum non consistit in precibus Ecclesiæ, sed in verbis his determinatis, Ego te baptizo &c. Ego te absoluo: & si forma extremæ vnctionis consistat in precibus Ecclesiæ; tamen illæ preces habentur determinatæ ex traditione Ecclesiæ, & indicantur in epistola catholica S.Iacobi: ergo cùm non minùs habeatur determinata forma huius Sacramenti, quàm aliorum, tum ex traditione Ecclesiæ, tum ex Scriptura; cùm illâ vsus sit Christus Dominus in institutione huius Sacramenti, forma eius non consistit in precibus Ecclesiæ.

AD primum ergo, dicendum, quòd Græci interrogati in Concilio Florentino sess. vltima de prædicta oratione; Responderunt se credere formam consecrationis esse, Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei: alia verò adhiberi ad solemnitatem.

AD secundum, dicendum quòd aliquando Sancti Patres appellant orationem, & inuocationem Ecclesiæ, totum quod dicitur in Missa; & consequenter ibi continetur forma consecrationis: & sic non est dubium per orationem, inuocationem, aut preces Ecclesiæ fieri hoc Sacramentum. Sanctus autem Gregorius, vt patet ex ipso textu, solùm vult quòd Sancti Apostoli non adhibebãt alias orationes in Missa, præter orationem Dominicam: aliæ tamen sunt postea adhibitæ ex institutione Ecclesiæ, ad maiorem solemnitatem & deuotionem: non tamen negat ipsos consecrasse formâ ordinariâ.

AD tertium, dicendum quòd forma consecrationis semper fuit in Ecclesia eadem, quam nunc habemus, vt dicetur infra.

DVBIVM III.

Vtrùm hæc sit forma consecrationis panis; Hoc est corpus meum.

SVpponendum est plura alia verba fuisse prolata à Christo in consecratione sui corporis: alia præcedentia, alia subsequentia: nam dixit; Accipite & comedite, Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur: & hæc vt licitè nõ sunt proferenda à Sacerdote, ad hoc vt licitè consecret: sicut & omnia quæ sunt ordinata ab Ecclesia; omittere enim ritum Ecclesiæ in re tam graui, est graue peccatũ, vt docet D. Th. hic art. 1. ad 4. Sed præsens difficultas solùm procedit de his, quæ sunt essentialia formæ, vel quorum defectu forma redditur inualida, vel sine quibus non est valida consecratio.

Prima opinio Scoti in 4. dist. 8. quæst. 2. asserit necessariò esse incipiendum Sacerdoti ab his verbis Canonis: Qui pridie quàm pateretur &c. quia, vt subiungit, licèt non sint de essentia formæ, sunt tamen omninò necessaria ex parte Ministri. Probatur ex Missali Romano cap. de defectibus, vbi habetur quòd si quis aduertat se non consecrasse, quia non erat materia debita; incipiat iterum ab illis verbis, Qui pridie &c. quod sanè indicat illa verba esse omninò

omninò necessaria ad consecrationem. Deinde, verba cõsecrationis debent significare practicè corpus Christi esse sub speciebus panis, per conuersionem substantiæ panis in ipsum: sed nisi incipiatur ab illis verbis, Qui pridie quàm pateretur &c. non habetur talis significatio practica; quia hæc verba, Hoc est corpus meum, dicta à Sacerdote, potiùs significant corpus Sacerdotis, quàm Christi; nisi per prædicta verba determinetur, quòd celebrat in persona & nomine Christi: ergo illa verba sunt necessaria ad validam consecrationem.

Secunda opinio asserit hæc verba (Accipite & manducate) esse necessaria ad validam consecrationem. Probatur authoritate S. Ambrosij lib. de Sacram. cap. 5. vbi proferens formam huius Sacramenti, ait: Audi dicentem, accipite & edite, Hoc est corpus meum. Deinde, authoritate Concilij Florentini sess. vltima, vbi affertur & approbatur respõsio Græcorum dicentium se credere confici hoc Sacramentum his verbis, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum.

Tertia opinio quorundam Græcorum asserit formam consecratoriam panis adæquatè esse; Hoc est enim corpus meum, quòd pro vobis tradetur. Probatur; quia Christus Dominus in institutione huius Sacramenti hæc omnia verba adhibuit, vt constat ex Euangeliis. Deinde, habentur in omnibus Liturgiis Græcorum: maximè S. Basilij, & in Missali Mozarabe quo vtuntur Hispani desumpto ex S. Isidoro, vel Ambrosio. Denique hæc verba requiruntur ad perfectam significationem: sicut ista in consecratione calicis, Qui pro vobis & pro multis effundetur: quæ ex D. Thom. hîc art. 3. sunt essentialia: & maximè ad denotandum potiùs corpus Christi verum & naturale, quàm mysticum: ergo hæc omnia sunt essentialia formæ consecrationis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd ista tantùm quatuor verba (hoc est corpus meum) sunt forma consecrationis panis: 2. vnde ad illam non pertinent essentialiter, nec tanquam necessaria alia quæcunque, siue antecedentia, siue concomitantia, siue subsequentia. Ita nunc communiter Scholastici.

Probatur prima pars conclusionis ex decreto Eugenij in Concilio Florentino, vbi habet formam huius Sacramenti esse verba Saluatoris, quibus Sacerdos loquens in persona Christi conficit hoc Sacramentum: sed Sacerdos solùm profert in persona Christi ista, Hoc est corpus meum: nam præcedentia tantùm profer trecitatiuè quasi dicta à Christo: hæc autem quatuor formaliter vt gerens personam Christi & significatiuè: & si interseritur (enim) tantùm ad connexionem verborum cum antecedentibus: ergo hæc tantùm quatuor verba de essentia formæ. Deinde probatur authoritate & ratione D. Thom. hîc art. 2. quam sic proponit: Consecratio Eucharistica consistit in conuersione substantiæ panis: oportet autem formam Sacramenti significare id quod in Sacramento efficitur quia Sacramenta eorúmque formæ sunt signa practica: vnde & forma consecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in corpus Christi: in qua tria considerantur; scilicet ipsa conuersio in facto esse cùm sit instantanea; in instantaneis enim fieri & factum esse non distinguntur; terminus à quo, qui non manet facta conuersione secundũ suam substãtiam, sed solùm secundùm accidentia, quibus sensui subiacet, & ad sensum determinari potest; & terminus ad quem positus, habens propriam naturam suæ substantiæ: ergo cùm per hæc quatuor verba (Hoc est corpus meum) hæc omnia perfectè significentur & exprimantur; nam pronomen demonstratiuum, Hoc, exprimit terminum (à quo) conuersionis; est enim relatum ad accidentia sensibilia quæ manent: ly autem, Corpus meum, significat terminum (ad quem) conuersionis, scilicet corpus Christi, in quod panis est conuersus, Sacerdos enim loquitur & operatur in persona Christi: ly denique, Est, medium & connotans vtrumque terminũ, significat conuersionem in facto esse panis in corpus Christi; sequitur quòd in his quatuor verbis sit tota essentia formæ consecrationis panis.

Probatur secunda pars conclusionis sigillatim. Forma huius Sacramenti efficit conuersionem panis in corpus Christi, vnde illã debet significare, quia Sacramẽta eorúmq; formæ sũt signa practica, quæ proinde efficiũt quod significant, & significant quod efficiunt: Sed præter quatuor illa verba, omnia alia siue antecedentia, siue concomitantia, siue subsequentia non significant illam conuersionem: nam ista; Qui pridie quàm pateretur, &c. & similiter ista, Accipite & manducate: sunt historica & dicunt tantùm quid Christus fecerit priusquam consecraret: ly autem, Enim, apponitur solùm vt vinculum coniungẽs verba essentialia formæ cum præcedentibus, & nullo modo significat conuersionem Eucharisticam: reddit tamen causam cur Christus dixerit Apostolis, Accipite & manducate: similiter ista, Quod pro vobis tradetur, sunt extrinseca & accidentaria, vt colligitur à posteriori; si enim essent essentialia, omnes Euangelistæ eorum mentionem facerent, sicut de aliis essentialibus; & tamen illam non faciunt S. Matthæus cap. 26. & S. Marcus cap. 14. nec illis vtitur Ecclesia Latina in consecratione; cùm tamen certum sit etiam fatentibus Græcis in Concilio Florentino sess. vltima, sine illis fieri consecrationem: ergo nullum ex prædictis pertinet essentialiter ad formam Sacramenti Eucharistiæ.

Ad primum ergo, dicendum quòd non omnia quæ præcipiuntur dici à Miſſali, ſunt de eſſentia formæ huius Sacramenti, vt patet: meritò tamen iubet in illo caſu incipiendum ab his verbis; Qui pridie &c. quia habent connexionem immediatam cum forma; recitant enim initium inſtitutionis huius Sacramẽti. Ad aliud, dicendum quòd per hoc pronomen, Meum, quod includit demonſtrationem primæ perſonæ (quæ eſt perſona loquentis) exprimitur perſona Chriſti, ex cuius perſona hæc proferuntur, ad quod ſufficit intentio Sacerdotis actualis, aut virtualis.

Ad ſecundum, dicendum quòd tam S. Ambroſius, quàm Concilium Florentinum aſſumunt illa verba, Accipite & manducate: non quòd credant eſſe de eſſentia formæ huius Sacramenti, ſed quia in ipſo ſacrificio Miſſæ coniunguntur cum eſſentialibus.

Ad tertium, dicendum quòd Chriſtus Dominus non eſt vſus omnibus illis verbis: nam vt ait D. Th. hîc art. 2. ad 5. hæc coniunctio, Enim, apponitur in hac forma ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ à Beato Petro Apoſtolo deriuatam: & hoc propter connotationem ad verba præcedentia; & ideò non eſt de forma: ſicut nec verba præcedentia formam: & licèt Chriſtus vſus ſit iſtis; Quod pro vobis tradetur: non tamen tanquam eſſentialibus; vt colligitur à poſteriori: non enim omnes Euangeliſtæ, vt dictum eſt, mentionem faciunt. Nec poteſt dici quòd rem eſſentialem huic Sacramento prætermitterent. Ad aliud, dicendũ quòd licèt Eccleſia Græca, & Miſſale Mozarabe illis vtatur; Eccleſia tamen Latina illis non vtitur, quæ ſecundùm fidem errare non poteſt: & maximè in re tanti momenti, imò plurimis miraculis demonſtratur illam verè conſecrare. Ad aliud patebit ex dicendis dubio ſequenti. Ad aliud, dicendum quòd iſta quatuor verba, Hoc eſt corpus meum, habent ſignificare corpus Chriſti verum & naturale: tum ex proprietate ſermonis, quia corpus myſticum non dicitur corpus niſi ex quadam analogia, & ita corpus ex proprietate vocis & primaria impoſitione ſignificat corpus naturale: tum ex vſu Eccleſiæ, quæ per quatuor illa verba intelligit corpus Chriſti verum & naturale; tum ex circunſtantiis, nam per hoc quòd in Sacrificio Miſſæ proferantur, quod eſt rememoratiuum Sacrificij cruenti facti in corpore vero & naturali Chriſti, ſignificant ipſum corpus Chriſti verum & naturale: & hæc determinatio ſufficit, quæ habetur per prædicta quatuor verba, Hoc eſt corpus meum, abſque eo quòd magis exprimatur per ſequentia, Quod pro vobis tradetur.

DVBIVM IV.

Vtrùm omnia verba prolata in conſecratione vini ſint de eſſentia formæ.

Svpponendum eſt in conſecratione vini, hanc formam proferri in Eccleſia Latina, (Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum) & ſine ipſa licitè conſecrari non poteſt: vndę peccaret qui ſciens & volens prædicta omnia verba non proferret: & de hoc nullus Catholicus dubitat. Sed dubium eſt, vtrùm hæc omnia verba ſint de eſſentia formę, vel ita neceſſaria vt dempto aliquo ex ipſis reddatur inualida conſecratio: quia verò parua, vel quaſi nulla eſt difficultas circa particulas (enim) & (calix) ideò etiam ſupponitur non eſſe de eſſentia huius formæ, quæ eundem habet ſenſum ſine illis; ac cum illis.

Prima opinio communis extra ſcholam D. Thom. quam etiam ſequitur Caietanus in præſenti, aſſerit totam eſſentiam formæ contineri in his quatuor verbis, (Hic eſt ſanguis meus) alia verò pertinere ad maiorem tantùm explicationem, & conſequenter ſunt accidentaria. Probatur authoritate Sanctorum Patrum, qui afferentes formam huius Sacramenti quantùm ad conſecrationem vini, afferunt illa tantùm quatuor verba vel æquiualentia. Deinde; in his quatuor verbis ſignificatur cõuerſio vini in ſanguinem Chriſti; reliqua verò ſignificant tantùm aliquem effectum cauſatum ex effuſione ſanguinis Chriſti: ergo etiam cauſant talem conuerſionem; quia, vt eſt doctrina communis, Sacramenta eorúmque formæ ſunt ſigna practica, vnde cauſant quod ſignificant: conſtat autem quòd ſi iſta quatuor verba cauſant conuerſionem vini in ſanguinem Chriſti, ipſa ſola ſunt de eſſentia huius formæ. Denique, non eſt dabilis ratio cur hæc verba (qui pro vobis & pro multis effundetur) ſint de eſſentia huius formæ: & quòd iſta (quod pro vobis tradetur) non ſint de eſſentia formæ conſecrationis panis; nam tam corpus, quàm ſanguis Chriſti fuerunt oblata in redemptionem generis humani: ergo cùm iſta (quod pro vobis tradetur) non ſint de eſſentia formæ, nec erunt illa (qui pro vobis & pro multis effundetur.

Secunda opinio in alio extremo aſſerit prædicta omnia verba eſſe de eſſentia formæ: hanc ſequitur Capreolus, Paludanus, & alij. Probatur authoritate D. Th. hîc art. 3. vbi illam expreſsè docet, & probat, quia pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis. Deinde, quia eodem modo & eiſdem characteribus inſcribitur in Canone, & iubentur eodem modo proferri: ergo omnia ſunt de eſſentia formæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd forma consecrationis vini non complectitur tantùm hæc quatuor verba essentialiter (Hic est sanguis meus) vel (Hic est calix sanguinis mei) 2. Sed etiam complectitur ista subsequentia (noui testamēti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum) 3. Hæc autem tria (æterni, mysterium fidei) pertinent quidem ad essentiam huius formæ; non quidem expressè & formaliter prolata; benè tamen vt implicitè & virtualiter contenta in aliis.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Ecclesiæ Latinæ, ac Summorum Pontificum. In Ecclesia enim Latina eodem modo inscribuntur, & proferuntur à Sacerdote consecrante, non solùm illa quatuor verba, sed etiam sequentia; & complent significationem, vt postea dicetur; imò iubetur quòd si Sacerdos moriatur in prolatione formæ exaratæ in Canone, ab alio proferatur tota forma; vnde signum est quòd tenet omnia illa verba esse necessaria ad consecrationem. Innocentius III. in cap. cum Marthæ, de celebratione Missarum, ait: Credimus hanc formam, prout habetur in Canone, Ecclesiam ab Apostolis, & Apostolos à Christo accepisse. Pius V. iussit apponi in Cathechismo Concilij Tridentini hæc: Certè tenendum est formam consecrationis vini his omnibus verbis contineri, &c. de qua forma nemo dubitare poterit; & insuper iussit expungi ex commentariis Caietani cōtrariam opinionem quam ipse Caietanus sequebatur. Deinde probatur authoritate, & ratione D. Thom. hic art. 3. vbi sic ait: Quidam dixerunt quòd de substantia formæ huius est hoc solùm quod dicitur; Hic est calix sanguinis mei; non autem ea quæ sequuntur: sed hoc videtur inconueniens, quia ea quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, id est sanguinis Christi; vnde pertinent ad integritatem eiusdem locutionis. Vis huius rationis in hoc est, quòd tota nostra salus pendet ex passione Christi, & sui sacratissimi sanguinis effusione: vnde fuit conueniens quòd in hoc Sacramento Eucharistiæ, quod est rememoratiuum Passionis, maximè quantùm ad sanguinem separatè consecratum, exprimatur hic effectus sanguinis Christi: quod non esset, si tantùm quatuor illa verba essent de essentia formæ.

Probatur secunda pars conclusionis, tum ex dictis, tum quia illa verba expressa sunt in Euangeliis; nam Mathæi 26. dicitur, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marci 14. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucæ 22. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur: vnde signum est Christum hæc omnia protulisse tanquam essentialia formæ. Tum deinde, quia in Ecclesia tam Latina quàm Græca, omnique alia ab initio Ecclesiæ ipsius consecratio vini facta est sub forma continente omnia illa verba. Tum denique authoritate & ratione D. Thom. loco citato, vbi ait: Propter hoc sunt alij qui meliùs dicunt, quòd omnia sequentia sunt de substantia formæ, vsque ad hoc quod postea sequitur: hæc quotiescumque feceritis, &c. quod pertinet ad vsum huius Sacramenti; vnde non est de substantia formæ, & inde est quòd Sacerdos eodem ritu & modo, scilicet tenendo calicem in manibus omnia hæc verba profert; Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cùm dicitur; Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: dicendum est ergo quòd omnia prædicta verba sunt de substantia formæ. Explicans autem formam subdit; per prima verba cùm dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis, non quidem completè sicut in illa, quia alioquin illam causaret; Sacramenta enim causant quod completè significant: per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in Passione, quæ operatur in hoc Sacramento. Primò & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, & ad hoc designandum dicitur, noui & æterni Testamenti. Secundò ad iustitiam gratiæ quæ est per fidem, & quantùm ad hoc subditur, Mysterium fidei. Tertiò autem ad remouendum impedimenta vtriusque prædictorum scilicet peccata, & quātùm ad hoc subditur, Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Probatur tertia pars conclusionis, quam docet doctissimus Cornejo, & alij: In forma consecrationis, qua semper ab initio vsa fuit Ecclesia Græca, & qua etiam vsi sunt Hispani in Missa Mozarabe, & quam tradiderunt D. Iacobus, & D. Marcus in suis Liturgiis quæ habentur tom. 6. Bibliothecæ, non sunt hæc tria verba formaliter & expressè (æterni, mysterium fidei) & tamen nullus dubitat per prædictam formam fieri consecrationem: imò in Concilio Florentino nulla fuit controuersia de hoc; cùm tamen fuerit maturè consideratum & discussum circa illam orationem de qua supra; vnde immeritò Paludanus negat illos consecrare, & Capreolus dicit illos excusari ignorantia inuincibili, & Deum speciali dispensatione cōcurrere ad consecrationē: nam in Concilio non fuisset permissa illa forma, si fuisset inualida: nec possunt argui ignorantiæ S. Iacobus, & Sanctus Marcus, Discipuli Christi Domini, & alij sanctissimi & doctissimi viri: ergo illa verba explicitè & formaliter prolata non sunt de essentia formæ. Maximè quia non constat Christum Dominum illa protulisse: Euangelistæ enim mentionem faciunt de aliis, & non de istis. Quòd autem

positio quantùm ad ista verba, (qui pro vobis, & pro multis effundetur) quia sanguis Christi non ampliùs effundetur: & insuper excluderetur à fructu huius sanguinis; quia pro aliis, & non pro ipso Sacerdote dicitur effundendus.

Secunda opinio Vasquis hîc disp. 20. c. 2. sic asserit Sacerdotem proferre prædicta verba formaliter & significatiuè, vt neget proferre vllo modo materialiter & recitatiuè. Probatur; Hi modi duo proferēdi, scilicet significatiuè & recitatiuè, sunt ab intrinseco oppositi ex duplici capite: tum quia, qui recitat & refert verba alterius, non habet intentionē idē significandi; propterea qui refert hæresim aut mendacium alterius, non ideò mentitur, nec est hæreticus. Tum quia pronomen demonstratiuum (hoc) si verba illa proferantur recitatiuè, demonstrat species consecratas, quas Christus habuit præ manibus: si autem proferantur significatiuè, demonstrat species quas ipse Sacerdos habet præ manibus: ergo cùm Sacerdos proferat illa verba formaliter & significatiuè, nullo modo profert materialiter & recitatiuè. Deinde, ex Dialecticis suppositio materialis & suppositio formalis, sunt omninò oppositæ: constat autem quòd proferre aliquid recitatiuè pertinet ad suppositionem materialem; proferre autem significatiuè, ad suppositionem formalem: ergo non possunt esse simul.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacerdos in consecratione profert verba consecratoria, tam significatiuè, quàm recitatiuè: 2. Quamuis ad validam consecrationem non sit necesse vt illa proferat recitatiuè; Sed tantùm significatiuè. Ita communiter Scholastici.

Probatur prima pars conclusionis authoritate D. Thom. hîc art. 5. vbi ait: Et ideo dicendum est, quòd etiam hæc verba, quando proferuntur à Sacerdote, significatiuè & non tantùm materialiter sumuntur. Nec obstat quòd Sacerdos ea recitatiuè profert, quasi à Christo dicta: quia propter infinitam virtutem Christi ex prolatione ipsius Christi, hæc verba virtutem consecratiuam sunt consecuta, à quocumque Sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. Deinde probatur quòd proferat significatiuè: proferendo illa efficit quod significant, scilicet quòd per conuersionem panis ponatur sub speciebus corpus Christi: nisi autem ipse proferret verba significatiuè, hoc non efficeret; verba enim tantùm efficiunt quod significant, cùm sint signa practica: Si autem tantùm recitatiuè proferret, nihil efficeret; sed referret id quod Christus effecit. Probatur quòd etiam recitatiuè proferat: nam illud verbum (dicens) positum in Canone ante verba consecrationis, denotat expresse verba sequentia fuisse prolata à Christo; vnde ipse ea profert recitatiuè.

Probatur secunda pars conclusionis. Si Sacerdos proferret præcisè verba consecrationis supra debitam materiam, cum intentione consecrandi; omissis omnibus antecedentibus, reuera consecraret, vt communiter docent Scholastici: & tamen constat quòd tunc non proferret illa recitatiuè; non enim proferret Christum Dominum illa dixisse: maximè quia sufficit vt illa proferat eo modo quo Christus illa protulit, scilicet significatiuè, vt indicatur mandato isto Christi, Hoc facite in meam commemorationem: ergo ad validam consecrationem, non est necesse quòd Sacerdos in consecratione proferat verba consecratoria recitatiuè.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate Sanctorum Patrum, qui docent Sacerdotem consecrantem repræsentare Christum, ita vt consecret in persona Christi: vnde debet necessariò ad validam consecrationem proferre verba consecratoria eo modo quo Christus protulit, ac ideò significatiuè. Deinde, Sacerdos verè consecrat mediis illis verbis, ex intentione consecrandi prolatis: sed verba illa non causant nisi quod significant, & vt significant, cùm sint signa practica: ergo ad validam consecrationem Sacerdos debet proferre verba consecratoria significatiuè & formaliter; idest intendendo facere quod significant: vnde si ipsa legeret in Euangelio, etiam præsente materiâ; absque tali intentione non consecraret, vt communiter admittitur.

AD primum ergo dicendum quòd Sacerdos profert in consecratione verba consecratoria in persona Christi, cuius vices gerit: licèt proferat antecedētia in propria persona, narrans factum Christi: & ideò licèt tantùm recitatiuè proferat antecedentia, significatiuè tamen profert consecratoria, & etiam recitatiuè: & hoc intendit D. Thom. Ad aliud, dicendum quòd quia Sacerdos profert illa verba in persona Christi, per ly (meum) intelligitur corpus Christi, & per ly (mei) sanguis Christi: & quando subditur (quod pro vobis & pro multis effundetur) ad verificationē huius propositionis sufficit quòd sanguis Christi erat effundendus; quando Christus primò protulit illa verba: nam Sacerdos consecrat in persona Christi, & vices illius gerit secundùm illum statum, quem habebat quando instituit hoc sanctissimum Sacramentum, & consecrat eundem sanguinem qui tunc effundendus erat. Ad aliud, dicendum quòd per illa verba non excludit se à participando fructu huius sanguinis, in quantum est persona particularis indigens redemptione; sed vt est persona repræsentans Christum: nam propositiones eodem modo verificantur, ac si esset Christus.

AD secundum, dicendum, quòd antecedens est falsum. Ad primam probationem, di-

cendum quòd aliquis potest simul intendere hæc duo, recitare verba alterius & significatiuè illa proferre: vnde quis potest dicere Christus docuit nos ita orare, & pronuntiando *Pater noster*, habere eandem intentionem, quam habuit Christus ipse: quamuis hæc duo non semper sint simul, vt patet ex adducta instantia de hæresi,& mendacio. Ad aliud,dicendum quòd pronomen (hoc) demonstrat corpus Christi idem sub speciebus præsentibus, quod fuit sub illis quas Christus habuit, cuius factum recitat. Vnde Sacerdos simul refert Christum dixisse, hoc quod erat ei præsens esse corpus suum,& simul affirmat hoc quod est ibi præsens esse corpus Christi. Ad aliud, dicendum quòd suppositio formalis & materialis sunt oppositæ, quando considerantur respectu eiusdem,& eodem modo sumpti: non autem si diuersimodè considerentur,vt hîc accidit;nam Sacerdos profert verba consecrationis recitatiuè in propria persona; significatiuè autem in persona Christi, cuius vices hîc gerit.

DVBIVM VI.

Vtrùm pronomina (hoc) & (hic) in forma consecrationis demonstrent panem, & vinum.

SVpponendum est tria esse, de quibus potest esse difficultas, an demonstrentur per prædicta pronomina: scilicet panem & vinum, quæ sunt sub illis accidentibus vsque ad completam prolationem formæ consecrationis; qua transsubstantiatur in corpus & sanguinē Christi: deinde, accidentia ipsa panis & vini post consecrationem remanentia: & denique corpus & sanguis Christi, in quæ conuertuntur panis & vinum: in forma autem consecrationis, Hoc est corpus meum, ly (est) non significat idem ac (transit) vt sit sensus demonstrato pane, hoc transit in corpus meum: tum quia, vt dictum est,conuersio Eucharistica debet significari in facto esse, & non in fieri, vt docet D. Thomas:tum quia formæ Sacramentorum sunt accipiendæ propriè, & non figuratiuè.

Prima opinio, sed hæretica, asserit hæc pronomina demonstrare panem & vinum: vnde sic exponunt formam consecrationis: hoc, siue, hic panis significat corpus meum: hic calix significat sanguinem meum. Probatur hæc hæresis iisdem rationibus, quibus probatur non fieri conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quæ supra solutæ sunt.

Secunda opinio asserit illa pronomina demonstrare accidentia panis & vini. Probatur; Illa pronomina demonstrant aliquid ad sensum: sed ibi nihil est demonstrabile præter accidentia panis & vini: ergo illa demonstrant.

Tertia opinio asserit illa pronomina demonstrare corpus & sanguinem Christi; non quidem quando proferuntur, sed in fine prolationis totius formæ, quia suspensam habent significationem. Probatur, tum quia sumuntur non substantiuè, sed adiectiuè: tum quia exclusò, quòd non demonstrent panem & vinum, aut eorum accidentia, nihil aliud superest præter corpus & sanguinem Christi.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum quòd pronomina (hoc) & (hic) in forma consecrationis non demonstrant panem & vinum: 2. Nec eorum accidentia: 3. Nec corpus & sanguinem Christi; 4. Sed id quod communiter se habet quantùm ad vtrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus, quod est aliqua substantia particularis, sed vagè & indeterminatè: nam primò fuit substantia panis & vini, & postea est corpus & sanguis Christi: vnde sic exponitur forma consecrationis, Hoc est corpus meum, id est, hoc quod continetur sub his speciebus, est corpus meum. Ita D. Thom. hîc art. 5. & communiter eius Discipuli,& plures alij vt Durandus, & Suares.

Probatur prima pars conclusionis tanquam de fide authoritate & ratione D. Thom. qui excludit duos modos, quibus illa propositio potest explicari: sic enim ait: Quidam dixerunt quòd in hac locutione, Hoc est corpus meum,hæc dictio (hoc) importat demonstrationem vt conceptam,& non vt exercitam,quia tota ista locutio sumitur materialiter, cùm recitatiuè proferatur,recitat enim Sacerdos Christum dixisse, Hoc est corpus meum: sed hoc stare non potest, quia secundùm hoc, verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, & ita non perficeretur Sacramentum. Et infra; Alij dixerunt, quòd hæc dictio (hoc) in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum; vt sit sensus, Hoc est corpus meum, id est, significatum per hoc, est corpus meum: sed nec hoc stare potest, quia cùm in Sacramentis hoc efficiatur, quod significatur; non fieret per hanc formam, vt corpus Christi sit in hoc Sacramento secundùm veritatem, sed solùm sicut in signo, quod est hæreticum. Deinde, falsum est quòd panis sit corpus Christi verum, & vinum sit sanguis eius: quod tamen sequeretur, si in hac forma consecrationis, Hoc est corpus meum, ly (hoc) demonstraret panem, & in alia, Hic est sanguis meus &c. ly (hic) demonstraret vinum: ergo pronomina (hoc) & (hic) in forma consecrationis non demonstrant panem & vinum: aliàs idem esset ac dicere; Hic panis est corpus meum, &c.

Probatur secunda pars conclusionis. Si pronomina (hoc) & (hic) in forma consecrationis demonstrarent accidentia panis & vini; hęc forma æquiualeret isti,hæc accidētia panis sunt corpus meum, & hæc accidentia vini sunt sanguis

guis meus; quod est falsum, & absurdum: dicere autem quòd ly (hoc est) idem est ac (hoc continet corpus meum) est corrumpere significationem verbi substantiui in hac furma, nam potiùs dicendum erat, hîc est corpus meum: ergo pronomina (hoc) & (hic) in forma consecrationis non demonstrant accidentia panis & vini.

Probatur tertia pars conclusionis authoritate & ratione D. Thom. ibidem, vbi ait: Alij dixerunt quòd hæc dictio facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur hæc demonstratio non pro illo instanti locutionis, quo profertur hæc dictio, sed pro vltimo instanti locutionis. Sed nec hoc stare potest, quia secundùm hoc, huius locutionis esset sensus, Corpus meum est corpus meum, quod prædicta locutio non facit; quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum: vnde nec hóc prædicta locutio significat, efficit enim quod significat. Deinde; sequeretur ex opposito quòd hæc propositio esset identica, & non formalis: ergo pronomina (hoc) & (hic) in forma consecrationis non demonstrant corpus & sanguinem Christi.

Probatur quarta pars conclusionis authoritate D. Thom. loco citato, vbi ait: Oportet quidem intelligere prædictam locutionem secundùm vltimum instans prolationis verborum: non tamen ita quòd præsupponatur ex parte subiecti id, quod est terminus conuersionis, scilicet quòd corpus Christi sit corpus Christi, neque etiam illud quod fuit ante cõuersionem, scilicet panis: sed id quod communiter se habet quantùm ad vtrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus; non enim faciunt hæc verba quòd corpus Christi sit corpus Christi, neque quòd panis sit corpus Christi; sed quòd contentum sub his speciebus, quod priùs erat panis, sit corpus Christi: vnde Christus dixit in generali, Hoc est corpus meum, nullo nomine apposito à parte subiecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi sine qualitate id est forma determinata. Et ad 2. ait: Pronomen (hoc) non demonstrat ipsa accidentia; sed substantiam sub accidentibus contentam, quæ primò fuit panis, & postea est corpus Christi: quod licèt non informetur his accidentibus, tamen sub eis continetur. Ex quo sequitur quòd significatio horum pronominum non sit totaliter suspensa vsque ad finem prolationis formæ totius, sed statim à principio significat & demonstrat contentum sub speciebus, non tamen determinando quid illud sit, donec significatio eius determinetur ad corpus Christi, per verba sequentia in fine prolationis omnium verborum. Ratio est, quia hoc modo meliùs saluatur veritas verborum consecrationis, vt probat D. Thom. loco citato. Deinde; quia propositio consecratoria est formalis. Denique; quia exclusis tribus aliis modis dicendi, hic tantùm superest. Et per hæc patet responsio ad 1. nam reuera fit conuersio panis & vini in corpus & sanguinem Christi per hæc verba, vt supra ostensum est.

Ad secundum, dicendum quòd substantia contenta sub illis speciebus demonstratur, non determinando quæ sit; substantia enim est demonstrabilis ad sensum, non ratione sui, sed ratione accidentium quibus substat, nam reuera demonstramus Petrum, quem videmus ratione coloris & figuræ.

Ad tertium, dicendum, quòd illa pronomina sumuntur substantiuè, & non adiectiuè: significant enim substantiam contentam sub his accidentibus vagè & indeterminatè: quod est aliquid distinctum ab aliis tribus enumeraris, vt constat ex dictis in toto hoc dubio.

DVBIVM VII.

Vtrùm forma consecrationis operetur suum effectum, quia vera.

Supponendum est formam consecrationis vtriusque speciei operari suum effectum, & esse veram. Effectus ipsius est positio corporis & sanguinis Christi sub illis speciebus, per conuersionem panis & vini in ipsa: & hoc patet ex dictis supra. Quòd sit vera docet D. Th. hîc art. 5. vbi postquam refutauit plures modos dicendi, sic concludit: Et ideò aliter dicendum est, quòd hæc locutio habet virtutem factiuam conuersionis panis in corpus Christi; & ideò comparatur ad alias locutiones, quæ habent solùm vim significatiuam, & non factiuam; sicut comparatur conceptio intellectus practici quæ est factiua rei, cõceptioni intellectus nostri speculatiui quæ est accepta à rebus; & ideò sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam; ita veritas huius locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam; sic enim se habet verbum Dei ad res factas per Verbum. Hæc autem conuersio non fit successiuè, sed in instanti; & ideò oportet intelligere prædictam locutionem secundùm vltimum instans prolationis verborum: veritas igitur formæ consecrationis fundatur in hoc, quòd verè operatur id quod significat; vnde non solùm est vera ex intentione proferentis, vt aliqui dicunt; sed in omni rigore & proprietate, quia illud quod significat, est verum. Vna autem forma in sua operatione & veritate, non dependet ab alia, vt docent communiter Scholastici cum D. Thom. hîc art. 6. & habetur ex vsu Ecclesiæ; nam prolatâ formâ consecrationis panis, statim adoratur corpus Christi: nec expectatur donec sit consecratum vinum. Verba autem formæ, vt Sacramentaliter operentur, recipiunt virtutem creatam ad conuersionem huius Sacramenti faciendam,

qualis eft in aliis Sacramentis: & hæc vis conuerfiua, quæ eft in formis horum Sacramentorum, confequitur fignificationem quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur; & ideò in vltimo inftanti prolationis verborum prædicta verba confequuntur hanc virturem, in ordine tamen ad præcedentia: & hæc virtus eft fimplex ratione fimplicis fignificati; licèt in ipfis verbis exteriùs prolatis fit quædam compofitio; ita D. Thom. hîc art. 4. & maximè ad 3. Dubium autem præfens inquirit, vnde forma confecrationis habet quòd operetur illam conuerfionem; an fcilicet quia vera, an quia fignificatiua.

Prima opinio afferit formam confecrationis operari fuum effectum, quia vera, fiue ratione fuæ veritatis. Probatur authoritate Concilij Tridentini, & D. Thom. Concilium feff. 13. cap. 4. colligit tranffubftantiationem totius fubftantiæ panis & vini, ex eo quòd Chriftus Dominus verè dixit, id quod fub fpecie panis offerebat, effe fuum corpus. D. Thom. autem hîc art. 5. ait: ficut conceptio intellectus practici non præfupponit rem conceptã, fed facit eam; ita veritas huius locutionis non præfupponit rem fignificatam, fed facit eam: ergo forma confecrationis operatur fuum effectum, quia vera.

Secundò; Sacerdos dum confecrat, profert formam confecrationis tanquam veram; hoc enim intendit: fed non operatur fuum effectum fcilicet Euchariftícam conuerfionem, nifi quia profertur ex tali intentione; prolatio enim eius cum intentione tali eft neceffaria: ergo forma confecrationis operatur fuum effectum, quia vera.

Tertiò; In nullo priori etiam naturæ, poteft intelligi hæc forma confecrationis effe fignificatiua, & non effe vera; quia non caufat vt fignificatiua, nifi quia vera: alioquin poffet caufare vt falfa, aut faltem poffet diuinitus fufpendi eius veritas tanquam quid pofterius ipfa fignificatione; quod tamen vtrumque falfum eft: ergo cùm ad caufalitatem huius formæ requiratur veritas, ipfa operatur fuum effectum, quia vera.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendũ, quòd forma confecrationis operatur fuum effectũ, fcilicet conuerfionem Euchariftícam panis & vini, in corpus & fanguinem Chrifti, ac proinde præfentiam ipforum fub illis fpeciebus, ratione fuæ fignificationis, & non ratione fuæ veritatis.

Probatur conclufio duplici authoritate D. Thom. Prima habetur hîc art. 4. ad 3. vbi fic ait: Vis conuerfiua, quæ eft in formis horum Sacramentorum, confequitur fignificationem quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur. Secunda habetur art. 5. ad 3. vbi fic ait: Significatio huius locutionis præintelligitur rei fignificatæ, ordine naturæ: ficut caufa naturaliter eft prior effectu; non tamen ordine temporis, quia hæc caufa fimul habet fecum fuum effectum, & hoc fufficit ad veritatem locutionis.

Secundò probatur ratione quantùm ad primum: Sacramenta nouæ Legis, coriùmque formæ caufant quod fignificant; funt enim figna practica, vt dictum eft: ergo forma huius Sacramenti operatur fuum effectum ratione fuæ fignificationis; fi enim formæ caufant quod fignificant, fignificatio eft illis ratio caufalitatis: propterea dictũ eft fupra, quòd illa tantùm funt ex vi verborum fiue ex vi Sacramenti, quæ directè & in recto fignificantur per ipfa verba. Quantùm ad fecundum; Veritas propofitionis dependet ab obiecto quod enuntiat fiue à veritate obiectiua ipfius, vt patet ex Dialecticis, qui dicunt propofitionem tunc effe veram, quando annuntiat rem effe vti eft, & faltem quando annuntiat rem effe aliter quàm eft: vnde vt hæc propofitio, Hoc eft corpus meum, fit vera, debet priùs prioritate faltem naturæ fub accidentibus Euchariftícis effe corpus Chrifti per conuerfionem fubftantiæ panis in ipfum; & confequenter ifta præfentia Sacramentalis corporis Chrifti præcedit veritatem formæ confecrationis: ergo cùm aliunde hæc præfentia fit effectus eiufdem formæ, vt dictum eft; ipfa forma confecrationis non operatur fuũ effectum, quia vera, fiue ratione fuæ veritatis; quia prius non dependet à pofteriori, nec pofterius eft priori ratio exiftendi.

AD primum ergo, dicendum quòd Concilium Tridentinum colligit tantùm à pofteriori veritatẽ tranffubftãtiationis ex veritate propofitionis prolatæ à Chrifto Domino. D. Th. autem loquitur ibi, non de veritate formali fpeculatiua propofitionis, de qua procedit dubiũ: fed de veritate practica, vt patet ex ipfis terminis; prout importat practicam fignificationem.

AD fecundum, dicendum quòd Sacerdos, dum confecrat, profert formam confecrationis vt veram practicè: ad quod fufficit vt intendat facere id quod illa fignificat: fed de hac veritate non procedit dubium: non autem profert illam vt veram fpeculatiuè; hæc enim veritas propofitionis dependet ab obiectiua tanquam à menfura: vnde veritas obiectiua eft media, fubfequitur enim practicã propofitionis à qua caufatur, & antecedit veritatem fpeculatiuam eiufdem propofitionis quam caufat. Dubium autem procedit de veritate fpeculatiua, vt dictum eft.

AD tertium, dicendum quòd forma confecrationis in priori naturæ, quàm fit vera fpeculatiuè, caufat ratione fuæ fignificationis completæ in vltimo inftanti prolationis: fignificatio autem eft quid prius prioritate naturæ, fiue à quo, & independentiæ, ipfa veritate fpeculatiua; abftrahit enim à veritate & à falfitate:

vnde

vnde non causat vt vera speculatiuè, benè tamen vt vera practicè: ad quam causalitatem, vt pote instantaneam, sequitur quòd sit speculatiuè vera simul duratione, quamuis in posteriori naturæ; quia in eodem instanti ponit obiectum à quo dependet talis veritas speculatiua, quæ nec diuinitus suspendi potest, posita veritate practica & efficaci talis formæ: vnde etiam sequitur, quòd non possit causare vt falsa.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Eucharistia in facto esse habeat formam intrinsecam.

SVpponendum est Eucharistiam non consistere in solo vsu, sed in consecratione materiæ, vt dictum est: propterea non solùm fit & transit, sed habet esse permanens in facto esse. Forma eius in fieri sunt verba consecrationis, de quo nullus Catholicus dubitat: sed solùm est dubiũ de forma eius in facto esse. Potest autem Eucharistia considerari vel metaphysicè, vt scilicet includit tantũ sua essentialia, vel physicè, vt etiam includit connotatũ essentiale, videlicet corpus aut sanguinem Christi: ex speciebus si quidem Eucharisticis & corpore aut sanguine Christi resultat quoddam totum, vt dictum est.

Prima opinio Marsilij in 4. quæst. 6. art. 2. Suaris sup. disp. 42. sect. 2. Cornejo in præsenti, & aliorum, asserit formam consecrationis, qua fit Sacramentum Eucharistiæ, esse etiam formam ipsius in facto esse in quantum moraliter remanet. Probatur authoritate Concilij Florentini in decreto de vnione Armenorum, vbi generaliter de omnibus Sacramẽtis dicitur tribus perfici, rebus scilicet tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri. Et infra specialiter de Eucharistia dicitur, formam illius esse formam Saluatoris, qua conficitur. Si dicatur quòd hæc forma sit tantùm extrinseca: Contra, Conciliũ intelligit in aliis Sacramentis de forma intrinseca: ergo & in isto; alioquin in eius verbis esset magna æquiuocatio.

Secundò; Forma consecrationis significat corpus aut sanguinem Christi esse sub speciebus Eucharisticis, vt patet; ac proinde vel est Sacramentũ ipsum, vel pars essentialis ipsius intrinsecè constitutiua; quod enim est signum sensibile rei sacræ, vel est Sacramentum, vel pars essentialis illius, vt patet à definitione ad definitum: sed forma consecrationis non est totum Sacramentum, vt patet, cùm species Eucharisticæ pertineant ad hoc Sacramentum: nec est materia, cùm determinet ipsas species ad significandum; determinatio autem passiua conuenit materiæ; actiua verò formæ: ergo forma consecrationis est forma intrinseca Eucharistiæ, etiam in facto esse.

Tertiò; Species Sacramentales panis & vini ex se sunt indifferentes, ad significandum ex diuina institutione hoc vel illud; & quòd significent corpus & sanguinem Christi, hoc habent vi formæ consecrationis: ita vt totum significans coalescat ex speciebus & forma consecrationis, sicut humanitas ex anima rationali & materia: ergo sicut anima rationalis est vera forma intrinsecè constitutiua humanitatis; sic forma consecrationis est vera forma intrinsecè constitutiua Eucharistiæ.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd forma intrinseca Eucharistiæ in facto esse metaphysicè considerata non est forma consecrationis; 2 Sed est significatio spiritualis cibi & potus animæ, quasi impressa & relicta ipsis speciebus Eucharisticis panis & vini, ipsique corpori & sanguini Christi contentis sub illis, ab ipsa forma consecrationis, 3 Si autem Eucharistia sumatur physicè, prout non solùm essentialia, sed etiã connotata includit; ipsæ species Sacramentales habent rationem materiæ: corpus autem & sanguis Christi, rationem formæ.

Probatur prima & secunda pars conclusionis ex Cõcilio Tridentino sess. 13. cap. 3. & canone 4. definitur peracta consecratione siue transacta prolatione verborum, manere hoc Sacramentum: ergo forma consecrationis non est forma intrinsecè constitutiua huius Sacramẽti; nam quod est transiens, non est constitutiuum rei permanentis. Respondent Aduersarij hanc formam manere moraliter, quamuis transeat physicè. Sed hoc videtur gratis dictum: nam forma intrinsecè constitutiua debet actu esse, quamdiu est res constituta, constans materiâ & formâ, aut aliquibus per modum materiæ & formæ: sed non est actu talis forma, nec in se formaliter, nec in alio virtualiter: Quòd non sit in se, admittunt Aduersarij: Quòd non sit in alio virtualiter, probatur: Illud aliud debet effectus eius, scilicet ipsæ species Sacramentales vt significantes corpus & sanguinem Christi, per modum potus & cibi spiritualis animæ: sed species ipsæ vt significantes, sunt quoddam totum constans ex speciebus tanquam materia, & significatione tanquam forma: ergo ex his constituitur adæquatè Sacramentum intrinsecè, connotando tantùm præteritam formam consecrationis: & ita species Eucharisticæ sunt materia huius Sacramenti; significatio autem forma. Nec mirum si hoc Sacramentum, vt pote totum quoddam morale & artificiosum, constet ex materia physica & forma morali: hoc enim est commune entibus moralibus, siue etiam ex institutione: nam vox est materiale termini Logici, & significatio est eius formale. Deinde forma consecrationis est causa efficiens huius Sacramenti, vt constat ex dictis: ergo non est forma eius intrinseca; nihil

enim eſt cauſa ſui, vel ſui conſtitutiui, vt patet inductione in omnibus aliis.

Probatur & explicatur tertia pars concluſionis. Ex ſpeciebus Euchariſticis, & corpore aut ſanguine Chriſti fit quoddam totum, vt dictum eſt ſupra; ita vt ſpecies ſint continentes, corpus autem & ſanguis Chriſti ſint cõtenta ſub ipſis: ſed continens eſt quoddam materiale reſpectu contenti; contentum autem eſt præcipuum & formale reſpectu continentis: ergo ſi Euchariſtia ſumatur phyſicè, prout non ſolùm eſſentialia, ſed etiam connotata includit, ipſæ ſpecies ſacramentales habent rationem materiæ, corpus autem & ſanguis Chriſti rationem formæ.

Ad primum ergo, dicendum quòd Concilium apertè loquitur de forma Sacramentorum in fieri, vt patet ex ipſis eius verbis (perfici, & conficitur) non autem de forma in facto eſſe: & quia ſola Euchariſtia eſt Sacramentum permanens, ipſa ſola conſtat forma permanente; in fieri tamen ad inſtar aliorum Sacramentorum quæ conſiſtunt in vſu, habet materiam panem & vinum, & formam conſecrationis, & ita nulla eſt æquiuocatio in prædicta intelligentia Concilij.

Ad ſecundum, dicendum quòd forma conſecrationis eſt forma Euchariſtiæ in fieri, vt dictum eſt, nec aliud probat obiectio.

Ad tertium, dicendum quòd ſpecies panis & vini, quamuis ex ſe ſint indifferentes ad ſignificandum hoc vel illud; connotando tamen præteritam formam conſecrationis, ſignificant determinatè corpus & ſanguinem Chriſti: & ita forma conſecrationis pertinet ad hoc Sacramentum in facto eſſe, non vt forma conſtitutiua intrinſecè, ſed vt connotatum ratione cuius exurgit ſignificatio in ipſis ſpeciebus: quæ ſignificatio eſt forma intrinſeca huius Sacramenti, vt dictum eſt. Nec inſtantia de humanitate aliquid probat: nam tam materia, quàm anima permanent, vnde poſſunt conſtituere intrinſecè humanitatem: maximè quia non ſunt cauſa effectiua ipſius: vtrumque autem horum in præſenti deficit, vt conſtat ex dictis; vnde non eſt ſimile.

QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus ſacramenti Euchariſtiæ, in octo articulos diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de effectibus huius ſacramenti.

¶ Et circa hoc quæruntur octo.

¶ Primò, vtrum hoc ſacramentum conferat gratiam.

¶ Secundò, vtrum effectus huius ſacramenti ſit adeptio gloriæ.

¶ Tertiò, vtrum effectus huius ſacramenti ſit remiſſio peccati mortalis.

¶ Quartò, vtrum per hoc ſacramentum remittatur peccatum veniale.

¶ Quintò, vtrum per hoc ſacramentum tota pœna peccati remittatur.

¶ Sextò, vtrum hoc ſacramentum homines præſeruet à peccatis futuris.

¶ Septimò, vtrum hoc ſacramentum proſit aliis, quàm ſumentibus.

¶ Octauò, de impedimento effectus huius ſacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per hoc ſacramentum conferatur gratia.

Ad primvm ſic proceditur. Videtur quòd per hoc ſacramentum non conferatur gratia. Hoc enim ſacramentum eſt nutrimentũ ſpirituale. Nutrimentum autem non datur niſi viuẽti. Cùm ergo vita ſpiritualis ſit per gratiã non competit hoc ſacramentum niſi habenti gratiã. Non ergo per hoc ſacramentum confertur gratia, vt primo habeatur, ſimiliter etiam nec ad hoc quod augeatur, quia augmentum ſpirituale pertinet ad ſacramentum confirmationis, vt dictum eſt *. Non ergo per hoc ſacramentum gratia confertur. 470 · q. 65. a. 4. & 72. a. 1. & 2.

¶ 2 Præterea, Hoc ſacramentum confertur vt quædam ſpiritualis refectio. Sed refectio ſpiritualis magis videtur pertinere ad vſum gratiæ, quàm ad gratiæ collationem. Ergo videtur, quod per hoc ſacramentum gratia non confertur. q. 73. a. 1. & 7.

¶ 3 Præterea, Sicut ſupra dictum eſt *, in hoc ſacramento corpus Chriſti offertur pro ſalute corporis, ſanguis autem pro ſalute animæ. Sed corpus non eſt ſubiectum gratiæ, ſed anima, vt in ſecunda parte habitum eſt †. Ergo ad minus quantum ad corpus per hoc ſacramentum gratia non confertur. q. 74. a. 1. & 76. a. 1. ad 1. 1. 2. q. 112. a. 4.

Sed contra eſt, quòd Dominus dicit Io. 6. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Sed vita ſpiritualis eſt per gratiam. Ergo per hoc ſacramentum gratia confertur.

CONCLVSIO

Sacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum gratiam conferre neceſſarium eſt, cùm Chriſtum, qui omnis gratiæ fons & origo eſt, contineat.

Respondeo dicendum, quòd effectus huius ſacramenti debet conſiderari primo quidem, & principaliter ex eo quod in hoc ſacramento continetur, quod eſt Chriſtus: Qui ſicut in mundum viſibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ (ſecundum illud Io. 1. Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt) ita in hominem ſacramentaliter veniens, vitã gratiæ operatur, ſecundum illud Ioa. 6 Qui manducat me, viuet propter me. Vnde & Cyril. dicit †, Viuificatiuum Dei verbum, vniẽs ſeipſum propriæ carni, fecit ipſam viuificatiuã: decebat enim eum noſtris quodammodo vniri corporibus per ſacram eius carnẽ, & pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictionem viuificatiuam in pane & in vino. Secundo, conſideratur ex eo, quod per hoc ſacramentum repræſentatur, quod eſt paſſio Chriſti, ſicut ſupra dictum eſt *. Et ideo effectum, quem paſſio Chriſti fecit in mundo, hoc ſacramentum facit in homine. Vnde ſuper illud Io. 19. Continuo exiuit ſanguis & aqua: dicit Chryſoſt. † Quia hinc ſuſcipiunt principium ſacra myſteria cum acceſſeris ad tremendum calicem, vt ab ipſa bibiturus Chriſti coſta, ita accedas. Vnde & ipſe Dominus dicit Matt. 26 Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Tertio conſideratur effectus huius ſacramenti ex modo, quo traditur hoc ſacramentum, quod traditur per modum cibi & potus. Et ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem (quod ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat & delectat) hoc totum facit hoc ſacramentum quantum ad vitam ſpiritualem. Vnde Amb. dicit in lib. † de ſacramentis: Iſte panis eſt vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Et Chryſoſt. dicit * ſuper Ioan. Præſtat ſe nobis deſiderantibus & palpare, & comedere, & amplecti. Vnde & ipſe Dominus dicit Io. 6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Quarto conſideratur effectus huius ſacramenti ex ſpeciebus, in quibus traditur hoc ſacramentum. Vnde Auguſt. * ibidem dicit, Dominus noſter corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis: namque aliud, ſcilicet panis, ex multis granis in vnum conſtat, aliud, ſcilicet vinum in vnum ex multis acinis confluit. Et ideo ipſe alibi dicit ſuper Ioan. * O ſacramentum pietatis, ô ſignum vnitatis, ô vinculum charitatis. Et quia Chriſtus & eius paſſio eſt cauſa gratiæ & ſpiritualis refectio, & charitas ſine gratia eſſe non poteſt, ex omnibus præmiſſis manifeſtum eſt, quod hoc ſacramentum gratiam confert. li. 4. in Io. c. 12. & 14. · q. 76. a. 1. ad 1. & 3. & q. 74. a. 1. · hom. 84 in Ioan. a med. · li. 5. c. 4. · hom. 60. 4. · hom. 45 in Io. a med. · tra. 26. in Ioan. · tra. 26. in Ioan.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc ſacramentum ex ſeipſo virtutẽ habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiã ante ſuſceptionẽ huius ſacramenti, niſi ex aliquo voto ipſius, vel per ſeipſum, ſicut adulti: vel voto Eccleſiæ, ſicut paruuli: ſicut ſupra dictum eſt *. Vnde ex efficacia virtutis ipſius eſt, quod etiam ex voto ipſius aliquis gratiam conſequatur, per quã ſpiritualiter viuificetur. Reſtat igitur, vt cum ipſum ſacramentum realiter ſumitur, quod gratia augeatur, & vita ſpiritualis perficiatur. Aliter tamen quàm per ſacramentum confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum Chriſti. Per hoc autem ſacramentum augetur gratia, & perficitur ſpiritualis vita, ad hoc quod homo in ſeipſo perfectus exiſtat per coniunctionem ad Deum. q. 73. a. 3.

Ad ſecundum dicendum, quod hoc ſacramentum confert gratiam ſpiritualiter cum virtute charitatis. Vnde Damaſc. † comparat hoc ſacramentum carboni, quem Iſaias vidit, Iſa. 6. Carbo enim lignum ſimplex non eſt, ſed vnitum igni: ita & panis communionis non ſimplex panis eſt, ſed vnitus diuinitati. Sicut Grego. * dicit in hom. Pentecoſt. Amor Dei non eſt otioſus: magna enim operatur, ſi eſt. Et ideo per hoc ſacramentum quantum eſt ex ſui virtute, non ſolum habitus gratiæ & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum: ſecundum illud 2. Cor. 5. Charitas Chriſti vrget nos. Et inde eſt, quod ex virtute huius ſacramenti anima ſpiritualiter reficitur per hoc quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, ſecundum illud Cantic. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. li. 4. ort. fi. c. 14. · hom. 30. in Euan. non longe à princ.

An

Ad tertium dicendum, quòd quia ſacramenta operantur ſalutem, quam ſignificant; ideo ſecundum quandam aſſimilationem dicitur, quòd in hoc ſacramento corpus offertur pro ſalute corporis, & ſanguis pro ſalute animæ, quamuis vtrumque ad ſalutem vtriuſque operetur, cum ſub vtroque
q.76. a.2. & 2. totus ſit Chriſtus: vt ſupra dictum eſt †. Et licet corpus non ſit immediatum ſubiectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus, dum in præſenti membra noſtra exhibemus arma iuſtitiæ Deo (vt habetur Rom. 6.) & in futuro corpus noſtrum ſortietur incorruptionem & gloriam animæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm effectus huius ſacramenti ſit adeptio gloriæ.

471 AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd effectus huius ſacramenti non ſit adeptio gloriæ. Effectus enim
inf. q. 4. hu. a. 2. ad. 1. & 1o. 6. proportionatur ſuæ cauſæ. Sed hoc ſacramentum competit viatoribus: vnde & viaticum dicitur. Cum igitur viatores nondum ſint capaces gloriæ, videtur quod hoc ſacramentum non cauſet adeptionem gloriæ.

¶ 2 Præterea, poſita cauſa ſufficienti, ponitur effectus. Sed multi accipiunt hoc ſacramentum, qui nunquam peruenient ad gloriam: vt patet per Aug. † 21. de ciui. Dei. Non ergo hoc ſacramentum eſt cauſa adeptionis gloriæ.
li.21.c. 25.in fi. to.5.

¶ 3 Præterea, Maius non efficitur à minori: quia nihil agit vltra ſuam ſpeciem. Sed minus eſt accipere Chriſtum ſub ſpecie aliqua, quod fit in hoc ſacramento, quàm frui eo in ſpecie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc ſacramentum non cauſat adeptionem gloriæ.

SED contra eſt, quod dicitur Ioann. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: Sed vita æterna eſt vita gloriæ. Ergo effectus huius ſacramenti eſt adeptio gloriæ.

CONCLVSIO.

Siue in Euchariſtia id ex quo effectum habet, Chriſtus ſcilicet & paſſio eius, ſiue vſus ſacramenti conſideretur, eius effectus eſt æternæ vitæ conſequutio.

RESPONDEO dicendum, quòd in hoc ſacramento poteſt conſiderari & id ex quo habet effectum, ſcilicet ipſe Chriſtus contentus, & paſſio eius repræſentata, & id per quod habet effectum, ſc. vſus ſacramenti, & ſpecies eius. Et quantum ad vtrumque competit huic ſacramento, quod cauſet adeptionem vitæ æternæ. Nam ipſe Chriſtus per ſuam paſſionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ: ſecundum illud Hebr. 9. Noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, qui vocati ſunt, accipiant repromiſſionem æternæ hæreditatis. Vnde & in forma huius ſacramenti dicitur. Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti. Similiter etiam refectio cibi ſpiritualis, & vnitas ſignificata per ſpecies panis, & vini, habentur quidem in præſenti, ſed imperfecte: perfectè autem in ſtatu gloriæ. Vnde Aug. † dicit ſuper illud Io. 6. Caro mea vere eſt cibus. Cùm cibo & potu id appetant homines, vt non eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit in ſocietate ſanctorum, vbi pax erit & vnitas plena atque perfecta.
trac. 26. in Euan. non multum remote à fi. to. 9.

AD primum ergo dicendum, quod ſicut paſſio Chriſti, in cuius virtute hoc ſacramentum operatur, eſt quidem cauſa ſufficiens gloriæ, non tamen ita, quod ſtatim per ipſam introducamur in gloriam, ſed oportet, vt prius ſimul compatiamur, vt poſtea ſimul glorificemur (ſicut dicitur Ro. 8.) ita hoc ſacramentum non ſtatim nos in gloriam introducit, ſed dat nobis virtutem perueniendi ad gloriam, & ideo viaticum dicitur. In cuius figuram legitur 3. Reg. 19. quod Elias comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Oreb.

AD ſecundum dicendum, quòd ſicut paſſio Chriſti non habet ſuum effectum in his, qui ſe ad eam non habent vt debent: ita & per hoc ſacramentum non adipiſcuntur gloriam, qui indecenter ipſum ſuſcipiunt. Vnde Aug. † dicit ſuper Io. exponens illa verba, aliud eſt ſacramentum & aliud virtus ſacramenti: Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Panem ergo cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Vnde non eſt mirum, ſi illi qui innocentiam non ſeruant, effectum huius ſacramenti non conſequuntur.
tra. 26. in Io. parum à me. to. 9. & gl. or. ſuper il. lud 1. Co. 11. Probet

AD tertium dicendum, quòd hoc quod Chriſtus ſub aliena ſpecie ſumitur, pertinet ad rationem ſacramenti quod inſtrumentaliter agit. Nihil autem prohibet, cauſam inſtrumentalem producere potiorem effectum: vt ex ſupra dictis patet †.
q.77. a. 3. ad 3. arg.

ARTICVLVS III.

Vtrùm effectus huius ſacramenti ſit remiſſio peccati mortalis.

472 AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd effectus huius ſacramenti ſit remiſſio peccati mortalis. Dicitur
4. d. 9. a. 3. q. 2. c. fi. & d. 12. q. 2. ar. 2 q. 2. enim in quadam Collecta. Sit hoc ſacramentum ablutio ſcelerum. Sed ſcelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc ſacramentum peccata mortalia abluuntur.

¶ 2 Præterea Hoc ſacramentum agit in virtute paſſionis Chriſti, ſicut & baptiſmus. Sed per baptiſmum dimittuntur
q. 69. a. 1. peccata mortalia: vt ſupra dictum eſt *. Ergo & per hoc ſacramentum, præſertim cum in forma huius ſacramenti dicatur: Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

¶ 3. Præterea, Per hoc ſacramentum gratia confertur: vt
ar. 1 huius. q. dictum eſt †. Sed per gratiam iuſtificatur homo à peccatis mortalibus: ſecundum illud Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Ergo per hoc ſacramentum remittuntur peccata mortalia.

SED contra eſt, quod dicitur primæ Cor. 11. Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Dicit autem glo. ibidem, quòd ille manducat & bibit indigne, qui in crimine eſt, vel irreuerenter tractat, & talis manducat & bibit ſibi iudicium †, id eſt, damnationem. Ergo ille, qui eſt in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc ſacramentum, magis accumulat ſibi peccatum, quàm remiſſionem ſui peccati conſequatur.
Glo. interl. ibid.

CONCLVSIO.

Cùm hoc ſacramentum ſpirituale nutrimentum ſit, quod niſi viuentis eſt, mentem quæ in affectu peccati eſt, magis grauat quàm purificat, licet ex parte paſſionis ex qua vim ſuam habet, quæuis peccata remittere valeat, & remiſſionem peccati etiam mortalis, in eo, qui abſque peccati conſcientia & affectu deuotè & reuerenter illud ſuſcipit, efficiat.

RESPONDEO dicendum, quòd virtus huius ſacramenti poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum ſe, & ſic hoc ſacramentum habet virtutem ad remittendum quæcunque peccata ex paſſione Chriſti, quæ eſt fons & cauſa remiſſionis peccatorum.

Alio modo poteſt conſiderari per comparationem ad eum qui recipit hoc ſacramentum, prout inuenitur vel non inuenitur impedimentum percipiendi huius ſacramenti effectum. Quicunque autem habet cõſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimẽtum percipiendi effectum huius ſacramenti, eo quod non eſt conueniens ſuſceptor huius ſacramẽti, tum quia non viuit ſpiritualiter & ita non debet ſpirituale nutrimẽtum ſuſcipere, quod non eſt niſi viuentis. tũ quia non poteſt vniri Chriſto (quod fit per hoc ſacramentum) dum eſt in affectu peccandi mortaliter. Et ideo, vt dicitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, ſi mens in actu peccandi eſt, grauatur magis Euchariſtiæ perceptione, quàm purificetur. Vnde hoc ſacramentum in eo qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis, non operatur remiſſionem peccati. Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter. Vno modo, non perceptum actu, ſed voto ſicut cum quis primo iuſtificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet. Forte enim primo non fuit ſufficienter contritus ſed deuote & reuerenter accedens conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis quæ contritionem perficiet & remiſſionem peccati.
c. 51. parũ à princ. in. 3 inter opera Aug

AD Primum ergo dicendum, quòd petimus, vt hoc ſacramentum ſit ablutio ſcelerum: vel eorum, quorum conſcientiam non habemus (ſecundum illud Pſalmi 18. Ab occultis meis munda me Domine) vel vt contritio in nobis perficiatur ad ſcelerum remiſſionem: vel etiam vt nobis robur detur ad ſcelera vitanda.

AD ſecundum dicendum, quòd baptiſmus eſt ſpiritualis generatio quæ eſt mutatio de non eſſe ſpirituali, in eſſe ſpirituale, & datur per modum ablutionis. Et ideo quantum ad vtrumque, non inconuenienter accedit ad baptiſmum, qui habet conſcientiam peccati mortalis. Sed per hoc ſacramentum homo ſumit in ſe Chriſtum per modum ſpiritualis nutrimenti, quod non competit mortuo in peccatis. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

AD tertium dicendum, quòd gratia eſt ſufficiens cauſa remiſſionis peccati mortalis: non tamen actu remittit peccatum mortale, niſi cum primo datur peccatori. Sic autem non datur in hoc ſacramento. Vnde ratio non ſequitur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm per hoc ſacramentum remittantur peccata venialia.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd per hoc ſacramentum non remittantur peccata venialia. Hoc enim ſacramentum, vt Aug. dicit * ſuper Io. eſt ſacramentum charitatis. Sed venialia peccata non contrariantur charitati, vt in ſecunda parte † habitum eſt. Cum ergo contrarium tollatur per ſuum contrarium, videtur, quod peccata venialia per hoc ſacramentum non remittantur. 473
inf. q. 87 a. 3. c. & 4. d. 12. q. 2. a. 1. q. 2 c. & a. 2. q. 1. per to trac. 26. in Io. à me. to. 9. & refertur de conſ. d. 2. c. hoc ſacramentum.

¶ 2 Præterea, Si peccata venialia per hoc ſacramentum remittantur, qua ratione remittitur vnum, remittuntur & omnia. Sed non videtur, quod omnia remittantur: quia ſic frequenter aliquis eſſet abſque omni peccato veniali, contra id quod dicitur 1. Io. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Non ergo per hoc ſacramentum remittitur aliquod peccatum veniale.

¶ 3 Præterea, Contraria mutuo ſe expellunt. Sed peccata venialia non prohibent à perceptione huius ſacramenti: dicit enim Aug. * ſuper illud Io. 6. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: Innocentiam, inquit, ad altare portate: peccata, etſi ſint quotidiana, non ſint mortifera. Ergo neque peccata venialia per hoc ſacramentum tolluntur.
† 1. 2. q. 88. a. 1. & 2. trac. 26. in Io. parum à me. to. 9.

SED contra eſt, quòd Innocentius III. * dicit, quòd hoc ſacramentum venialia delet, & cauet mortalia.
in li. 4. de ſacro myſter. altaris ca. 44. circa med.

CONCLVSIO

Cùm ſacramentum hoc cibus ſpiritualis ſit, quo id reſtauratur quod ex calore concupiſcentiæ per venialia peccata deperditur, eius virtute peccata venialia remitti perſpicuum eſt.

RESPONDEO dicendum, quòd in hoc ſacramento duo poſſunt conſiderari, ſcil. ipſum ſacramentum, & res ſacramenti. Et ex vtroque apparet, quòd hoc ſacramentum habet virtutem ad remiſſionem venialium peccatorum. Nam hoc ſacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore

lore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem charitatis, vt in ſecunda parte habitum eſt *. Et ideo competit huic ſacramento, vt remittat peccata venialia. Vnde & Amb. † dicit in li. de ſacra. quod iſte panis quotidianus, ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem huius ſacramenti eſt charitas, non ſolum quantum ad habitum, ſed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc ſacramento, per quod peccata venialia ſoluuntur. Vnde manifeſtum eſt, quod virtute huius ſacramenti remittuntur peccata venialia.

1.2.q.24.art.10.
† li.5.c.4. à med.c.4.

Ad Primum ergo dicendum, quòd peccata venialia, etſi non contrariantur charitati quantum ad habitum: contrariantur tamen ei, quantum ad feruorem actus, qui excitatur per hoc ſacramentum: ratione cuius peccata venialia tolluntur.

Ad ſecundum dicendum, quod illud verbum non eſt intelligendum, quin aliqua hora poſſit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis: ſed quia vitam iſtam ſancti non ducunt ſine peccatis venialibus.

Ad tertium dicendum, quod maior eſt virtus charitatis, cuius eſt hoc ſacramentum, quàm venialium peccatorum. Nam charitas tollit per ſuum actum peccata venialia, quæ tamen non poſſunt totaliter impedire actum charitatis. Et eadem ratio eſt de hoc ſacramento.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per hoc ſacramentum tota pœna peccati remittatur.

474 Ad Qvintvm ſic proceditur. Videtur, quòd per hoc ſacramentum tota pœna peccati remittatur. Homo enim per hoc ſacramentum ſuſcipit in ſe effectum paſſionis Chriſti (vt dictum eſt *) ſicut & per baptiſmum. Sed per baptiſmum percipit homo remiſſionem omnis pœnæ, virtute paſſionis Chriſti: quæ ſufficienter ſatisfecit pro omnibus peccatis, vt ex ſupradictis patet †. Ergo videtur, quod per hoc ſacramentum homini remittatur totus reatus pœnæ.

q.4.q.2. a.1.q.2. ad 3. & d. 12.q.2.a.2.q.3.
† a.1. & 2. q.69.a.2.
Alex.1. in ep. ad omnes orth. poſt me. illius.

¶ 2 Præterea, Alexander Papa dicit *. Nihil in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti. Sed per ſacrificia veteris legis, homo ſatisfaciebat pro peccatis ſuis: dicitur enim Leuit. 4. & 5. Si peccauerit homo, offeret hoc vel illud pro peccato ſuo, & remittetur ei. Ergo multo magis hoc ſacramentum valet ad remiſſionem omnis pœnæ.

¶ 3 Præterea, Conſtat quod per hoc ſacramentum aliquid de reatu pœnæ dimittitur: vnde & in ſatisfactionem aliquibus iniungitur, quod pro ſe miſſas faciant celebrari. Sed qua ratione vna pars pœnæ dimittitur, eadem ratione & alia: cum virtus Chriſti, quæ in hoc ſacramento continetur, ſit infinita. Ergo videtur quod per hoc ſacramentum tota pœna tollatur.

Sed contra eſt, quod ſecundum hoc non eſſet homini alia pœna iniungenda: ſicut nec baptizato iniungitur.

CONCLVSIO.

Non tota deletur pœna ex ſacramento Euchariſtiæ, ſed ſecundum quantitatem deuotionis ſumentium, certa pœnæ pars diminuitur, ſeu remittitur.

Respondeo dicendum, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum. Sed rationem ſacrificij habet, inquantum offertur: rationem autem ſacramenti, inquantum ſumitur. Et ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit: effectum autem ſacrificij in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur. Si igitur conſideretur vt ſacramentum, habet effectum, dupliciter. Vno modo, directè ex vi ſacramenti, alio modo quaſi ex quadam concomitantia ſicut & circa continentiam ſacramenti dictum eſt *. Ex vi quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per vnionem ad Chriſtum, & ad membra eius. ſicut & nutrimentum vnitur nutrito. Sed quia hæc vnitas fit per charitatem. ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſſionem non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ: inde eſt, quòd ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo conſequitur remiſſionem pœnæ: non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ deuotionis & feruoris. In quantum vero eſt ſacrificium habet vim ſatisfactiuam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit Lucæ 21. de vidua quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus miſit. Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.

q.76.a.1. & 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſacramentum baptiſmi directè ordinatur ad remiſſionem pœnæ & culpæ, non autem Euchariſtia. quia baptiſmus datur homini quaſi commorienti Chriſto: Euchariſtia autem quaſi nutriendo & perficiendo per Chriſtum. Vnde non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendum, quòd alia ſacrificia & oblationes non operabantur remiſſionem totius pœnæ, neque quantum ad quantitatem oblati, ſicut hoc ſacrificium, neque quantum ad deuotionem hominis ex qua contingit, quòd etiam hic non tollitur tota pœna.

Ad tertium dicendum, quòd hoc, quòd tollitur pars pœnæ, & non tota pœna per hoc ſacramentum, non contingit ex defectu virtutis Chriſti, ſed ex defectu deuotionis humanæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per hoc ſacramentum præſeruetur homo à peccatis futuris.

Ad Sextvm ſic proceditur. Videtur, quòd per hoc ſacramentum non præſeruetur homo à peccatis futuris. Multi enim digne ſumentes hoc ſacramentum, poſtea in peccatum cadunt. Quod non accideret, ſi hoc ſacramentum præſeruaret à peccatis futuris. Non ergo effectus huius ſacramenti eſt, à peccatis futuris præſeruare. 475

4. d. 12. q. 2. ar. 2. q. 2. ad 1. & d. 45. q. 2. a. 1. q. 3. ad 3.

¶ 2 Præterea, Euchariſtia eſt ſacramentum charitatis, vt ſupra dictum eſt *. Sed charitas non videtur præſeruare à peccatis futuris: quia ſemel habita poteſt amitti per peccatum, vt ſecunda parte habitum eſt †. Ergo videtur, quod nec hoc ſacramentum præſeruet hominem à peccato.

q.4. in arg. q. ad 3.
† 2.2.q.24. art.12.

¶ 3 Præterea, Origo peccati in nobis, eſt lex peccati, quæ eſt in membris noſtris: vt patet per Apoſtol. Roman. 7. Sed mitigatio fomitis, quæ eſt lex peccati, non ponitur effectus huius ſacramenti, ſed magis baptiſmi. Ergo præſeruare à peccatis futuris, non eſt effectus huius ſacramenti.

Sed contra eſt, quod Dominus dicit Io. 6. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Quod quidem manifeſtum eſt, non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur, quod hoc ſacramentum præſeruet à morte ſpirituali, * quæ eſt per peccatum.

** 4'. quæ eſt peccatum.*

CONCLVSIO.

Cùm per Euchariſtiæ ſacramentum, quo Deo coniungimur, & paſſio ipſa Chriſti ſignificatur, intus in animo homines roborentur, & exterius omnis dæmonum depellatur incurſus, eo præſeruari hominem à futuris criminibus certum eſt.

Respondeo dicendum, quòd peccatum eſt quædam ſpiritualis mors animæ. Vnde hoc modo præſeruatur aliquis à peccato futuro, quo præſeruatur corpus à morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Vno modo, inquantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiua. & ſic præſeruatur à morte per cibum & medicinam. Alio modo per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes, & ſic præſeruatur per arma, quibus munitur corpus. Vtroque autem modo hoc ſacramentum præſeruat à peccato. Nam primo quidem per hoc quod Chriſto coniungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis, tanquam ſpiritualis cibus & ſpiritualis medicina ſecundum illud Pſal. 103. Panis cor hominis confirmat, & Aug. * dicit ſuper Ioa. Securus accede, panis eſt, non venenum. Alio modo, inquantum eſt quoddam ſignum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Vnde Chryſ. * dicit ſuper Io. Vt leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus terribiles effecti diabolo.

tra. 26. in Io. à med. om.9.
ho.45. in Io. à med. illius t.3.

Ad primum ergo dicendum, quòd effectus huius ſacramenti recipitur in homine ſecundum hominis conditionem: ſicut contingit de qualibet cauſa actiua quod eius effectus recipitur in materia ſecundum modum materiæ. Homo autem in ſtatu viæ eſt huius conditionis, quod liberum arbitrium eius poteſt flecti in bonum & malum. Vnde licet hoc ſacramentum, quantum eſt de ſe, habeat virtutem præſeruatiuam à peccato: non tamen aufert homini poſſibilitatem peccandi.

Ad ſecundum dicendum, quòd etiam charitas quantum eſt in ſe, præſeruat hominem à peccato: ſecundum illud Rom. 13. Dilectio proximi malum non operatur. Sed ex mutabilitate liberi arbitrij contingit, quod aliquis poſt habitam charitatem peccet, ſicut & poſt ſuſceptionem huius ſacramenti.

Ad tertium dicendum, quod licet hoc ſacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, inquantum auget charitatem: quia, ſicut Auguſtinus dicit in lib. * 83. Quæſtionum, Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis. Directè autem confirmat cor hominis in bono: per quod etiam præſeruatur homo à peccato.

q.36. paulo ſu. à princ. tom.4.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hoc Sacramentum proſit aliis, quàm ſumentibus.

Ad Septimvm ſic proceditur. Videtur, quòd hoc ſacramentum non proſit niſi ſumenti. Hoc enim ſacramentum eſt vnius generis cum aliis ſacramentis, vtpote aliis condiuiſum. Sed alia ſacramenta non proſunt niſi ſumentibus: ſicut affectum baptiſmi non ſuſcipit niſi baptizatus. Ergo nec hoc ſacramentum prodeſt aliis niſi ſumenti. 476

ſupra quæ. 78.a.3. ad 8. & præſenti q. ar. 5.ar. & 4. d.13. q.2. ad 4. & d. 45.q.2.a. 3.q.1. ad 3. & Io.6. lib.6 fin.

¶ 2 Præterea, Effectus huius ſacramenti eſt adeptio gratiæ & gloriæ & remiſſio culpæ ad minus venialis. Si ergo hoc ſacramentum haberet effectum in aliis, quàm in ſumentibus, poſſet contingere, quod aliquis adipiſceretur & gratiam & gloriam & remiſſionem culpæ, abſque actione & paſſione propria, alio ſumente vel offerente hoc ſacramentum.

¶ 3 Præterea Multiplicata cauſa multiplicatur effectus. Si ergo hoc ſacramentum prodeſſet aliis, quam ſumentibus, ſequeretur quod magis prodeſſet alicui, ſi multi ſumerent hoc ſacramentum, multis hoſtiis in vna miſſa conſecratis. Quod non habet Eccleſiæ conſuetudo, vt ſcilicet multi communicent pro alicuius ſalute. Non ergo videtur, quod hoc ſacramentum proſit niſi ſumenti.

Sed contra eſt, quod in celebratione huius Sacramenti fit pro multis aliis deprecatio. Quod fruſtra fieret, niſi hoc ſacramentum aliis prodeſſet. Hoc ergo, ſacramentum non ſolum ſumentibus prodeſt.

CON

CONCLVSIO.

Quamquam Euchariſtiæ ſacramentum ſumentibus proſit, non modo vt ſacrificium eſt, verumetiam vt ſacramentum, aliis tamen non ſumentibus, non niſi per modum ſacrificij prodeſt.

a. 5. huius quæſt. RESPONDEO dicendum, quod (ſicut prius dictum eſt *) hoc ſacramentum non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam eſt ſacrificium. Inquantum enim in hoc ſacramento repræſentatur paſſio Chriſti, qua Chriſtus obtulit ſe hoſtiam Deo (vt dicitur Ephe. 5.) habet rationem ſacrificij: inquantum vero in hoc ſacramento traditur inuiſibilis gratia ſub viſibili ſpecie, habet rationem ſacramenti. Sic ergo hoc ſacramentum ſumentibus quidem prodeſt & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij: quia pro omnibus ſumentibus offertur. Dicitur enim in canone Miſſæ, Quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur. Sed aliis qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificij, inquantum pro ſalute eorum offertur. Vnde & in canone Miſſæ dicitur, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ. Et vtrumque modum proficiendi Dominus expreſſit, dicens Matth. 26. & Luc. 22. Qui pro vobis ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſcilicet aliis, effundetur in remiſſionem peccatorum.

AD primum ergo dicendum, quod hoc ſacramentum præ aliis habet, quod eſt ſacrificium. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

AD ſecundum dicendum, quod ſicut paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus quantum ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpæ & adeptionem gratiæ & gloriæ: ſed effectum non habet niſi in illis, qui paſſioni Chriſti coniunguntur per fidem & charitatem: ita & hoc ſacrificium quod eſt memoriale Dominicæ paſſionis, non habet effectum niſi in illis, qui coniunguntur huic ſacramento per fidem & charitatem.
* in lib. de anima, & eius origine. c. 9. l. 7. Vnde & Aug. * dicit ad Renatum. Quis offerat corpus Chriſti niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti? Vnde & in canone Miſſæ non oratur pro his qui ſunt extra eccleſiam: illis tamen prodeſt plus vel minus ſecundum modum deuotionis eorum.

AD tertium dicendum, quod ſumptio pertinet ad rationem ſacramenti, ſed oblatio pertinet ad rationem ſacrificij. Et ideo ex hoc quod aliquis ſumit corpus Chriſti vel etiam plures, non accreſcit aliis aliquod iuuamentum. Similiter etiam ex hoc quod ſacerdos plures hoſtias conſecrat in vna miſſa non multiplicatur effectus huius ſacramenti: quia non eſt niſi vnum ſacrificium. Nihil enim plus eſt virtutis in multis hoſtiis conſecratis, quàm in vna: cum ſub omnibus & ſub vna non ſit niſi totus Chriſtus. Vnde nec ſi aliquis ſimul in vna miſſa multas hoſtias conſecratas ſumat, participabit maiorem effectum ſacramenti. In pluribus vero miſſis multiplicatur ſacrificij oblatio. Et ideo multiplicatur effectus ſacrificij & ſacramenti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum per veniale peccatum impediatur effectus huius ſacramenti.

477.
4. d. 9. q. 3. art. 1. q. 3. & art. 2. q. 1. ad 2. AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quòd per veniale peccatum non impediatur effectus huius ſacramenti. Dicit enim Aug. * ſuper illud Io. 6. Patres veſtri manducauerunt manna, &c. Panem cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate, peccata etſi ſunt quotidiana, non ſint mortifera. Ex quo patet, quod venialia
* tra. 26. in Io. Pet. mod. re. & habetur de conſ. di. 2. cap. 64. peccata, quæ quotidiana dicuntur, ſpiritualem manducationem non impediunt. Sed ſpiritualiter manducantes effectum huius ſacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum huius ſacramenti.

¶ 2 Præterea, Hoc ſacramentum non eſt minoris virtutis, quàm baptiſmus. Sed effectum baptiſmi (ſicut ſupra dictum eſt *) impedit ſola fictio ad quam non pertinent peccata venialia: quia ſicut Sap. 1. dicitur ſpiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Qui tamen per peccata venialia non fugatur. Ergo neque effectum huius ſacramenti impediunt peccata venialia.

¶ 3 Præterea, Nihil quod remouetur per actionem alicuius cauſæ poteſt impedire eius effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc ſacramentum. Ergo non impediunt eius effectum.

p. 4. ort. fi. c. 14. in me. SED contra eſt, quod Dama. dicit in 4. lib. * Ignis eius quod in nobis eſt deſiderij, aſſumens eam quæ ex carbone, id eſt ex hoc ſacramento ignitionem, comburat noſtra peccata, & illuminet corda noſtra, vt participatione diuini ignis igniamur & deificemur. Sed ignis noſtri deſiderij vel amoris impeditur per peccata venialia, quæ impediunt feruorem charitatis: vt in ſecunda parte habitum eſt *. Ergo
3. 2. q. 81. ar. 4. & 2. 2. q. 24. ar. 10. peccata venialia impediunt effectum huius ſacramenti.

CONCLVSIO.

Quamquam venialia peccata præterita effectum ſacramenti minimè impediant, actu tamen exercita poſſunt ex parte effectum illum impedire.

RESPONDEO dicendum, quod peccata venialia dupliciter accipi poſſunt. Vno modo, prout ſunt præterita: alio modo, prout ſunt actu exercita. Primo quidem modo, peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius ſacramenti. Poteſt enim contingere, quod aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa, deuote accedat ad hoc ſacramentum, & plenarie huius ſacramenti conſequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius ſacramenti effectum, ſed in parte. Dictum eſt enim, * quod effectus huius ſacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis
ar. 1. & 2. huius quæ. gratiæ vel charitatis: ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur ſi aliquis accedat ad hoc ſacramentum, per peccata venialia mente diſtractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis.

AD primum ergo dicendum, quòd ille, qui cum actu venialis peccati ad hoc ſacramentum accedit, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter, ſed non actualiter: Et ideo habitualem effectum huius ſacramenti percipit, non autem actualem.

AD ſecundum dicendum, quod baptiſmus non ita ordinatur ad actualem effectum, id eſt feruorem charitatis, ſicut hoc ſacramentum. Nam baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quæ eſt habitus vel forma. Hoc autem ſacramentum eſt ſpiritualis manducatio, quæ habet actualem delectationem.

AD tertium dicendum, quod illa ratio procedit de venialibus præteritis, quæ per hoc ſacramentum tolluntur.

QVÆSTIO LXXX.

De vſu, ſeu ſumptione huius ſacramenti in communi, in duodecim articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de vſu ſiue ſumptione huius ſacramenti. Et primo quidem in communi, Secundo, quomodo Chriſtus eſt vſus hoc ſacramento.

CIRCA primum quæruntur duodecim.

¶ Primo, vtrum ſint duo modi manducandi hoc ſacramentum, ſcilicet ſacramentaliter, & ſpiritualiter.
¶ Secundo, vtrum ſoli homini conueniat manducare ſpiritualiter hoc ſacramentum.
¶ Tertio, vtrum ſolius hominis iuſti ſit manducare ſacramentaliter.
¶ Quarto, Vtrùm peccator manducans ſacramentaliter peccet.
¶ Quinto, de quantitate huius peccati.
¶ Sexto, vtrum peccator accedens ad hoc ſacramentum ſit repellendus.
¶ Septimò, vtrum nocturna pollutio impediat hominem à ſumptione huius ſacramenti.
¶ Octauo, vtrùm ſit ſolum à ieiunis ſumendum.
¶ Nono, vtrùm ſit exhibendum non habentibus vſum rationis.
¶ Decimo, vtrùm ſit quotidie ſumendum.
¶ Vndecimo, vtrum liceat omnino abſtinere.
¶ Duodecimo, vtrùm liceat percipere corpus ſine ſanguine.

ARTICVLVS I.

Vtrùm diſtingui debeant duo modi manducandi corpus Chriſti.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd non debeant diſtingui duo modi manducandi corpus Chriſti, ſcilicet ſacramentaliter & ſpiritualiter. Sicut enim baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio (ſecũdum illud Io. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c.) ita etiam hoc ſacramentum eſt ſpiritualis cibus, vnde Dominus de hoc ſacramento loquens dicit Io. 6. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Sed circa baptiſmum non diſtinguitur duplex modus ſumendi, ſcilicet ſacramẽtalis & ſpiritualis. Ergo neque circa hoc ſacramentum debet hæc diſtinctio adhiberi. 478.
Inf. a. 2. & 3. ar. & 4. d. 9. art. 1. q. 1. ad 3. & q. 3. per to. & Io-annis 6. l. 7. col 1. & 2. & 1. Co. 11. le. 7. ar. 3. fin. & op. 58. ca. 17. 18. 19. & 20.

¶ 2 Præterea, Ea, quorum vnum eſt propter alterum, non debent ab inuicem diuidi: quia vnum ab alio ſpeciem trahit, ſed ſacramentalis manducatio ordinatur ad ſpiritualem, ſicut ad finem. Non ergo debet ſacramentalis manducatio contra ſpiritualem diuidi.

¶ 3 Præterea, Ea, quorum vnum poteſt eſſe ſine altero, non debent contra ſe diuidi. Sed videtur quod nullus poſſit manducare ſpiritualiter, niſi etiam ſacramentaliter manducet: alioquin antiqui patres hoc ſacramentum ſpiritualiter manducaſſent, fruſtra etiam eſſet ſacramentalis manducatio, ſi ſine ea ſpiritualis eſſe poſſet. Non igitur conuenienter diſtinguitur circa hoc ſacramentum duplex manducatio, ſcilicet ſacramentalis & ſpiritualis.

SED contra eſt, quod ſuper illud 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, &c. dicit gl. * Duos dicimus eſſe modos manducandi: vnum ſacramentalem, & alium ſpiritualem. gl. ar. ibid.

CONCLVSIO.

Duo ſunt manducandi hoc ſacramentum modi, alter ſacramentalis, per quem ſolum percipitur ſacramentum: alter ſpiritualis, per quem ſuſcipitur effectus ſacramenti, quo homo ſpiritualiter Chriſto coniungitur.

RESPONDEO dicendum, quod in ſumptione huius ſacramenti duo ſunt conſideranda, ſ. ipſum ſacramentum & effectus ipſius, de quorum vtroque iam ſupra dictum eſt *. qu. præced.
Perfectus igitur modus ſumendi hoc ſacramentum, eſt quando aliquis ita hoc ſacramentum ſuſcipit, quod percipit eius effectum: contingit autem quandoque (ſicut ſupra dictum eſt *) quod aliquis impeditur à percipiendo effectu huius qu. præ. ar. 3. 7. & 8.
ſacramenti. Et talis ſumptio huius ſacramenti eſt imperfecta. Sicut igitur perfectum contra imperfectum diuiditur: ita ſacramentalis manducatio, per quam ſumitur ſolum ſacramentum ſine effectu ipſius, diuiditur contra ſpiritualem manducationem: per quam quis percipit effectum huius ſa-

cramenti, quod spiritualiter homo Christo coniungitur per fidem & charitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam circa baptismum & alia huiusmodi sacramenta similis distinctio adhibetur: Nam quidam suscipiunt tantum sacramentum, quidam vero sacramentum & rem sacramenti. In hoc tamen differunt: quia cum alia sacramenta perficiantur in vsu materiæ, percipere sacramentum, est ipsa perfectio sacramenti: hoc autem sacramentum perficitur in consecratione materiæ, & ideo vterque vsus est consequens hoc sacramentum: In baptismo etiam & in aliis sacramentis characterem imprimentibus, illi qui accipiunt sacramentum, recipiunt aliquem spiritualem effectum, scilicet characterem, quod non accidit in hoc sacramento. Et ideo magis in hoc sacramento distinguitur vsus sacramentalis à spirituali, quàm in baptismo.

Ad secundum dicendum, quòd sacramentalis manducatio, quæ pertingit ad spiritualem: non diuiditur contra spiritualem, sed includitur ab ea. Sed illa sacramentalis manducatio contra spiritualem diuiditur, quæ effectum non consequitur: sicut imperfectum quod non pertingit ad perfectionem speciei, diuiditur contra perfectum.

q. 66. a. 11. q. 68. a. 2. q. 73. a. 3. Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est *) effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto quamuis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui baptizantur in baptismo flaminis propter desiderium baptismi antequam baptizentur baptismo aquæ; ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc contingit dupliciter. Vno modo propter desiderium sumendi ipsum sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari & manducare spiritualiter & non sacramentaliter, illi qui desiderant sumere hoc sacramentum iam institutum. Alio modo propter figuram: sicut dicit Apost. 1. Cor. 10. Quod antiqui patres baptizati sunt in nube & in mari, & quod spiritualem escam manducauerunt, & spiritualem potum biberunt. Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio: quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quàm solum desiderium: sicut supra circa baptismum dictum est *.

q. 69. a. 4. ad 2. & q. 68. ar. 11. & 12.

ARTICVLVS II.

Vtrùm solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.

479 AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd non solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed etiam Angelorum. Quia super illud Psalm. 77. Panem Angelorum manducauit homo, dicit gl. id est corpus Christi, qui est vere cibus Angelorum. Sed hoc non esset, si Angeli spiritualiter Christum non manducarent. Ergo Angeli spiritualiter Christum manducant.

4. d. 9. a. 2. q. 3. & 3. & 2. 10. 11. leg. 7. ar. 3.

tra. 26. in Io. tom. 9. ¶ 2 Præterea, August. * dicit super Ioan. Hunc cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis. Sed ad istam societatem non solum pertinent homines, sed etiam sancti Angeli. Ergo sancti Angeli spiritualiter manducant.

¶ 3 Præterea August. in lib. de Verbis Domini dicit, Spiritualiter manducandus est Christus quoniam ipse dicit, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sed hoc conuenit non solum hominibus, sed etiam sanctis Angelis: in quibus per charitatem est Christus, & ipsi in eo. Ergo videtur, quod spiritualiter manducare, non solum sit hominum, sed etiam Angelorum.

tra. 26. in Io. parum post med. tom. 9. refertur de consec. di. 2. ca. Pa. em de altari. Sed contra est, quod August. * dicit super Ioan. Panem de altari spiritualiter manducare, innocentiam ad altare portare. Sed Angelorum non est accedere ad altare, tanquam aliquid inde sumpturi: Ergo Angelorum non est spiritualiter manducare.

CONCLVSIO.

Angeli cum desiderium sumendi Christum sub Sacramentalibus speciebus non habeant, sed visione manifesta eo perfruantur. Christum quidem spiritualiter manducant, non autem Eucharistiæ Sacramentum, sed hoc spiritualiter sumere soli homini conuenit.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Vno modo prout in sua specie consistit. Et hoc modo Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, inquantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta (quem panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus huius sacramenti: inquantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum. Et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum, quod non competit Angelis. Et ideo licet Angeli spiritualiter manducent Christum: non tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd sumptio Christi sub hoc sacramento ordinatur, sicut ordinatur ad fruitionem patriæ, sicut ad finem, eo modo quo Angeli eo fruuntur. Et quia ea quæ sunt ad finem, deriuantur à fine: inde est quod illa manducatio Christi, qua eum sumimus sub sacramento, quodammodo deriuatur ab illa manducatione, qua Angeli fruuntur Christo in patria. Et ideo dicitur homo manducare panem Angelorum, quia primo & principaliter est Angelorum, qui eo fruuntur in specie propria: secundario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

Ad secundum dicendum, quòd ad societatem corporis mystici pertinent quidem & homines & Angeli, sed homines per fidem, Angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo & in ænigmate. Et ideo proprie loquendo non Angelis, sed hominibus conuenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd Christus manet in hominibus secundum præsentem statum per fidem, sed in Angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile: sicut dictum est *.

In solut. ar. præc. 1. & 2. in isto art.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quòd nullus possit manducare Christum sacramentaliter nisi homo iustus. 480
Dicit enim Aug. * in li. de reme. pœnitentiæ, Vt quid paras dentem & ventrem, crede, & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare. Sed peccator non credit in eum: quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum: vt in 2. parte habitum est *. Ergo peccator non potest manducare hoc sacramentum, quod est panis viuus.

4. d. 9. ar. 2. qu. 1. & 2. & a. 3. q. 7. ca. 5. & di. 13. q. 1. art. 2. qu. 2. co. * Tract. 3. in Io. parũ ante med. 1. 9. refertur de cõs. di. 2. c. vt quid paras.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentum maxime dicitur esse sacramentum charitatis: vt supra dictum est. † Sed sicut infideles priuantur fide, ita omnes peccatores priuantur charitate. Infideles autem non videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum, cùm in forma huius sacramenti dicatur, mysterium fidei. Ergo pari ratione neque aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

2. 2. q. 4. art. 5. q. præc. ar. 4. ad 3. arg.

¶ 3 Præterea, Peccator magis est abominabilis Deo, quàm creatura irrationalis, dicitur enim in Ps. 48. de homine peccatore: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed animal brutum (puta, mus aut canis) non potest sumere hoc sacramentum: sicut etiam non potest sumere sacramentum baptismi. Ergo videtur quod pari ratione neque peccatores hoc sacramentum manducent.

tra. 26. in Io. parum a me. super illud. Ego sum panis viuus, to. 9. Sed contra est, quod super illud Ioa. 6. (Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt) dicit Aug. * Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apo. Iudicium sibi manducat & bibit. Sed non moriuntur sumendo nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, & non solum iusti.

CONCLVSIO.

Cùm corpus Christi in sacramento semper permaneat donec species sacramentales corrumpantur, etiam iniustos homines Christi corpus manducare consequitur.

Respondeo dicendum, quòd circa hoc quidam antiqui errauerunt, dicentes quod corpus Christi nec etiam sacramentaliter à peccatoribus sumitur, sed quàm cito labiis peccantis contingitur, tam cito sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi. Sed hoc est erroneum, derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet (sicut supra dictum est *) quod manentibus speciebus corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent, quamdiu substantia panis maneret si ibi adesset, vt supra dictum est †. Manifestum est autem, quod substantia panis assumpta à peccatore, non statim esse desinit: sed manet quamdiu per calorem naturalem digeratur. Vnde tamdiu corpus Christi sub speciebus sacramentalibus manet à peccatoribus sumptis. Vnde dicendum est: quod peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest, & non solum iustus.

q. 76. a. 6. ar. 3. & q. 77. art. 8. q. 77. a. 5. & 8. & alios eiusdẽ q.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa & similia sunt intelligenda de spirituali manducatione quæ peccatoribus non conuenit. Et ideo ex praue intellectu horum verborum videtur prædictus error processisse, dum nescierunt distinguere inter corporalem & spiritualem manducationem.

Ad secundum dicendum, quòd etiam si infidelis sumat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit. Vnde manducat Christum sacramentaliter, si ly sacramentaliter determinat verbum ex parte manducati. Si autem ex parte manducantis, tunc proprie loquendo, non manducat sacramentaliter: quia non vtitur eo quod accipit vt sacramento, sed vt simplici cibo: nisi forte infidelis intenderet recipere illud quod Ecclesia confert, licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quòd etiam si mus vel canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illæ manent: hoc est, quamdiu substantia panis maneret sicut etiam si proiiceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit à peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis: præsertim cum mus aut canis non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales. Quidam autem dixerunt quod statim cum sacramentum tangitur à mure vel cane, desinit ibi esse corpus Christi. Quod etiam derogat veritati sacramenti, sicut supra dictum est *. in cor. art.

Nec tamen dicendum est, quod animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet: quia non est natum vti eo vt sacramento. Vnde non sacramentaliter, sed per accidens corpus Christi manducat: sicut manducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam. Et quia id quod est per accidens, non cadit in diuisione alicuius generis: ideo hic modus manducandi corpus Christi, non ponitur tertius præter sacramentalem & spiritualem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm peccator ſumens corpus Chriſti ſacramentaliter peccet.

481 AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd peccator ſumens corpus Chriſti ſacramentaliter, non peccet. Non enim eſt maioris dignitatis Chriſtus ſub ſpecie ſacramenti, quam ſub ſpecie propria. Sed peccatores tangentes corpus Chriſti ſub ſpecie propria, non peccabant, quin etiam veniam peccatorum conſequebantur: ſicut legitur Luc. 7. de muliere peccatrice, & Mat. 14. dicitur, Quicunque tetigerunt fimbriam veſtimenti eius, ſalui facti ſunt. Ergo non peccant, ſed magis ſalutem conſequuntur, ſacramentum corporis Chriſti ſumendo.

Inf. art. 7. & 8. q. 4. & 3. q. 1. & 4. d. 9. q. 1. a. 3. & 4. q. 2. ar. & 1. Cor. 12. le. 7. co. 2.

¶ 2 Præterea, Hoc ſacramentum, ſicut & alia, eſt quædam ſpiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad ſalutem ſecundum illud Matth. 9. Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Infirmi autem vel male habentes ſpiritualiter, ſunt peccatores. Ergo hoc ſacramentum abſque culpa ſumere poſſunt.

Al. hoc ſacramentum corporis ſine aliqua culpa ſumi poſſe.

¶ 3 Præterea, Hoc ſacramentum cùm in ſe Chriſtum contineat, eſt de maximis bonis. Maxima autem bona (ſecundum Aug. † in lib. de libero arbit.) ſunt quibus nullus male vti poteſt. Nullus autem peccat, niſi per abuſum alicuius rei. Ergo nullus peccator ſumens hoc ſacramentum peccat.

† L. 2. c. 19. to. 1. longe à princ.

¶ 4 Præterea, ſicut hoc ſacramentum ſentitur guſtu & tactu, ita & viſu. Si ergo peccator ex eo, quod ſumit hoc ſacramentum, peccat, videtur etiam quod peccaret videndo. Quod patet eſſe falſum: cùm Eccleſia omnibus hoc ſacramentum videndum & adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc quod manducat hoc ſacramentum.

¶ 5 Præterea, Contingit quandoque, quòd aliquis peccator non habet conſcientiam ſui peccati, nec tamen talis peccare videtur, corpus Chriſti ſumendo: quia ſecundum hoc omnes peccarent qui ſumunt, quaſi periculo ſe exponentes; cùm Apoſtolus dicat primæ Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Non ergo videtur, quòd peccatori cedat in culpam, ſi hoc ſacramentum ſumat.

SED contra eſt, quod Apoſt. dicit 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, id eſt, condemnationem. Dicit autem gloſſa ibidem, quòd indignè manducat & bibit qui in crimine eſt, vel irreuerenter tractat. Ergo qui eſt in peccato mortali, ſi hoc ſacramentum accipiat, damnationem acquirit mortaliter peccans.

CONCLVSIO.

Cùm peccatores ſumentes hoc ſacramentum cum peccato mortali, ſignificent ſe Chriſto per fidem formatam vnitos eſſe, falſitatem in ſacramento committentes, ſacrilegij crimen incurrunt & mortaliter peccant.

RESPONDEO dicendum, quòd in hoc ſacramento ſicut in aliis, id quod eſt ſacramentum, eſt ſignum eius, quod eſt res ſacramenti. Duplex autem eſt res huius ſacramenti, ſicut ſupra dictum eſt *. Vna quidem, quæ eſt ſignificata & contenta, ſcilicet ipſe Chriſtus: alia autem eſt ſignificata & non contenta, ſcil. corpus Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas ſanctorum. Quicunque ergo hoc ſacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto vnitum, & membris eius incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifeſtum eſt, quòd quicunque cum peccato mortali hoc ſacramentum ſumit, falſitatem in hoc ſacramento committit. & ideo incurrit ſacrilegium, tanquam ſacramenti violator: & propter hoc mortaliter peccat.

q. 73. a. 6.

AD primum ergo dicendum, quòd Chriſtus in propria ſpecie apparens, non exhibebat ſe tangendum hominibus in ſignum ſpiritualis vnionis ad ipſum, ſicut exhibetur ſumendum in hoc ſacramento. Et ideo peccatores eum in propria ſpecie tangentes, non incurrebant crimen falſitatis circa diuina, ſicut peccatores ſumentes hoc ſacramentum. Et præterea Chriſtus adhuc gerebat ſimilitudinem carnis peccati: & ideo conuenienter ſe peccatoribus tangendum exhibebat. Sed, remota ſimilitudine carnis peccati per gloriam reſurrectionis, ſe tangi prohibuit à muliere, quæ defectum fidei circa ipſum patiebatur, ſecundum illud Io. 20. Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, ſcilicet in corde tuo: vt Aug. * exponit. Et ideo peccatores qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Chriſtum, repelluntur à contactu huius ſacramenti.

Tract. 26. in Ioan. & ... ſerm. ... q. 9.

AD ſecundum dicendum, quòd non quælibet medicina competit ſecundum quemlibet ſtatum infirmitatis. Nam medicina, quæ datur iam liberatis à febre, ad confortationem, noceret, ſi daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptiſmus & pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem ſacramentum eſt medicina confortatiua, quæ non debet dari niſi liberatis à peccato.

AD tertium dicendum, quòd maxima bona intelligit Auguſt. * virtutes animæ, quibus nullus male vtitur quaſi principiis mali vſus. Vtitur tamen eis aliquis male, quaſi obiectis mali vſus: vt patet in his, qui de virtutibus ſuperbiunt. Ita & hoc ſacramentum quantum eſt ex ſe, non eſt principium mali vſus, ſed obiectum. Vnde Aug. * dicit, Multi indignè accipiunt corpus Chriſti: per quod docemur, quàm cauendum ſit male accipere bonum. Ecce enim per bonum factum eſt malum, dum male accipitur bonum: ſicut è contra Apoſtolo per malum factum eſt bonum, cum bene accepit angelum, ſcilicet cum ſtimulum Satanæ patienter portauit.

Intentionem cit. ... Tract. 6. in Ioan. circa princ. ... 8. ... Ioan. 10. 9. de ... Aug. 66.

AD quartum dicendum, quòd per viſum non accipitur ipſum corpus Chriſti, ſed ſolum ſacramentum eius: quia ſcilicet non pertingit viſus ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ſolum ad ſpecies ſacramentales: vt ſupra dictum eſt. * Sed ille qui manducat, non ſolum ſumit ſpecies ſacramentales, ſed etiam ipſum Chriſtum, qui eſt ſub eis. Et ideo à viſione corporis Chriſti nullus prohibetur, qui ſit ſacramentum Chriſti conſecutus, ſcil. baptiſmum. Non baptizati autem non ſunt admittendi etiam ad inſpectionem huius ſacramenti: vt patet per Dionyſ. * in lib. Eccleſiaſt. hiera. Sed ad manducationem non ſunt admittendi, niſi ſoli illi, qui non ſolum ſacramentaliter, ſed etiam realiter ſunt Chriſto coniuncti.

q. 76. a. 7.

c. 7. Eccleſ. hier. p. 3. paulo à pr.

AD quintum dicendum, quòd hoc quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter. Vno modo per culpam ſuam: vel quia per ignorantiam iuris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum (puta, ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale) vel quia negligens eſt in examinatione ſuiipſius: contra id quod Apoſtolus dicit primæ Corint. 11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati, quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum. Alio modo poteſt contingere ſine culpa ipſius: puta cùm doluit de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus. Et in tali caſu non peccat ſumendo corpus Chriſti: quia homo per certitudinem ſcire non poteſt, vtrum ſit verè contritus. Sufficit enim, ſi in ſe ſigna contritionis inueniat, puta ſi doleat de præteritis, & proponat cauere de futuris. Si vero ignorat hoc quod fecit, eſſe actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excuſat; puta ſi acceſſit ad non ſuam, quam credebat eſſe ſuam; non eſt ex hoc dicendus peccator. Similiter etiam ſi totaliter eſt peccatum oblitus, ſufficit ad eius deletionem generalis contritio: vt infra dicetur *. Vnde iam non eſt dicendus peccator.

Neſt com. plenit morte præmeditat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm accedere ad hoc Sacramentum cum conſcientia peccati, ſit grauiſſimum omnium peccatorum.

482 AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd accedere ad hoc ſacramentum cum conſcientia peccati, ſit grauiſſimum omnium peccatorum. Dicit enim Apoſtolus primæ ad Cor. 11. Quicunque manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. gloſſ. ibidem *. Hoc eſt, ac ſi Chriſtum occiderit puniretur. Sed peccatum Chriſtum occidentium, videtur fuiſſe grauiſſimum. Ergo & hoc peccatum, quo aliquis cum conſcientia peccati ad menſam Chriſti accedit, videtur eſſe grauiſſimum.

4. d. 9. a. 3. q. 3. & 1. Cor. 11. le. 3. co. 3. gl. interl. ib. ... ſententia.

¶ 2 Præterea, Hieronym. dicit in quadam Epiſtola. Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum Deo fabularis: dic ſacerdos, dic clerice, qualiter eiſdem labiis filium Dei oſculeris, quibus oſculatus es labia meretricis? cum Iuda, oſculo Filium hominis tradis. Et ſic videtur fornicator ad menſam Chriſti accedens peccare, ſicut Iudas peccauit: cuius peccatum fuit grauiſſimum. Sed multa alia peccata ſunt grauiora quàm peccatum fornicationis, & præcipue peccatum infidelitatis. Ergo cuiuslibet peccatoris ad menſam Chriſti accedentis peccatum eſt grauiſſimum.

¶ 4 Præterea, Magis eſt abominabilis Deo immunditia ſpiritualis, quàm corporalis. Sed ſi quis proiiceret corpus Chriſti in lutum vel ſterquilinium, grauiſſimum reputaretur eius peccatum. Ergo grauius peccat, ſi ipſum ſumat cum peccato, quod eſt immunditia ſpiritualis. Ergo hoc peccatum eſt grauiſſimum.

SED contra eſt, quod ſuper illud Ioan. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, dicit Auguſt. * hoc intelligendum eſſe de peccato infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata. Et ita videtur, hoc peccatum non eſſe grauiſſimum, ſed magis peccatum infidelitatis.

Tract. 89. in Ioan. ... & ... 9.

CONCLVSIO.

Peccatum accedentium ad Sacramentum cum mortalis criminis conſcientia, quamquam ſecundum ſuam ſpeciem grauius ſit pluriſque aliis, non eſt tamen omnium grauiſſimum.

RESPONDEO dicendum, quòd (ſicut in Secunda parte dictum eſt *) dupliciter aliquod peccatum poteſt dici grauius alio. Vno modo per ſe: alio modo per accidens. Per ſe quidem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte obiecti. Et ſecundum hoc, quanto id contra quod peccatur, eſt maius, tanto peccatum eſt grauius. Et quia diuinitas Chriſti eſt maior humanitate ipſius, & ipſa humanitas eſt potior quàm ſacramenta humanitatis, inde eſt, quod grauiſſima peccata ſunt quæ committuntur in ipſam diuinitatem: ſicut eſt peccatum infidelitatis & blaſphemiæ. Secundario autem ſunt grauia peccata, quæ committuntur in humanitatem Chriſti: Vnde & Matt. 12. dicitur. Qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Tertio autem loco ſunt peccata, quæ committuntur contra ſacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti. Et poſt hæc ſunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem vnum peccatum eſt grauius alio ex parte peccantis: puta, peccatum quod eſt ex ignorantia vel infirmitate, eſt leuius peccato quod eſt ex contemptu, vel ex certa ſcientia. Et eadem ratio eſt de aliis circunſtantiis. Et ſecundum hoc iſtud peccatum in quibuſdam poteſt eſſe grauius: ſicut in his qui ex actuali contemptu, cum conſcientia peccati ad hoc ſacramentum accedunt, in quibuſdam vero minus graue: puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, eiuſmodi conſcientia

1. 2. q. 73. ar. 6. & 2. 2. q. 73. art. 3.

cientia peccati ad hoc sacramentum accedunt. Sic ergo patet quod hoc peccatum est multis aliis grauius secundum suam speciem: non tamen est omnium grauissimum.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum indigne sumentium hoc sacramentum, comparatur peccato occidentium Christum secundum similitudinem (quia vtrumque committitur contra corpus Christi) non tamen secundum criminis quantitatem. Peccatum enim occidentium Christum, fuit multo grauius. Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria: hoc autem peccatum est contra corpus Christi, in specie sacramenti. Secundo, quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum.

Ad secundum dicendum, quod fornicator accipiens corpus Christi, comparatur Iudæ Christum osculanti, quantum ad similitudinem criminis (quia vterque ex signo charitatis Christum offendit) non tamen quantum ad criminis quantitatem. sicut etiam prius dictum est *. Hæc tamen criminis similitudo non minus competit aliis peccatoribus, quam fornicatoribus. Nam & per alia peccata mortalia agitur contra charitatem Christi, cuius signum est hoc sacramentum, & tanto magis, quanto peccata sunt grauiora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius sacramenti: inquantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subiicitur, & ita impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento. Plus tamen ponderat impedimentum ipsius charitatis, quam feruoris eius. Vnde & peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiæ vnitate, simpliciter loquendo maxime hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti, quod est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, vt supra dictum est *. Vnde & grauius peccat infidelis accipiens hoc sacramentum, quam fidelis peccator. & magis contemnit Christum, secundum quod est sub hoc sacramento, præsertim si non credat Christum vere sub hoc sacramento esse. quia quantum est in se, diminuit sanctitatem huius sacramenti, & virtutem Christi operantis in hoc sacramento. quod est contemnere ipsum sacramentum in seipso. Fidelis autem, qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum, non in seipso, sed quantum ad vsum, indigne accipiens. Vnde & Apostolus prima Cor. 11. assignans rationem huius peccati dicit, Non diiudicans corpus Domini, id est, non discernens ipsum ab aliis cibis, quod maxime facit ille, qui non credit Christum esse sub hoc sacramento.

Ad tertium dicendum, quod ille qui proiiceret hoc sacramentum in lutum, multo grauius peccaret quam ille qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit. Primo quidem quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacramento, quod non intendit peccator indigne corpus Christi accipiens. Secundo, quia homo peccator est capax gratiæ, vnde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum, quam quæcunque alia irrationalis creatura. Vnde maxime inordinate vteretur hoc sacramento, qui proiiceret ipsum canibus ad manducandum, vel qui proiiceret in lutum conculcandum.

in solut. præc.

q. 79. a. 1. & q. 73. a. 11.

ARTICVLVS VI.

Vtrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

483 AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. Non enim est faciendum contra Christi præceptum, propter vitandum scandalum vel infamiam alicuius. Sed Dominus præcepit Matt. 7. Nolite sanctum dare canibus. Maxime autem datur sanctum canibus, cum hoc sacramentum peccatoribus exhibetur. Ergo neque propter vitandum scandalum neque propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc sacramentum peccatori petenti dari.

Inf. q. 81. a. 2. ad 2. & 4. dist. 9. q. 2. per to. & q. 1. art. & quod. 5. art. 10.

¶ 2 Præterea, De duobus malis minus malum est eligendum. Sed minus malum esse videtur, si peccator infametur, vel etiam si ei hostia non consecrata detur, quam si sumens corpus Christi mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potius esse eligendum, quod vel infametur peccator petens corpus Christi, vel etiam quod detur ei hostia non consecrata.

¶ 3 Præterea, Corpus Christi interdum datur suspectis de crimine, ad eorum manifestationem: legitur enim in Decre.† 2. q. 4. c. Sæpe contingit, vt in monasteriis monachorum furta perpetrentur. Idcirco statuimus, vt quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, Missa ab Abbate celebretur vel ab aliquo ex præsentibus fratribus, & sic expleta Missa, omnes communicent in hæc verba, corpus Christi sit tibi hodie ad probationem, & infra *. Si Episcopo aut Presbytero aliquod maleficium fuerit imputatum, per singulas Missam celebrari debet & communicari, & de singulis sibi imputatis, innocentem se ostendere. Sed peccatores occultos non oportet manifestari: quia si frontem verecundiæ abiecerint, liberius peccabunt: vt Aug. dicit in li. de verbis Domini. Ergo peccatoribus occultis non est corpus Christi dandum etiam si petant.

In decre. 2. q. 4. ca. 24. ap. consuetud.

cap. 27.

Sed contra est, quod super illud Psal. 21. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, dicit Aug.* Non prohibeat dispensator pingues terræ, id est, peccatores, mensam Domini manducare.

Refertur d. col. d. 2. c. Non prohibeat, &c.

CONCLVSIO

Diuina maiestas & Euangelica disciplina exigit, vt manifestis ac publicis peccatoribus etiam petentibus sacra denegetur communio, non autem occultis, qui Dominicæ mensæ accedendæ ius in baptismo acceptum, nullo publico scelere amiserunt.

Respondeo dicendum, quod circa peccatores distinguendum est. Quidam enim sunt occulti, quidam vero manifesti, scil. per euidentiam facti: sicut publici vsurarii, aut publici raptores: vel etiam per aliquod iudicium Ecclesiasticum vel seculare. Manifestis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus sacra communio dari. Vnde Cypr.† scribit ad quendam, Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo, qui apud vos constitutus adhuc in artis suæ dedecore perseuerat, an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari, puto nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari. Cum enim quilibet Christianus ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest ei ius suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Vnde super illud 1. Cor. 5. Si is qui frater nominatur inter vos, &c. dicit gl. Aug.* Nos à communione quenquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico vel seculari nominatum atque conuictum. Potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur. Nam post pœnitentiam & reconciliationem, etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, præcipue in articulo mortis. Vnde in concilio Carthaginen.* legitur, Scenicis atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, vel apostatis conuersis ad Deum, reconciliatio non negetur.

l. 1. Epist. epi. 10. in princ.

in lib. de medicin. pœnit. c. 3. in med. t. 8.

in conc. 3. Carthag. can. 35.

Ad primum ergo dicendum, quod sancta prohibentur dari canibus, id est, peccatoribus manifestis. Sed occulta non possunt publice puniri, sed sunt diuino iudicio reseruanda.

Ad secundum dicendum, quod licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo corpus Christi, quam infamari: tamen sacerdoti ministranti corpus Christi, peius est peccare mortaliter, infamando iniuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, vt alium liberet à peccato. Vnde Aug. dicit † in lib. quæst. super Genes. periculosissime admittitur hæc compensatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malum faciat. Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad mensam Domini accedere. Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ: quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, siue alios præsentes, siue etiam ipsum sumentem. quia vt Aug.* dicit, nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret. Vnde extra de celebratione miss. † cap. de homine, dicitur. Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter, si se ingerat irreuerenter ad illud, grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præsumpserit simulare.

in q. 42. t. 4.

in Ps. 98. circa med. conc. 2. t. 8.

† in Dec. l. 3. t. 41. c. 7. in prin.

Ad tertium dicendum, quod decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa*, Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione, confessionem extorqueri à quolibet, sacri canones non concedunt. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione, publicata delicta commissa sunt regimini nostro iudicare: occulta vero & incognita, illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum. Et idem habetur extra de purgationibus †, cap. ex tuarum. In omnibus enim talibus esse videtur Dei tentatio, vnde sine peccato fieri non possunt. Et grauius videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. vnde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.

Refertur 2. q. 5. c. Consuluisti.

in Dec. l. 5. t. 35. c. 8. Ex tuarum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius sacramenti.

AD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur quod nocturna pollutio non impediat aliquem à sumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur à sumptione corporis Christi, nisi propter peccatum. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato: dicit enim August.* 12. super Genes. ad lite. Ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinantis, cum expressa fuerit in visione somniantis, vt inter illam & veram coniunctionem corporum non discernatur, continuo mouetur caro, & sequitur quod eam motum sequi solet, cum hoc tam sine peccato fiat, quam sine peccato à vigilantibus dicitur. quod vt diceretur, procul dubio cogitatum est. Ergo nocturna pollutio non impedit hominem ab eius sacramenti sumptione. 484

2. 2. q. 154. a. 5. & 4. d. 9. a. 4. q. 2. & ver. q. 28. ar. 3. ad 6.

* li. 12. c. 15. in me. t. 3.

¶ 2 Præterea, Greg.† dicit in Epist. ad August. Episcopum Anglorum. Si quis sua coniuge non cupidine voluptatis captus, sed tantum procreandorum liberorum gratia vtitur, ille profecto siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo corporis Dominici mysterio, suo est iudicio relinquendus: quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne positus, nescit ardere. Ex quo patet quod carnalis pollutio etiam vigilantis, si sit sine peccato, non prohibet hominem à sumptione corporis Christi. Multo igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

in fin. lib. 12. regist. ad 10. interrogationem. Aug. cap. 10. non longe à fin. & hab. 33. q. 4. cap. 7.

¶ 3 Præterea, Nocturna pollutio videtur solam immunditiam corporalem habere. Sed aliæ immunditiæ corporales, quæ secundum legem impediebant ab ingressu Sanctorum, in noua lege non impediunt à sumptione huius sacramenti: sicut de muliere pariente, vel menstruata, vel fluxum sanguinis patiente, scribit beatus Greg.* Augustino Anglorum Episcopo. Ergo videtur, quod neque etiam nocturna pollu-

Post med. loco nunc dicto post ante me. cap. 10.

tio

tio impediat hominem à sumptione huius sacramenti.

¶ 4 Præterea, Peccatum veniale non impedit hominem à sumptione huius sacramenti, sed nec etiam peccatum mortale post pœnitentiam. Sed dato quod nocturna pollutio proueniat ex aliquo peccato præcedenti (siue crapulæ siue turpium cogitationum) plerunque tale peccatum est veniale: & si aliquando sit mortale, potest contingere quòd de mane pœniteat, & peccatum suum confiteatur. Ergo videtur, quòd non debeat impediri à sumptione huius sacramenti.

¶ 5 Præterea, Grauius peccatum est homicidij, quàm fornicationis. Sed si aliquis de nocte somniet se homicidium perpetrare, aut furtum, aut quodcunque aliud peccatum, non propter hoc impeditur à sumptione corporis Christi. Ergo videtur, quod multo minus fornicatio somniata cum pollutione subsequente, impediat à sumptione huius sacramenti.

Sed contra est, quod Leuiti. 15. dicitur, Vir de quo egredietur semen coitus, immundus erit vsque ad vesperum. Sed immundis non patet aditus ad sacramenta. Ergo videtur, quod propter pollutionem nocturnam aliquis impediatur à sumptione huius sacramenti, quod est maximum sacramentorum.

CONCLVSIO.

Quamquam nocturna pollutio quam nullum mortale crimen præcessit, vel causauit, non impediat necessariò à sacramenti perceptione, decet tamen sic indispositum abstinere.

Respondeo dicendum, quod circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari. Vnum quidem, ratione cuius ex necessitate impedit hominem à sumptione huius sacramenti. Aliud autem, ratione cuius non ex necessitate impedit hominem ab huiusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentia. Ex necessitate quidem impedit hominem ab huius sacramenti perceptione solum peccatum mortale. Et quamuis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata, peccatum mortale esse non possit: nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim prouenit à causa extrinseca spirituali, scil. ex dæmonum illusione: qui sicut in prima parte habitum est [q. 111. art. 3.], phantasmata commouere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero prouenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate siue debilitate naturæ, siue etiam ex superfluitate cibi vel potus. Quælibet autem harum trium causarum potest & sine peccato & cum peccato veniali vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato vel cum peccato veniali non ex necessitate impedit sumptionem huius sacramenti: ita scilicet quod homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si vero sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque prouenit ex præcedenti negligentia præparationis ad deuotionem [Alias, deuotionem] [illegible], quæ potest esse & mortale & veniale peccatum. Quandoque vero prouenit ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem à sumptione huius sacramenti. Vnde legitur in collationibus patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum, seniores comperto, quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreuerunt quod propter hoc à communione non cessaret, & ita cessauit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lasciuæ, quandoque possunt esse omnino sine peccato: puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ, ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Aug. * supra inducta [In arg. 1.]. Quandoque vero præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia & delectatione; & si adsit consensus, erit peccatum mortale: si autem desit, erit veniale. Similiter etiam & causa corporalis quandoque est sine peccato: puta cum est ex infirmitate naturæ. Vnde & quidam etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur. Vel etiam si sit ex superfluitate naturæ: sicut enim contingit sanguinē fluere absque peccato, ita & semē, quod est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum * [Lib. 1. de gen. ani. c. 18. & lib. 3. cap. 19 partium a 8. & [illegible]]. Quandoque vero est cum peccato: puta cum prouenit ex superfluitate cibi vel potus, & hoc etiam potest esse peccatum veniale vel mortale: licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus quàm circa sumptionem cibi & potus. Vnde & Greg. * [illegible] scribens Aug. Anglorum Episcopo dicit, cessandum esse à communione, quando ex turpibus cogitationibus prouenit: non autem quando prouenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, vtrùm nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem huius sacramenti. Ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo, quorum vnum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reuerentiam sacramenti, non decet ad altare accedere (vnde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lauant), nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna: sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid huiusmodi. Aliud autem est euagatio mentis quæ sequitur pollutionem nocturnam præcipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate prouenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta vt Greg. dicit. * [Vbi sup. in resp. ad interrog. 11. Aug. ante med.] cum forsitan aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.

Ad primum ergo dicendum, quod ex necessitate quidem non impeditur homo à sumptione huius sacramenti, nisi propter peccatum mortale, sed ex quadam conuenientia potest homo impediri propter alias causas: sicut dictum est * [In corp. art.].

Ad secundum dicendum, quod coitus coniugalis si fit sine peccato (puta, si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum) non alia ratione impedit sumptionem huius sacramenti, nisi sicut dictum est † de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem & mentis distractionem. Ratione cuius Hieron † dicit super Mat. Si panes propositionis ab his qui vxores tetigerant comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulo ante hæsere complexibus, violari atque contingi? non quod nuptias condemnemus: sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus. Sed quia hoc secundum congruitatem, & non secundum necessitatem est intelligendum, Gregor. † dicit, quod talis est suo iudicio relinquendus. Si vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere (vt ibidem Gre. subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc sacramentum. [In cor. art.] [Refertur 32. q. 4. ca. Scimus.] [Loco in. m. arg. & habetur 33. q. 4. c. Vir cum propria.]

Ad tertium dicendum, quod sicut Gre. dicit † in epistola supradicta ad Aug. Anglorum Episcopum, in veteri Testamento aliqui polluti dicebantur figuraliter, quod populus nouæ legis spiritualiter intelligit. Vnde huiusmodi corporales immunditiæ, si sint perpetuæ vel diuturnæ, non impediunt sumptionem huius sacramenti salutaris, sicut impediebant accessum ad sacramenta figuralia. Si vero cito transeant (sicut immunditia pollutionis nocturnæ) ex quadam congruentia impediunt sumptionem huius sacramenti, per illum diem quo hoc accidit. Vnde & Deut. 23. dicitur: Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua. [In fi. regi[stri] ad 11. interrog. 10. à med.]

Ad quartum dicendum, quod licet per contritionem & confessionem auferatur reatus culpæ: non tamen aufertur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione consecuta.

Ad quintum dicendum, quod somnium homicidij non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam distractionem mentis, sicut fornicatio somniata propter delectationis intentionem. Si tamen somnium homicidij proueniat ex causa, quæ est peccatum, præsertim mortale, impedit à sumptione huius sacramenti, ratione suæ causæ.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm cibus vel potus præassumptus impediat sumptionem huius sacramenti.

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod cibus vel potus præassumptus non impediat sumptionem huius sacramenti. Hoc enim sacramentum est à Domino institutum in cœna. Sed Dominus postquam cœnauit, hoc sacramentum discipulis suis tradidit: sicut patet Lucæ 22. & primæ Cor. 11. Ergo videtur quod etiam post alios cibos assumptos nos debeamus sumere hoc sacramentum. 485 [Infra ar. 9. co. & 2. 2. q. 174. art. 6. ad 2. & 4. d. 8. q. 1. & 2. & 1. Cor. 11. lect. 4. & 6.]

¶ 2 Præterea, Primæ Cor. 11. dicitur, Cùm conuenitis ad manducandum, scilicet corpus Domini, inuicem expectate: si quis autem esurit, domi manducet. Et ita videtur quod postquam aliquis domi manducauerit, possit in Ecclesia corpus Christi manducare.

¶ 3 Præterea, In concilio Carthaginensi legitur, & habetur de consec. dist. 1. * Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur. Ergo saltem illa die aliquis potest corpus Christi post alios cibos sumere. [In conc. 3. Carth. can. 29. & habetur de cons. dist. 1. c. Sacramenta altaris.]

¶ 4 Præterea, Sumptio aquæ, vel medicinæ, vel alterius cibi, vel potus in minima quantitate, vel reliquiarum cibi in ore manentium, neque ieiunium Ecclesiæ soluit, neque sobrietatem tollit, quæ exigitur ad hoc quod aliquis reuerenter sumat hoc sacramentum. Ergo per prædicta non impeditur aliquis à sumptione huius sacramenti.

¶ 5 Præterea, Quidam de nocte profunda comedunt aut bibunt, & forte totam noctem insomnem ducentes, de mane percipiunt sacra mysteria nondum plene digesti. Minus autem impediretur sobrietas hominis, si in mane parum comederet, & postea circa nonam sumeret hoc sacramentum: cum etiam sit quandoque maior distantia temporis. Ergo videtur, quod talis cibi præassumptio non impediat hominem ab hoc sacramento.

¶ 6 Præterea, Non minor reuerentia debetur huic sacramento iam sumpto, quàm ante sumptionem. Sed sumpto sacramento licet cibum aut potum sumere. Ergo & ante sumptionem.

Sed contra est, quod Aug. † dicit in lib. responsionum ad Ianuarium, Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi. [Epist. 118. tom. 2. ante medium.]

CONCLVSIO.

Solum mortale crimen impedit secundum se huius sacramenti sumptionem, cibus vel potus præassumptus non nisi ex rationabili Ecclesiæ statuto, tum ob sacramenti honorem & significationem, tum etiam ob vomitus & ebrietatis periculum.

Respondeo dicendum, quod aliquid impedit sumptionem huius sacramenti dupliciter. Vno modo secundum se: sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significatum huius sacramenti, vt supra dictum est *. Alio modo propter prohibitionem Ecclesiæ. Et sic impeditur aliquis à sumptione huius sacramenti post cibum & potum assumptum, triplici ratione: Primo quidem, sicut Aug. † dicit in honorem huius sacramenti: vt scilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo vel potu infectum. [Art. præc. & art. 4. huius qu.] [Epi. 118. tom. 2. ante med. ca. 6.]

Secundo, propter significationem, vt scilicet detur intelligi, quod Christus (qui est res huius sacramenti) & charitas eius, debet prius fundari in cordibus nostris: secundum illud

Matth. 6. Quærite primùm regnum Dei. Tertiò, propter periculum vomitus & ebrietatis, quæ quandoque contingeret ex hoc quod homines inordinatè cibis vtuntur: ſicut & Apoſtolus dicit primæ Cor. 11. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi: qui ſtatim communicandi ſunt etiam poſt cibum, ſi de eorum periculo dubitatur, ne ſine communione decedant, quia neceſſitas legem non habet. Vnde dicitur de conſ. diſt. 2. Presbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur.

De conſ. diſt. 2. cap. Presbyter.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Aug. in eodem lib. dicit, Neque quia poſt cibos Dominus dedit, propterea pranſi aut cœnati fratres ad hoc ſacramentum accipiendum conuenire debent, aut menſis ſuis miſcere: ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat. Namque Saluator, quo vehementiùs commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum. Et ideo non præcepit quod deinceps tali ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruare hunc † modum.

epiſt. 118. c. 6. in med. tom. 2.

† al. locum

Ad ſecundum dicendum, quod illud verbum in gl. ſic exponitur †: Si quis eſurit, & impatiens non vult expectare alios, manducet domi cibos ſuos, id eſt, pane terreno paſcatur, neque poſt Euchariſtiam ſumat.

ex gl. in ter. ibi. cum ſ. ſtr.

Ad tertium dicendum, quod capitulum illud loquitur ſecundum conſuetudinem aliquando apud aliquos obſeruatam, vt in repræſentationem Dominicæ cœnæ illo die à non ieiunis corpus Chriſti ſumeretur. Sed nunc hoc abrogatum eſt, nam ſicut Aug. in * ſr prædicto dicit: Per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur, vt ſcilicet corpus Chriſti à ieiunis ſumatur.

ep. 118. ca. 6. ante med. t. 2.

Ad quartum dicendum, quod (ſicut in Secunda parte habitum eſt †) duplex eſt ieiunium. Primum eſt ieiunium naturæ, quod importat priuationem cuiuſcunque præaſſumpti per modum cibi vel potus, & tale ieiunium requiritur ad hoc ſacramentum propter prædicta †. Et ideo neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcunque parua quantitate, licet hoc ſacramentum accipere. Nec refert vtrum aliquid huiuſmodi nutriat vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs, dummodo ſumatur per modum cibi vel potus. Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore ſi caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem huius ſacramenti: quia non traijciuntur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. Et eadem ratio eſt de reliquijs aquæ vel vini, quibus os abluitur: dummodo non traijciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſaliuæ; quod vitari non poteſt. Aliud autem eſt ieiunium Eccleſiæ: quod inſtituitur ad carnis macerationem. Et tale ieiunium per prædicta non impeditur, quia prædicta non multum nutriunt, ſed magis ad alterandum ſumuntur.

2. 2. quæſt. 147. a. 6. ad 2. & 3. ſupr. art.

Ad quintum dicendum, quod in hoc quod dicitur, quod hoc ſacramentum priuſquam alij cibi, debet in os Chriſtiani intrare, non eſt intelligendum abſolutè reſpectu totius temporis, alioquin qui ſemel manducaſſet vel bibiſſet, nunquam poſſet poſtea hoc ſacramentum accipere, ſed eſt intelligendum quantum ad eundem diem. Et licet principium diei ſecundum diuerſos diuerſimodè ſumatur: nam quidam à meridie, quidam ab occaſu, quidam à media nocte, quidam ab ortu ſolis, diem incipiunt: Eccleſia tamen Romana diem à media nocte incipit. Et ideo ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi vel potus, non poteſt eadem die hoc ſumere ſacramentum; poteſt vero, ſi ante mediam noctem: Nec refert vtrum poſt cibum vel potum aſſumptum dormierit, aut etiam digeſtus ſit, quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomnietatem, vel indigeſtionem. Ex quibus ſi mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad ſumptionem huius ſacramenti.

Ad ſextum dicendum, quod maxima deuotio requiritur in ipſa ſumptione huius ſacramenti: quia tunc percipitur ſacramenti effectus, quæ quidem deuotio magis impeditur per præcedentia, quàm per ſequentia. Et ideo magis eſt inſtitutum, quod homines ieiunent ante ſumptionem huius ſacramenti, quam poſt. Debet tamen eſſe aliqua mora inter ſumptionem huius ſacramenti & reliquos cibos. Vnde & in miſſa, oratio gratiarum actionis poſt communionem dicitur, & communicantes etiam ſuas priuatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones ſtatutum fuit à Papa Clemente (vt habetur de conſ. diſt. 2. *) Si mane Dominica portio editur, vſque ad ſextam ieiunent miniſtri, qui eam ſumpſerunt, & ſi tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vſque ad veſperum. Antiquitus enim rarius miſſarum ſolemnia celebrabantur, & cum maiori præparatione: nunc autem, quia oportet frequentius ſacra myſteria celebrare, non poſſet de facili obſeruari, & ideo per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum.

De conſ. diſt. 2. cap. Tribus gradibus.

ARTICVLVS IX.

Vtrum non habentes vſum rationis, debeant ſuſcipere hoc Sacramentum.

486 AD Nonum ſic proceditur. Videtur, quod non habentes vſum rationis, non debeant hoc ſacramentum ſuſcipere. Requiritur enim quod aliquis ad hoc ſacramentum cum deuotione, & præcedente ſui examinatione accedat, ſecundum illud 1. Cor. 11. Probet ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat & de calice bibat. Sed hoc non poteſt eſſe in his, qui carent vſu rationis: Ergo non debet eis hoc ſacramentum dari.

¶ 2 Præterea, Inter alios qui carent vſu rationis, ſunt etiam arreptitij, qui energumeni dicuntur. Sed tales etiam ab inſpectione huius ſacramenti arcentur: ſecundum Dion.* in lib. eccl. hier. Ergo carentibus vſu rationis, hoc ſacramentum dari non debet.

¶ 3 Præterea, Inter alios carentes vſu rationis, maximè pueri videntur eſſe innocentes. Sed pueris hoc ſacramentum non exhibetur. Ergo multo minus alijs carentibus vſu rationis.

Sed contra eſt, quod legitur in concilio Arauſicano (& habetur in Decret. 26. quæſt. 6. cap. qui recedunt.) Amentibus quæcunque pietatis ſunt, conferenda ſunt. Et ita eis eſt conferendum hoc ſacramentum: quod eſt ſacramentum pietatis.

In ſeſtamento cõn. & habetur de conſ. diſt. 4. cap. qui recedunt.

CONCLVSIO.

Non quicunque vſu rationis carentes arcendi ſunt à ſumptione Euchariſtiæ, ſed ij, qui nunquam habuerunt vſum rationis: his qui vero à principio habuerunt rationis vſum, & poſtea caruerunt, ſi cum rationis compotes erant, deuotionem oſtenderunt, in articulo mortis exhiberi poteſt ſacramentum, niſi fortè vomitus vel expuitionis periculum timeatur.

Respondeo dicendum, quod aliqui dicuntur non habere vſum rationis dupliciter. Vno modo, quia habent debilem vſum rationis, ſicut dicitur non videns, qui male videt. Et quia tales poſſunt aliquam deuotionem huius ſacramenti concipere, non eſt eis hoc ſacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter vſum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt vſum rationis: ſed ſic à natiuitate permanſerunt. Et ſic talibus non eſt hoc ſacramentum exhibendum: quia in eis nullo modo præceſſit huius ſacramenti deuotio. Aut non ſemper caruerunt vſu rationis; & tunc ſi prius, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis deuotio huius ſacramenti, debet eis in articulo mortis hoc ſacramentum exhiberi: niſi fortè timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. Vnde in concilio Carthaginenſi legitur (& habetur in Decret. 26. quæſt. ſecunda.) Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuerſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.

in concil. Carth. c. 76. & habetur 26. q. 6. c. Is qui pœnitentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod carentes vſu rationis poſſunt deuotionem ad ſacramentum habere, quantum ad aliquos quidem præſentem, quantum ad alios autem præteritam.

Ad ſecundum dicendum quod Dionyſ.* loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis: in quibus ſcilicet nondum eſt vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis, qui corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur, eſt eadem ratio, & de alijs amentibus. Vnde Caſſianus dicit, Eis qui ab immundis vexantur ſpiritibus, communionem ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam.

ſeſtamento in e. 3.

Ad tertium dicendum, quod eadem ratio eſt de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt vſum rationis: vnde talibus non ſunt ſacra myſteria danda. Quamuis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quod Dionyſ. 2. * Eccleſ. hier. dicit, baptizatis eſſe ſacram communionem dandam, non intelligentes quod Dionyſ. ibi loquitur de baptiſmo adultorum. Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit Ioannis 6. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia ſicut Auguſtinus * ſcribit Bonifacio, tunc vnuſquiſque fidelium, corporis & ſanguinis Domini particeps fit, ſcilicet ſpiritualiter, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur. Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem vſum rationis habere, vt poſſint deuotionem concipere huius ſacramenti, tunc poteſt eis hoc ſacramentum conferri.

ca. 2. ſi p. 3. in fin.

refertur de conſ. diſt. 4. Nulli.

ARTICVLVS X.

Vtrum liceat quotidie hoc ſacramentum ſuſcipere.

487 AD Decimum ſic proceditur. Videtur, quod non liceat quotidie hoc ſacramentum ſuſcipere. Sicut enim baptiſmus repræſentat Dominicam paſſionem, ita & hoc ſacramentum. Sed non licet pluries baptizari, ſed ſemel tantum: quia Chriſtus ſemel tantum pro peccatis noſtris mortuus eſt, ſecundum 1. Petr. 3. Ergo videtur quod non liceat hoc ſacramentum quotidie ſuſcipere.

¶ 2 Præterea, Veritas debet reſpondere figuræ. Sed agnus Paſchalis, qui fuit figura præcipua huius ſacramenti (vt ſupra dictum eſt *) non manducabatur, niſi ſemel in anno. Semel etiam in anno eccleſia celebrat Chriſti paſſionem, cuius hoc ſacramentum eſt memoriale. Ergo videtur, quod non liceat quotidie ſumere hoc ſacramentum, ſed ſolùm ſemel in anno.

¶ 3 Præterea, Huic ſacramento, in quo totus Chriſtus continetur, maxima reuerentia debetur. Ad reuerentiam autem pertinet, quod aliquis ab hoc ſacramento abſtineat, vnde & laudatur Centurio qui dixit Matt. 8. Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. & Petrus, qui dixit Luc. 5. Exi à me quia homo peccator ſum Domine. Ergo non eſt laudabile, quod homo quotidie hoc ſacramentum ſuſcipiat.

¶ 4 Præterea, ſi eſſet laudabile frequenter hoc ſacramentum accipere, quanto frequentius ſumeretur tanto eſſet laudabilius. Sed maior eſſet frequentia, ſi homo pluries in die ſumeret hoc ſacramentum. Ergo eſſet laudabile quod homo pluries in die communicaret. Quod tamen non habet eccleſiæ conſuetudo. Non ergo videtur eſſe laudabile, quod aliquis quotidie hoc ſacramentum accipiat.

¶ 5. Præter-

¶ 5 Præterea, Ecclesia intendit suis statutis fidelium vtilitati prouidere. Sed ex statuto Ecclesiæ fideles tenentur solum semel communicare in anno: vnde dicitur * extra de pœn. & rem. Omnis vtriusque sexus fidelis suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Non ergo est laudabile, quod quotidie hoc sacramentum sumatur.

in dec. l. 5. tit. 38. cap. omnis vtriusque. est cap. 8.

Sed contra est, quod Aug. * dicit in li. de verbis Domini: Iste panis quotidianus est, accipe quotidie vt quotidie tibi prosit.

in ser. 28. parũ ante me. to. 10.

CONCLVSIO.

Cùm virtus huius sacramenti hominibus in primis salutaris sit, expedit quotidie illud sumere, si quis se quotidie debita cum deuotione præparatum inueniat, quod propter multa impedimenta non nimirum contingit.

Respondeo dicendum, quod circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari. Vnum quidem ex parte ipsius sacramenti cuius virtus est hominibus salutaris. Et ideo vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde Amb. dicit in lib. * de sacramentis, Si quotiescunque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere: qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Vnde Aug. * cum dixisset, Accipe quotidie vt quotidie tibi prosit, subiungit, Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ: non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescunque se ad illud homo inuenerit præparatum. Vnde in li. * de eccl. dog. dicitur, Quotidie eucharistiæ communionem accipere, nec laudo nec vitupero.

li. 4. ca. 6. à me. t. 4. de cons. d. 2. c. 4.
in ser. 28. de ver. dom. parũ ante me. to. 10.
c. 53. inter. habetur. in hac inter opera Aug. to. 3. habetur de cons. d. 2. c. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod per sacramentum baptismi configuratur homo morti Christi in se suscipiens eius characterem: & ideo sicut Christus semel mortuus est: ita solum semel debet homo baptizari. Sed per hoc sacramentum non recipit homo Christi characterem. Sed ipsum Christum, cuius virtus manet in æternum. Vnde Heb. 10 dicitur, Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, & ideo quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentum suscipere. Et quia præcipue baptismus est spiritualis regeneratio, ideo sicut homo semel carnaliter nascitur, ita debet semel spiritualiter renasci per baptismum, vt Aug. * dicit super illud Ioa. 3. Quomodo potest homo nasci cum sit senex. Sed hoc sacramentum est cibus spiritualis: vnde sicut cibus corporalis quotidie sumitur: ita & hoc sacramentum quotidie sumere, laudabile est. Vnde Dominus Lucæ 11. docet petere, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. In cuius expositione Augu. dicit in * libro de verbis Domini, Si quotidie accipis, scilicet hoc sacramentũ, quotidie tibi est hodie, tibi quotidie Christus resurgit: hodie enim est quando Christus resurgit.

tract. 9. in euan. Ioan. non multo ante med. tom. 9.
in ser. 28. de ver. dom. à me. nta.

Ad secundum dicendum, quod agnus Paschalis præcipue fuit figura huius sacramenti, quantum ad passionem Christi, quæ repræsentatur per hoc sacramentum. Et ideo semel tantum in anno sumebatur, quia Christus semel mortuus est: & propter hoc etiam Ecclesia celebrat semel in anno memoriam passionis Christi. Sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur. Et ideo quantum ad hoc significatur per manna, quod quotidie dabatur populo in deserto.

Ad tertium dicendum, quod reuerentia huius sacramenti habet timorem amori coniunctum (vnde timor reuerentiæ ad Deum, dicitur timor filialis: vt in secunda * parte dictum est) ex amore enim prouocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reuerendi. Et ideo vtrumque pertinet ad reuerentiam huius sacramenti, & quod quotidie sumatur, & quod aliquando abstineatur. Vnde Aug. dicit *, Si dixerit quispiam non quotidie accipiendam eucharistiam, alius contra: faciat vnusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim litigauerunt inter se Zachæus & ille Centurio: cùm alter eorum gaudens susceperit Dominum: alter dixit, Non sum dignus, vt intres sub tectum meum: ambo saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo: amor tamen & spes, ad quæ semper scriptura nos prouocat, præferuntur timori. Vnde & cum Petrus dixisset, Exi à me Domine, quia homo peccator sum, respondit Iesus, Noli timere.

1. 2. q. 67. a. 4. ad 2. & 2. 2. qu. 19. a. 9. & alias.
epist. 118 ca. 3. to. 2.

Ad quartum dicendum, quod quia Dominus dicit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non est pluries in die communicandum, vt saltem per hoc quod aliquis semel in die communicat, repræsentetur vnitas passionis Christi.

Ad quintum dicendum, quod secundum diuersum statum ecclesiæ, diuersa circa hoc statuta emanauerunt. Nam in primitiua ecclesia, quando magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus * Papa dicit, Peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia. Postmodum vero diminuto fidei feruore, Fabianus Papa † indulsit, vt si non frequentius saltem ter in anno, omnes communicent scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Soter. * etiam Papa in cœna Domini dicit esse communicandum, vt habetur in Decretis, de cons. d. 2. Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius III. † vt saltem semel in anno, scilic. in Pascha, fideles communicent. Consulitur tamen, in li. * de eccl. dogmat. omnibus diebus Dominicis esse communicandum.

*in epist. sua 2. in med. illius. & habetur de cons. d. 2. c. episco. de cons. d. 2. c. etsi non frequentius. in epi. ad epi. Italiæ & cans. d. 2. in cœna. † Innoc. III. in conc. Lateran. cap. 21. * c. 53. cor. prio. habetur liber hic inter opera Aug. tom. 3.*

ARTICVLVS XI.

Vtrùm liceat omnino à communione cessare.

Ad vndecimvm sic proceditur. Videtur, quòd liceat cessare omnino à communione. Laudatur enim Centurio de hoc quod dicit Matthæi Octauo, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Cui comparatur ille qui reputat à communione sibi esse abstinendum, vt dictum est *. Cum ergo nunquam legatur Christum in eius domum venisse, videtur, quòd liceat alicui toto tempore vitæ suæ à communione abstinere. 486

4. d. 12. q. 3. art. 2.
art. præc. arg. 3.

¶ 2 Præterea, Cuilibet licet abstinere ab his, quæ non sunt de necessitate salutis. Sed hoc sacramentum non est de necessitate salutis, vt supra dictum est * Ergo licet à sumptione huius sacramenti omnino cessare.

q. 73. a. 3.

¶ 3 Præterea, Peccatores non tenentur communicare. Vnde Fabianus Papa * cum dixisset, Ter in anno omnes communicent, adiunxit, nisi forte quis maioribus criminibus impediatur. Si ergo illi, qui non sunt in peccato tenentur communicare, videtur, quod melioris conditionis sint peccatores, quam iusti: quod est inconueniens. Ergo videtur, quod etiam iustis liceat à communione cessare.

habetur de cons. d. 2. c. etsi non frequentius.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

CONCLVSIO.

Cum spiritualis eucharistiæ sumptio, quæ ad salutem necessaria est, percipiendi sacramenti votum includat, votum autem frustra sit nisi cum adest oportunitas, impleatur, perspicuum est non solum ex statuto ecclesiæ, sed etiam ex Christi mandato homines ad Eucharistiam sumendam obligari.

Respondeo dicendum quod (sicut supra dictum est *) duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, scilicet spiritualis, & sacramentalis. Manifestum est autem, quòd omnes tenentur saltem spiritualiter manducare: quia hoc est Christo incorporari, vt † supra dictum est. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc sacramentum, vt supra dictum est *. Et ideo sine voto percipiendi hoc sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini, dicentis Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. Ex statuto autem Ecclesiæ † sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum.

a. 1. huius q. & q. 71 a. 3. ad 1.
q. 73. a. 3
ibidem
cap. omnis vtriusque sexus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Greg. * dicit in pastorali, Illa est vera humilitas, cùm ad respuendum, quod vtiliter præcipitur, pertinax non est. Et ideo non potest esse laudabilis humilitas, si contra præceptum Christi & Ecclesiæ aliquis omnino à communione abstineat: neque enim Centurioni præceptum fuit, vt Christum in sua domo reciperet.

in 1. parte c. 6. circa princ.

Ad secundum dicendum, quòd hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis, sicut baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramento baptismi, quantum vero ad adultos, vtrumque est necessitatis.

Ad tertium dicendum, quòd peccatores magnum detrimentum patiuntur, ex hoc quod repelluntur à perceptione huius sacramenti, vnde per hoc non sunt melioris conditionis. Et licet in peccatis permanentes non excusentur propter hoc à transgressione præcepti: pœnitentes tamen, qui, vt Inno. dicit *, secundum consilium sacerdotis abstinent, excusantur.

Innoc. in Conc. Lat. can. 21. & habetur. l. 5. decre. tit. 38. c. 12.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm liceat sumere corpus Christi sine sanguine.

Ad dvodecimvm sic proceditur. Videtur, quòd non liceat sumere corpus Christi sine sanguine. Dicit enim Gelasius Papa *, & habetur de consec. dist. 2. Comperimus, quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstinent: qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Non ergo licet sumere corpus Christi sine eius sanguine. 489

inf. q. 82. a. 4. & 4. d. 11. q. 3. a. 1. q. 2.
** de cons. d. 2. c. comperimus.*

¶ 2 Præterea, Ad perfectionem huius sacramenti concurrit & manducatio corporis, & potatio sanguinis: vt supra habitum est *. Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramentum imperfectum, quod ad sacrilegium pertinere videtur. Vnde ibidem Gelas. * subdit; Quia diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio prouenire nõ potest.

** q. 74. a. 1. & 78. a. 3. ad arg. 1.*

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentum celebratur in memoriam Dominicæ passionis (vt supra dictum est *) & sumitur pro animæ salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine, quàm in corpore: sanguis etiam pro salute animæ offertur: vt supra habitum est *. Potius ergo esset abstinendum à sumptione corporis, quàm à sumptione sanguinis. Ergo accedentes ad hoc sacramentum, non debent sumere corpus Christi sine eius sanguine.

loco citato in arg. 1.
q. 74. a. 1. & 76. a. 2. ad 1.
q. 76. a. 2. ad 1.

Sed contra est multarum Ecclesiarum vsus: in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.

CONCLVSIO.

Cùm ad sacerdotem pertineat consecrare & perficere hoc sacramentum, cuius perfectio in vtroque consistit, nullo modo corpus Christi sine sanguine sumere debet: alius vero propter irreuerentiæ periculum, solum Christi corpus Ecclesiæ quædam salubriter prudenter consueuerunt.

Respon

RESPONDEO dicendum, quòd circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari: Vnum ex parte ipsius sacramenti: aliud ex parte sumentium. Ex parte quidem ipsius sacramenti conuenit, quod vtrumque sumatur, scilicet & corpus & sanguis; quia in vtroque consistit perfectio sacramenti. Et ideo quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia, & cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriam tanti mysterij. Quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione: qui quidem si incautè sumeretur de facili posset effundi. Et quia crescit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes & iuuenes & paruuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam circa vsum huius sacramenti adhibeant: ideo prouidè in quibusdam Ecclesijs obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solum à sacerdote sumatur.

AD primum ergo dicendum, quod Gelasius loquitur quantum ad sacerdotes: qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent. Vt enim legitur in Concilio Toletano *. Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?

Conc. Tol. 12. c. 5. de cons. d. 2. c. Relatum.

AD secundum dicendum, quod perfectio huius sacramenti non est in vsu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo sacerdos consecrans sumat vtrumque.

AD tertium dicendum, quòd præsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum: quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur, vt supra habitum est *.

q. 76. ar. 2.

QVÆSTIO LXXXI.

De modo quo Christus vsus est hoc sacramento, in quatuor articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de vsu huius sacramenti, quo Christus vsus est in prima sui institutione.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

¶ Secundo, vtrum Iudæ dederit.

¶ Tertio, quale corpus sumpserit aut dederit, vtrum scilicet passibile vel impassibile.

¶ Quarto, quomodo se habuisset Christus sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reseruatum, aut consecratum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

490 AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod Christus non sumpserit corpus suum & sanguinem. Non enim de factis Christi & dictis asseri debet, quod auctoritate sacræ scripturæ non traditur. Sed in Euangelijs non traditur, quod Christus corpus suum manducauerit, aut sanguinem suum biberit. Non ergo est hoc asserendum.

4. d. 11. q. 7. ad 4. & 4. d. 12. q. 3. a. 1.

¶ 2 Præterea, Nihil potest esse in seipso, nisi fortè ratione partium, prout scilicet vna pars eius est in alia, vt habetur 4. Phys. Sed illud quod manducatur & bibitur est in manducante & bibente. Cum igitur totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quod ipse sumpserit hoc sacramentum.

tex. 4. cap. 3. & tex. 34. ii. 2.

¶ 3 Præterea, Duplex est sumptio huius sacramenti, scilicet spiritualis & sacramentalis. Sed spiritualis non competebat Christo (quia nihil a sacramento accepit) & per consequens nec sacramentalis, quæ sine spirituali est imperfecta, vt supra habitum est *. Ergo Christus nullo modo hoc sacramentum sumpsit.

q. præc. a. 11.

SED contra est, quod Hieronym. dicit * ad Hedibiam, Dominus Iesus Christus ipse conuiua & conuiuium; ipse comedens, & qui comeditur.

q. 2. ad Hedibiā. refertur de consec. d. 2. c. non Moses.

CONCLVSIO.

Christus, cùm quæ aliis obseruanda instituit, ipse primus obseruare consueuerit, non modo sui corporis sacramentum instituit sumendum aliis, sed ipsum etiam sumpsit.

RESPONDEO dicendum, quod quidam dixerunt, quòd Christus in cœna corpus & sanguinē suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur cōuenienter dici: quia Christus ea, quæ ab aliis obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit. Vnde & ipse prius baptizari voluit quam aliis baptismum imponeret: secundum illud Actuum primo: Cœpit Iesus facere, & docere. Vnde & primo ipse corpus suum & sanguinem sumpsit, postea discipulis sumendū tradidit. Et hoc est quod Ruth. 3. super illud, Cumque comedisset & bibisset, &c. dicit glo. † quod Christus comedit & bibit in cœna, cum corporis & sanguinis sui sacramentum discipulis tradidit, vnde quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse participauit eisdem.

glo. ibi.

AD primum ergo dicendum, quod in Euangeliis legitur, quod Christus accepit panem & calicem, non est autem intelligendum, quod acceperit solum in manibus, vt quidam dicunt: sed eo modo accepit, quo aliis accipiendum tradidit. Vnde cum discipulis dixerit, Accipite, & comedite & iterum, Accipite, & bibite, intelligendum est, quod ipse accipiens comederit & biberit. Vnde & quidam metricè dixerunt, Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

AD secundum dicendum, quòd (sicut supra dictum est *) Christus secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur ad locum non secundum proprias dimensiones: sed secundum dimensiones specierum sacramentalium: ita quod in quocunque loco vbi sunt illæ species, est ipse Christus. Et quia species illæ potuerunt esse in manibus & in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus, & in suo ore. Hoc autem non potuisset esse, secundum quod comparatur ad locum per proprias dimensiones.

q. 76. a. 5.

AD tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est *) affectus huius sacramenti est non solum augmentum habitualis gratiæ, sed etiam quædam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quamuis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione huius sacramenti: habuit tamen quandam spiritualem delectationem in noua institutione huius sacramenti. Vnde ipse dicebat Luc. 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum; quod Eusebius exponit de nouo mysterio noui Testamenti, quod tradebat discipulis. Et ideo spiritualiter manducauit, & similiter sacramentaliter, inquantum corpus suum sub sacramento sumpsit: quod sacramentum sui corporis intellexit: & disposuit. Aliter tamen, quam cæteri sacramentaliter, & spiritualiter sumant, † qui augmentum gratiæ suscipiunt sub sacramentalibus signis, quibus indigent ad veritatis perceptionem.

q. 79. a. 1.

† al. qui augmentum gratiæ suscipiunt, & sacramentalia signa indigent, &c.)

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus dederit Iudæ corpus suum.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quòd Christus Iudæ non dederit corpus suum. Vt enim legitur Matth. 26. Postquam dedit Dominus corpus suum & sanguinem discipulis, dixit eis, Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. Ex quo videtur, quod illi, quibus corpus suum & sanguinem dederat, cum eo essent iterum bibituri. Sed Iudas postea cum ipso non bibit. Ergo non accepit cum aliis discipulis corpus Christi, & sanguinem. 477

4. d. 11. q. 3. a. 2. q. c. & 2. & in 13. i. 3. co. 4. ft. & in 4. c. 1. 1. fin.

¶ 2 Præterea, Dominus impleuit quod præcepit: secundum illud Actuum 1. Cœpit Iesus facere & docere. Sed ipse præcepit Mat. 7. Nolite sanctum dare canibus. Cum ergo ipse cognosceret Iudam esse peccatorem, videtur, quòd ei corpus suum & sanguinem non dederit.

¶ 3 Præterea, Christus specialiter legitur Iudæ panem intinctum porrexisse, Ioan. 13. Si ergo corpus suum ei dedit, videtur, quod sub bucella ei dederit, præcipue cum legatur ibidem, quod post bucellam introiuit in eum Satanas. Vbi August. † dicit, Hinc nos docemur, quàm sit cauendum male accipere bonum: si enim corripitur qui non diiudicat, idest, non discernit corpus Domini à cæteris cibis, quomodo non damnabitur, qui ad eius mensam fingens se amicum, accedit inimicus? Sed cum bucella intincta non accepit corpus Christi. vt enim Aug. † dicit super illud Io. 13. Cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ: non vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas corpus Christi accepit. Ergo videtur, quod Iudas corpus Christi non acceperit.

tra. 62. in Ioan. circ. prin. to. 9.

tra. 62. in Io. in me. to. 9.

SED contra est, quod Chrys. † dicit, Iudas particeps existens mysteriorum, conuersus non est. Vnde fit scelus eius vtrinque immanius, tum quia tali proposito nobutus adiit mysteria: tum quia adiens melior factus non fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore.

ho. 46 in Io. non remote ante fi. to. 3.

CONCLVSIO.

Tametsi Iudas propter suam malitiam sacramento priuari merebatur, ipsi tamen Dominus corpus suum & sanguinem tradidit, ne occultum peccatorem sine accusatore & euidenti probatione ab aliorum communione separaret.

RESPONDEO dicendum, quod Hilarius * posuit super Mat. quod Christus Iudæ corpus suum & sanguinem non dedit. Et hoc quidem conueniens fuisset, considerata malitia Iudæ. Sed quia Christus nobis debuit esse exemplum iustitiæ, non conueniebat eius magisterio, vt Iudam occultum peccatorem, sine accusatore, & euidenti probatione ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum prælatis Ecclesiæ similia faciendi, & ipse Iudas exasperatus, inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, quod Iudas cum aliis discipulis, corpus Domini & sanguinem suscepit: vt dicit Dio. * lib. Eccle. hier. & Aug. † super Ioan.

can. 30. in Mat. circ. med.

Dion. ca. 3. Eccl. hier. part. 3. non longe à principio. † Aug. tr. 62. in Euang. Ioan. * loco cit. in cor. a.

AD primum ergo dicendum, illa est ratio Hilar. * ad ostendendum, quod Iudas corpus Christi non sumpsit. Non tamen cogit: quia Christus loquitur discipulis, à quorum collegio Iudas se separauit, non autem Christus eum exclusit. Et ideo Christus quantum est in se, etiam cum Iuda vinum in regno Dei bibit: sed hoc conuiuium ipse Iudas repudiauit.

AD secundum dicendum, quod Christo nota erat Iudæ iniquitas, sicut Deo: non autem erat sibi nota per modum, quo hominibus innotescit. Et ideo Christus Iudam non repulit à communione: vt daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab aliis sacerdotibus expellendos.

AD tertium dicendum, quod sine dubio Iudas sub pane intincto corpus Christi non sumpsit, sed simplicem panem. Significatur autem fortassis (vt Aug. * ibidem dicit) per panis intinctionem fictio Iudæ: vt enim inficiantur nonnulla, intinguntur. Si autem bonum aliquid hic significat tinctio (scilicet dulcedinem bonitatis diuinæ: quia panis ex intinctione sapidior redditur) idem bonum ingratum non immerito est secuta damnatio. Et propter hanc ingratitudinem id quod est bonum, factum est ei malum: sicut accidit circa sumentes corpus Christi indignè. Et sicut Aug. * ibidem dicit,

tra. 62. in Io. cir. me. to. 9.

ubi

Intelli

intelligendum eſt, quòd Dominus iam ante à diſtribuerat omnibus diſcipulis ſuis ſacramentum corporis & ſanguinis ſui: vbi & ipſe Iudas erat, ſicut Lucas narrat. Ac deinde ad hoc ventum eſt, vbi ſecundum narrationem Ioannis, Dominum per buccellam tinctam atque porrectam ſuum expriſſit proditorem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Chriſtus ſumpſerit & diſcipulis dederit corpus ſuum impaſſibile.

492 4. d. 11. q. 3. ar. 1. & 4. 12. q. 1. ar. 3. q. 1. ar. gl. or. ibid.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus ſumpſerit & diſcipulis dederit corpus ſuum impaſſibile. Quia ſuper illud Matt. 17 Transfiguratus eſt ante eos: dicit quædam gloſ.* Illud corpus quod habuit per naturam, dedit diſcipulis in cœna non mortale & paſſibile. Et Leuit. 2. ſuper illud. Si oblatio tua fuerit de ſartagine, dicit gloſ. † Crux ſuper omnia fortis, carnem Chriſti, quæ ante paſſionem non videbatur eſui apta, poſt aptam fecit. Sed Chriſtus dedit corpus ſuum vt aptum ad manducandum. Ergo dedit tale, quale habuit poſt paſſionem ſcilicet impaſſibile & immortale.

¶ 2 Præterea, Omne corpus paſſibile, per contactum & manducationem patitur. Si ergo corpus Chriſti erat paſſibile, per contactum & comeſtionem diſcipulorum paſſum fuiſſet.

¶ 3 Præterea, Verba ſacramentalia non ſunt modo maioris virtutis, quando proferuntur à ſacerdote in perſona Chriſti, quàm tunc quando fuerunt prolata ab ipſo Chriſto. Sed nunc virtute verborum ſacramentalium, in altari conſecratur corpus Chriſti impaſſibile & immortale. Ergo multo magis tunc.

in li. 4. de ſacro myſt. altar. c. 12. poſt med. SED contra eſt, quod ſicut Innoc. III * dicit, tale corpus tunc dedit diſcipulis, quale habuit. Habuit autem tunc corpus paſſibile & mortale. Ergo corpus paſſibile & mortale diſcipulis dedit.

CONCLVSIO.

Chriſtus, cùm idem corpus, quod in propria ſpecie à diſcipulis videbatur, in ſub ſpecie ſacramenti dederit, quanquam impaſſibili modo, paſſibile tamen corpus ſuum ſumpſit, & diſcipulis manducandum tradidit.

RESPONDEO dicendum, quod Hugo de ſancto Vict. poſuit, quod Chriſtus ante paſſionem diuerſis temporibus quatuor dotes corporis glorificati aſſumpſerit, ſcilicet ſubtilitatem in natiuitate, quando exiuit de clauſo vtero Virginis. Agilitatem, quando ambulauit ſiccis pedibus ſuper mare. claritatem in transfiguratione; impaſſibilitatem in cœna, quando corpus ſuũ diſcipulis tradidit manducandũ. & ſecundũ hoc dedit diſcipulis ſuis corpus ſuũ impaſſibile & immortale. Sed quicquid ſit de aliis (de quibus ſupra dictũ eſt*, quid

q. 28. a. 2. ad 1 & q. 54. a. 2. ad 2. ſentiri debeat) circa impaſſibilitatẽ tamẽ impoſſibile eſt eſſe quod dicitur. Manifeſtũ eſt enim, quod idẽ verũ corpus Chriſti erat, quod à diſcipulis tunc in propria ſpecie videbatur, & in ſpecie ſacramenti ſumebatur. Non autẽ erat impaſſibile, ſecundum quod in propria ſpecie videbatur, quinimmo erat paſſioni paratum. Vnde nec ipſum corpus Chriſti, quod in ſpecie ſacramenti dabatur, impaſſibile erat. Impaſſibili tamen modo erat ſub ſpecie ſacramenti, quod in ſe erat paſſibile: ſicut inuiſibiliter quod in ſe erat viſibile. Sicut enim viſio requirit contactum corporis, quod videtur, ad circunſtans medium viſionis, ita paſſio requirit contactum corporis, quod patitur ad ea quæ agunt. Corpus autem Chriſti, ſe-

q. 76. a. 4. 5. & 8. cundum quod eſt ſub ſacramento (vt ſupra dictum * eſt) non comparatur ad ea quæ circũſtant, mediantibus propriis dimenſionibus quibus corpora ſe tangunt, ſed mediantibus dimenſionibus ſpecierũ panis & vini. Et ideo ſpecies illæ ſunt, quæ patiuntur & videntur, non autem ipſum corpus Chriſti.

AD primum ergo dicendum, quod Chriſtus dicitur in cœna non dediſſe corpus ſuum mortale & paſſibile: quia non dedit mortali & paſſibili modo. Crux autem fecit carnem Chriſti aptam manducationi: inquantum hoc ſacramentum repræſentat paſſionem Chriſti.

AD ſecundum dicendum, quòd ratio illa procederet ſi corpus Chriſti ſicut erat paſſibile ita paſſibili modo fuiſſet ſub ſacramento.

q. 76. a. 4 AD tertium dicendum, quòd (ſicut ſupra dictum * eſt) accidentia corporis Chriſti ſunt in ſacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi ſacramenti, ex qua eſt ibi ſubſtantia corporis Chriſti. Et ideo virtus verborum ſacramentalium ad hoc ſe extendit, vt ſit ſub ſacramento corpus Chriſti, ſcilicet quibuſcunque accidentibus realiter in eo exiſtentibus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ſi hoc ſacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatum vel conſecratum, ibi moreretur.

493 4. d. 11. q. 1. a. 2. q. 1. & d. 12. q. 3. ar. 2. q. 4 & quæſt. 5. a. 11. ad 1. & Io. 6. le. 6. & 1. Cor. 11. 6. . . . fin.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd ſi hoc ſacramentum tempore mortis Chriſti fuiſſet ſeruatum in pixide, vel ab aliquo Apoſtolorum conſecratum, non ibi moreretur. Mors enim Chriſti accidit per eius paſſionem: Sed Chriſtus impaſſibili modo etiam tunc erat in hoc ſacramento. Ergo non poterat mori in hoc ſacramento.

¶ 2 Præterea, In morte Chriſti ſeparatus fuit ſanguis eius à corpore. Sed in hoc ſacramento ſimul eſt corpus Chriſti & ſanguis. Ergo Chriſtus in hoc ſacramento non moreretur.

¶ 3 Præterea, Mors accidit per ſeparationem animæ à corpore. Sed in hoc ſacramento continetur tam corpus, quàm anima Chriſti. Ergo in hoc ſacramento non poterat Chriſtus mori.

SED contra eſt, quod idem Chriſtus, qui erat in cruce, fuiſſet in ſacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo & in ſacramento conſeruato moreretur.

CONCLVSIO.

Cùm idem Chriſtus, qui erat in cruce, in ſacramento etiam fuiſſet, ſi hoc Sacramentum tempore mortis eius ſeruatum fuiſſet, conſequens eſt Chriſtum etiam in ſacramento mortuum fuiſſe.

RESPONDEO dicendum, quod corpus Chriſti idem in ſubſtantia eſt in hoc ſacramento & in propria ſpecie, ſed non eodem modo. Nam in propria ſpecie contingit circunſtantia corpora per proprias dimenſiones, non autem prout eſt in hoc ſacramento: vt ſupra dictum eſt *. Et ideo quicquid pertinet ad Chriſtum ſecundum quod in ſe eſt, poteſt attribui ei & in propria ſpecie, & in ſacramento exiſtenti: ſicut viuere, mori, dolere, animatum vel inanimatum eſſe, & cætera huiuſmodi. Quæcunque vero conueniunt ei per comparationem ad corpora extrinſeca poſſunt ei attribui in propria ſpecie exiſtenti, non autem prout eſt in ſacramento. ſicut irrideri, conſpui, crucifigi, & flagellari, & cætera huiuſmodi. Vnde & quidam metrice dixerunt, Pixide ſeruato poteris ſociare dolorem, innatum, ſed non illatus conuenit illi. a. præc. & q. 76. a. 4. 5. & 6.

AD primum ergo dicendum, quòd (ſicut dictum eſt *) paſſio conuenit corpori paſſo per comparationem ad agens extrinſecum. Et ideo Chriſtus, ſecundum, quod eſt ſub hoc ſacramento, pati non poteſt, poteſt tamen mori. in cor. ar.

AD ſecundum dicendum, quod (ſicut ſupra dictum *) ſub ſpecie panis eſt corpus Chriſti ex vi conſecrationis: ſanguis autem ſub ſpecie vini. Sed nunc quidem, quando realiter ſanguis Chriſti non eſt ſeparatus ab eius corpore, ex reali concomitantia & ſanguis Chriſti eſt ſub ſpecie panis ſimul cum corpore, & corpus ſub ſpecie vini ſimul cum ſanguine. Sed ſi tempore paſſionis Chriſti, quando realiter ſanguis fuit ſeparatus à corpore Chriſti, fuiſſet hoc ſacramentum conſecratum ſub ſpecie panis fuiſſet ſolum corpus, & ſub ſpecie vini fuiſſet ſolum ſanguis. q. 76. a. 2. ad 1.

AD tertium dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt *) in ſolu. anima Chriſti eſt in hoc ſacramento ex reali concomitantia, præc. & quia non eſt ſine corpore: non autem ex vi conſecrationis. loco ibi cit. Et ideo ſi tunc fuiſſet hoc ſacramentum conſecratum vel peractum, quando anima erat à corpore realiter ſeparata, non fuiſſet anima Chriſti ſub hoc ſacramento non propter defectum virtutis verborum, ſed propter aliam diſpoſitionem rei.

DISPVTATIO VII.

De vſu & effectibus Euchariſtiæ.

POST conſiderationem Sacramenti Euchariſtiæ, quantùm ad eius conſtitutionem: quia inſtitutum eſt ad vſum fidelium, per modum alimenti ſpiritualis animæ, vt dictum eſt: conſiderandum eſt de tali vſu, & de effectibus quos cauſat dignè vtentibus, cum D. Thom. quæſt. 79. 80. & 81.

DVBIVM I.

Vtrùm peccator teneatur confiteri ante communionem.

SVpponendum eſt ex D. Thoma hîc quæſt. 80. nulli etiam peccatori, dummodò ſit occultus, denegandam eſſe Euchariſtiæ communionem, ſi petat: quia vt ait D. Thom. art. 6. quilibet Chriſtianus ex hoc ipſo quòd fuit baptizatus, eſt admiſſus ad Dominicam menſam; vnde non poteſt ei ius ſuum tolli, niſi pro aliqua cauſa manifeſta. Vocatur autem peccator occultus, qui publicè non habetur vt talis: ſi autem ſit peccator manifeſtus, vt vſurarius, meretrix publica, & ſimiles; debet ei denegari Euchariſtia ob contrariã rationem: maximè quia tunc nulla ei fit iniuria, ſicut fieret quando eſt occultus: nam nec ipſe infamiam incurrit ex hoc, quia iam infamis eſt: nec alij ſcandalizantur, quia ſciunt iuſtè ei denegari. Vocatur autem certè manifeſtus peccator; de cuius peccato eſt certitudo

titudo phyſica, vel moralis ex vehementi ſuſpicione: vt igitur talis poſſit publicè communicare, debet publicè pœnitere; vt autem ſecretò communicet, ſufficit quòd ſecretò pœniteat: & hæc ſecundùm ius; videatur tamen quid ſit in vſu in ordine ad praxim. Licèt autem Sacerdos non poſſit denegare Euchariſtiam peccatori occulto eam publicè petenti: ipſe tamen peccator eã ſumens peccat mortaliter, committens ſacrilegium tanquam Sacramenti violator; quia vt ait D. Thom. quæſt. citata art. 4. Quicunque hoc Sacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto vnitum, & membris eius incorporatum; quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali; & ideò manifeſtum eſt, quòd quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum ſumit, falſitatem in hoc Sacramento committit: maximè quia peccat contra præceptum naturale, quòd Sancta ſunt ſanctè tractanda. Nec tamen Sacerdos dans Euchariſtiam communicat peccato: ſicut communicaret qui furioſo traderet enſem ipſius quem apud ſe habebat depoſitum: eſt enim diſpar ratio ex conſequentia vtriuſque, nam in primo caſu Sacerdos eſſet cauſa infamiæ peccatori occulto; in ſecundo autem nihil mali eueniret furioſo, imò præſeruaretur à malo, & aliunde pro tunc ceſſat obligatio reſtitutionis: nunquam tamen vlli tradenda eſt hoſtia non cõſecrata ob periculum idololatriæ. De grauitate autem huius peccati differens D. Thom. art. 5. aſſerit eſſe minus graue ex obiecto ſiue ſecundùm rationem ſpecificam, quàm peccata in Deum commiſſa immediatè, vt ſunt infidelitas, blaſphemia, odium Dei; quia diuinitas eſt maius quid humanitate: quanto autem id contra quod peccatur eſt maius, tanto peccatum eſt grauius: eſt autem grauius quàm peccata in creaturas puras commiſſa; quamuis ex circumſtantiis aliter res ſe habere poſſit. Si autem comparetur peccatis commiſſis in Chriſtum viſibilem ſub propria ſpecie, eſt minus etiam ex obiecto; quia minus eſt offendere aliquem putà Regem ſub aliena ſpecie, quàm offendere ipſum in propria.

Prima opinio Caietani hîc, & in expreſſo opuſculo de hac re, negat peccatorem teneri ad confeſſionem ante communionem. Probatur; Si peccator teneretur ad confeſſionem antequam communicet: hoc eſſet ex aliquo præcepto diuino, aut Eccleſiaſtico, aut ex natura rei, vt patet: ſed ex nullo iſtorum tenetur. Non ex præcepto diuino, quia S. Paulus ex perſona Chriſti tantùm præcipit quòd probet ſeipſum homo, per contritionem ſcilicet, non autem quòd probetur ab alio per confeſſionem. Non ex præcepto Eccleſiaſtico, quia de illo non conſtat. Nec ex natura rei, quia ad dignam ſumptionem ſufficit, quòd homo ſit in gratia, quæ haberi poteſt per contritionem, vt patet: ergo peccator non tenetur confiteri ante communionem.

Secundò; Si peccator teneretur confiteri ante communionem, ſequerentur multa inconuenientia; tum quòd peccator ſic communicans committeret duo peccata, vnum contra præceptum, aliud indignæ & ſacrilegæ ſumptionis; tum quòd incurreret infamiam non celebrando, vel non communicãdo, ſi ad hæc obligaretur, & non haberet copiam Confeſſoris; tum quia poſſet quis mori priuatus Euchariſtia præſente Diacono, qui abſente Sacerdote in caſu neceſſitatis poteſt illam diſpenſare, &c. ergo peccator non tenetur confiteri ante communionem.

Tertiò; Peius eſt accedere ad communionem cum peccatis venialibus abſque contritione eorum; quàm accedere contritum de mortalibus abſque eorum confeſſione: quia in primo caſu eſt obſtinatio in malo, non autem in ſecundo: ſed poteſt quis, abſque vllo peccato etiam veniali, accedere ad communionem abſque contritione venialium: ergo etiam abſque confeſſione mortalium; dummodò ſit contritus de illis.

CONCLVSIO

RESPONDEO dicendum, quòd licèt quis habens conſcientiam peccati venialis, poſſit abſque vllo peccato etiam veniali, Euchariſtiam ſumere, nulla habita contritione & confeſſione; 2. Tamen habens conſcientiam peccati mortalis, tenetur confiteri ante communionem: nec ſufficit contritio ordinariè: 3 Et hoc ex præcepto iuris diuini poſitiui: 4. In aliquibus tamen caſibus ſufficit contritio. Ita communiter Theologi.

Probatur prima pars concluſionis. Nullum inuenitur præceptum pœnitendi de venialibus ante communionẽ: nam illud 1. ad Cor. 11. Probet autem ſeipſum homo &c. intelligitur ab Eccleſia de peccatis mortalibus: ergo accedens ad communionem cum conſcientia peccati venialis non peccat venialiter: nullum enim eſt peccatum niſi ſit contra, vel præter aliquam legem; quia, vt ait Aug. peccatum eſt dictum, factum, aut concupitum contra, vel præter legem Dei. Si dicatur, quòd talis accedit irreuerenter, ac ita facit contra præceptum naturale, quod docet Sancta eſſe ſanctè tractanda. Contra, quia peccatum veniale non importat irreuerentiam poſitiuam; eſt enim cum gratia ſanctificante, quæ debitè diſponit ad hoc Sacramentum, quia vnit Chriſto capiti, & incorporat myſtico eius corpori, cuius alimentum ſpirituale eſt Euchariſtia, ſed importat tantùm negationem perfectæ reuerentiæ; nullum autem eſt peccatum non accedere cum perfecta reuerentia, quia nullus niſi ex ſpeciali præcepto tenetur ad id quod perfectum & melius eſt, ſed ad id quod eſt bonum & ſufficiens: aliàs nulla

nulla essent opera supererogationis & consilij. Deinde peccata venialia non impediunt,nec in toto, nec in parte effectum Eucharistiæ; imò potiùs remouentur per sumptionem Eucharistiæ: ergo nullo modo peccat, qui ad communionem accedit cum peccatis venialibus: quia à posteriori colligitur ipsum accedere debitè dispositum. Hæc tamen intelligenda sunt, si quis accedit cum peccatis venialibus habitualibus: nam si accederet cum aliquo actuali, vt si quis communicaret ex inani gloria, vel si communicando proferret verbum otiosum, aut haberet affectum ad perseuerandum in peccaris venialibus, sine dubio venialiter peccaret: quia iste habet irreuerentiam positiuam,& impedit aliquo modo effectum Eucharistiæ,scilicet feruorem charitatis, quem causaret ex opere operato: vnde hoc peccatum non remittitur per communionem. Quando igitur S. Aug. ait magis grauari quàm purificari, qui existens in peccato accedit ad Eucharistiam, antequam pœniteat & confiteatur: intelligendus est de peccatis mortalibus, siue publicis, siue secretis, vt patet ex ipsis verbis. Et similiter intelligendus est S.Anselmus in 1.ad Cor. 11. dum ait: Indignè manducat & bibit, qui vel aliquando grauia,vel multa leuia commisit peccata, & non est confessus: per grauia enim intelligit peccata publica & scandalosa;per leuia autem peccata secreta etsi mortalia: & ratio est quia ibi requirunt confessionem talium peccatorum;& tamen ex communi doctrina Scholasticorum nemo tenetur ad confitendum venialia peccata.

Probatur secunda pars conclusionis duplici authoritate Concilij Tridentini. Prima habetur sess. 13. cap. 7. vbi dicitur; Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius (idest Domini) præceptum; Probet seipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam prohibitionem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit: modò non desit illis copia Confessoris. Quòd si necessitate vrgente Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur. Secunda habetur eadem sess. can. 11. vbi dicitur: Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem: si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit; eo ipso excommunicatus existat. Fundamentum huius præcepti est excellentia huius Sacramenti, vt asserit Concilium capite citato; ait enim: Si non decet ad sacras vllas functiones quempiam accedere nisi sanctè; certè quò magis sanctitas & diuinitas cælestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cauere ille debet, ne absque magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat: præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus; Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Hæc autem reuerentia perfecta habetur, tum ex contritione, tum ex humilitate & submissione quæ concurrunt in confessione.

Probatur tertia pars conclusionis, tum citata authoritate Concilij, vbi habetur: Quare communicare volenti reuocādum est in memoriam eius præceptum: ly autem relatiuum, eius, cadit supra Dominum quem immediatè nominauerat: non autem supra Apostolum. Deinde Apostolus dicit se accepisse à Domino, quod ibi tradit de Eucharistia: ac proinde hoc præceptum; Probet seipsum homo: ait enim, Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: ergo hoc præceptum est iuris diuini positiui.

Probatur quarta pars conclusionis, tum prædicta authoritate Concilij, vbi ait: Quòd si necessitate vrgente Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur: vnde possunt dari aliqui casus necessitatis, in quibus sufficiat contritio: tum ex secundo & tertio inconuenienti adducto in contrarium. Casus autem aliqui assignantur ab Authoribus: Primus est extrema necessitas, quando non adest Sacerdos qui possit audire confessionem moribundi, sed solus adest Diaconus qui ministret Sacramentum. Secundus, si non sit copia Confessoris,& incurritur infamia aut grauis nota, si quis non celebraret aut Eucharistiam non sumeret. Quòd si tunc esset præsens Sacerdos, qui tamē non haberet iurisdictionem absoluendi absolutè, vel respectu casuum reseruatorum, non esset obligatio confitendi ea peccata quæ non potest absoluere. Idem dicendum si tutò ei confiteri quis non posset. Alij casus adducuntur ab Authoribus: videatur Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 4.

Ad primum ergo, dicendum quòd ex triplici illo capite peccator tenetur confiteri ante communionem. Ad impugnationes, dicendum quòd Apostolus per hoc quòd requirit vt homo probet seipsum, non excludit quin probetur à Deo,& à Confessore vt ministro Dei. Ad aliud constat ex dictis Concilij Tridentini, quomodò est præceptum etiam Ecclesiasticū de præmittenda confessione peccatorum mortalium ipsi communi

[co]mmunioni, & quomodò exigatur ex natura [illegible] modo explicato.

Ad secundum, dicendum quantùm ad primum inconueniens, quòd ille committit v-num [illegible] peccatum indignæ sumptionis; quia præceptum de præmittenda confessione non est absolutum, sed in ordine ad sumptionem: vn-de non tam præcipitur confessio, quàm digna sumptio: & potiùs est præceptum negatiuum de non sumendo indignè, quàm affirmatiuum: & idem dicendum de contritione. Quantùm ad secundum, & tertium inconueniens constat ex dictis.

Ad tertium, dicendum quòd falsum est antecedens. Ad probationem, dicendum quòd peccatum veniale cùm non auertat à Deo, sed simul esse possit cum gratia sanctificante, non dicitur malum simpliciter, sed secundùm quid tantùm: vnde velle in eo permanere, non est esse obstinatum in malo simpliciter; quamuis sit dispositio ad peccatum mortale.

DVBIVM II.

Vtrùm sufficiat status iustificationis ad percipiendum fructum Eucharistiæ.

Supponendum est ex dicendis infra, & constat ex dictis, necessarium esse regulariter loquendo, ad percipiendum Eucharistiæ fru-ctum, scilicet augmentum gratiæ per modum nutrimenti spiritualis, statum iustificationis in suscipiente; quia Eucharistia est Sacramen-tum viuorum, & non mortuorum per se lo-quendo. Ex quo inferunt Authores, quòd potest dari accessus medius ad Eucharistiam, sine sa-crilegio, & sine effectu Sacramenti: & assi-gnant sequentes casus; vt si quis adhibita om-ni possibili diligentia in examine conscientiæ, accedit bona fide credens se esse in gratia, & tamen oblitus est alicuius peccati mortalis, de quo non habuit nec contritionem, nec attritio-nem in particulari aut in communi; quia tan-tùm doluit de aliis sub ratione talis peccati & in particulari, non autem in communi. Simili-ter, si quis rusticus existens in peccato mortali, ac ignorãs inuincibiliter ius diuinum de præ-mittenda confessione communioni, & audiat à Parocho suo vel Episcopo malitiosè ipsum [in] recipiente, sufficere quòd accedat cum aliqua deuotione, absque vllo dolore de peccatis, acce-dit cum tali dispositione ad communionem. [illegible]ario vtriusque est, quia ambo ex vno capite excusantur à culpa. Primus quidem, quia non habet conscientiam peccati mortalis adhibita omni possibili diligentia ad illam exami-nandam. Secundus etiam, quia ignorantia inuinci-bilis eum excusat. Ex alio capite non perci-piunt fructum Eucharistiæ defectu dispositio-nis requisitæ ad primam iustificationem; quia, vt dictum est in tractatu de Gratia, est impos-sibile quòd quis existens in peccato mortali actuali iustificetur, absque aliquo actu displi-centiæ peccati, siue perfecto, siue imperfecto; cùm enim peccando se voluntariè à Deo vlti-mo fine auerterit, tamdiu habitualiter censetur auersus, quandiu non retractat hanc auersio-nem per nouam conuersionem: vnde talis ma-terialiter loquendo ponit obicem effectui Sa-cramenti, siue accedit cum obice: cùm ergo ordinariè loquendo status iustificationis sit ne-cessarius ad percipiendum fructum Euchari-stiæ, quæritur in præsenti, an sit sufficiens.

Prima opinio Durandi in 4. d.12. q.4. num. 7. & aliorum asserit, solum statum iustificatio-nis non sufficere in suscipiente, ad percipien-dum fructum Eucharistiæ; dicit enim quòd peccata venialia, saltem actualia illum impe-diunt. Probatur authoritate Sanctorum Patrum, qui dicunt necessariam esse deuotionem & fer-uorem charitatis, ad dignam huius Sacramen-ti sumptionem: & hanc opinionem expressè docet D.Thom. in 4. d.12. q.2. ar.2. quæstiunc. 3. ergo non sufficit status iustificationis, ad ef-fectum Eucharistiæ percipiendum.

Secundò; Cibus corporeus non confert suum effectum corporalem, siue non nutrit corpus, nisi sumens habeat aliquam actionem circa ipsum, mediante calore naturali decoquente & digerente: ergo neque cibus spiritualis Eucha-ristiæ confert suum effectum nutriendo ani-mam, nisi sumens habeat circùm ipsum ali-quem actum deuotionis, medio feruore chari-tatis, vt patet ex analogia huius cibi ad corpo-reum; ac proinde non sufficit status iustificatio-nis ad percipiendum fructum Eucharistiæ.

Tertiò; Ex opposito sequeretur quòd homo possit simul peccare, & crescere in gratia; nam si quis in statu iustificationis existens commu-nicet cum aliqua vana gloria, vel distractione voluntaria, peccabit venialiter, & simul perci-piet fructum Eucharistiæ scilicet augmentum gratiæ; quod est impossibile: ergo status iusti-ficationis non sufficit, ad percipiendum fructum Eucharistiæ.

Conclusio.

Respondeo dicendum, quòd peccata venialia habitualia nullo modo impediunt totum ef-fectũ Eucharistiæ: 2. Actualia verò non ex toto, sed ex parte illam impediunt: 3. Vnde sufficit status iustificationis ad percipiendum fructum Eucharistiæ; non tamen completè. Ita tenet D. Tho. ar. 8. & communiter nunc eius Dis-cipuli, ac alij extra eius scholam.

Probatur prima pars conclusionis; tum au-thoritate Concilij Tridentini sess. 13. cap. [illegible] solum statum gratiæ requirit in suscip[iente] hoc Sacramentum, per præuiam confessionem [illegible] cuius non sunt materia necessaria peccata ve-nialia: & ita si dignè tunc suscipitur, [illegible]

non ... actualis deuotio, conferet suum effectum authoritate D. Thom. hîc art. 8. vbi ait: Peccata venialia præterita nullo modo impediunt effectum huius Sacramenti: potest enim contingere quòd aliquis post multa peccata venialia commissa, deuotè accedat ad hoc Sacramentum, & plenariè huius Sacramenti consequatur effectum. Deinde, ex cap. si non tales, de consecratione, dist. 2. habetur, neminem debere se subtrahere à medicina corporis & sanguinis Christi, nisi propter peccata, propter quæ potest excommunicari: ergo cùm peccata venialia nō sint materia sufficiēs excōmunicationis, non impediunt dignam & fructuosam sumptionem huius Sacramenti. Denique, in primitiua Ecclesia fuit vsus dandi Eucharistiam paruulis: ergo credebatur quòd solus status iustificationis erat sufficiens ad percipiendum fructum huius Sacramenti: nam paruuli non poterant habere tunc actus deuotionis & eos de necessitate requirere in adultis est sine fundamento; cùm non constet ex Scripturis, aut Conciliis, aut Patribus, aut efficaci aliqua ratione.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. loco citato, vbi ait: Peccata venialia provt sunt actu exercita, non ex toto impediunt huius Sacramenti effectum, sed in parte: dictum est enim, quòd effectus huius Sacramenti, non solùm est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur; si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis. Deinde, ex Concilio Tridentino sess. 7. canone 6. omnia & singula Sacramenta nouæ Legis causant suum effectum, vbi non inueniunt obicem: sed in statu iustificationis non est obex ad augmētum gratiæ; solum enim peccatum mortale cum illo incompossibile vocatur obex cōmuniter à Scholasticis: ergo peccata venialia actualia non impediunt effectum Eucharistiæ ex toto, siue quantùm ad augmentum gratiæ & charitatis; sed ex parte, idest quantùm ad feruorem charitatis. Denique, peccata venialia actualia non impediunt augmentum gratiæ ex opere operantis, vt patet in homine iusto, qui simul cum actu meritorio exercet aliquod peccatum veniale concomitanter se habens tantùm ad talem actum; meretur enī augmentum gratiæ, vt est communis doctrina: ergo nec impedient augmentum gratiæ causandum per Eucharistiam ex opere operato, quia in primo casu homo se habet, tam vt principium elicitiuum, quàm vt subiectum: vnde si peccata venialia tunc non obstant; multò minus in secundo, vbi se habet tantùm vt subiectum. Et ex his probata manet tertia pars conclusionis.

Ad primum ergo, dicendum quòd Sancti Patres requirunt in suscipiente hoc Sacramentum, ad percipiendum completè fructum eius, videlicet actualem refectionem & spiritualem dulcedinem, aliquos actus deuotionis; non autem ad percipiendum augmentum gratiæ & charitatis; & eodem modo intelligendus est D. Tho. vt ipse se hîc explicat; nisi dicatur cum aliquibus Thomistis ipsum mutasse sententiā.

Ad secundum, dicendum quòd quantùm ad hoc, est disparitas inter cibum spiritualem hunc, & corporeum: corporeus enim, cùm sit mortuus, & conuertatur in substantiam aliti, vt fiat nutritio, requirit aliquam actionē hominis circa ipsum: hic autem cibus spiritualis est viuus, & conuertens animam in seipsum, propterea anima ad talem conuersionem siue spiritualem refectionem habet se merè passiuè; vnde non requiritur aliquis eius actus, sed sufficit quòd sit disposita per gratiam.

Ad tertium, dicendum quòd non est inconueniens, aliquem simul peccare venialiter, & crescere in gratia, vt dictum est: neque quòd sumptio Eucharistiæ sit peccatum veniale, & ipsa simul conferat suum effectum augmenti gratiæ; quia gratia non datur ex opere operantis, sed ex opere operato: non enim ipsa sumptio, sed Sacramentum sumptum dat gratiam.

DVBIVM III.

Vtrùm Eucharistia conferat aliquando primam gratiam.

Supponendum est ex dictis, Eucharistiæ Sacramentum non fuisse institutum ad causandam primam gratiam: propterea non dicitur Sacramentum mortuorum, sed viuorum: & hoc potest colligi ex eius ratione formali; nam est per modum alimenti spiritualis, quo anima spiritualem recipit refectionem & dulcedinem: refici autem & nutriri, non est mortui, sed viuentis. Vnde certum est Eucharistiam non causare per se primam gratiam, nec ordinariè: sed dubium est an aliquando eam causet per accidens.

Prima opinio asserit Eucharistiam nunquam conferre primam gratiam. Probatur authoritate Sanctorum Patrum, qui exigunt statum gratiæ in suscipiente ad dignam sumptionem Eucharistiæ. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9: ait: Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit ante sanatus, & illi qui vocantur ad cœnam prius vocatione sanantur. Gregor. lib. 2. in 1 Regum cap. 1. ait: Salutem non percipiunt in comestione salutaris Hostiæ, qui ea, quibus se repleuerant, flagitia portant in mente: ergo Eucharistia cùm præsupponat primam gratiam, nunquam illam causat.

Secundò; Non est asserendum aliquid de hoc

hoc Sacramento ſine fundamento petito, vel ex Scriptura ſacra, vel ex traditione Apoſtolica, vel ex determinatione Conciliorum, vel ex authoritate Sanctorum Patrum, vel ex aliqua ratione efficaci: ſed ex nullo iſtorum habetur fundamentum aſſerendi, quòd Euchariſtia cauſet aliquando primam gratiam: Non ex Scriptura, vt reuoluenti eam conſtat; & licèt de hoc Sacramento dicatur, Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, hoc intelligitur de Euchariſtia vt eſt ſacrificium modo infra explicando. De traditione, & determinatione Conciliorum etiam patet; imò Catechiſmus Tridentinus cap. 4. ait: Prima gratia omnes prædito eſſe oportet, antequam ſacram Euchariſtiam ore contingere audeant: ne iudicium ſibi manducent & bibant. Quantùm ad Sanctos Patres, iam dictum eſt. Quantùm ad rationem, potiùs obſtat, quàm ſuadeat, vt in ſequenti argumento patebit: ergo Euchariſtia nunquam cauſat primam gratiam.

Tertiò; Sacramenta nouæ Legis cauſant tantùm eos effectus quos ſignificant: cùm enim ſint ſigna practica, cauſalitas & ſignificatio ſe adæquant: ſed ſumptio Euchariſtiæ non ſignificat productionem primæ gratiæ; imò illam ſupponit, quia prima gratia eſt vita animæ, & Euchariſtia eius nutrimentum; conſtat autem quòd ſuſcipere nutrimentum non eſt niſi viuentis: ergo Euchariſtia nunquam cauſat primam gratiam, nec per accidens; alioquin illam cauſaret fortuitò, & præter intentionem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentum Euchariſtiæ; in virtute quidem paſſionis Chriſti, quantùm eſt in ſe, poteſt cauſare primam gratiam primò & per ſe, ac remittere omnia peccata: 2. Ex ſua tamen inſtitutione primò & per ſe tantùm cauſat augmentum gratiæ, ac remiſſionem peccatorum venialium: 3. Primam verò gratiam, ac remiſſionem mortalium tantùm per accidens: vnde non ordinariè, ſed aliquando. Ita D. Thom. hîc, art. 3. & 4. ac communiter eius Diſcipuli.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Tho. loco citato vbi ait: Virtus huius Sacramenti poteſt conſiderari dupliciter: vno modo ſecundùm ſe; & ſic hoc Sacramentum habet virtutem ad remittendum quæcumque peccata ex paſſione Chriſti, quæ eſt fons & cauſa remiſſionis peccatorum. Alio modo &c.

Probatur ſecunda pars concluſionis, tum ex dictis dubio 1. vbi oſtenſum eſt ex illo præcepto Apoſtoli, Probet autem ſeipſum homo, præmittendam eſſe confeſſionem peccatorum mortalium ipſi communioni: tum ex dictis dubio 2. vbi dictum eſt, ſtatum gratiæ eſſe diſpoſitionem neceſſariã ad dignè ſuſcipiendam Euchariſtiã: ergo ex ſua inſtitutione primò & per ſe non cauſat primã gratiam, nec remiſſionem peccatorum mortalium: ſed tantùm augmentum gratiæ: vnde Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. canone 5. contra hæreticos definit, præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ non eſſe remiſſionem peccatorum, ſed alios effectus habere: tum authoritate & ratione D. Th. hîc art. 3. vbi ait: Quicumque habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum huius Sacramenti, eo quòd non eſt conueniens ſuſceptor huius Sacramenti, quia non viuit ſpiritualiter: & ita non debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi viuentis: quaſi diceret, hoc Sacramentum ex inſtitutione ſua eſt alimentum ſpirituale: ergo ſicut alimentum corporeum præſupponit vitam corpoream; ita hoc alimentum ſpirituale præſupponit vitam ſpiritualem animæ ex inſtitutione ſua, ac proinde primam gratiam qua viuit anima: vnde tantùm cauſat ex inſtitutione ſua augmentum gratiæ, qua perficitur vita animæ: ſicut per alimentum corporeum perficitur vita corporea. Quòd autem cauſet remiſſionem peccatorum venialium, probatur authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 13. cap. 2. vbi ait: Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit; Qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Deinde authoritate Sanctorum Patrum: vnde Ambroſ. lib. 5. de Sacramentis c. 4. ait: Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Et Innocentius III. lib. 4. de ſacro myſterio Altaris cap. 44. dicit, quod hoc Sacramentum venialia delet; & cauet mortalia. Denique authoritate & ratione duplici D. Thom. hîc quæſt. 79. art. 4. primam ſic proponit: Hoc Sacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis; nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori, ad reſtaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis: ſpiritualitèr autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ, per peccata venialia quæ diminuunt feruorem charitatis; & ideò competit huic Sacramento, vt remittat peccata venialia. Quæ ratio probat de remiſſione directa & immediata. Secundam autem de remiſſione indirecta & mediata, ſic proponit: Res autem huius Sacramenti eſt charitas, non ſolùm quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia ſoluũtur: vnde manifeſtũ eſt, quòd virtute huius Sacramenti remittuntur peccata venialia: Vnde patet quòd licèt ſine ſpeciali priuilegio non poſſimus viuere diu ſine peccatis venialibus, tamen poſſumus cum auxiliis communibus diuinæ gratiæ aliquandiu eſſe abſque omni

ni reatu peccati venialis,quod non contrariatur charitati, sed feruori eius.

Probatur tertia pars conclusionis, etiã communis: maximè inter Discipulos D. Thom. authoritate Concilij Tridentini sess. 13. canone 5. vbi ait: Si quis dixerit vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire; anathema sit. Vnde licèt definiat non esse præcipuum fructum; tamen supponit esse fructum ipsius: ibi autem intelligit de peccatis absolutè,& non tantùm de venialibus,quia procedit contra intentionem hæreticorum,dicentiũ remissionem omnium peccatorum esse præcipuum effectum huius Sacramenti. Quod etiam colligitur ex illa Collecta,qua dicitur quòd sacra communio sit ablutio scelerum; & fortitudo fragilium:per primum petitur remissio peccatorũ quæ iam commissa sunt, per secundum petitur præseruatio à futuris; scelus autem indicat peccatũ mortale. Deinde probatur authoritate Sanctorũ Patrum quos videre licèt apud Scholasticos: & maximè D. Thom. hîc art. 3. vbi ait: Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: vno modo non perceptum actu, sed voto: sicut cùm quis primò iustificatur à peccato: (& tunc Sacramentum non concurrit, nisi in genere causæ finalis, vt alibi dictum est) alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectũ non habet: fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, deuotè & reuerenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet,& remissionem peccati: quod intelligitur ex opere operato. Casus igitur iste est, Si præmisso examine conscientiæ moraliter sufficienti, non venit in memoriam aliquod peccatum mortale commissum: tunc qui bona fide accedit credens esse se in statu gratiæ, recipit virtute Sacramenti primam gratiam siue ex opere operato: requiritur tamen quòd habeat aliquem actum saltem virtualem attritionis;nullum enim peccatum actuale & maximè mortale remittitur sine aliquo actu peccatoris illud retractantis.Denique,hoc est commune omnibus Sacramentis nouæ Legis quòd causent tam primam, quàm secundam gratiam; illa quidem quæ dicuntur mortuorum, vt Baptismus & Pœnitentia, primò & per se causant primam gratiam,secundariò autem & quasi per accidens secundam gratiam siue augmentum gratiæ, si inueniant gratiam in subiecto; aliã verò quinque, quæ dicuntur Sacramenta viuorum, causant per se primò ex sua institutione secundam gratiam, quia supponunt primam gratiam in subiecto; ex secundaria tamen intentione Christi instituentis & per accidens primam gratiam, vt communiter docent Scholastici.

Ad primum ergo, dicendum quòd illi Sancti Patres & alij loquuntur de hoc Sacramento secundùm primariam institutionem, & de eius effectu primario & per se: non verò de his quæ habet quasi per accidens, ex secundaria sua institutione.

Ad secundum, dicendum quòd conclusio fundatur in authoritate Concilij Tridentini, in petitione Ecclesiæ, in communi penè consensu Scholasticorum cum D.Thom. & in sufficienti ratione, vt dictum est. Ad illud verò Catechismi, dicendum quòd loquitur per se & ordinariè: non verò per accidens modo explicato, vel solùm vult quòd accedentes ad Eucharistiam debent moraliter esse certi quòd sunt in gratia.

Ad tertium, dicendum quòd Sacramenta nouæ Legis significant expressè id quod per se primò causant;& propterea dicuntur signa practica, & hæc causalitas cum eius significatione se adæquant: non autem significat id quod per accidens causant. Ad aliud, dicendum quòd causalitas ista per accidens non est idem, ac casualis & præter intentionem; sed solùm excludit quòd non sit per se & de primaria intentione; non autem quòd sit de secundaria intentione.

DVBIVM IV.

Vtrùm communicanti sub vtraque specie plus gratiæ conferatur, quàm communicanti sub vnica.

Svpponendum est contra hæreticos plures, non esse necessariam Laicis communionem sub vtraq; specie:sed iustè fuisse eis interdictam ab Ecclesia. Ita definitum fuit tanquam de fide in Concilio Constantiensi sess.17. & in Tridentino sess. 21.can. 1. vbi habetur: Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit. Et canone 2. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt Laicos atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit. Idem repetit canone 3.sed de hoc amplius dubio sequenti. Supposita autem pro nunc iusta hac prohibitione, inquirimus in præsenti, an plus gratiæ conferatur communicanti sub vtraque specie; quàm communicanti sub vna tantùm: & hoc ex opere operato.

Prima opinio Caietani, Scoti, Bellarmini & aliorum plurium extra Scholam D. Thom. populo valde plausibilis, asserit non plus gratiæ conferri cõmunicanti sub vtraque specie,quàm communicanti sub vna tantùm. Probatur authoritate

thoritate Concilij Tridentini, & D. Thomæ. Concilium ſeſſ. 21. cap. 3. ait: nulla gratia neceſſaria ad ſalutem fraudari eos qui vnam ſolam ſpeciem recipiunt: & canone 3. dicit, ſub qualibet ſpecie totum Chriſtum contineri omnium gratiarum fontem. D. Thom. hic q. 80. art. 12. ad 3. ait: Poteſt autem à populo corpus ſine ſanguine ſumi: nec exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur: & Opuſc. 58. cap. 29. ait: Sicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti Sacramentaliter de calice, ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti, & eſt eis tam vtilis & tam dulcis, vt Sacerdotibus qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice. Quæ omnia non poſſunt verificari, ſi communicanti ſub vtraque ſpecie plus gratiæ conferatur ex opere operato, quàm communicanti ſub vna tantùm: ergo non confertur plus gratiæ communicanti ſub vtraque ſpecie.

Secundò; Sub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus: vnde ſub ſpecie panis recipitur corpus & ſanguis Chriſti; corpus quidem ibi poſitum ex vi Sacramenti, ſanguinem verò per concomitantiam, ac proinde Chriſtus eſt ibi per modum cibi & potus: ergo ſub vna ſpecie panis confert integram refectionem animæ; vnde æqualis confertur gratia communicanti ſub vna tantùm ſpecie, ac communicanti ſub vtraque.

Tertiò; Si communicanti ſub vtraque ſpecie plus gratiæ conferretur, quàm communicanti ſub vna tantùm, ſequeretur quòd Eccleſia magnum intuliſſet detrimentum Laïcis, prohibendo eis communionem ſub vtraque ſpecie, & conſequenter quòd iniuſtè eis prohibuiſſet talem communionem: ſed hoc non videtur dicendum: ergo non plus gratiæ confertur communicanti ſub vtraque ſpecie, quàm communicanti ſub vna tantùm.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd plus gratiæ confertur communicanti ſub vtraque ſpecie, quàm communicanti ſub vna tantùm, ex opere operato; 2. Quamuis ex opere operantis ſæpe contrarium accidat. Ita tenent recentiores Diſcipuli D. Thom. Cornejo, & plures alij extra ſcholam D. Thom. Alenſis 4. p. q. 32. membro 1. art. 2. Vaſques, &c.

Probatur prima pars concluſionis authoritate D. Thom. hic q. 80. art. 12. vbi ait: Ex parte ipſius Sacramenti conuenit, quòd vtrumque ſumatur; ſcilicet & corpus, & ſanguis; quia in vtroque conſiſtit perfectio Sacramenti: & ideò quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum conſecrare & perficere, nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine. Et opuſc. 58. cap. 29. ait: hoc ſacramentum fuiſſe inſtitutum ſub ſpecie panis & vini, ac ſumi ſub vtraque ſpecie à Sacerdotibus ad regalis conuiuij perfectionem: & ſubdit; Nam vbi alterum deeſſet, multum laudabile conuiuium non eſſet. Ex qua authoritate ſic procedit ratio: In vna tantùm ſpecie non conſiſtit integra & eſſentialis ratio conuiuij, ſed vtraque ſpecies requiritur, vt patet ex analogia ad conuiuium corporeum: ergo ſicut in conuiuio corporeo plus nutrimenti confertur ſumenti cibum & potum, quàm ſumenti ſolum cibum, aut ſolum potum: ſic plus gratiæ nutrientis animam confertur communicanti ſub vtraque ſpecie, quàm communicanti ſub vna tantùm. Si dicatur, quòd ſufficit totum Chriſtum eſſe ſub vtraque ſpecie; & quòd ſanguis ſit per concomitantiam ſub ſpecie panis, ad hoc vt illa ſpecies ſit per modum cibi & potus: Contra; quælibet ſpecies cauſat ſecundùm quod ſignificat: quia eſt ſignum practicum: ſed quælibet ſpecies nõ ſignificat integram refectionem animæ, vt patet tum ex verbis conſecrationis, tum ex parte ipſarum ſpecierum: propterea requiritur vtraque ad integritatem ſacrificij, & Sacramenti, vt probatum eſt ſupra: ergo quælibet ſpecies non confert integram refectionem animæ; & conſequenter plus gratiæ confertur communicanti ſub vtraque ſpecie quàm communicanti ſub vna tantùm. Maximè quia difficile videtur, quòd ſanguis Chriſti nihil gratiæ conferat, dum ſumitur ſub ſpecie vini poſt ſumptionem Hoſtiæ, cùm ſit Sacramenti huius pars eſſentialis; & ſi priùs ſumatur confert ex Aduerſariis, & tamen non mutat rationem eiuſdem partis; & agunt Sacramenta inſtar agentis naturalis.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Poteſt fieri & ſæpe contingit, quòd Laicus communicet ſub vna tantùm ſpecie cum maiori deuotione & feruore charitatis, quàm Sacerdos ſub vtraque: ſed iuxta maiorem diſpoſitionẽ confertur maior gratia, ſaltem ex opere operantis: ergo ſæpe contingit quòd plus gratiæ confertur cõmunicanti ſub vna tantùm ſpecie, quàm communicanti ſub vtraque; maior enim hæc diſpoſitio poteſt præponderare in ordine ad producendam gratiam concurſui alterius ſpeciei. Dictum eſt, ſaltem ex opere operantis; quia, vt oſtenſum eſt in materia de Sacramentis in communi, Sacramenta ſingula habent ex ſe independenter à ſubiecto cooperante (etſi debeat eſſe diſpoſitum) producere tantam gratiam; & hoc dicitur purè ex opere operato, & in hoc ſenſu procedit prima pars concluſionis. Si verò inueniant ſubiectum magis diſpoſitum, maiorem producunt gratiam, quia agunt ad modum agentis naturalis, quod perfectiorem habet effectum in ſubiecto magis diſpoſito: & hæc productio etiam dicitur ex opere operato, ſed non purè; quia dependet ex ſubiecto cooperante. Et in hoc ſenſu ſæpe etiam contingit, quòd plus gratiæ ex opere operato conferatur communicanti ſub vna tantùm

tùm specie, quàm communicanti sub vtraque. sed in hoc sensu non procedit difficultas.

Ad primum ergo, dicendum quòd Concilium in primo loco plus nobis fauet, quàm aduersetur; non enim dicit, nulla gratia fraudari eos qui vnam tantùm speciem sumunt, sed nulla gratia necessaria ad salutem: quo indicatur fraudari quidem aliqua gratia superabundanti, non autem necessaria ad salutem. In secundo autem loco loquitur de Christo fonte omnium gratiarum, non reduplicatiuè, sed specificatiuè: licèt enim sub qualibet specie sit totus Christus, qui est fons omnium gratiarum; non tamen sub qualibet specie omnem gratiam communicat; sed communicat gratiam per modum cibi sub specie panis, & per modum potus sub specie vini; ipsæ enim species concurrunt instrumentaliter ad talem communicationem. Ad primum locum D. Thom. dicendum, quòd communicans sub vna tãtùm specie non patitur detrimentum, quia recipit totam gratiam necessariam ad salutem, quamuis non recipiat superabundantem: & maximè quia hanc potest recipere, vel ex frequenti communione sub vna specie ex opere operato, vel ex maiori deuotione qua accedit, & tunc ex opere operantis: Nec patitur detrimentum ex parte rei contentæ in Sacramento, quia sub vna specie recipit totum Christum. Ad alium locum, dicendum quòd sanguis Christi sumptus sub specie panis, dicitur tam vtilis, ac delectabilis populo, quàm Sacerdotibus sumptus sub specie vini; quia ex deuotione & affectu suscipientis prouenit, vt æqualem gratiam & dulcedinem conferat; sed hoc est ex opere operantis.

Ad secundum, dicendum quòd Christus non causat gratiam in hoc Sacramento, nisi mediante ipso Sacramento siue speciebus consecratis: non continetur autem per modum cibi aut potus sub illis, nisi secundùm determinationem formæ consecratoriæ: vnde cùm ex vi talis formæ sit tantùm corpus sub specie panis, & tantùm sanguis sub specie vini; ideò Christus sub specie panis est tantùm per modum cibi, & sub specie vini est tantùm per modum potus.

Ad tertium, dicendum quòd irreuerentia quæ accideret huic Sacramento ex communione sub vtraque specie (sanguis enim facilè posset effundi, & difficilè colligi) præponderat alicui detrimento, quod posset prouenire Laicis ex tali prohibitione: quantò magis quòd hoc detrimentum potest compensari ex frequenti communione, vel ex maiori deuotione qua accedere possunt.

DVBIVM V.

Vtrùm Ecclesia iustè prohibuerit Laicis communionem sub vtraque specie.

Svpponendum est communionem sub vtraque specie fuisse aliquando in vsu; aliqui etiam putant fuisse de præcepto, Ecclesiastico tamen: quia si fuisset de præcepto diuino, Ecclesia in eo dispensare non potuisset, & multò minus potuisset eam prohibere. Communio autem sub vna specie semper perseuerauit in Ecclesia; imò est sub præcepto, quo semel in anno circa Pascha omnes fideles habentes vsum rationis, siue discretionis, qua possint dignè & reuerenter suscipere hoc Sacramentum, communicare tenentur, nisi adsit aliquod legitimum impedimentum. Insuper illud recipere per modum viatici, quando est morale aliquod periculum mortis, licèt paulò ante recepissent alio titulo. Nulli igitur est deneganda Eucharistia nisi ex rationabili aliqua causa: vnde etiam condemnatis ad mortem solet dari tempore competenti, vt possint species consumi antequam patiatur, & etiam Energumenis. Circa amentes autem D. Thom. q. 80. art. 9. docet, quòd si tales sint à natiuitate, non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit huius Sacramenti deuotio: si autem post vsum rationis & discretionem, facti sint amentes; tunc si priùs quando erant compotes suæ mentis apparuit in eis deuotio huius Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus, vel expuitionis, vel alia irreuerentia, & scandalum; & sit probabilitas quòd sit in statu gratiæ. Et idem proportione seruata dicendum de infirmo, qui postquam petiit Pœnitentiam & viaticum, incidit in phrenesim, vel amittit cognitionem: tunc enim cum prædictis conditionibus, præmissa absolutione, debet dari viaticum: secus verò si non sint prædictæ conditiones; numquam enim debet exhiberi hoc sanctissimum Sacramentum cum aliqua irreuerentia moraliter præsumpta; reuerentia siquidem eius debet præponderare cuicumque detrimento suscipientium.

Prima opinio, sed hæretica, Lutheranorum asserit Ecclesiam non posse prohibere Laicis communionem sub vtraque specie, & consequenter eam iniustè prohibuisse. Probatur; Communio sub vtraque specie est de iure diuino, vt constat ex Sacra Scriptura. Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnẽ Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Matthæi 26. Bibite ex eo omnes; Item, Accipite & manducate. 1. ad Cor. 11. loquens Apostolus ex persona Christi ait: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de ca-

lice bibat: maximè quia Christus Dominus dicens, Hoc facite in meam commemorationem, præcipit omnibus fidelibus vt sumerent hoc Sacramentum, in memoriam suæ Passionis, sicut exponit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. Constat autem quòd passio Christi non exprimitur, nisi sanguis sumatur separatus à corpore: Sed Ecclesia non potest abrogare ius diuinum, nec in eo dispensare; inferior enim non potest in superiorem: ergo Ecclesia non iustè prohibuit Laicis communionem sub vtraque specie.

Secundò probatur ex praxi Ecclesiæ à tempore Apostolorum vsque ad tempora Gelasij Papæ, & diu pòst: tunc enim dabatur Laicis communio sub vtraque specie: ergo iudicabat primitiua Ecclesia vera & pura talem communionem esse necessariam: & in hoc consentiunt Sancti Patres: ergo iniustè postea fuit prohibita: maximè cùm Christus legauerit suum sanguinem suis fidelibus his verbis: Pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Tertiò; Hoc Sacramentum fuit institutum pro omnibus fidelibus per modum integri conuiuij: ergo omnes fideles conuiuæ habent ius ad communionem sub vtraque specie, sine qua non est perfectum Sacramentum, nec conuiuium: & consequenter Ecclesia non iustè prohibuit Laicis communionem sub vtraque specie; nemo enim iustè iure suo priuari potest sine causa; & cum detrimento.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, Ecclesiam potuisse prohibere communionem sub vtraque specie Laicis, & aliis laico more communicantibus, 2. Eámque iustè prohibuisse: 3. Vnde in Ecclesia Latina citra speciale priuilegium paucis concessum, non licet sub vtraque specie communicare; est enim prohibita communio sub specie vini, etiam moribundo qui Hostiam non posset deglutire.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini sess. 21. canone 1. vbi ait: Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit. Ex quo sic procedit ratio; Non est præceptum diuinum saltem positiuum de communione sub vtraque specie, nec hoc pertinet ad substantiam huius Sacramenti, quia vt ait D. Thom. hîc q. 80. art. 12. ad 2. nihil derogat perfectioni huius Sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodo Sacerdos consecrans sumat vtrumque: ergo cùm ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 2. in Ecclesia semper fuerit potestas, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi; pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret; potuit prohibere communionem sub vtraque specie Laicis, & aliis laico more communicantibus: maximè quia ex Scriptura Sacra colligitur sufficere ad salutem communicare sub vna specie ex illo Ioannis 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Item qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate Concilij Constantiensis sess. 17. vbi vsus calicis fuit prohibitus Laicis, & Tridentini sess. 21. canone 2. vbi ait: Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse, vt Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit. Et cap. 2. ait: Quare agnoscẽs sancta Mater Ecclesia, hanc suam in administratione Sacramentorum authoritatem; licèt ab initio Christianæ Religionis non infrequens vtriusque speciei vsus fuisset, tamen progressu temporis latissimè iam mutatâ illa consuetudine, grauibus & iustis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbauit, & pro Lege habendam decreuit; quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ authoritate pro libito mutare non licet. Idem docet D. Tho. hîc q. 80. ar. 12. vbi ait: Ex parte sumentium hoc Sacramentum Eucharistiæ, requiritur summa reuerentia, & cautela ne aliquid accidat, quod vergat ad iniuriam tanti mysterij: quod præcipuè posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidẽ si incautè sumeretur, de facili posset effundi: & quia creuit multitudo populi Christiani, in qua continentur senes, & iuuenes, & paruuli quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam circa vsum huius Sacramenti adhibeant; ideò prouidè in quibusdam Ecclesiis obseruatur vt populo sanguis sumendus non detur sed solùm à Sacerdote sumatur: & hæc est principalis causa huius prohibitionis. Alia est, difficultas habendi vinum pro tanta multitudine communicantium; maximè in regionibus vbi non sunt vites.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis. Transgredi præceptum Ecclesiasticum in re graui, est peccatum mortale: ergo cùm in Ecclesia Latina sit præceptum de non communicando sub specie vini, & hoc sit in re grauissima, videlicet circa debitam reuerentiam huius Sacramenti; non licet in Ecclesia Latina sub vtraque specie communicare, siue non licet communicare sub specie vini: & hoc extendunt Authores etiam ad infirmos, qui possent sumere sanguinem, & ex aliqua causa non possunt communicare sub specie panis. Dictum est (in Ecclesia Latina) quia in Græca talis cõmunio sub vtraque specie est licita: non enim in Concilio Florentino fuit prohibita, sed censetur tolerata. Dictũ est (sine speciali priuilegio) quia

quia nostri Reges Christianissimi habent priuilegium communicandi sub vtraque specie, quo tamen non vtuntur nisi dum consecrantur, & sumunt viaticum.

Ad primum ergo, dicendum quòd hoc præceptum est datum toti Ecclesiæ, & non singulis personis; vnde sufficit quòd obseruetur à Sacerdotibus, dum conficiunt hoc Sacramentum in persona Ecclesiæ: quod tamen prodest omnibus. Sicut hoc aliud præceptum; Hoc facite in meam commemorationem: Concilium enim Tridentinum intelligit per hoc fuisse ordinatos à Christo Apostolos Sacerdotes; & tamen constat quòd non omnes tenentur esse Sacerdotes. Vel dicendum, quòd præceptum Christi Domini est de re sumpta, & non de modo sumendi: sub specie autem panis sumitur, tam corpus quàm sanguis Christi. Ad alium locum, dicendum, quòd secundum illud præceptum factum est specialiter Apostolis, qui soli erant in vltima Cœna, & ibi ordinati sunt Sacerdotes: vnde tantùm pertinet ad Sacerdotes. Ad tertium locum, dicendum sicut ad primum. Ad aliud, dicendum cum D. Thom. loco citato ad 3. quòd repræsẽtatio Dominicæ Passionis agitur in ipsa consecratione huius Sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari: potest autem à populo corpus sine sanguine sumi. Nec exinde sequitur aliquod detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit: & sub vtraque specie totus Christus continetur.

Ad secundum, dicendum quòd aliquando fuit præceptum Ecclesiasticum de communione sub vtraque specie, in detestationem hæresis Manichæorũ: & fuit in vsu in primitiua Ecclesia, non quasi necessaria ad salutẽ, aut quasi præcepta à Domino; sed propter alias rationabiles causas, quibus cessantibus, & contrariis suadẽtibus, nõ solùm fuit abrogatum hoc præceptum, sed contrarium fuit impositum. Sancti Patres autem loquuntur pro tempore illo, quo durabat prius præceptum: sanguis verò Christi omnibus pro quibus offertur, prodest; licet non ab omnibus sumatur separatim sub specie vini.

Ad tertium, dicendum quòd fideles post Baptismum habent ius ad Eucharistiam: subiectum tamen & subordinatum Ecclesiæ, quantùm ad modum recipiendi: sufficit autem quòd communicans sub vna specie fiat particeps integri conuiuij, quantùm ad rem contentam sub vna specie: & quamuis in ratione signi non recipiat integrum Sacramentum, recipit tamen verum Sacramentum Eucharistiæ, vt dictum est supra. Ex quo sequitur quòd cùm nullo titulo iustitiæ communio sub vtraque specie sit debita Laicis, nulla fit eis iniuria dum prohibetur: detrimentum autem quòd potest prouenire ex hoc, quòd non recipiunt tantum gratiæ sub vna specie, quantum reciperẽt sub vtraque: potest resarciri vel ex communione spirituali sub vtraque specie: vel ex frequenti communione reali sub vna specie.

DVBIVM VI.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ conferat successiuè gratiam, ex quo sumitur, vsque ad consumptionem specierum.

Svpponendum est ex D. Thom. hîc qu. 80. artic. 1. quòd sunt duo modi manducandi corpus Christi. Primus est imperfectus, quo quis percipit quidem Sacramentum, sed ex aliquo impedimento non percipit fructum eius: & hæc dicitur manducatio Sacramentalis tantùm. Alius est perfectus, quando quis suscipit Sacramentum, & percipit fructum eius, & dicitur manducatio spiritualis: & de hac in præsenti loquimur. Fructus autem Eucharistiæ est multiplex: nam causat augmentum gratiæ per modum nutrimenti spiritualis. Item feruorem charitatis, & dulcedinem spiritus, & per concomitantiam remissionem pœnæ debitæ peccatis iuxta dispositionem suscipientis: vnde si sit intensus feruor, tota pœna remittitur. Quid autem causet, vt est sacrificium, dicetur in vltima disputatione.

Prima opinio asserit Sacramentum Eucharistiæ conferre gratiam, cùm primò ore sumitur. Probatur; Virtus causatiua gratiæ in hoc Sacramento est infinita, cùm sit Christus ipse: ergo statim ac applicatur subiecto disposito, causat suum effectum; cùm agat ad modum agentis naturalis, & consequenter cùm primo ore sumitur.

Secunda opinio asserit Sacramentum Eucharistiæ conferre gratiam, toto tempore quo durat sumptio. Ita tenet Maior in 4. dist. 2. qu. 1. Probatur authoritate D. Thom. hîc quæst. 80. art. 8. ad 6. vbi ait; quòd maxima deuotio requiritur in ipsa sumptione huius Sacramenti; quia tunc percipitur Sacramenti effectus. Deinde, toto tempore quo durat sumptio, verè cõmeditur corpus Christi, & sanguis eius bibitur: sed comedenti corpus Christi, & bibenti eius sanguinem promittitur vita gratiæ, ex illo Ioannis 6. Qui manducat me, viuet propter me: ergo Sacramentum Eucharistiæ confert gratiam toto tempore quo durat sumptio.

Tertia opinio Caietani hîc quæst. 79. art. 1. asserit Sacramentum Eucharistiæ causare gratiam toto tempore, quo pòst sumptionem perseuerat in stomacho. Probatur ex illo Ioan. 9. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi: ergo Christus existens in hoc Sacramento tandiu illuminat lumine gratiæ, quandiu ratione eius manet coniunctus cum suscipiente. Deinde, ex Concilio Florentino, hîc cibus spiritualis com-

paratur corporeo, quantùm ad productionem ſui effectus: ſed cibus corporeus non tam cauſat ſuum effectum dum ſumitur, quàm quamdiu perſeuerat in ſtomacho, vt patet: ergo & hic cibus ſpiritualis. Denique, iſte modus dicendi eſt probabilis & exaltat miſericordiam Dei erga nos, ac excellentiam huius Sacramenti, vt patet: ergo debet admitti.

Quarta opinio Yſamberti hîc diſp. 3. art. 2. aſſerit Sacramentum Euchariſtiæ conferre gratiam in eo inſtanti, quo dum ſumitur, attingit aliqua ſui parte primum intrinſecum illius partis inſtrumentorum manducationis, à quo traiectio cibi per os ad ſtomachum incipit eſſe & vocari manducatio. Probatur: Sacramentum Euchariſtiæ cauſat gratiam, non ſucceſſiuè, ſed in aliquo inſtanti: ſed nullum eſt aptius, quàm illud primum, in quo verum eſt dicere, quòd manducatur & bibitur; nam in ſequentibus non eſt maior ratio de vno, quàm de alio. De terminatiuo autem non poteſt dici: tum quia in illo non eſt ampliùs manducatio, ſed manducatum eſſe, & tamen ex Scriptura promittitur gratia manducanti ex illo Ioannis 6. Qui manducat me, viuet propter me: tum quia ex oppoſito ſequeretur, quòd ſi quis moriatur dum verè manducat, antequam Sacramentum perueniat ad ſtomachum, priuaretur fructu Euchariſtiæ, quod eſt falſum; cùm verè manducauerit: quod etiam ſequitur, ſi ex aliquo impedimento alio non perueniat ad ſtomachum: ergo in illo primo inſtanti cauſat gratiam.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentum Euchariſtiæ non confert gratiam ex opere operato, toto tempore quo durat ſumptio: 2. Nec toto tempore quo poſt ſumptionem perſeuerat in ſtomacho: 3. Nec etiam quando ore ſumitur, & in eo retinetur: 4. Nec in primo inſtanti quo verum eſt dicere, manducatur: 5. Sed in terminatiuo manducationis, quando eſt verum dicere, eſſe manducatum. 6. Ex opere verò operantis poteſt gratiam conferre, toto tempore quo ſumitur, & perſeuerat in ſtomacho.

Probatur prima pars concluſionis ratione D. Thom. Sacramenta nouæ Legis, dum agunt ex opere operato, agunt ad inſtar agentis naturalis: ſed agens naturale producit ſuum effectum in inſtanti, quando habet virtutem perfectam non impedibilem, ſubiectum debitè diſpoſitum, & forma producibilis poteſt produci in inſtanti: & ſolus defectus alicuius ex enumeratis eſt cauſa ſucceſſionis in tali productione: ergo cùm virtus Dei operantis per Sacramenta ſit infinita, ac proinde non impedibilis; dum ſubiectum eſt debitè diſpoſitum, vt ſupponitur eſſe: & cùm gratia habitualis poſſit produci in inſtanti, & de facto producatur in inſtanti per alia Sacramenta: Euchariſtiæ Sacramentum non producit illam ex opere operato, toto tempore quo durat ſumptio; ſed in aliquo inſtanti: maximè cùm Euchariſtia ſit maioris & excellentioris virtutis, quàm alia Sacramenta quæ gratiam cauſant in inſtanti.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate D. Thom. hîc q. 80. art. 8. ad 6. vbi ait effectum Euchariſtiæ conferri in ipſa ſumptione: dicit enim quòd maxima deuotio requiritur in ipſa ſumptione huius Sacramenti, quia tunc percipitur Sacramenti effectus: quæ quidem deuotio magis impeditur per præcedentia, quàm per ſequentia; & ideò magis eſt inſtitutum quòd homines ieiunent ante ſumptionem huius Sacramenti, quàm poſt. Deinde, vita ſpiritualis gratiæ promittitur in Scriptura, comedenti & bibẽti carnem & ſanguinem Chriſti: Ioannis 6. Qui manducat me, viuet propter me: ergo Euchariſtia cauſat gratiam dum actu ſumitur, ſiue ſtatim ac perfecta eſt ſumptio, vt dicetur; & non poſtea: licèt enim ſit poſſibile, quòd poſtea cauſet, non tamen conſtat ex Scriptura. Denique, ex oppoſito ſequitur quòd ille qui debilioris eſt ſtomachi, vel qui maiorem ſumit ſpecierum quantitatem, plus reciperet gratiæ ex opere operato, quia diutiùs in eius ſtomacho perſeueraret Sacramentum: quod tamen nullus dicit: & contrarium docet D. Thom. hîc q. 79. art. 7. ad 3. imò multi negant plus conferri gratiæ in communione ſub vtraque ſpecie, quàm ſub vna, vt dictum eſt.

Probatur tertia pars concluſionis. Gratia promittitur mediante hoc Sacramento, iis tantùm qui illud comedunt & bibunt: Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnẽ Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis &c. Sed ore ſumere & in eo retinere cibum & potum, non eſt manducare & bibere; hæc enim important quòd cibus & potus deglutiantur, ſiue tranſmittantur ab ore per guttur in ſtomachum: ergo Sacramentum Euchariſtiæ non confert gratiam ex opere operato, quando ore ſumitur, & in eo retinetur: vnde ſi quis recipiens tunc moreretur, non perciperet fructum huius Sacramenti. Deinde; Euchariſtia, cùm ſit alimentum ſpirituale, confert ſuum effectum gratiæ nutrientis ad inſtar cibi corporei: ſed cibus corporeus non cauſat effectum nutritionis, quandiu eſt in ore, vt patet: ergo Sacramentum Euchariſtiæ non confert gratiam ex opere operato, quando ore ſumitur, & in eo retinetur.

Probatur quarta, & quinta pars concluſionis. Vt dictum eſt, Sacramentum Euchariſtiæ eſt alimentum ſpirituale animæ; vnde de eo loquendum eſt ad inſtar cibi & alimenti corporei, in ordine ad cauſandum ſuum effectum, quantùm poſſibile eſt, vt communiter admittunt Theologi: ſed alimentum corporeum non cauſat ſuum effectum in primo inſtanti, in quo verum eſt dicere, manducatur: ſed cauſat aptitudine

tudine proxima in instanti terminatiuo intrinsecè manducationis, quando est verum dicere,esse manducatum: licèt enim tunc actu non causet, quia debet successiuè alterari; tamen tunc est aptum causare, quia est applicatum principio vitali quo postea successiuè disponitur ad conuersionem in substantiam aliti, ad quam conuersionem sequitur nutritio, quæ est eius effectus: ergo cùm Sacramentum Eucharistiæ non exigat illam successionem, at causet in instanti, vt dictum est,causabit effectum gratiæ nutrientis in illo instanti terminatiuo manducationis. Illud autem instans dicitur intrinsecum motui; quamuis non sit pars eius, quia se habet sicut alia terminatiua indiuisibilia rerum permanentium, vt puncta respectu lineæ; & quia est immediatum ipsi motui quem terminat: in illo autem solet produci effectus instantaneus consequens ad aliquem motum. Licèt autē Sacerdos sumat separatim plures particulas, dummodò illa sumptio sit vna communio moraliter, prima causat totam gratiam, cùm iam est manducata: aliæ verò tunc non sunt, quia iam inueniunt effectum quem causare debebant:& hoc sequitur ad institutionem diuinam,ex qua habetur,quòd ex vna communione conferatur tanta gratia ex opere operato, in subiecto disposito independenter à quocumque alio: si autem per accidens subiectum non esset dispositum, vel non æquè dum recipitur illa prima particula, secunda per accidens causaret gratiam, vel absolutè, vel portionem correspondentem nouæ dispositioni ipsius subiecti. Nec potest dici, quòd quælibet particula causat effectum, vel quòd sola vltima. Nam contra primum est; quòd vel causat integrum, vel partialem, quorum vtrumque est contra D. Thom. hîc quæst. 79. artic. 7. ad 3. ait enim: Vnde nec si aliquis simul in vna Missa multas Hostias consecratas sumat, participabit maiorem effectum Sacramenti,&c. Contra secundum est; tum quòd ille qui dignè recipit primam particulam,verè manducat Christum; manducanti autem promittitur gratia; vnde sine fundamento dicitur, quòd suspendatur eius effectus: tum quia sequeretur quòd si quis sumpta vna parte Hostiæ cum debita dispositione, moreretur ante sumptionem alterius, priuaretur fructu Eucharistiæ, quod est inconueniens.Nec instantia quæ affertur de extrema Vnctione obstat; quòd scilicet non causat gratiam,nisi in fine vnctionis. Nam est disparitas, quia prima particula est verum Sacramentum: extrema Vnctio verò non est Sacramentum nisi sit completa.

Probatur,& explicatur sexta pars cōclusionis. Eucharistia toto tēpore quo sumitur, & perseuerat in stomacho,potest esse motiuum maioris deuotionis, charitatis, & aliorum actuum supernaturalium, quibus meremur; ac proinde augetur gratia:& hoc est causare ex opere operantis: ergo Sacramentum Eucharistiæ causat gratiam ex opere operantis, toto tempore quo sumitur,& perseuerat in stomacho.

Ad primum ergo, dicendum quòd virtus causatiua gratiæ in hoc Sacramento determinatur ad causandum per modum alimenti: alimentum autem non est sufficienter applicatum, donec deglutiatur in stomachum, sitque manducatum.

Ad secundum, dicendum quòd D. Thom. non dicit quòd fructus huius Sacramenti percipitur toto tempore sumptionis: sed in ipsa sumptione, idest completa, siue in complemento sumptionis. Ad aliud, dicendum quòd gratia promittitur comedenti & bibenti Eucharistiam, non toto tempore quo manducat & bibit;sed perfecta & completa comestione & potatione.

Ad tertium, dicendum quòd Christus loquitur ibi de sua præsentia visibili, & non Sacramentali: quandiu enim fuit visibiliter in mundo, illuminauit nos sua doctrina cœlesti, & exemplo virtutum. Ad aliud, dicendum quòd est similitudo inter cibum hunc spiritualem & cibum corporeum in multis, vt dictum est:non autem est omnimoda in modo causandi; quia enim cibus corporeus debet successiuè alterari, digeri, & conuerti in substantiam aliti; ideò non statim ac est in stomacho, confert suum effectum;benè autem cibus iste spiritualis qui non conuertitur, sed conuertit in se,suscipientem. Ad aliud,dicendum quòd cùm fructus huius Sacramenti pendeat ex voluntaria Christi institutione,debemus potiùs de eo loqui ex authoritate Sacræ Scripturæ, & ratione suæ institutionis,quàm ex aliis conuenientiis.

Ad quartum, dicendum quòd gratia promittitur manducanti hoc Sacramentum: non quando actu manducatur siue in ipso manducari; alioquin daretur successiuè: sed in complemento manducationis siue in ipso manducato esse. Ad aliud, dicendum quòd in illo casu suscipiens percipiet fructum Sacramenti ex opere operantis; quia suscepit in voto:non autem ex opere operato ex defectu perfectæ manducationis.

DVBIVM VII.

Vtrùm virtus causatiua gratiæ in hoc Sacramento,sit ipsum corpus & sanguis Christi.

Svpponendum est Christum Dominum esse in hoc Sacramento, alio modo quo est in propria specie, quamuis sit idem, vt communiter docent Scholastici cum D. Thom. hîc quæst. 81. artic. 4. nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias di-

mensiones; non autem prout est in hoc Sacramento: & ideo quicquid pertinet ad Christum secundùm quòd in se est; potest attribui ei, & in propria specie, & in Sacramento existenti, sicut viuere, mori, dolere, animatum, vel inanimatum esse, & cætera huiusmodi: quæcumque verò conueniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in Sacramento, sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cætera huiusmodi.

Prima opinio valde probabilis in doctrina D. Thom. quam sequitur Cornejo, & alij, asserit virtutem causatiuam gratiæ in Sacramento Eucharistiæ, esse corpus & sanguinem Christi. Probatur authoritate D. Thom. supra q. 73. art. 1. ad 2. vbi ait: Sicut se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam Baptismi; ita se habet corpus Christi verum ad species panis & vini: vnde species panis & vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri. Idem docet in 4. d. 8. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad. 2. & q. 37. de veritate art. 4. Sed in aliis Sacramentis virtus causatiua gratiæ est virtus Spiritus Sancti: ergo in hoc Sacramento talis virtus est corpus & sanguis Christi.

Secundò; Hoc Eucharistiæ Sacramentum differt ab aliis, quòd non consistit in vsu sicut alia, sed est res permanens: ergo sicut in aliis virtus causatiua gratiæ est aliquid fluens; sic in hoc est aliquid permanens: nam Sacramentum est signum practicum gratiæ, & consequenter quandiu permanet, debet habere virtutem causatiuam gratiæ.

Tertiò; Humanitas Christi vt vnita Hypostaticè diuinitati, sine aliquo superaddito est potens causare gratiam, miracula, & alias immutationes supernaturales; diuinitas enim est eius virtus causatiua: ergo pari ratione humanitas Christi existens sub hoc Sacramento est illi virtus causatiua gratiæ: alioquin non alio modo concurreret in hoc Sacramento, quàm in aliis; cùm in aliis concurrat physicè, vt quodi quia est instrumentum coniunctum diuinitatis.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacramentum Eucharistiæ, siue species Sacramentales, dum causant gratiam, in ipso vsu eleuantur aliqua virtute fluenti & incompleta, ad instar aliorum Sacramentorum; proueniente tamen à corpore & sanguine Christi sub illis existente: vnde corpus & sanguis Christi non sunt in hoc Sacramento virtus causatiua gratiæ, Ita communiter Thomistæ.

Probatur conclusio. Ex D. Thom. supra q. 62. art. 4. Sacramenta nouæ Legis causant gratiam instrumentaliter, per virtutem instrumentalem à Deo communicatam: virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex vno in aliud, & incompletum; sicut & motus est actus imperfectus ab agente in patiens, quia instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum à principio agente: ergo & Sacramentum Eucharistiæ, siue species Sacramentales dum causant gratiam in ipso vsu eleuantur aliqua virtute fluenti & incompleta: D. Thom. enim loquitur ibi de omnibus Sacramentis, siue de Sacramentis vniuersaliter & indefinitè. Nec potest intelligi determinatè de Sacramentis quæ consistunt tantùm in vsu, vt aliqui immeritò exponunt.

Secundò; Sacramenta nouæ Legis verè physicè causant gratiam: sunt enim signa practica, vt dictum est: ergo cùm ex vna parte corpus & sanguis Christi non sint Sacramentum, nec pars essentialis illius (hoc enim Sacramentum in recto importat solas species Sacramentales) non causant immediatè ipsam gratiam, quasi species habeant tantùm rationem deferentis; quia ex communi doctrina aqua calida non calefacit physicè actiuè, quamuis deferat calorem; sed ignis, cuius ille calor est virtus. Ex alia verò parte corpus & sanguis Christi non possunt esse virtus qua ipsæ species operantur: quia ex D. Thom. 2. contra gentes cap. 59. id quo aliquid operatur, oportet vt sit forma eius; quia nihil agit nisi in quantum est ens in actu; & nihil est ens in actu nisi per formam: quod debet intelligi, quando id quo aliquid operatur, se tenet ex parte principij actiui tanquam virtus eius agendi, & complementum intrinsecum; non verò quando se tenet ex parte obiecti, & est complementum extrinsecum: propterea 1. p. q. 12. communiter docent Thomistæ, quòd essentia diuina supplet rationem speciei intelligibilis, non autem potest supplere rationem luminis gloriæ: ergo cùm corpus & sanguis Christi non sint forma Sacramenti Eucharistiæ, quamuis valde intimè vniantur speciebus Sacramentalibus, non sunt in ipsis virtus causatiua gratiæ, sed eleuentur in ipso vsu virtute fluenti, & incompleta, ad instar aliorum Sacramentorum: maximè quia corpus & sanguis Christi, ex D. Thom. supra q. 64. art. 3. concurrunt, vt quod, ad effectum omnium Sacramentorum; sunt enim partes humanitatis, quæ est causa vniuersalis, & instrumentum generale diuinitatis respectu productionis gratiæ omnium Sacramentorum: vnde non concurrunt, vt quo.

AD primum ergo, dicendum quòd intentum D. Thom. in toto illo articulo est probare, quòd Eucharistia sit Sacramentum: & obiicit sibi quòd species Sacramentales nihil efficiunt, & consequenter non sunt Sacramentum nouæ Legis: Respondet quòd sicut se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam Baptismi, id est ad hoc vt eius ablutio sit Sacramentum, ita se habet corpus Christi verum ad species panis & vini: ad hoc scilicet vt sint Sacramen-

tum.

tum. Ex quo infert: Vnde species panis & vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri; in quantum virtus instrumentalis, qua hoc Sacramentum agit, prouenit à corpore & sanguine Christi existentibus sub hoc Sacramento: non quòd corpus & sanguis Christi sint illi virtus agendi, sicut in aliis Sacramentis, quia consistunt in solo vsu, virtus Spiritus Sancti & ipsa quodammodo constituit, & est ipsis virtus agendi.

Ad secundum, dicendum quòd Sacramentum nouæ Legis est signum practicum gratiæ, cum hac differentia: quòd Sacramentum consistens in solo vsu, est signum practicum semper actuale; & ita tunc habet virtutem causatiuam gratiæ: Sacramentum verò Eucharistiæ consistens in consecratione materiæ, est signum tam actuale, quàm habituale siue potentiale: sed est tantùm signum practicum gratię actuale siue in actu secundo, quando in ipso vsu applicatur ad illam causandam; vnde sufficit quòd pro tunc habeat virtutem causatiuam illius, illam scilicet motionem fluentem & incompletam: extra verò vsum est tantùm signum gratiæ potentiale siue in actu primo: vnde pro tunc non debet habere virtutem causatiuam gratiæ in actu, sed in radice scilicet in corpore Christi à quo procedit.

Ad tertium, dicendum quòd humanitas Christi Domini fuit semper eleuata, ad causandas immutationes supernaturales, virtute aliqua superaddita procedente à diuinitate ipsi coniuncta. Ad aliud, dicendum quòd in hoc Sacramento concurrit vt præsens realiter; in aliis vt distans.

DVBIVM VIII.

Vtrum Sacramentum Eucharistiæ causet gratiam recedente fictione.

Supponendum est Sacramenta tunc suscipi cum fictione: quando in suscipiente est obex siue impedimentum, ratione cuius non suscipit fructum Sacramenti suscepto Sacramento, vel quia sacrilegè accedit, vel saltem indispositus: & tunc dubium procedit, vtrùm recedente tali fictione vel obice, quando per confessionẽ, vel quocumque alio modo consequitur gratiam sanctificantem, simul consequatur portionem illam, quam hoc Sacramentum causasset, si inuenisset subiectum dispositum.

Prima opinio Durandi in 4. d. 4. Vasques, Cornejo & aliorum in præsenti, negat Sacramentum Eucharistiæ causare gratiam recedente fictione. Probatur; effectus Sacramentorum dependet ex mera Dei voluntate, & ita de illo solùm debemus loqui cum fundamento Sacræ Scripturæ, in qua innotescit diuina voluntas: sed nullum est fundamentum in Scriptura dicendi, quòd Sacramentum Eucharistiæ causet gratiam recedente fictione; imò est fundamentum in contrarium; cùm dicat Apostolus quòd ille qui indignè sumit hoc Sacramentum, iudicium sibi manducat & bibit: ergo Sacramentum Eucharistiæ non causat gratiam recedente fictione.

Secundò; Est incredibile aliquem indignè communicantem, in fine vitæ per vnicùm & remissum actum contritionis, consequi omnem gratiam, quam ex opere operato recepisset, si dignè communicasset: & insuper hoc dat ansam indifferenter communicandi, siue benè, siue malè; quod non esset, si accedens fictè intelligeret se priuari tam fructu, quàm spe ipsius: ergo Sacramẽtum Eucharistiæ non causat gratiam recedente fictione: maximè quia deberet illam causare physicè, cùm tamen sit impossibile, non enim existit in se, aut in aliquo suo effectu.

Tertiò; Ideo alia Sacramenta causant gratiam recedente fictione: vel quia non sunt iterabilia; vel quia eorum vsus est opus Christi quod est viuum; vnde licèt non habeat effectum, manet tamen suspensum in acceptatione Dei: Sed neutrum concurrit in præsenti; nam Sacramentum Eucharistiæ est iterabile quotidie, & eius vsus est opus solius suscipientis, videlicet manducatio, & potatio: accedente autem fictione est opus mortuum; vnde non remanet in acceptatione diuina: ergo non causat gratiam recedente fictione.

CONCLVSIO

Respondeo dicendum, quòd Sacramentum Eucharistiæ causat gratiam recedente fictione. Ita Caietanus hic q. 79. art. 1. Petrus de Soto lect. 4. de Baptismo, & communiter Thomistæ. Probatur; Communiter admittunt Scholastici, quòd omnia alia Sacramenta causant gratiam recedente fictione: quia mediis illis applicantur à Deo & Christo, merita eiusdem Christi; vnde in acceptatione diuina manent applicata: & licèt ex indispositione subiecti suspendantur ab effectu; illum tamen causant adueniente dispositione: ergo idem dicendum est in Sacramento Eucharistiæ: & multò magis, cùm sit dignius, & consequenter efficacius cæteris: & sit eadem omnium institutio, propter quod etiam communiter admittitur, quòd per accidens causet primam gratiam; sicut alia Sacramenta viuorum: & gratia per ipsum data, ac per peccatum amissa reuiuiscat. Nec aliquid speciale obstat in contrarium, vt constabit ex solutione obiectionum.

Ad primum ergo, dicendum quòd in Scriptura Sacra non est maius fundamentum dicendi, quòd alia Sacramenta causent gratiam recedente fictione, quàm istud: sed est idem scilicet assignatum in conclusione: & Apostolus tantùm vult quòd indignè communicans,

ex vi ſacrilegæ communionis iudicium ſibi manducet & bibat; quamuis ex vi Sacramenti conſequatur gratiam, quando pœnitet poſtea.

Ad ſecundum, dicendum quòd ſi gratia Sacramentalis daretur ex opere operantis, vera eſſet obiectio: ſed datur ex opere operato, propter merita Chriſti applicata in Sacramentis: nec debemus eſſe mali, quia Deus bonus eſt. Si quid autem probaret obiectio, æquè militaret contra Pœnitentiam: & niſi amor Dei, & timor ſint cauſa dignæ communionis, parùm proderunt alia motiua. Irillo autem caſu, Sacramenta per accidens cauſant moraliter gratiam; quamuis per ſe cauſent phyſicè.

Ad tertium, dicendum quòd omnia Sacramenta cauſant gratiam recedente fictione: non propter rationes aſſignatas; ſed quia ſunt media quibus applicantur nobis merita Chriſti: vnde ſemel applicata; ſi tunc non proſint; manent tamen in acceptatione diuina, vt ſuo tempore proſint diſpoſito ſubiecto. Vnde licèt D. Thom. in 4. diſt. 4. quæſt. 3. artic. 2. quæſtiunc. 3. ad 3. videatur docere quòd Euchariſtia non cauſet gratiam recedente fictione: dicendum tamen cum communi ſententia Thomiſtarum, vel quòd D. Thom. ſe retractauit, vt dictum eſt de Sacramentis in genere: vel quòd loquitur tantùm admittendo, non aſſerendo: ideſt, eſto; Euchariſtia non cauſet; affirmat tamen Baptiſmum cauſare, ob rationem ibi aſſignatam.

QVÆSTIO LXXXII.

De miniſtro huius Sacramenti, in decem articulos diuiſa.

Deinde conſiderandum eſt de miniſtro huius ſacramenti.

¶ Et circa hoc quæruntur decem.

¶ Primò, vtrum conſecrare hoc ſacramentum, ſit proprium ſacerdotis.

¶ Secundo, vtrum plures ſacerdotes ſimul poſſint eandem hoſtiam conſecrare.

¶ Tertiò, vtrum diſpenſatio huius ſacramenti pertineat ad ſolum ſacerdotem.

¶ Quartò, vtrum liceat ſacerdoti conſecranti à communione abſtinere.

¶ Quintò, vtrum ſacerdos peccator, poſſit conficere hoc ſacramentum.

¶ Sextò, vtrum miſſa mali ſacerdotis minus valeat quàm boni.

¶ Septimò, vtrum hæretici, ſchiſmatici, vel excommunicati poſſint conficere hoc ſacramentum.

¶ Octauo, vtrum degradati.

¶ Nono, vtrum peccent à talibus communionem recipientes.

¶ Decimò, vtrùm liceat ſacerdoti omnino à celebratione abſtinere.

ARTICVLVS I.

Vtrùm conſecratio huius Sacramenti ſit propria ſacerdotis.

494 Ad primvm ſic proceditur. Videtur, quòd conſecratio huius ſacramenti non ſit propria ſacerdotis. Dictum eſt enim ſupra [a], quod hoc ſacramentum conſecratur virtute verborum, quæ ſunt forma huius ſacramenti. Sed illa verba non mutantur, ſiue dicantur à ſacerdote, ſiue à quocunque alio. Ergo videtur, quod non ſolus ſacerdos, ſed etiam quilibet alius poſſit hoc ſacramentum conſecrare.

[a] q. 78. art. 1. & 4. & 4. d. 13. q. 1. a. 1. q. 1. & di. 17. q. 2. art. 3. q. 1. ca. 8. d. 24. q. 2. art. 1. q. 2. & 3. ad 3.

¶ 2 Præterea, Sacerdos hoc ſacramentum conficit in perſona Chriſti. Sed laicus ſanctus eſt vnitus Chriſto per charitatem. Ergo videtur, quòd etiam laicus poſſit hoc ſacramentum conficere. Vnde & Chryſoſt. [b] dicit ſuper Matth. quòd omnis ſanctus eſt ſacerdos.

¶ 3 Præterea, Sicut baptiſmus ordinatur ad hominum ſalutem, ita & hoc ſacramentum ſicut ex ſupradictis patet [c]. Sed etiam laicus poteſt baptizare: vt ſupra dictum eſt [d]. Non ergo eſt proprium ſacerdotis conficere hoc ſacramentum.

[b] Chryſ. ho. 43. in Mat. in opere imperf. non remote à prin. to. 2. [c] q. 78. a. 4. [d] q. 67. a. 3.

¶ 4 Præterea hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ. Sed alias materias conſecrare, ſcilicet chriſma & oleum ſanctum, & oleum benedictum, pertinet ad ſolum epiſcopum: quarum tamen conſecratio non eſt tantæ dignitatis, ſicut conſecratio Euchariſtiæ, in qua eſt totus Chriſtus. Ergo non eſt proprium ſacerdotis, ſed ſolius Epiſcopi, hoc ſacramentum conficere.

Sed contra eſt, quod Iſido. [e] dicit in quadam epiſt. & habetur in Decret. diſt. 25. Ad Presbyterum pertinet ſacramentum corporis & ſanguinis Domini in altari Dei conficere.

[e] in dec. d. 25. ca. perlectis & dicit Iſid. id habere in epiſto. ad Ludofre.

CONCLVSIO.

Cùm Euchariſtiæ Sacramentum non niſi in perſona Chriſti conficiatur, ſacerdotum, quibus hæc poteſtas conceſſa eſt, proprium munus eſt, illud conficere.

Respondeo dicendum, quòd (ſicut ſupra dictum eſt [f]) hoc ſacramentum eſt tantæ dignitatis, quòd non conficitur niſi in perſona Chriſti. Quicunque autem aliquid agit in perſona alicuius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur à Chriſto poteſtas ſumendi hoc ſacramentum: ita ſacerdoti, cum ordinatur, confertur poteſtas hoc ſacramentum conſecrandi in perſona Chriſti. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt à Domino. Hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum eſt, quòd proprium eſt ſacerdotum conficere hoc ſacramentum.

[f] q. 78. c. 1. & 4.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus ſacramentalis in pluribus conſiſtit, & non in vno tantum, ſicut virtus baptiſmi conſiſtit in ipſis verbis, & in aqua. Vnde & virtus conſecratiua non ſolum conſiſtit in ipſis verbis: ſed etiam in poteſtate ſacerdoti tradita in ſua conſecratione & ordinatione: cùm ei dicitur ab epiſcopo, Accipe poteſtatem offerendi in eccleſia ſacrificium, tam pro viuis quàm pro mortuis. Nam & virtus inſtrumentalis in pluribus inſtrumentis conſiſtit, per quæ agit principale agens.

Ad ſecundum dicendum, quod laicus iuſtus vnitus eſt Chriſto vnione ſpirituali per fidem & charitatem, non autem per ſacramentalem poteſtatem. Et ideo habet ſpirituale ſacerdotium ad offerendum ſpirituales hoſtias: de quibus dicitur in Pſalm. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et Roman. 12. Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem. Vnde & primæ Petri ſecundo dicitur: Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias.

Ad tertium dicendum, quòd perceptio huius ſacramenti non eſt tantæ neceſſitatis, ſicut perceptio baptiſmi, vt ex ſupradictis patet. [g] Et ideo licet in neceſſitatis articulo, laicus poſſit baptizare, non tamen poteſt hoc ſacramentum conficere.

[g] q. pr. a. 12. ad 2. & q. 73. art. 3.

Ad quartum dicendum, quod epiſcopus accipit poteſtatem vt agat in perſona Chriſti ſuper corpus eius myſticum, id eſt ſuper eccleſiam. Quam quidem poteſtatem non accipit ſacerdos in ſua conſecratione: licet poſſit eam habere ex epiſcopi commiſſione. Et ideo ea, quæ non pertinent ad diſpoſitionem corporis myſtici non reſeruantur epiſcopo: ſicut conſecratio huius ſacramenti. Ad epiſcopum vero pertinet tradere non ſolum populo, ſed etiam ſacerdotibus ea, ex quibus poſſunt propriis officiis vti. Et quia benedictio chriſmatis & olei ſancti, & olei infirmorum, & aliorum, quæ conſecrantur (puta altaris, eccleſiæ, veſtium & vaſorum) præſtat quandam idoneitatem ad ſacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium ſacerdotum: ideo tales conſecrationes epiſcopo reſeruantur, tanquam principi totius eccleſiaſtici ordinis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm plures ſacerdotes poſſint vnam & eandem hoſtiam conſecrare.

Ad secvndvm ſic proceditur. Videtur, quòd plures ſacerdotes non poſſunt vnam & eandem hoſtiam conſecrare. Dictum eſt enim * ſupra, quod plures non poſſunt ſimul vnum baptizare. Sed non minor vis eſt ſacerdotis conſecrantis, quàm hominis baptizantis. Ergo etiam non poſſunt ſimul plures vnam hoſtiam conſecrare. 495

4. d. 13. q. 1. a. 2. q. 2. q. 67. a. 6.

¶ 2 Præterea, Quod poteſt fieri per vnum, ſuperfluè fit per multos. In ſacramentis autem nihil debet eſſe ſuperfluum. Cum ergo vnus ſufficiat ad conſecrandum, videtur quod plures non poſſint vnam hoſtiam conſecrare.

¶ 3 Præterea, Sicut dicit Auguſt. ſuper Ioan. [h] hoc ſacramentum eſt ſacramentum vnitatis. Sed contrarium vnitati eſſe videtur, multitudo. Ergo non videtur conueniens eſſe huic ſacramento, quod plures ſacerdotes eandem hoſtiam conſecrent.

[h] tra. 26. in Io. to. 9.

Sed contra eſt, quod ſecundùm conſuetudinem quarundam eccleſiarum, ſacerdotes, cum de nouo ordinantur, concelebrant epiſcopo ordinanti.

CONCLVSIO.

Poſſunt plures ſacerdotes ſimul eandem hoſtiam conſecrare, dummodo ſimul eadem verba proferant.

Respondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt [i]) ſacerdos cum ordinatur, conſtituitur in gradu eorum, qui à Domino acceperūt poteſtatem conſecrandi in cœna. Et ideo ſecundum conſuetudinem quarumdam eccleſiarum, ſicut Apoſtoli Chriſto cœnanti concœnauerunt, ita noui ordinati epiſcopo ordinanti concelebrant. Nec propter hoc iteratur conſecratio ſuper eandem hoſtiam: quia ſicut Innoc. III. [k] dicit, omnium intentio debet ferri ad idem inſtans conſecrationis.

[i] art. præc. [k] li. 4. de ſacro altar. myſt. c. 25. circa med.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus non legitur ſimul

ſimul baptizaſſe cum Apoſtolis, quando iniunxit eis officium baptizandi. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendum quod ſi quilibet ſacerdotum operaretur in virtute propria, ſuperfluerent alij celebrantes, vno ſufficienter celebrante. Sed quia ſacerdos non conſecrat niſi in perſona Chriſti, multi autem ſunt vnum in Chriſto, ideo non refert vtrum per vnum, aut per multos hoc ſacramentum conſecretur: niſi quod oportet ritum Eccleſiæ ſeruari.

Ad tertium dicendum, quod euchariſtia eſt ſacramentum vnitatis eccleſiaſticæ, quæ attenditur ſecundum hoc, quod multi ſunt vnum in Chriſto.

ARTICVLVS III.

Vtrùm diſpenſatio huius ſacramenti pertineat ſolum ad ſacerdotem.

496 ADTERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd non pertineat ſolum ad ſacerdotem diſpenſatio huius ſacramenti. Sanguis enim Chriſti non minus pertinet ad hoc ſacramentum, quàm corpus. Sed ſanguis Chriſti diſpenſatur per diaconos. vnde & beatus Laurent. * dixit beato Sixto, Experire vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. Ergo & pari ratione diſpenſatio corporis Chriſti non pertinet ad ſolos ſacerdotes.

¶ 2 Præterea, Sacerdotes conſtituuntur miniſtri ſacramentorum. Sed hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ, non in vſu, ad quem pertinet diſpenſatio. Ergo videtur, quod non pertineat ad ſacerdotem corpus Domini diſpenſare.

¶ 3 Præterea, Dion. * dicit in li. eccl. hier. quod hoc ſacramentum habet perfectiuam virtutem, ſicut & chriſma. Sed ſignare chriſmate baptizatos, non pertinet ad ſacerdotem, ſed ad epiſcopum. Ergo etiam diſpenſare hoc ſacramentum, pertinet ad Epiſcopum, non ad ſacerdotem.

Sed contra eſt, quod dicitur de conſe. * diſt. 2. Peruenit ad notitiam noſtram, quod quidam presbyteri laico aut fœminæ corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis: igitur interdicit ſynodus, ne talis præſumptio vlterius fiat: ſed presbyter per ſemetipſum infirmos communicet.

CONCLVSIO.

Cùm ſacerdotes in Chriſti perſona perficiant ſacramentum, & medij ſint inter Deum, & populum, ad eos maximè huius ſacramenti diſpenſatio pertinet.

Respondeo dicendum, quod ad ſacerdotem pertinet diſpenſatio corporis Chriſti, propter tria. Primo quidem, quia (ſicut dictum eſt *) ipſe conſecrat in perſona Chriſti. Ipſe autem Chriſtus ſicut conſecrauit corpus ſuum in cœna, ita & aliis ſumendum dedit. Vnde ſicut ad ſacerdotem pertinet conſecratio corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secundo, quia ſacerdos conſtituitur medius inter Deum & populum. Vnde ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona ſanctificata diuinitus populo tradere. Tertio, quia in reuerentiam huius ſacramenti, à nulla re contingitur niſi conſecrata. Vnde & corporale & calix conſecrantur, & ſimiliter manus ſacerdotis, ad tangendum hoc ſacramentum. Vnde nulli alij tangere licet, niſi in neceſſitate: puta ſi caderet in terram vel in aliquo neceſſitatis caſu.

Ad primum ergo dicendum, quod diaconus quaſi propinquus ordini ſacerdotali, aliquid participat de eius officio: vt ſcilicet diſpenſet ſanguinem, non autem corpus, niſi in neceſſitate, iubente Epiſcopo vel Presbytero. Primo quidem, quia ſanguis Chriſti continetur in vaſe: vnde non oportet, quod tangatur à diſpenſante, ſicut tangitur corpus Chriſti. Secundo, quia ſanguis deſignat redemptionem à Chriſto in populum deriuatam: vnde & ſanguini admiſcetur aqua, quæ ſignificat populum. Et quia diaconi ſunt inter ſacerdotem & populum, magis conuenit diaconis diſpenſatio ſanguinis, quàm diſpenſatio corporis.

Ad ſecundum dicendum, quòd eiuſdem eſt, hoc ſacramentum diſpenſare & conſecrare ratione iam dicta *.

Ad tertium dicendum, quod ſicut diaconus in aliquo participat illuminatiuam virtutem ſacerdotis, in quantum diſpenſat ſanguinem: ita ſacerdos participat perfectiuam diſpenſationem epiſcopi, inquantum diſpenſat hoc ſacramentum, quo perficitur homo ſecundum ſe, per coniunctionem ad Chriſtum. Aliæ autem perfectiones quibus homo perficitur per comparationem ad alios, epiſcopo reſeruantur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ſacerdos conſecrans teneatur ſumere hoc ſacramentum.

497 AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd ſacerdos conſecrans non teneatur ſumere hoc ſacramentum. In aliis enim conſecrationibus, ille qui conſecrat materiam non vtitur ea: ſicut epiſcopus conſecrans chriſma non linitur eodem. Sed hoc Sacramentum conſiſtit in conſecratione materiæ. Ergo ſacerdos perficiens hoc ſacramentum, non neceſſe habet vti eodem, ſed poteſt licitè à ſumptione eius abſtinere.

¶ 2 Præterea, In aliis ſacramentis miniſter non præbet ſacramentum ſibiipſi: nullus enim baptizare poteſt ſeipſum: vt ſupra dictum eſt *. Sed ſicut baptiſmus ordinate diſpenſatur, ita & hoc ſacramentum. Ergo ſacerdos perficiens hoc ſacramentum, non debet ipſum ſumere a ſeipſo.

¶ 3 Præterea, Contingit quandoque, quod miraculoſe corpus Chriſti in altari apparet ſub ſpecie carnis, & ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, quæ non ſunt apta cibo & potui: vnde (ſicut ſupra dictum eſt *) propter hoc ſub alia ſpecie traduntur, ne ſint horrori ſumentibus. Ergo ſacerdos conſecrans, non ſemper tenetur ſumere hoc ſacramentum.

Sed contra eſt, quod in conc. Tolet. legitur, & habetur * de conſe. d. 2. c. relatum. Modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcumque ſacrificans corpus Chriſti & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat.

CONCLVSIO.

Sacerdos conſecrans, cùm ſacrificium Deo offerat & populo diſpenſet, ſacramentum hoc ſumere debet.

Respondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt) Euchariſtia non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. Quicunque autem ſacrificium offert, debet ſacrificij fieri particeps, quia exterius ſacrificium quod offertur, ſignum eſt interioris ſacrificij, quo quis ſeipſum offert Deo: vt Aug. * dicit 10. de ciuit. Vnde per hoc quod participat ſacrificio, oſtendit ad ſe ſacrificium interius pertinere. Similiter etiam per hoc quod ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem diuinorum, quorum ipſe primo debet eſſe particeps ſicut Dion. * dicit in li. eccl. hier. Et ideo ipſe ante ſumere debet, quam populo diſpenſet. Vnde & in prædicto c. † legitur. Quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? Per hoc autem particeps, quod de ſacrificio ſumit: ſecundum illud Apo. 1. Cor. 10. Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris? Et ideo neceſſe eſt, quod ſacerdos quotieſcunque conſecrat, ſumat integrè hoc ſacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod conſecratio chriſmatis vel cuiuſcunque alterius materiæ, non eſt ſacrificium ſicut conſecratio euchariſtiæ. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſacramentum baptiſmi perficitur in ipſo vſu materiæ. Et ideo nullus poteſt baptizare ſeipſum, quia in ſacramento non poteſt eſſe idem agens & patiens. Vnde nec in hoc ſacramento ſacerdos conſecrat ſeipſum, ſed panem & vinum, in qua conſecratione perficitur ſacramentum, vſus autem ſacramenti eſt conſequenter ſe habens ad hoc ſacramentum. Et ideo non eſt ſimile.

Ad tertium dicendum, quòd ſi miraculoſe corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis appareat, aut ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, non eſt ſumendum. Dicit enim Hier. † ſuper Leuit. De hac quidem hoſtia quæ in Chriſti commemoratione mirabiliter fit, edere licet, de illa vero, quam Chriſtus in ara crucis obtulit, ſecundum ſe nulli edere licet. Nec propter hoc ſacerdos tranſgreſſor efficitur: quia ea quæ miraculoſe fiunt, legibus non ſubduntur. Conſulendum tamen eſſet ſacerdoti, quod iterato corpus & ſanguinem Domini conſecraret & ſumeret.

ARTICVLVS V.

Vtrùm malus ſacerdos Euchariſtiam conſecrare poſſit.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quòd malus ſacerdos euchariſtiam conſecrare non poſſit. Dicit enim Hier. * ſuper Soph. Sacerdotes, qui euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis diuidunt, impiè agunt in legem Chriſti putantes euchariſtiam precantis facere verba non vitam, & neceſſariam eſſe ſolemnem orationem, & ſacerdotis merita de quibus dicitur, Sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino. Sed ſacerdos peccator cum ſit maculoſus, nec vitam habet nec merita huic conuenientia ſacramento. Ergo ſacerdos peccator non poteſt conſecrare euchariſtiam. 498

¶ 2 Præterea, Dam. * dicit in 4. lib. quod panis & vinum per aduentum ſancti ſpiritus ſupernaturaliter tranſit in corpus & ſanguinem Domini. Sed Gelaſius Papa dicit (ſicut habetur in decr. * 1. q. 1. c. ſacroſancta.) quomodo ad diuini myſterij conſecrationem, cæleſtis ſpiritus inuocatus adueniet, ſi ſacerdos, qui eum adeſſe deprecatur, criminoſis plenus actionibus comprobetur? Ergo per malum ſacerdotem non poteſt euchariſtia conſecrari.

¶ 3 Præterea, Hoc ſacramentum ſacerdotis benedictione conſecratur. Sed benedictio ſacerdotis peccatoris non eſt efficax ad conſecrationem huius ſacramenti: cum ſcriptum ſit Malac. ſecundo, Maledicam benedictionibus veſtris, & Dio. * dicit in epiſtola ad Demophilum monachum perfecte cecidit à ſacerdotali ordine, qui non eſt illuminatus: & audax quidem nimium mihi videtur talis, ſacerdotalibus manum apponens: & audet immundas infamias (non enim dicam orationes) ſuper diuina ſymbola Chriſti ſermocinari enunciare.

Sed contra eſt, quod Aug * dicit in li. de corpore Domini, Intra eccleſiam catholicam, in myſterio corporis & ſanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris & virtute ſpiritus ſancti.

CONCLVSIO.

Cùm ſacerdotes non in propria, ſed in Chriſti perſona conſecrent, poſſunt, etiam ſi mali fuerint, Euchariſtiam conſecrare.

Respondeo dicendum, quod (ſicut ſupra * dictum eſt) ſacerdos conſecrat hoc ſacramentum non virtute propria, ſed ſicut miniſter Chriſti, in cuius perſona conſecrat hoc ſacramentum. Non autem ex hoc ipſo deſinit aliquis miniſter eſſe Chriſti, quod eſt malus: habet enim Dominus bonos & malos miniſtros ſeu ſeruos. Vnde Matth. 24. Dominus dicit. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, &c. & poſtea ſubdit, Si autem dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo, &c. Et Apo. dicit 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti: & tamen poſtea, ſubdit, Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Erat ergo certus ſe eſſe miniſtrum Chriſti: tamen non erat certus ſe eſſe iuſtum. Poteſt ergo aliquis eſſe miniſter Chriſti, etiam ſi iuſtus

non ſit, & hoc ad excellentiam Chriſti pertinet: cui ſicut vero Deo ſeruiunt non ſolum bona, ſed etiam mala quæ per ipſius prouidentiam in eius gloriam ordinantur. Vnde manifeſtum eſt, quod ſacerdotes etiam ſi non ſint iuſti, ſed peccatores, poſſunt euchariſtiam conſecrare.

loco citato in arg.

A D primum ergo dicendum, quod Hie. * per illa verba improbat errorem ſacerdotum, qui credebant ſe digne poſſe euchariſtiam conſecrare, ex hoc ſolo, quod ſunt ſacerdotes, etiam ſi ſint peccatores. Quod improbat Hier. per hoc, quod maculoſi ad altare accedere prohibentur. Non tamen remouetur, quin ſi acceſſerint, ſit verum ſacrificium quod offerunt.

In princ. 2. arg.

A D ſecundum dicendum, quod ante illa verba Gelaſius Papa * præmiſit, Sacroſancta religio, quæ catholicam continet diſciplinam, tantam ſibi reuerentiam vendicat vt ad eam quilibet (niſi pura conſcientia) non audeat peruenire. Ex quo manifeſte apparet eius intentionem eſſe, quod peccator ſacerdos non debet ad hoc ſacramentum accedere. Vnde per hoc quod ſubdit, Quomodo cæleſtis ſpiritus inuocatus adueniet, intelligi oportet, quod non aduenit ex merito ſacerdotis, ſed ex virtute Chriſti, cuius verba profert ſacerdos.

A D tertium dicendum, quòd ſicut eadem actio, inquantum fit ex praua intentione miniſtri, poteſt eſſe mala, bona autem, inquantum fit ex bona intentione Domini: ita benedictio ſacerdotis peccatoris, inquantum ab ipſo indigne fit, eſt maledictione digna, & quaſi infamia ſiue blaſphemia, & non oratio reputatur, inquantum autem profertur ex perſona Chriſti, eſt ſancta & efficax ad ſanctificandum. Vnde ſignanter dicitur, Maledicam benedictionibus veſtris.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm miſſa mali ſacerdotis minus valeat, quàm miſſa ſacerdotis boni.

499 A D S E X T V M ſic proceditur. Videtur, quòd miſſa ſacerdotis mali non minus valeat, quam miſſa ſacerdotis boni. Dicit enim Greg. a in Regiſtro, Heu in quam magnum laqueum incidunt qui diuina & occulta myſteria, plus ab aliis ſanctificata poſſe fieri credunt: cùm vnus idemque Spiritus ſanctus ea myſteria occulta atque inuiſibiliter operando ſanctificet. Sed hæc occulta myſteria celebrantur in miſſa. Ergo miſſa mali ſacerdotis non minus valet, quam miſſa boni.

q. 1. 13. q. 1. c. 1. q. 3. a Refertur hoc in dec. 1. q. 1. ca. ante med.

¶ 2 Præterea, Sicut baptiſmus traditur à miniſtro in virtute Chriſti, qui baptizat, ita & hoc ſacramentum in perſona Chriſti conſecratur. Sed non melior baptiſmus datur à meliori miniſtro, vt ſupra dictum eſt †. Ergo etiam neque melior miſſa eſt, quæ celebratur à meliori ſacerdote.

q. 64. a. 5. & q. 67. a. 3. & alibi.

¶ 3 Præterea, Sicut merita ſacerdotum differunt per bonum & melius: ita etiam differunt per bonum & malum. Si ergo miſſa melioris ſacerdotis eſt melior, ſequitur, quod miſſa mali ſacerdotis ſit mala. Quod eſt inconueniens: quia malitia miniſtrorum non poteſt redundare in Chriſti myſteria: ſicut Aug. * dicit in libro de baptiſmo. Ergo neque miſſa melioris ſacerdotis eſt melior.

li. 2. contra literas Petilia. c. 47. circa fin. illis verbis. c. 9. † in dec. 1. q 1. c. 92. Ipſi ſacerdotes.

S E D contra eſt, quod habetur in Decr. 1. q. 1. † Quanto ſacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in neceſſitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.

CONCLVSIO.

Quo ad ſacramentum, mali ſacerdotis miſſa non minus valet quam boni: quo ad orationes tamen melioris ſacerdotis magis eſt fructuoſa, quanquam ſ. eiſdem non careãt ſacerdotis etiam mali orationes in perſona Eccleſiæ prolatæ.

R E S P O N D E O dicendum, quod in miſſa duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, quod eſt principale: & orationes, quæ in miſſa fiunt pro viuis & mortuis. Quantum ergo ad ſacramentum, non minus valet miſſa ſacerdotis mali, quam boni: quia vtrobique idem conficitur ſacramentum. Oratio etiam, quæ fit in miſſa, poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo inquantum habet efficaciam ex deuotione ſacerdotis orantis. Et ſic non eſt dubium, quod miſſa melioris ſacerdotis magis eſt fructuoſa. Alio modo inquantum oratio in miſſa profertur à ſacerdote in perſona totius Eccleſiæ, cuius ſacerdos eſt miniſter. Quod quidem miniſterium etiam in peccatoribus manet: ſicut ſupra dictum eſt * de miniſterio Chriſti. Vnde etiam quantum ad hoc eſt fructuoſa non ſolum oratio ſacerdotis peccatoris in miſſa, ſed etiam omnes eius orationes, quas facit in Eccleſiaſticis officiis, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ, licet orationes eius priuatæ non ſint fructuoſæ: ſecundum illud Prouerb. 28. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

art. præc.

A D primum ergo dicendum, quod Gregor. * loquitur ibi quantum ad ſanctitatem diuini ſacramenti.

** loco cit. in arg.*

A D ſecundum dicendum, quod in ſacramento baptiſmi non fiunt ſolennes orationes, pro omnibus fidelibus, ſicut in miſſa. Et ideo quantum ad hoc non eſt ſimile. Eſt autem ſimile quantum ad effectum ſacramenti.

A D tertium dicendum, quod per virtutem Spiritus ſancti (qui per vnitatem charitatis communicat inuicem bona membrorum Chriſti) fit quod bonum priuatum quod eſt in miſſa ſacerdotis boni, eſt fructuoſum aliis. Malum autem priuatum vnius hominis non poteſt alteri nocere, niſi per aliquem conſenſum: vt Auguſt. a dicit in lib. contra Parmenianum.

li. 2. circa 8 c. 7. & circa. 3. in li. 10. 9.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati poſſint, conſecrare.

A D S E P T I M V M ſic proceditur. Videtur, quòd hæretici ſchiſmatici & excommunicati, Euchariſtiam conſecrare non poſſint. Dicit enim Aug. † quod extra Eccleſiam catholicam non eſt locus veri ſacrificij. Et Leo Papa dicit, * & habetur in Decr. 1. q. 1. Aliter, ſcilicet quam in Eccleſia, quæ corpus Chriſti eſt, nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia. Sed hæretici, ſchiſmatici & excommunicati ſunt ab Eccleſia ſeparati. Ergo non poſſunt verum ſacrificium conficere. 500

q. 1. 13. q. 1. a. 1. q. 3. & in cap. ... & di. 18. q. 1. a. 2. q. 3. ad 2. & di. 19. q. 1. a. 2. q. 3. ad 3. & quæſt. 12. art. 16. † in ſent. ex Aug. collectam. c. 15. ... a Leo in ep. 18. habetur 1. q. 1. ca. in eccleſia Dei. † 1. q. 1. c. 74. Arianos. li. 2. c. 13. tom. 7.

¶ 2 Præterea, Sicut ibidem legitur, Inn. † Papa dicit, Arianos cæteraſque eiuſmodi peſtes, quia laicos eorum ſub imagine pœnitentiæ ſuſcipimus, non videntur clerici eorum cum ſacerdotij aut cuiuſpiam myſterij ſuſcipiendi dignitate eſſe, quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus. Sed non poteſt aliquis conſecrare Euchariſtiam, niſi ſit cum ſacerdotij dignitate. Ergo hæretici & cæteri eiuſmodi, non poſſunt Euchariſtiam conſecrare.

¶ 3 Præterea, Ille qui eſt extra Eccleſiam, non videtur aliquid poſſe agere in perſona totius Eccleſiæ, ſed ſacerdos conſecrans Euchariſtiam, hoc agit in perſona totius eccleſiæ: quod patet ex hoc, quod omnes orationes proponit in perſona Eccleſiæ. Ergo videtur, quod illi qui ſunt extra Eccleſiam ſcilicet hæretici, ſchiſmatici & excommunicati, non poſſint conſecrare Euchariſtiam.

S E D contra eſt, quod Aug. † dicit in 2. contra Parmenianum, Sicut baptiſmus in eis, ſcilicet hæreticis, ſchiſmaticis & excommunicatis, ita ordinatio manſit integra. Sed ex vi ordinationis ſacerdos poteſt conſecrare Euchariſtiam. Ergo hæretici, ſchiſmatici & excommunicati, cum in eis maneat ordinatio integra, videtur quod poſſint conſecrare Euchariſtiam.

CONCLVSIO.

Cùm conſecratio ſit actus conſequens ordinis poteſtatem, poſſunt ſchiſmatici, atque excommunicati, dummodo ſint ordinati, hoſtiam conſecrare, quanquam non rectè nec ſine mortali crimine id faciant.

R E S P O N D E O dicendum, quod quidam dixerunt, quod hæretici, ſchiſmatici & excommunicati, quia ſunt extra eccleſiam, non poſſunt conficere hoc ſacramentum. Sed in hoc decipiuntur: quia ſicut Aug. * dicit in 2. contra Parmenianum, aliud eſt aliquid omnino non habere, aliud autem non rectè habere, & ſimiliter etiam eſt aliud non dare, & aliud non rectè dare. Illi igitur, qui intra Eccleſiam conſtituti, receperunt poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam in ordinatione ſacerdotij, rectè quidem habent poteſtatem, ſed non rectè ea vtuntur, ſi poſtmodum per hæreſim aut ſchiſma vel excommunicationem, ab eccleſia ſeparentur. Qui autem ſic ſeparati ordinantur, nec rectè habent poteſtatem, nec rectè vtuntur. Quod tamen vtrique poteſtatem habeant patet per hoc quod (ſicut Aug. ibidem * dicit) cum redeunt ad vnitatem Eccleſiæ, non reordinantur, ſed recipiuntur in ſuis ordinibus. Et quia conſecratio Euchariſtiæ eſt actus conſequens ordinis poteſtatem, illi qui ſunt ab eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, vel excommunicationem, poſſunt quidem conſecrare Euchariſtiam, quæ ab eis conſecrata verum corpus & ſanguinem Chriſti continet: non tamen hoc rectè faciunt, ſed peccant facientes. Et ideo fructum ſacrificij non percipiunt: quod eſt ſacrificium ſpirituale.

li. 2. c. 13. ante med. tom. 7.

li. 2. cont. Parmenianum c. 13. to. 7.

A D primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ & ſimiles intelligendæ ſunt quantum ad hoc, quod non rectè extra eccleſiam ſacrificium offertur. Vnde extra Eccleſiam non poteſt eſſe ſpirituale ſacrificium, quod eſt verum veritate fructus, licet ſit verum veritate ſacramenti: ſicut etiam ſupra dictum eſt †, quod peccator ſumit corpus Chriſti ſacramentaliter, ſed non ſpiritualiter.

q. 80. a. 3.

A D ſecundum dicendum, quod ſolus baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis & ſchiſmaticis: quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis. In nullo autem caſu licitè poſſunt euchariſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre.

A D tertium dicendum, quod ſacerdos in miſſa in orationibus quidem loquitur in perſona eccleſiæ, in cuius vnitate conſiſtit. Sed in conſecratione ſacramenti loquitur in perſona Chriſti, cuius vicem in hoc gerit per ordinis poteſtatem. Et ideo ſi ſacerdos ab vnitate eccleſiæ præciſus, miſſam celebret, quia poteſtatem ordinis non amittit, conſecrat verum corpus & ſanguinem Chriſti: ſed quia eſt ab eccleſiæ vnitate ſeparatus, orationes eius efficaciam non habent.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ſacerdos degradatus poſſit hoc ſacramentum conficere.

A D O C T A V V M ſic proceditur. Videtur, quòd ſacerdos degradatus non poſſit hoc ſacramentum conficere. Nullus enim conficit hoc ſacramentum niſi per poteſtatem conſecrandi quam habet. Sed degradatus non habet poteſtatem conſecrandi, licet habeat poteſtatem baptizandi: vt dicit Can. 1. q. 1. c. quidam. † Ergo videtur, quod presbyter degradatus non poſſit euchariſtiam conſecrare. 501

4. di. 13. q. 1. a. 3. q. 4. & quodl. 12. ar. 16. Habetur decre. 1. q. 1. c. quod quidam, circ. me.

¶ 2 Præterea, Ille qui aliquid dat, poteſt etiam auferre. Sed epiſcopus dat presbytero poteſtatem conſecrandi ordinando ipſum, ergo etiam poteſt ei auferre, degradando eum.

¶ 3 Præterea, Sacerdos per degradationem aut amittit poteſta-

poteſtatem conſecrandi, non ſolam executionem. Sed non ſolam executionem: quia ſic non plus amitteret degradatus, quam excommunicatus, qui etiam executione caret, ergo videtur, quod amittat poteſtatem conſecrandi. Et ita videtur, quod non poſſit conficere hoc ſacramentum.

lib 2. c. 13. & 7. Sed contra eſt, quod Auguſt. in 2. contra Parmenianum probat, quod apoſtatæ à fide non carent baptiſmate, per hoc quod per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe iudicatur. Sed ſimiliter degradatus, ſi reconciliatus, non eſt iterum ordinandus, ergo non amiſit poteſtatem conſecrandi, & ita ſacerdos degradatus poteſt conficere hoc ſacramentum.

CONCLVSIO.

Poteſt ſacerdos degradatus Sacramentum conficere hoc, tùm per degradationem characterem non amiſerit.

Respondeo dicendum quod poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, pertinet ad characterem ſacerdotalis ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam conſecratione q. 63. a. 5. datur, indelebilis eſt, vt ſupra dictum eſt, ᵃ ſicut & quarumcunque rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt. Vnde manifeſtum eſt, quòd poteſtas conſecrandi non amittitur per degradationem. Dicit enim Auguſt. ᵇ In ſecundo contra Parmenianum. Vtrumque, ſcilicet lib. 2. c. 13. à med. 10. 7. baptiſmus & ordo, ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur: illud, cum baptizatur; iſtud, cum ordinatur: ideoque non licet Catholicis vtrumque iterari. Et ſic patet, quòd ſacerdos degradatus poteſt conficere hoc ſacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Canon ille non loquitur aſſertiue: ſed inquiſitiue: ſicut ex circumſtantia literæ haberi poteſt.

Ad ſecundum dicendum, quòd Epiſcopus non dat poteſtatem ſacerdotalis ordinis propria virtute, ſed inſtrumentaliter, ſicut miniſter Dei, cuius effectus per hominem tolli non poteſt, ſecundum illud Matth. 19. Quos Deus coniunxit homo non ſeparet. Et ideo Epiſcopus non poteſt hanc poteſtatem auferre: ſicut nec ille qui baptizat, poteſt auferre characterem baptiſmalem.

Ad tertium dicendum, quòd excommunicatio eſt medicinalis. Et ideo excommunicatis non aufertur executio ſacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum, ſed ad correctionem vſque ad tempus. Degradatis autem aufertur executio quaſi in perpetuum condemnatis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, ſeu peccatoribus, communionem recipere, & eorum miſſam audire.

502 Sa. c. 64. a. 9. ad 2. & 3. & 4. d. 13. q. 1. a. 3. qu. 3. ᵃ reſtrictus in decr. 1. q. 1. c. Ideo ergo non eſt.

AD NONVM ſic proceditur. Videtur, quòd aliquis licitè poſſit communionem recipere à ſacerdotibus hæreticis vel excommunicatis, vel etiam peccantibus, & ab eis miſſam audire. Sicut enim ᵃ Auguſt. contra Petilianum dicit. Neque in homine bono, neque in homine malo aliquis Dei fugiat ſacramenta. Sed ſacerdotes quamuis ſint peccatores & hæretici, vel excommunicati, verum conficiunt ſacramentum. Ergo videtur, quod non ſit vitandum ab eis communionem accipere, vel eorum miſſam audire.

q. 80. a. 4. ¶ 2 Præterea, Corpus Chriſti verum, figuratiuum eſt corporis myſtici: ſicut ſupra dictum eſt ᵇ. Sed à prædictis ſacerdotibus verum corpus Chriſti conſecratur. Ergo videtur, quod illi qui ſunt de corpore myſtico, poſſint eorum ſacrificiis communicare.

¶ 3 Præterea, Multa peccata ſunt grauiora, quàm fornicatio. Sed non eſt prohibitum audire miſſas ſacerdotum aliter peccantium. Ergo etiam non debet eſſe prohibitum audire miſſas ſacerdotum fornicariorum.

Dist. 32. c. Nullus. Greg. li. 3. Dial. cap. 31. parum à prin. Sed contra eſt, quòd Canon dicit 32. diſtinct. Nullus miſſam audiat ſacerdotis, quem indubitanter concubinam nouit habere. Et Greg. ᵇ dicit in 3 dialog. quod pater perfidus Arrianum Epiſcopum miſit ad filium, vt de eius manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet: ſed vir Deo deditus Arriano Epiſcopo venienti exprobrauit, vt debuit:

CONCLVSIO.

Cùm excommunicati, hæretici, & ſchiſmatici per ſententiam Eccleſiæ conſecrandi executione priuati ſint, ab iis ſacramentum ſuſcipientes vel eorum miſſam audientes, peccatis eorum communicant, & peccant.

art. 5. 7. & 8. huius q. Respondeo dicendum, quòd (ſicut ſupra dictum eſt ᵃ) ſacerdotes ſi ſint hæretici, vel ſchiſmatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamuis habeant poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, non tamen ea rectè vtuntur, ſed peccant vtentes. Quicunque autem communicat alteri in peccato, ipſe particeps peccati efficitur. Vnde & in ſecunda Canon. ᵇ Ioan. dicitur, quod qui dixerit ei, Aue (ſcilicet Circa fin. idem. hæretico) communicat operibus illius malignis. Et ideo non licet à prædictis communionem accipere, aut eorum miſſam audire. Differt tamen inter prædictas ſectas. Nam hæretici & ſchiſmatici & excommunicati, ſunt per ſententiam Eccleſiæ, executione conſecrandi priuati: & ideo peccat quicunque eorum miſſam audit, vel ab eis accipit ſacramenta. Sed non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione huius poteſtatis priuati. Et ſic quamuis ſint ſuſpenſi quantum ad ſe ex ſententia diuina: non autem quantum ad alios ex ſententia Eccleſiæ. Et ideo vſque ad ſententiam Eccleſiæ licet ab eis communionem accipere, & eorum miſſam audire. Vnde ſuper illud 1 Cor. 5. Cum huiuſmodi nec cibum ſumere, dicit gloſ. ᵃ Auguſtin. Hoc dicendo, noluit Eſt Aug. in l. de ... fine pen. à hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio: ſed potius ex lege Dei

R. P. Philipp. Carm. diſcal. Diſp. Theolog. in 3 p.

ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſiue vltro confeſſum, ſiue accuſatum & conuictum.

Ad primum ergo dicendum quòd in hoc, quòd refugimus audire miſſas talium ſacerdotum, aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei ſacramenta: ſed potius ea veneramus. Vnde hoſtia à talibus ſacerdotibus conſecrata, eſt adoranda: & ſi reſeruetur, licitè poteſt ſumi à ſacerdote legitimo. Sed refugimus culpam indignè miniſtrantium. me. tom. 9. hab. etiam lib. 10. to. vide 30. hu. & eſt vltim.

Ad ſecundum dicendum, quòd vnitas corporis myſtici eſt fructus corporis veri percepti. Illi autem qui indignè percipiunt vel miniſtrant, priuantur fructu: vt ſupra dictum eſt. ᵃ Et ideo non eſt ſumendum ex eorum diſpenſatione ſacramentum, ab eis qui non ſunt in vnitate Eccleſiæ. q. 80. art. 4 & art. 7. huius q.

Ad tertium dicendum, quod licet fornicatio non ſit grauior cæteris peccatis tamen ad eam proniores ſunt homines propter carnis concupiſcentiam. Et ideo ſpecialiter hoc peccatum ſacerdotibus prohibitum eſt ab Eccleſia, & ne aliquis audiat miſſam concubinarij ſacerdotis. Sed hoc intelligendum eſt de notorio, vel per ſententiam, quæ fertur in conuictum, vel per confeſſionem in iure factam, vel per euidentiam facti, quando non poteſt peccatum aliqua tergiuerſatione celari.

ARTICVLVS X

Vtrùm liceat ſacerdoti, omnino à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere.

AD DECIMVM, ſic proceditur. Videtur, quod non liceat ſacerdoti, omnino à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere. Sicut enim ad officium ſacerdotis pertinet, Euchariſtiam conſecrare, ita etiam baptizare, & in aliis ſacramentis miniſtrare. Sed ſacerdos non tenetur miniſtrare in aliis ſacramentis, niſi propter curam animarum ſuſceptam. ergo videtur, quod nec etiam teneatur Euchariſtiam conſecrare, ſi curam non habeat animarum. 503 4. d. 13. q. 3. art. 2. q 3. & d. 19. q. 1. 3. a. 2. q. 1.

¶ 2 Præterea, Nullus tenetur facere quod ſibi non licet. alioquin eſſet perplexus. Sed ſacerdoti peccatori vel etiam excommunicato, non licet Euchariſtiam conſecrare: vt ſupra dictum eſt ᵃ. ergo videtur, quod tales non teneantur ad celebrandum, & ita nec alij: alioquin ex ſua culpa commodum reportarent. art. 7. huius q.

¶ 3 Præterea Dignitas ſacerdotalis non perditur per ſubſequentem infirmitatem: dicit enim ᵃ Gelaſius Papa, & habetur in decr. diſt. 55. Præcepta canonica ſicut non patiuntur venire ad ſacerdotium debiles corpore: ita ſi quis in eo fuerit conſtitutus, ac tunc fuerit ſauciatus amittere non poteſt quod tempore ſuæ ſynceritatis accepit. Contingit autem quandoque, quòd ordinati in ſacerdotes incurrunt aliquos defectus, ex quibus à celebratione impediuntur, ſicut eſt lepra vel morbus caducus, vel aliquid aliud huiuſmodi. Non ergo videtur, quòd ſacerdotes ad celebrandum teneantur. Gela. Pal. lad. epiſcopo, ſcribens Habetur in decret. diſt. 55 c. præcepta canon. cap. in fin.

Sed contra eſt, quòd Ambro. dicit in quadam oratione: Graue eſt, quòd ad menſam tuam mundo corde & manibus innocentibus non venimus, ſed grauius eſt, ſi dum peccata metuimus, etiam ſacrificium non reddamus.

CONCLVSIO.

Cùm quiuis, conceſſa ſibi gratia, opportuno tempore, vti debeat, non licet ſacerdoti, etſi curam non habeat animarum, omnino à conſecratione abſtinere, ſed ſaltem diebus feſtiuis, quibus maximè Chriſti fideles communicare conſueuerunt, celebrare tenetur.

Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quòd ſacerdos poteſt omnino à conſecratione licitè abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa celebrare populo, & ſacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur: quia vnuſquiſque tenetur vti gratia ſibi data cum fuerit opportunum ſecundum illud 2. ad Cor. 6. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem ſacrificium offerendi, non ſolum attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione huius ſacramenti ſacrificium offertur. Vnde ſacerdoti etiam ſi non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione ceſſare: ſed ſaltem videtur, quòd celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maximè in illis diebus in quibus fideles communicare conſueuerunt. Et hinc eſt quod 2. Mach. 4. contra quoſdam ſacerdotes dicitur, quod iam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, & ſacrificiis neglectis.

Ad primum ergo dicendum, quòd alia ſacramenta perficiuntur in vſu fidelium. Et ideo in aliis miniſtrare non tenetur niſi ille qui ſuper fideles ſuſcipit curam. Sed hoc ſacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua ſacrificium Deo offertur: ad quod ſacerdos obligatur Deo ex ordine iam ſuſcepto.

Ad ſecundum dicendum, quòd ſacerdos peccator ſi per ſententiam Eccleſiæ ſit executione ordinis priuatus, vel ſimpliciter vel ad tempus, redditus eſt impotens ad ſacrificium offerendum, & ideo obligatio tollitur. Hoc autem cedit ſibi in detrimentum ſpiritualis fructus, magis, quam in emolumentum.

Si vero non ſit priuatus poteſtate celebrandi, non ſoluitur obligatio; nec tamen perplexus eſt: quia poteſt de peccato pœnitere & celebrare.

Ad tertium dicendum, quòd debilitas vel ægritudo ſuperueniens ordini ſacerdotali, ordinem non tollit: executionem tamen ordinis tollit quantum ad conſecrationem Euchariſtiæ. Quandoque quidem propter impoſſibilitatem executionis: ſicut ſi priuetur oculis, aut digitis, aut vſu linguæ. Quandoque autem propter periculum, ſicut patet de eo qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcunque

alienationem mentis. Quandoque propter abominationem: ſicut patet de leproſo, qui non debet publice celebrare. Poteſt tamen miſſam dicere occulte, niſi lepra adeo inualuerit, quod per corruſionem membrorum, eum ad hoc reddiderit impotentem.

QVÆSTIO LXXXIII.

De ritu huius Sacramenti, in ſex articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de ritu huius ſacramenti.

¶ Et circa hoc quæruntur ſex.

¶ Primo, vtrum in celebratione huius myſterij Chriſtus immoletur.

¶ Secundo, de tempore celebrationis.

¶ Tertio, de loco & aliis, quæ pertinent ad * apparatum huius celebrationis. *Al. apparatum.*

¶ Quarto, de his quæ in celebratione huius myſterij dicuntur.

¶ Quinto, de his quæ circa celebrationem huius myſterij fiunt.

¶ Sexto, de defectibus, qui circa celebrationem huius ſacramenti occurrunt.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in hoc ſacramento Chriſtus immoletur.

504 AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd in celebratione huius ſacramenti, Chriſtus non immoletur. Dicit enim Heb. 10. Quòd Chriſtus vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Sed illa oblatio fuit eius immolatio. Chriſtus ergo non immolatur in celebratione huius ſacramenti. *Inf. ar. 2. co. & ad 1. & 2.*

¶ 2 Præterea, Immolatio Chriſti facta eſt in cruce, in qua tradidit ſemetipſum oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: vt dicitur Epheſ. 5. Sed in celebratione huius myſterij Chriſtus non crucifigitur. Ergo nec immolatur.

¶ 3 Præterea, Sicut * Auguſt. dicit in 4. lib. de Trinit. in immolatione Chriſti idem eſt ſacerdos & hoſtia. Sed in celebratione huius ſacramenti non eſt idem ſacerdos & hoſtia. Ergo celebratio huius ſacramenti non eſt Chriſti immolatio. *li. 4. c. 14. in fi. & c. 7. in prin. to. 3.*

SED contra eſt, quod † Auguſt. dicit in lib. ſent. Proſperi. Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. *Habetur de conſ. di. 2. c. ſemel immolatus.*

CONCLVSIO.

Tum quia huius ſacramenti celebratio, imago quædam eſt paſſionis Chriſti, tum etiam quia per hoc ſacramentum participes efficimur fructus Dominicæ paſſionis, conuenienter dicitur Chriſti immolatio.

RESPONDEO dicendum, quod duplici ratione celebratio huius ſacramenti dicitur immolatio Chriſti. Primo quidem: quia ſicut dicit * Auguſt. ad Simplicium: ſolent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt: ſicut cùm intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus, ille Cicero eſt, & ille Saluſtius. Celebratio autem huius ſacramenti (ſicut ſupra dictum eſt †) imago quædam eſt repræſentatiua paſſionis Chriſti, quæ eſt vera eius immolatio. Et ideo celebratio huius ſacramenti dicitur Chriſti immolatio. Vnde Ambr. * dicit ſuper Epiſtolam ad Hebr. In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia, ad ſalutem ſempiternam potens; quid ergo nos, nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius. Alio modo quantum ad effectum paſſionis Chriſti: quia ſcilicet per hoc ſacramentum participes efficimur fructus Dominicæ paſſionis. Vnde in quadam Dominicali oratione ſecreta dicitur: Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur. Quantum igitur ad primum modum, poterat dici Chriſtus immolari etiam in figuris veteris Teſtamenti. Vnde Apocalypſ. decimotertio dicitur: Quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Sed quantum ad ſecundum modum proprium eſt huic ſacramento, quod in eius celebratione Chriſtus immoletur. *in 2. quæſt. ad Simplicianum, q. 3. parum ante med. to. 4. † q. 79. a. 1. & 2. & q. 73. a. 4. * in 10. ca. ad Hebr. non procul à pr. to. 5.*

AD primum ergo dicendum, quòd ſicut Ambroſ. * ibidem dicit: Vna eſt hoſtia (quam ſcilicet Chriſtus obtulit, & nos offerimus) & non multæ, quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius. Sicut enim quod vbique offertur, vnum eſt corpus & non multa corpora, ita & vnum ſacrificium. *in cap. 10. ad Hebr. ca. remote à pr. to. 5.*

AD ſecundum dicendum, quòd ſicut celebratio huius ſacramenti eſt imago repræſentatiua paſſionis Chriſti, ita altare eſt repræſentatiuum crucis ipſius, in qua Chriſtus in propria ſpecie immolatus eſt.

AD tertium dicendum, quod per eandem rationem etiam ſacerdos gerit imaginem Chriſti, in cuius perſona & virtute verba pronuntiat ad conſecrandum: vt ex ſupradictis patet. * Et ita quodammodo idem eſt ſacerdos & hoſtia. *q. 82. a. 1. & 3.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter ſit determinatum tempus celebrationis.

505 AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd inconueniens ſit determinatum tempus celebrationis huius myſterij. Hoc enim ſacramentum eſt repræſentatiuum Dominicæ paſſionis: vt dictum eſt †. Sed commemoratio Dominicæ paſſionis fit in Eccleſia ſemel in anno. Dicit enim Auguſt. † ſuper Pſalm. 21. Quotieſcunque Paſcha celebratur, nunquid toties Chriſtus occiditur? ſed tamen anniuerſaria recordatio repræſentat quod olim factum eſt: & ſic nos facit moueri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum. Ergo hoc ſacramentum non debet celebrari niſi ſemel in anno. *q. 4. ar. 3. q. 4. & ar. 2. q. 4.* *a 1. præc. in proſ. 2. Pſ. 21 circa prin. to. 8.*

¶ 2 Præterea. Paſſio Chriſti commemoratur in Eccleſia ſexta feria ante Paſcha, non autem in feſto Natalis. Cum ergo hoc ſacramentum ſit commemoratiuum Dominicæ paſſionis, videtur inconueniens eſſe, quod in die Natalis ter celebretur hoc ſacramentum: in Paraſceue autem totaliter intermittitur.

¶ 3 Præterea, In celebratione huius ſacramenti Eccleſia debet imitari inſtitutionem Chriſti. Sed Chriſtus conſecrauit hoc ſacramentum hora ſerotina. Ergo videtur, quod hora tali debeat hoc ſacramentum celebrari.

¶ 4 Præterea, ſicut habetur de conſec. diſtin. c. * Leo Papa ſcribit Dioſcoro Alexandrino epiſcopo, quod in prima parte diei miſſas celebrare licet. Sed dies incipit à media nocte: vt ſupra dictum eſt. Ergo videtur, quod etiam poſt mediam noctem liceat celebrare. *Leo in epi. 81. cap. 2. cir. pri. & habetur de conſ. di. 1. c. Neceſſe eſt.*

¶ 5 Præterea, in quadam Dominicali oratione ſecreta dicitur: Concede nobis Domine quæſumus hæc frequentare myſteria. Sed maior erit frequentia, ſi etiam pluribus horis in die ſacerdos celebret: Ergo videtur, quod non debeat prohiberi ſacerdos plures celebrare in die.

SED in contrarium eſt conſuetudo, quam ſeruat Eccleſia ſecundum Canonum ſtatuta.

CONCLVSIO.

Quia Dominicæ paſſionis fructu quotidie indigemus, & à tertia vſque ad horam nonam paſſus eſt Chriſtus, congruit quotidie & tali hora in Eccleſia Dei ſolemniter celebrari.

RESPONDEO dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) in celebratione huius myſterij attenditur repræſentatio Dominicæ paſſionis, & participatio fructus eius. Et ſecundum vtrunque oportuit determinare tempus aptum celebrationi huius ſacramenti. Quia enim fructu Dominicæ paſſionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Eccleſia regulariter hoc ſacramentum offertur. Vnde & Dominus nos petere docet Luc. 11. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; quod exponens Auguſt. * li. de verbis Domini dicit: Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas, quem ad modum Græci in Oriente facere conſueuerunt? accipe quotidie vt quotidie tibi proſit. Quia vero Dominica paſſio celebrata eſt à tertia hora vſque ad nonam: ideo regulariter in illa parte diei, ſolemniter hoc ſacramentum in Eccleſia celebratur. *art. præc. & q. 79. art. 1.* *in ſer. 28. parum a me. to. 10.*

AD primum ergo dicendum, quòd in hoc ſacramento recolitur paſſio Chriſti, ſecundum quod eius effectus ad fideles deriuatur. Sed tempore paſſionis recolitur paſſio Chriſti ſolum ſecundum hoc, quod in ipſo capite noſtro fuit perfecta. Quod quidem factum eſt ſemel, quotidie autem fructum Dominicæ paſſionis fideles percipiunt. Et ideo illa commemoratio fit ſemel in anno, hoc autem quotidie & propter fructum & propter iugem memoriam.

AD ſecundum dicendum, quòd veniente veritate, ceſſat figura. Hoc autem ſacramentum eſt figura quædam & exemplum Dominicæ paſſionis: ſicut dictum eſt *. Et ideo in die quo ipſa paſſio Domini recolitur, prout realiter geſta eſt, non celebratur conſecratio huius ſacramenti, ne tamen Eccleſia ea etiam die ſit ſine fructu paſſionis per hoc ſacramentum nobis exhibito, corpus Chriſti conſecratum in die præcedenti reſeruatur ſumendum in illo die, non autem ſanguis, propter periculum, & quia ſanguis ſpecialius eſt imago Dominicæ paſſionis: vt ſupra dictum eſt *. Nec verum eſt quod quidam dicunt, quod per immiſſionem particulæ corporis Chriſti in vinum conuertatur vinum in ſanguinem: hoc enim aliter fieri non poteſt, quàm per conſecrationem factam ſub debita forma verborum. In die autem Natiuitatis plures miſſæ celebrantur propter triplicem Chriſti natiuitatem. Quarum vna eſt æterna, quæ quantum ad nos eſt occulta: Et ideo vna miſſa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem eſt temporalis, ſed ſpiritualis: qua ſcilicet Chriſtus oritur tanquam lucifer in cordibus noſtris: vt dicitur 2. Petri 1. Et propter hoc cantatur miſſa in aurora; in cuius introitu dicitur: Lux fulgebit hodie ſuper nos. Tertia eſt Chriſti natiuitas temporalis & corporalis: ſecundum quam viſibilis nobis proceſſit ex vtero Virginali, carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia miſſa in clara luce: in cuius introitu dicitur: Puer natus eſt nobis. Licet è conuerſo poſſit dici, quod natiuitas æterna ſecundum ſe eſt in plena luce: & ob hoc in Euangelio tertiæ miſſæ fit mentio de natiuitate æterna. Secundum autem natiuitatem corporalem, ad literam natus eſt de nocte, in ſignum, quod veniebat ad tenebras infirmitatis noſtræ. Vnde & in miſſa nocturna dicitur Euangelium de corporali Chriſti natiuitate. Sicut etiam & in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures miſſæ celebrantur in die: puta, vna pro feſto, & alia pro ieiunio, vel pro mortuis. *in cor. & locis ind. citatis.* *q. 78. a. 3. ad 2. & q. 76. ar. 2. ad 1.* *De conſec. diſt. 1. c. Nocte.*

AD tertium dicendum, quòd (ſicut dictum eſt ſuperius *) Chriſtus voluit vltimo hoc ſacramentum diſcipulis tradere, vt fortius eorum cordibus imprimeretur. Et ideo poſt cœnam in fine diei hoc ſacramentum conſecrauit, & diſcipulis ſuis tradidit. A nobis tamen celebratur hora Dominicæ paſſionis, ſcilicet diebus feſtis in tertia, quando crucifixus eſt linguis Iudæorum: vt dicitur Mar. 15. & quando Spiritus ſanctus deſcendit ſuper diſcipulos, vel diebus profeſtis in ſexta, quando crucifixus eſt in manibus militum: vt habetur Ioann. 19. vel diebus ieiuniorum in nona, quando voce *q. 73. a. 5.*

magna

magna clamans emiſit ſpiritum: vt dicitur Matth. 27.

Poteſt tamen tardari, maxime quando ſunt ordines faciendi, & præcipue in ſabbato ſancto, tum propter prolixitatem officij, tum quia ordines pertinent ad diem Dominicam: vt habetur in Decr. di. 75. cap.* quod à patribus. Poſſunt tamen miſſæ celebrari in prima parte diei propter aliquam neceſſitatem, vt dicitur de con.† di. 1. c. Neceſſe eſt, &c.

Dec. d. 75. ca. quod a patribus. † De cõ. d. 1. ca. Neceſſe eſt.

A D quartum dicendum, quòd regulariter miſſa debet celebrari in die: & non in nocte, quia ipſe Chriſtus eſt præſens in hoc ſacramento: qui dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari, quandiu in mundo ſum, lux ſum mundi. Ita tamen, quod principium diei accipiatur non à media nocte: nec etiam ab ortu ſolis, id eſt, quando ſubſtantia ſolis apparet ſuper terram, ſed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur ſol ortus, inquantum claritas radiorum eius apparet. Vnde & Mar. 16. dicitur, quòd mulieres venerunt ad monumentum orto iam ſole: cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ eſſent ad monumentum: vt dicitur Ioan. 20. Sic enim hanc contrarietatem ſoluit Aug.* in lib. de conſen. Euang. Specialiter tamen in nocte natalis Domini miſſa celebratur, propter hoc, quod Dominus in nocte natus eſt: vt dicitur de conſecrat.* diſtin. 1. c. Nocte, &c. Et ſimiliter etiam in ſabbato ſancto circa noctis principium, propter hoc, quod Dominus nocte ſurrexit, id eſt, cum adhuc tenebræ eſſent ante manifeſtum ſolis ortum.

li. 3. c. 24. aliquãtulum a prin. to. 4. de conſ. di. 1. c. Nocte.

A D quintum dicendum, quod ſicut habetur. De conſ. diſtin. 1. ex Decreto* Alexand. Papæ, ſufficit ſacerdoti vnam miſſam in die vna celebrare: quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, & valde fœlix eſt, qui vnam digne celebrare poteſt. Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, alteram de die, ſi neceſſe ſit. Qui vero pro pecunia aut adulationibus ſecularium, vna die præſumunt plures celebrare miſſas, non æſtimo euadere damnationem. Et extra de celebra. miſſ.* dicit Innocentius tertius, quòd excepto die natiuitatis Dominicæ, (niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat) ſufficit ſacerdoti ſemel in die vnam miſſam ſolummodo celebrare.

De conſ. d. 1. ca. ſuffi. cit. — ca. ſecu. d. ... conſuluiſti.

ARTICVLVS III.

Vtrùm oporteat hoc ſacramentum celebrari in domo & vaſis ſacris.

506 A D TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd non oporteat hoc ſacramentum celebrari in domo & vaſis ſacris. Hoc enim ſacramentum eſt repræſentatiuum Dominicæ paſſionis. Sed Chriſtus non eſt paſſus in domo, ſed extra portam ciuitatis: ſecundum illud Hebr. vltim. Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Ergo videtur, quod hoc ſacramentum non debeat celebrari in domo, ſed magis ſub dio.

4. di. 13. q. 1. ar. 2. q. 5. & di. 24. q. 2. ar. 2. q. 9.

¶ 2 Præterea, In celebratione huius ſacramenti debet Eccleſia imitari morem Chriſti & Apoſtolorum. Sed domus, in qua primo Chriſtus hoc ſacramentum confecit, non fuit conſecrata: ſed fuit quoddam commune cœnaculum, à quodam patrefamilias præparatum: vt habetur Lucæ 22. Legitur etiam Actor. 2. quod Apoſtoli erant perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, & ſumebant cibum cum exultatione. Ergo nec modo oportet domos eſſe conſecratas, in quibus hoc ſacramentum celebratur.

¶ 3 Præterea, Nihil fruſtra in Eccleſia fieri debet, quæ Spiritu ſancto gubernatur. Sed fruſtra videtur adhiberi conſecratio Eccleſiæ, vel altari, & huiuſmodi rebus inanimatis: quæ non ſunt ſuſceptiuæ gratiæ vel ſpiritualis virtutis. Inconuenienter igitur huiuſmodi conſecrationes in Eccleſia fiunt.

¶ 4 Præterea, Solum diuina opera debent recoli cum quadam ſolennitate: ſecundum illud Pſal. 91. In operibus manuum tuarum exultabo. Sed Eccleſia vel altare opere humano conſecratur, ſicut & calix, & miniſtri, & alia huiuſmodi. Sed horum conſecrationes non recoluntur celebriter in Eccleſia. Ergo neque conſecratio eccleſiæ vel altaris, cum ſolennitate recoli debet.

¶ 5 Præterea Veritas debet reſpondere figuræ, ſed in veteri teſtamento, quod gerebat figuram noui, non fiebat altare de lapidibus ſectis. Dicitur enim, Exod. 20. Altare de terra facietis mihi; quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Exod. etiam 27. mandatur fieri altare de lignis Sethim veſtitis ære, vel etiam auro, vt habetur Exod. 25. Ergo videtur inconuenienter obſeruari in Eccleſia, quod altare fiat ſolum de lapide.

¶ 6 Præterea, Calix cum patena repræſentat ſepulchrum Chriſti, quod fuit exciſum in petra: vt in Euangelijs habetur. Ergo calix debet de petra fieri, & non ſolum de argento vel auro vel ſtanno.

¶ 7 Præterea, Sicut aurum precioſius eſt inter materias vaſorum: ita panni ſerici precioſiores, ſunt inter alios pannos, ergo ſicut calix fit de auro, ita pallæ altaris debent de ſerico fieri, & non ſolum de panno lineo.

¶ 8 Præterea, Diſpenſatio ſacramentorum, & ordinatio eorundem ad miniſtros eccleſiæ pertinet, ſicut diſpenſatio rerum temporalium ſubiacet ordinationi principum ſecularium, vnde & Apoſt. dicit 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Sed ſi circa diſpenſationem rerum temporalium aliquid fiat contra ſtatuta principum, habetur irritum. Ergo ſi hæc quæ dicta ſunt conuenienter ſunt ſtatuta per prælatos eccleſiæ, videtur, quod, ſine his corpus Chriſti confici non poſſit. Et ſic videtur ſequi, quod verba Chriſti non ſint ſufficientia ad hoc ſacramentum conficiendum, quod eſt inconueniens. Non ergo videtur conueniens fuiſſe, quod hæc circa celebrationem huius ſacramenti ſtatuerentur.

dicta ra tr. & in arg.

S E D contra eſt, quòd ea quæ per Eccleſiam ſtatuuntur, ab ipſo Chriſto ordinantur: qui dicit Matth. 18. Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

CONCLVSIO.

Ad maiorem ſacramenti reuerentiam, eiuſque effectum, qui ex paſſione Chriſti prouenit repræſentandum, conſecrationes quæ in ſacramenti huius vſum veniunt, merito adhibentur.

R E S P O N D E O dicendum, quòd in his quæ circumſtant hoc ſacramentum, duo conſiderantur. Quorum vnum pertinet ad repræſentationem eorum, quæ circa Dominicam paſſionem ſunt acta. Aliud autem pertinet ad reuerentiam huius ſacramenti, in quo Chriſtus ſecundum veritatem continetur, & non ſolum in figura. Vnde & conſecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in vſum huius ſacramenti: tum propter ſacramenti reuerentiam, tum ad repræſentandum effectum* ſanctitatis, qui ex paſſione Chriſti prouenit, ſecundum illud Heb. vlt. Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, &c.

a ſancti tate

A D primum ergo dicendum, quod regulariter hoc ſacramentum celebrari debet in domo, per quam ſignificatur Eccleſia, ſecundum illud primæ Timoth. 3. Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui. Extra Eccleſiam enim non eſt locus veri ſacrificij: vt* Auguſtinus dicit. Et quia eccleſia non erat concludenda ſub finibus gentis Iudaicæ, ſed erat in vniuerſo mundo fundanda, ideo paſſio Chriſti non eſt celebrata intra ciuitatem Iudæorum; ſed ſub dio, vt ſic totus mundus ſe haberet ad paſſionem Chriſti, vt domus. Et tamen, vt dicitur de conſ.† diſt. 1. cap. Concedimus in itinere poſitis, ſi eccleſia defuerit, ſub dio, ſeu in oratorio, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia, ibi affuerint, miſſarum ſolemnia celebrari concedimus.

in li. ſent quæ in Auguſt. decerpta ſunt, cap. 15. 16. & in fin. † De co. d. 1. c. Concedimus in itin.

A D ſecundum dicendum, quòd domus, in qua hoc ſacramentum celebratur, Eccleſiam ſignificat: & eccleſia nominatur, conuenienter tamen conſecratur: tum ad repræſentandam ſanctificationem, quam eccleſia conſecuta eſt per paſſionem Chriſti, tum etiam ad ſignificandam ſanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc ſacramentum ſuſcipere debent. Per altare autem ſignificatur ipſe Chriſtus, de quo dicit Apoſtolus Heb. vlt. Per ipſum offerimus hoſtiam laudis Deo. Vnde & conſecratio altaris ſignificat ſanctitatem Chriſti, de qua dicitur Lucæ primo. Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei. Vnde de conſecratione diſt. 1. dicitur*. Altaria placuit non ſolum vnctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari. Et ideo regulariter non licet celebrare hoc ſacramentum niſi in domibus conſecratis. Vnde ſicut habetur de conſecratione,* diſt. prima. Nullus presbyter miſſas celebrare præſumat, niſi in conſecratis ab Epiſcopo locis. Propter quod etiam quia Pagani non ſunt de eccleſia, nec alij infideles, ideo eadem diſtinctione legitur*, Eccleſiam, in qua mortuorum cadauera infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet: ſed ſi apta videtur, ad conſecrandum, inde euulſis corporibus, & raſis parietibus vel tignis eius, reædificetur: ſed ſi hæc conſecrata prius fuerit, miſſas in ea celebrare licet, ſi tamen fideles fuerint, qui in ea ſepulti ſunt. Propter neceſſitatem tamen poteſt hoc ſacramentum peragi in domibus non conſecratis, vel violatis: ſed tamen de conſenſu Epiſcopi. Vnde in eadem diſtinctione legitur*. Miſſarum ſolemnia non vbique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel vbi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus. Non tamen ſine altari portatili per Epiſcopum conſecrato. Vnde in eadem diſtinct. legitur*: Concedimus ſi eccleſiæ fuerint incenſæ vel combuſtæ in Capellis cum tabula conſecrata, miſſas interim celebrari. Quia enim ſanctitas Chriſti fons eſt totius Eccleſiaſticæ ſanctitatis, ideo in neceſſitate ſufficit ad peragendum hoc ſacramentum altare ſanctificatum. Propter quod etiam nunquam Eccleſia ſine altari conſecratur: tamen ſine eccleſia quandoque conſecratur altare cum Reliquiis Sanctorum, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Vnde in eadem diſtinctione legitur*. Placuit vt altaria, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur.

De con. d. 1. c. altaria ſo. â. — De con. d. 1. c. Nullus presbyter. — De con. d. 1. c. Eccleſiam. — De con. d. 1. ca. Miſſarum. — Ea d. 1. de conſ. c. Concedimus ex cõ. Triburienſ. — De conſ. d. 1. ca. Placuit.

A D tertium dicendum, quod eccleſia & altare, & alia huiuſmodi inanimata, conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſuſceptiua, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quandam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui: vt ſcilicet homines deuotionem quandam exinde percipiant, vt ſint paratiores ad diuina, niſi hoc propter reuerentiam impediatur. Vnde & ſecundæ Machabæorum tertio dicitur. Vera Dei virtus quædam eſt in loco: nam ipſe qui habet in cœlis habitationem, viſitator & adiutor eſt loci illius. Et inde eſt, quod huiuſmodi ante conſecrationem emundantur & exorcizantur: vt exinde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione, eccleſiæ, quæ ſanguinis effuſione, aut cuiuſcunque ſemine pollutæ fuerint, reconciliantur: quia per peccatum ibi commiſſum, apparet ibi aliqua operatio inimici. Propter quod etiam in eadem diſtinctione legitur*, Eccleſias Arrianorum vbicunque inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus & operibus abſque vlla mora conſecrate. Vnde & quidam probabiliter dicunt, quod per ingreſſum eccleſiæ conſecratæ homo conſequitur remiſſionem peccatorum venialium, ſicut & per aſperſionem aquæ benedictæ: inducentes quod in Pſalmo 84. dicitur. Benedixiſti Domine terram tuam, remiſiſti iniquitatem plebis tuæ. Et ideo propter virtutem, quæ ex conſecratione Eccleſiæ acquiritur, conſecratio eccleſiæ non iteratur. Vnde in eadem diſtinctione ex Concilio Niceno legitur* Eccleſiis ſemel Deo conſecratis, non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cuiuſcunque ſemine pollutæ fuerint: quia ſicut infans à qualicunque ſacerdote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſemel baptizatus,

De con. d. 1. c. Eccleſias Arrianorum. — De con. d. 1. c. eccleſiis ſemel ex cõc. Niceno.

tus, non debet iterum baptizari; ita nec locus Deo dicatus, eſt iterum conſecrandus, niſi propter eas cauſas, quas ſuperius nominauimus: ſi tamen fidem ſanctæ Trinitatis tenuerint qui conſecrauerunt, alioquin qui ſunt extra eccleſiam, conſecrare non poſſunt. Sed ſicut in eadem diſtinctione legitur: * Eccleſiæ vel altaria quæ ambigua ſunt de conſecratione, conſecrentur. Propter hoc etiam, quod aliquam ſpiritualem virtutem adipiſcuntur per conſecrationem, in eadem diſtinctione ſtatutum legitur *. Ligna Eccleſiæ dedicata non debent ad aliud opus iungi, niſi ad aliam eccleſiam, vel igni comburenda, vel ad profectū in Monaſterio fratribus in laicorum autē opera non debent admitti. Et ibidem legitur *: Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptiſterio inferantur, aut in pariete, aut in foſſis pauimentorum iaciantur, ne introeuntium pedibus inquinentur.

De con. d. 1. c. eccleſia vel alt. ca. 46. Ligna eccl.

De con. d. 1. ca. en. altaris palla.

Ad quartum dicendum, quod quia conſecratio altaris repræſentat ſanctitatem Chriſti, conſecratio vero domus ſanctitatem totius eccleſiæ: ideo conuenientius recolitur cum ſanctitate & ſolennitate conſecratio Eccleſiæ vel altaris, quam aliorum, quæ conſecrantur. Propter quod etiam octo diebus ſolennitas dedicationis agitur, ad ſignificandam beatam reſurrectionem Chriſti & membrorum eccleſiæ. Nec eſt opus ſolius hominis conſecratio eccleſiæ & altaris, cum habeat ſpiritualem virtutem. Vnde de conſecratione diſt. eadem dicitur *: Solennitates dedicationum Eccleſiarum per ſingulos annos ſolenniter ſunt celebrandæ. Quod autem octo diebus encænia ſint celebranda in lib. Reg. perfecta dedicatione templi, reperies, ſcilicet 3. Reg. 8.

De con. d. 1. c. ſolennitates.

Ad quintum dicendum, quod ſic legitur de conſecratione, * diſt. prima: altaria ſi non fuerint lapidea, Chriſmatis vnctione non conſecrentur. Quod quidem competit & ſignificationi huius ſacramenti: tum quia altare ſignificat Chriſtum. Dicitur autem 1. Cor. 10. Petra autem erat Chriſtus: tum etiam quia corpus Chriſti in ſepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad vſum ſacramenti. Lapis enim & ſolidus eſt, & de facili poteſt inueniri vbique: quod non erat neceſſarium in veteri Lege, vbi fiebat in vno loco altare: Quod autem mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus integris, fuit ad idololatriam remouendam.

De con. d. 1. c. 29. altaria.

Ad ſextum dicendum, quod ſicut in diſtin. eadem dicitur cap. Vaſa *, quondam ſacerdotes non aureis, ſed ligneis calicibus vtebantur. Zephirinus autem Papa, patenis vitreis miſſam celebrari conſtituit, deinde Vrbanus omnia fecit argentea. Poſtmodum autem ſtatutum eſt, vt calix Domini cum patena, ſiue ex auro omnino ſiue ex argento fiat, vel ſaltem ſtanneus calix habeatur. De ære autem aut ex aurichalcho non fiat, quia hoc vini virtute ærugınem parit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo ſeu vitreo calice præſumat miſſam cantare: quia ſcilicet lignum poroſum eſt, & ſanguis conſecratus in eo remaneret: vitrum fragile eſt, & poſſet fractionis periculum imminere, & eadem ratio eſt de lapide. Et ideo propter reuerentiam ſacramenti ſtatutum eſt, vt ex prædictis materiis calix fiat.

De conſ. d. 1. c. vaſa in quibus habetur hoc ſtatum.

Ad ſeptimum dicendum, quod vbi potuit ſine periculo fieri, Eccleſia ſtatuit circa hoc ſacramentum id quod expreſſius repræſentat paſſionem Chriſti. Non erat autem tantum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali ſicut circa ſanguinem, qui continetur in calice. Et ideo licet calix non fiat de petra: corporale tamen fit de panno lineo, quo corpus Chriſti fuit inuolutum. Vnde in Epiſtola Silueſtri Papæ in eadem diſtinctione legitur *: Conſulto omnium ſtatuimus, vt ſacrificium altaris non in ſerico panno aut intincto, quiſquam celebrare miſſam præſumat: ſed in panno lineo ab Epiſcopo conſecrato, ſicut corpus Chriſti in ſindone linea & munda ſepultum fuit. Competit etiam pannus lineus propter ſui munditiam ad ſignificandam conſcientiæ puritatem & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad ſignificandam Chriſti paſſionem.

De conſ. d. 1. cap. 44. Conſul. o.

Ad octauum dicendum, quod diſpenſatio ſacramentorum pertinet ad miniſtros eccleſiæ: ſed conſecratio eorum eſt ab ipſo Deo. Et ideo miniſtri eccleſiæ non habent aliquid ſtatuere circa formam conſecrationis: ſed circa vſum Sacramenti, & modum celebrandi. Et ideo ſi ſacerdos verba conſecrationis proferat ſuper materia debita cum intentione conſecrandi, abſque omnibus prædictis, ſcilicet domo & altari, Calice & Corporali conſecratis, & cæteris huiuſmodi per eccleſiam inſtitutis, conſecrat quidem in rei veritate corpus Chriſti; peccat tamen grauiter, ritum eccleſiæ non ſeruans.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm conuenienter ordinentur ea quæ circa hoc Sacramentum dicuntur.

507 Ad QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter ordinentur ea quæ circa hoc Sacramentum dicuntur. Hoc enim ſacramentum verbis Chriſti conſecratur: vt Ambroſ. dicit in libro de Sacramentis. Non ergo debent aliqua alia in hoc ſacramento dici, quam verba Chriſti.

¶ 2 Præterea, Verba & facta Chriſti nobis per Euangelium innoteſcunt. Sed quædam dicuntur circa conſecrationem huius ſacramenti, quæ in Euangeliis non ponuntur: non enim legitur in Euangelio quod Chriſtus in conſecratione huius ſacramenti, oculos ad cœlum leuauerit, ſimiliter etiam in Euangelio dicitur: Accipite & comedite, nec ponitur omnes: cum in celebratione huius ſacramenti dicatur: Eleuatis oculis in cœlum: & iterum, Accipite & manducate ex hoc omnes. Inconuenienter ergo huiuſmodi verba dicuntur in celebratione huius ſacramenti.

4. d. 8. q. 1. a. 5. qu. 1 ad 1. & d. 8. in expo. l. & d. 13. in expo. lib. prin. & di. 15. q. 4. a. 3. q. 2. cor. & 1. Tim. 2. lc. 1 in aſſ. 2. in prin.

¶ 3 Præterea, Omnia ſacramenta ordinantur ad ſalutem fidelium. Sed in celebratione aliorum ſacramentorum non fit communis oratio pro ſalute fidelium defunctorum. Ergo inconuenienter fit in hoc ſacramento.

¶ 4 Præterea, Baptiſmus dicitur ſpecialiter fidei ſacramentum, ea ergo quæ pertinent ad inſtructionem fidei, magis debent circa baptiſmum tradi, quam circa hoc ſacramentum: ſicut doctrina Apoſtolica & Euangelica.

¶ 5 Præterea, In omni ſacramento exigitur deuotio fidelium. Non ergo magis in hoc ſacramento, quam in aliis deberet excitari deuotio fidelium per laudes diuinas, & per admonitiones: puta, cum dicitur: Surſum corda.

¶ 6 Præterea, Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos: vt dictum eſt *. Omnia ergo quæ in hoc ſacramento dicuntur, à ſacerdote dici deberent: & non quædam à miniſtris, quædam à choro. *q. 82. a. 2.*

¶ 7 Præterea, Hoc ſacramentum per certitudinem operatur virtus diuina, ſuperflue ergo ſacerdos petit huius ſacramenti perfectionem, cum dicit: Quam oblationem tu Deus in omnibus, &c.

¶ 8 Præterea, Sacrificium nouæ legis, multo eſt excellentius, quam ſacrificium antiquorum Patrum. Inconuenienter ergo ſacerdos petit quod hoc ſacrificium habeatur ſicut ſacrificium Abel, Abrahæ, & Melchiſedech.

¶ 9 Præterea, Corpus Chriſti, ſicut non incipit eſſe in hoc ſacramento per loci mutationem (vt ſupra dictum eſt *) ita etiam nec eſſe deſinit. Inconuenienter ergo Sacerdos petit, Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum. *q. 75. a. 2.*

Sed contra eſt, quod dicitur de Conſecratione diſtinctione prima Iacobus frater Domini ſecundum carnem, & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, addiderunt nobis Miſſæ celebrationem. Ex quorum auctoritate patet conuenienter ſingula circa hoc dici. *De conſ. d. 1. c. Iacobus frater Domini.*

CONCLVSIO.

Quæcumque circa Euchariſtiæ ſacramentum in Miſſa aguntur, magna ratione inſtituta ſunt.

Respondeo dicendum, quod quia in hoc ſacramento totum myſterium noſtræ ſalutis comprehenditur, ideo præ cæteris ſacramentis cum maiori ſolemnitate agitur. Et quia ſcriptum eſt Eccleſiaſt. quarto, Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini. Et Eccleſiaſt. decimo octauo, Ante orationem præpara animam tuam: ideo ante celebrationem huius myſterij, primo quidem præmittitur præparatio quædam, ad digne agenda ea quæ ſequuntur. Cuius præparationis prima pars eſt laus diuina, quæ fit in introitu, ſecundum illud Pſal. quadrageſimi noni, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Et ſumitur hoc, vt plurimum de Pſalmis, vel ſaltem cum Pſalmis cantatur: quia vt * Dionyſ. dicit in tertio cap. eccleſ. hierarc. Pſalmi comprehendunt per modum laudis, quicquid in ſacra Scriptura continetur. Secunda pars continet commemorationem præſentis miſeriæ, dum miſericordia petitur, dicendo, Kyrie eleiſon, ter quidem pro perſona Patris, ter autem pro perſona Filij, cum dicitur: Chriſte eleiſon. & ter pro perſona Spiritus ſancti, cum ſubditur Kyrie eleiſon contra triplicem miſeriam ignorantiæ, culpæ & pœnæ: vel ad ſignificandum, quod omnes perſonæ ſunt in ſe inuicem. Tertia autem pars commemorat cœleſtem gloriam, ad quam tendimus poſt præſentem vitam, & miſeriam, dicendo, Gloria in excelſis Deo, quæ cantatur in feſtis, in quibus commemoratur cœleſtis gloria, intermittitur autem in officiis luctuoſis, quæ ad commemorationem miſeriæ pertinent. Quarta autem pars continet orationem, quam ſacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis myſteriis. Secundo autem præmittitur inſtructio fidelis populi: quia hoc ſacramentum eſt myſterium fidei: vt ſupra habitum eſt *: Quæ quidem inſtructio diſpoſitiua quidem fit per doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum quæ in Eccleſia legitur per Lectores & Subdiaconos. Poſt quam lectionem cantatur à choro graduale, quod ſignificat profectum vitæ: & alleluia, quod ſignificat ſpiritualem exultationem, vel tractus in officiis luctuoſis, qui ſignificat ſpiritualem gemitum; hæc enim conſequi debent in populo ex prædicta doctrina. Perfectè autem populus inſtruitur per doctrinam Chriſti in Euangelio contentam, quæ à ſummis miniſtris legitur, ſcilicet à Diaconis. Et quia Chriſto credimus tanquam diuinæ veritati (ſecundum illud Ioann. octauo, Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?) lecto Euangelio, ſymbolum fidei cantatur, in quo populus oſtendit, ſe per fidem Chriſti doctrinæ aſſentire. Cantatur autem hoc ſymbolum in feſtis, de quibus fit aliqua mentio in ſymbolo, ſicut in feſtis Chriſti & beatæ Virginis & Apoſtolorum (qui hanc fidem fundauerunt,) & aliis huiuſmodi. Sic igitur populo præparato & inſtructo, conſequenter acceditur ad celebrationem myſterij, quod quidem & offertur vt ſacrificium, & conſecratur, & ſumitur vt ſacramentum. Vnde primo peragitur oblatio, ſecundo conſecratio materiæ oblatæ. Tertio eiuſdem perceptio.

de. 3. eccl. hier. non procep. & medium.

q. 78. a. 3.

Circa oblationem vero duo aguntur, ſcilicet laus populi in cantu offertorij: (per quod ſignificatur lætitia offerentium) & oratio ſacerdotis, qui petit vt oblatio populi ſit Deo accepta, vnde & 1. Paralipome. 29. dixit Dauid, Ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa hæc, & populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: & poſtea orat dicens: Domine Deus cuſtodi hanc voluntatem. Deinde circa conſecrationem, quæ ſupernaturali virtute agitur, primo excitatur populus ad deuotionem in præfatione. vnde & monetur ſurſum corda habere ad Dominum. Et ideo finita præfatione, populus deuote laudat diuinitatem Chriſti, cum Angelis dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus,

Sanctus, & humanitatem cum pueris, dicens: Benedictus qui venit. Deinde sacerdos secreto commemorat, primo quidem, pro quibus hoc sacrificium offertur scilicet pro vniuersali ecclesia, & pro his, qui in sublimitate sunt constituti, primæ Tim. 2. & specialiter quosdam qui offerunt vel pro quibus offertur. Secundo commemorat sanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit, Communicantes, & memoriam venerantes, &c. Tertio, petitionem concludit, cum dicit: Vt hæc oblatio fit illis, pro quibus offertur salutaris. Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit, Quam oblationem tu Deus, &c. Secundo consecrationem peragit per verba Saluatoris, cum dicit: Qui pridie, &c. Tertio, excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi: cum dicit: Vnde & memores. Quarto, petit hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit: Supra quæ propitio, &c. Quinto petit huius sacrificij & sacramenti effectum. Primo quidem, quantum ad ipsos sumentes, cum dicit: Supplices te rogamus. Secundo, quantum ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cum dicit: Memento etiam Domine, &c. Tertio, specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes cum dicit, Nobis quoque peccatoribus, &c. Deinde agitur de perceptione sacramenti, & primo præparatur populus ad percipiendum. Primo quidem, per orationem communem totius populi (quæ est oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari) & etiam priuatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cum dicit: Libera nos quæsumus Domine, &c. Secundò, præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo. Agnus Dei. Est enim hoc sacramentum vnitatis & pacis: vt supra dictum est *. In missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio sacramenti, primo percipiente sacerdote, & postmodum aliis dante: quia vt Dion. * dicit 3. c. eccl. hie. ille, qui aliis diuina tradit, primo debet ipse particeps esse. Vltimo autem tota missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterij, (quod significat cantus post communionem) & sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus celebrata cœna cum discipulis, hymnum dixit, vt dicitur Matt. 26.

q. 79. a. 1. & qu. 73. ar. 4.

pa. 3. mul. ante med. non procul a fi.

AD primum ergo dicendum quod consecratio solis verbis Christi conficitur. Alia vero necesse est addere ad præparationem populi sumentis, sicut dictum est †.

in cor. articu.

AD secundum dicendum, quod sicut dicitur Ioa. vlt. Multa sunt à Domino facta vel dicta, quæ Euangelistæ non scripserunt. Inter quæ fuit hoc, quod Dominus in cœna oculos leuauit in cœlum: quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit. Rationabile enim videtur, vt qui in suscitatione Lazari (vt habetur Io. 11.) & in oratione, quam pro discipulis fecit, Io. 17. oculos leuauit ad Patrem, in huius sacramenti institutione multo magis hoc fecerit, tanquam in re potiori. Quod autem dicitur, Manducate & comedite, non differt, quantum ad sensum. Nec multum refert quid dicatur, præsertim cum verba illa non sint de forma, vt supra dictum est *. Quod autem additur, omnes, intelligitur in verbis Euangelij, licet non exprimatur: quia ipse dixerat Io. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

q. 78. a. 1. & a. 1. ad 2. vsq.

AD tertium dicendum, quod Eucharistia est sacramentum totius ecclesiasticæ vnitatis. Et ideo specialiter in hoc sacramento magis, quam in aliis debet fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad salutem totius ecclesiæ.

AD quartum dicendum, quod instructio fidei est duplex. Vna quæ fit nouiter imbuendis, s. catechumenis: & talis instructio fit * per baptismum. Alia autem est instructio, qua instruitur fidelis populus, qui communicat huic mysterio, & talis instructio fit in hoc sacramento. Et tamen ab hac instructione non repelluntur etiam catechumeni & infideles. Vnde dicitur de consec. * distinct. prima, Episcopus nullum prohibeat ingredi in Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad missam catechumenorum, in qua scilicet continetur instructio fidei.

al. scil.

de consf. di. 1. c. 64. ep.

AD quintum dicendum, quod in hoc sacramento & maior deuotio requiritur, quàm in aliis sacramentis (propter hoc, quod in hoc sacramento totus Christus continetur) & etiam communior quia in hoc sacramento requiritur deuotio totius populi Christi, pro quo sacrificium offertur, & non solum percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis. Et ideo vt * Cyprianus dicit Sacerdos præfatione præmissa parat fratrum mentes, dicendo. Sursum corda, vt dum respondet plebs: habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quam Deum cogitare debere.

In l. de ora. do. circ. non procul a fi.

AD sextum dicendum, quod in hoc sacramento (sicut dictum est *) tanguntur ea, quæ pertinent ad totam Ecclesiam. Et ideo quædam dicuntur à choro, quæ pertinent ad populum. Quorum quædam chorus totaliter prosequitur, quæ scilicet toti populo inspirantur. Quædam vero populus prosequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit in signum, quod talia peruenerunt ad populum ex reuelatione diuina, sicut fides & gloria cœlestis: Et ideo sacerdos inchoat Symbolum fidei, & Gloria in excelsis Deo. Quædam vero dicuntur per ministros, sicut doctrina veteris, & noui Testamenti, in signum, quod per ministros à Deo missos, est doctrina huic populo annunciata.

a. 4. ad 3. & 4. in resp. ad 3.

Quædam vero sacerdos solus prosequitur: quæ scilicet ad proprium officium sacerdotis pertinent, vt scilicet dona & preces offerat pro populo, sicut dicitur Heb. 5. In his tamen quædam dicit publice, scilicet quæ pertinent & ad sacerdotem, & ad populum, sicut sunt orationes communes. Quædam vero pertinent ad solum sacerdotem, sicut oblatio & consecratio: & ideo quæ circa hæc sunt dicenda occulte à sacerdote dicuntur. In vtrisque tamen excitat attentionem populi dicendo: Dominus vobiscum: & expectat assensum dicentium, Amen. Et ideo etiam in his, quæ secrete dicuntur, publice præmittit. Dominus vobiscum & subiungit, Per omnia sæcula sæculorum. Vel secrete aliqua sacerdos dicit, in signum, quod circa Christi passionem discipuli non nisi occulte confitebantur Christum.

AD septimum dicendum, quod efficacia verborum sacramentalium impediri potest per intentionem sacerdotis. Nec tamen est inconueniens, quod à Deo petamus id quod certissime scimus ipsum facturum, sicut Christus Ioannis decimoseptimo petit suam clarificationem. Non tamen videtur ibi sacerdos orare, vt consecratio impleatur, sed vt nobis fiat fructuosa. Vnde signanter dicit. Vt hoc significant verba, quæ præmittit dicens: Hanc oblationem facere digneris benedictam, secundum * Augustinum, id est, per quam benedicimur, scilicet per gratiam adscriptam, id est, per quam in cœlo adscribamur: ratam, id est, per quam de visceribus Christi esse censeamur: rationabilem, id est, per quam à bestiali sensu exuamur. acceptabilem, vt qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio simus.

In eif. l. a. c. 71. Verâ fai, a me.

AD octauum dicendum, quod licet hoc sacramentum ex seipso præferatur omnibus antiquis sacrificiis: tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum deuotione. Petit ergo sacerdos, vt sic hoc sacrificium acceptetur à Deo ex deuotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo.

AD nonum dicendum, quòd sacerdos non petit neque quod species sacramentales deferantur in cœlum, neque corpus Christi verũ, quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro corpore mystico (quod scilicet in hoc sacramento significatur) vt scilicet orationem sacerdotis & populi, Angelus assistens diuinis mysteriis, Deo repræsentet, secundum illud Apocalyps. octauo, Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli. Sublime autem altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus, cuius participationem petimus: de hoc enim altari dicitur Exodi vigesimo, Non ascendes ad altare meum per gradus, id est, in Trinitate gradus non facies. Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilij Angelus, qui corpus suum mysticum Deo patri coniungit, & Ecclesiæ triumphanti. Et propter hoc etiam missa nominatur: quia per Angelum, sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem: vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo. Vnde, & in fine missæ Diaconus in festiuis diebus populum licentiat, dicens: Ite, missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum: vt scilicet sit Deo accepta.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea, quæ in celebratione huius Sacramenti aguntur sint conuenientia.

AD QVINTVM sic proceditur. Videtur, quòd ea quæ in celebratione huius sacramenti aguntur, non sint conuenientia. Hoc enim sacramentum ad nouum testamentum pertinet, vt ex forma ipsius apparet. In nouo autem testamento non sunt obseruandæ cæremoniæ veteris testamenti, ad quas pertinebat, quod sacerdos, & ministri aqua lauabantur, quando accedebant ad offerendum: legitur enim Exodi trigesimo. Lauabunt Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare. Non est ergo conueniens, quod sacerdos lauet manus suas inter missarum solennia. 508

q. sent. d. 12. in expo. lit. & op. 65. c. 5. & op. 68. per totum.

¶ 2 Præterea, Ibidem Dominus mandauit, quòd Aaron adoleret incensum suaue fragrans super altare, quod erat ante propitiatorium. Quod etiam pertinebat ad cæremonias veteris testamenti. Inconuenienter ergo in missa sacerdos thurificatione vtitur.

¶ 3 Præterea, ea quæ in sacramentis Ecclesiæ aguntur, non sunt iteranda. Inconuenienter igitur sacerdos multoties iterat cruce signationes super hoc sacramentum.

¶ 4 Præterea, Apost. dicit Heb. 7. Sine vlla contradictione, quod minus est, à maiori benedicitur. Sed Christus qui est in hoc sacramento post consecrationem est multo maior sacerdote. Inconuenienter igitur sacerdos post consecrationem benedicit hoc sacramentum cruce signando.

¶ 5 Præterea, In sacramento ecclesiæ nihil debet fieri quod ridiculosum videatur. Videtur autem ridiculosum gesticulationes facere, ad quas pertinere videtur, quod sacerdos quandoque brachia ostendit manus iungit, digitos complicat, & seipsum * inclinat. Ergo hæc non debent fieri in hoc sacramento.

al. inclinat.

¶ 6 Præterea, Ridiculosum etiam videtur, quòd sacerdos multoties se ad populum vertit, & multoties populum salutat. Non ergo debent hæc fieri in celebratione huius sacramenti.

¶ 7 Præterea, Apost. 1. Cor. 1. pro inconuenienti habet, quòd Christus diuisus sit. Sed post consecrationem Christus est in hoc sacramento: inconuenienter ergo hostia frangitur à sacerdote.

¶ 8 Præterea, Ea quæ in hoc sacramento aguntur, passionem Christi repræsentant. Sed in passione Christi corpus fuit diuisum in locis quinque vulnerum. Ergo corpus Christi in quinque partes frangi deberet magis, quam in tres.

¶ 9 Præterea, Totum corpus Christi in hoc sacramento seorsum consecratur à sanguine. Inconuenienter ergo vna pars eius sanguini miscetur.

¶ 10 Præterea, Sicut corpus Christi proponitur in hoc sacramento, vt cibus; ita & sanguis Christi, vt potus. Sed sumptioni corporis Christi non adiungitur in celebratione missæ alius corporalis cibus. Inconuenienter igitur

sacerdos

sacerdos post sumptionem sanguinis Christi vinum non consecratum sumit.

¶ 11 Præterea, Veritas debet respondere figuræ. Sed de agno Paschali, qui fuit figura huius sacramenti, mandatur, quod non remaneret ex eo quicquam vsque mane. Inconuenienter igitur hostiæ consecratæ reseruantur, & non statim sumuntur.

¶ 12 Præterea, Sacerdos pluraliter loquitur audientibus, cum dicit: Dominus vobiscum, & Gratias agamus. Sed inconueniens videtur pluraliter loqui vni soli & maxime minori. Ergo inconueniens videtur quod sacerdos vno tantum ministro præsente, celebret missam. Sic igitur videtur, quod inconuenienter aliqua agantur in celebratione huius sacramenti.

Sed in contrarium est ecclesiæ consuetudo, quæ errare non potest: vtpote Spiritu sancto instructa.

CONCLVSIO

Quæcunque cæremonialia circa hoc Sacramentum aguntur, sunt certa ratione statuta, vel ad repræsentandam Christi passionem, vel ad deuotionem & reuerentiam augendam.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum q.60.a.5. & 6. est *) in sacramentis dupliciter aliquid significatur, scilicet verbis & factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Significantur autem verbis, in celebratione huius sacramenti, quædam pertinentia ad passionem Christi, quæ repræsentatur in hoc sacramento, vel etiam ad corpus mysticum, quod significatur in hoc sacramento, & quædam pertinentia ad vsum huius sacramenti, qui debet esse cum deuotione & reuerentia. Et ideo in celebratione huius mysterij quædam aguntur ad repræsentandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici: & quædam aguntur pertinentia ad deuotionem & reuerentiam huius sacramenti.

De manuum ablutione. Ad primum ergo dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione missæ propter reuerentiam huius sacramenti. Et hoc dupliciter. Primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consueuimus nisi manibus ablutis. Vnde indecens videtur, quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo, propter significationem: quia, vt Dionys. dicit 3. *c.3.eccl. hier. à med. illius.* Eccl. [b] hier. extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, secundum illud Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum. Quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante introitum missæ. Et hoc idem significabat ablutio sacerdotum in veteri lege: vt ibidem Dionys. [c] dicit. Nec tamen ecclesia hoc *eod. loco circa dict.* seruat tanquam cæremoniale veteris legis præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conueniens. Et ideo non eodem modo obseruatur, sicut tunc, prætermittitur enim pedum ablutio, & seruatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem. Cum enim manus sit organum organorum (vt dicitur 3. de anima [d]) om- *l.3.c.38. to.2.* nia opera attribuuntur manibus, vnde in Psalmo 25. dicitur, Lauabo inter innocentes manus meas.

De thurificatione. Ad secundum dicendum, quod etiam thurificatione non vtimur quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Vnde non eodem modo vtimur, sicut in lege veteri erat statutum: Pertinet autem ad duo. Primo quidem ad reuerentiam huius sacramenti, vt s. per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter praui odoris in loco fuerit, quod posset prouocare horrorem. Secundo, pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit (secundum illud Genes. 27. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni,) & a Christo deriuatur ad fideles officio ministrorum: secundum illud 2. Corint. 2. Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. Et ideo vndique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

De crucis signatione in Missa figurationes. Ad tertium dicendum, quod sacerdos in celebratione missæ vtitur cruce signatione, ad exprimendam passionem Christi, quæ ad crucem est terminata. Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam primo fuit Christi traditio quæ facta est a Deo, Iuda, & Iudæis: quod significat trina crucesignatio, super illa verba. Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Secundo, fuit Christi venditio: est autem venditus sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis. Ad quod significandum fit iterum trina crucesignatio super illa verba, Benedictam, adscriptam, ratam &c. Vel ad ostendendum pretium venditionis, s. triginta denarium. Additur autem & duplex crux super illa verba. Vt nobis corpus & sanguis, &c. ad designandam personam Iudæ venditoris & Christi venditi. Tertio autem, fuit præsignatio passionis Christi facta in cœna. Ad quod designandum fiunt tertio duæ cruces, vna in consecratione corporis, alia in consecratione sanguinis, vbi vtrobique dicitur. Benedixit. Quarto autem, fuit ipsa passio Christi. Vnde ad repræsentandum quinque plagas Christi, fit quarto quintuplex crucesignatio super illa verba. Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Quinto repræsentatur extensio corporis & effusio sanguinis, & fructus passionis per trinam crucesignationem, quæ fit super illis verbis. Corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione, &c. Sexto repræsentatur triplex oratio, quam fecit in cruce. Vnam pro persecutoribus, cum dixit, Pater ignosce illis. Secundam pro liberatione à morte, cum dixit, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ, cum dixit, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et ad hoc significandum fit trina crucesignatio super illa verba, sanctificas, viuificas, benedicis, &c. Septimo, repræsentantur tres horæ, quibus pependit in cruce, scilicet à sexta vsque ad horam nonam. Et ad hoc significandum fit iterum trina cruce signatio ad illa verba. Per ipsum, & cum ipso, & in ipso. Octauo autem, repræsentatur separatio animæ à corpore per duas cruces subsequentes extra calicem factas. Nono autem, repræsentatur resurrectio tertia die facta, per tres cruces, quæ fiunt ad illa verba, Pax domini sit semper vobiscum. Potest autem breuius dici, quod consecratio huius sacramenti, & acceptatio huius sacrificij, & fructus ipsius procedit ex virtute crucis Christi. Et ideo vbicunque fit mentio de aliquo horum, sacerdos crucesignatione vtitur.

Ad quartum dicendum, quod sacerdos post consecrationem non vtitur crucesignatione ad benedicendum & consecrandum, sed solum ad commemorandam virtutem crucis & modum passionis Christi: vt ex dictis patet [a]. *in solut. præced.*

Ad quintum dicendum, quod ea quæ sacerdos in missa facit, non sunt ridiculosæ gesticulationes; fiunt enim ad aliquid repræsentandum. Quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce. Leuat etiam manus orando, ad designandum quod oratio eius dirigitur pro populo ad Deum: secundum illud Thren. 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos, & Exod. 17. dicitur, quod cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel. Quod autem manus interdum iungit, & se inclinat, est supplicter, & humiliter orantis, & designat humilitatem & obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autem iungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat: vt si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur. quod pertinet ad reuerentiam sacramenti.

Ad sextum dicendum, quod quinquies se sacerdos vertit ad populum, ad significandum quod Dominus die resurrectionis quinquies se manifestauit: vt supra dictum [b] est in *q.55.a.3. ar.3.* tractatu de resurrectione Christi. Salutat autem septies populum, scilicet quinque vicibus, quibus se conuertit ad populum & bis quando se non conuertit (scilicet cum ante præfationem dicit, Dominus vobiscum, & cum dicit, Pax Domini sit semper vobiscum) ad designandam septiformem gratiam Spiritus sancti. Episcopus autem celebrans in festis, in prima salutatione dicit, Pax vobis: quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus: cuius personam repræsentat præcipue Episcopus.

Ad septimum dicendum, quod fractio hostiæ tria significat. Primo quidem ipsam diuisionem corporis Christi quæ facta est in passione. Secundo distinctionem corporis mystici secundum diuersos status. Tertio, distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, vt Dionys. dicit 3. cap. Eccl. hier. Vnde talis fractio non inducit diuisionem Christi. *c.3.p.1. hier. & 3. 1. a. med.*

Ad octauum dicendum, quod sicut Sergius Papa dicit [c] (& habetur de consecratione distinct. 2.) triforme est corpus Domini. Pars oblata in calicem missa, corpus Christi quod iam resurrexit, monstrat, scilicet ipsum Christum & beatam Virginem, vel si qui alij sancti cum corporibus iam sunt in gloria. Pars comesta, ambulans adhuc super terram, quia scilicet viuentes in terra, sacramento [*] vniuntur, & passionibus conteruntur, sicut & panis comestus conteritur dentibus. Pars in altari vsque ad finem missæ remanens, est corpus in sepulchro: quia vsque in finem sæculi, corpora sanctorum in sepulchris erunt, quorum tamen animæ sunt vel in purgatorio vel in cœlo. Hic tamen ritus non seruatur modo: vt scilicet vna pars seruetur vsque in finem missæ, propter periculum. Manet tamen eadem significatio partium. Quam quidam metrice expresserunt dicentes. *de consecr. d. 2. c. triforme.* *al. vniantur.*

Hostia diuiditur in partes, tincta beatos.

Plene, sicca notat viuos, seruata sepultos.

Quidam tamen dicunt, quod pars in calicem missa, significat eos qui viuunt in hoc mundo: pars autem extra calicem seruata, significat plene beatos, s. quantum ad animam & corpus: pars autem comesta, significat cæteros.

Ad nonum dicendum, quod per calicem duo possunt significari. Vno modo ipsa passio Christi, quæ repræsentatur in hoc sacramento. Et secundum hoc per partem in calicem missam, significantur illi, qui adhuc sunt participes passionum Christi. Alio modo potest significari fruitio beata, quæ etiam in hoc sacramento præfiguratur. Et ideo illi, quorum corpora iam sunt in plena beatitudine, significantur per partem in calicem missam. Et est notandum, quod pars in calicem missa, non debet populo dari in supplementum communionis: quia panem intinctum non porrexit Christus, nisi Iudæ proditori.

Ad decimum dicendum, quod vinum ratione suæ humiditatis est ablutiuum. Et ideo sumitur post susceptionem huius sacramenti, ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant, quod pertinet ad reuerentiam sacramenti. Vnde extra de celebratione missarum, capit. [*] ex parte: Semper sacerdos vino os perfundere debet, postquam totum percepit Eucharistiæ sacramentum, nisi cum eodem die aliam missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret. Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus corpus Christi tetigerat. *in decret. greg. c. ex parte.*

Ad vndecimum dicendum est, quod veritas quantum ad aliquid debet respondere figuræ: quia scilicet non debet pars hostiæ consecratæ, de qua sacerdos & ministri, vel etiam populus communicat in crastinum reseruari. Vnde vt habetur de consecra. [*] distinct. 2. Clemens Papa statuit, quod tanta holocausta in altari offerantur, quanta populo sufficere debeant, quod si remanserint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur. Quia tamen hoc sacramentum quotidie sumendum est (non autem agnus Paschalis quotidie sumebatur) ideo oportet alias hostias consacratas pro infirmis conseruare. Vnde in eadem distinctione [*] legitur, Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur. *de cons. d. 2. tribus gradibus.* *de cons. d. 2. c. presbyter.*

Ad duodecimum dicendum, quod in solenni celebratione missæ, plures debent adesse. Vnde Soter Papa [*] dicit, vt *de cons. d.* habetur

habetur de conſecratio. diſtinctione 2. Hoc quoque ſtatutum eſt, vt nullus Presbyterorum, miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus, ipſe tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiſcum: & illud in ſecretis, orate pro me, apertiſſime conuenit, vt ipſius reſpondeatur ſalutationi. Vnde & ad maiorem ſolemnitatem ibidem ſtatutum legitur, quod Epiſcopus cum pluribus, miſſarum ſolennia peragat. In miſſis tamen priuatis ſufficit vnum habere miniſtrum, qui gerit perſonam totius populi Catholici, ex cuius perſona ſacerdoti pluraliter reſpondet.

2. ca. Hoc quoque ſtatutum eſt.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm poſsit ſufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius ſacramenti occurrentibus, ſtatuta Eccleſiæ obſeruando.

509 AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quod non poſſit ſufficienter occurri defectibus, qui circa celebrationē huius ſacramenti occurrunt, ſtatuta Eccleſiæ obſeruando. Contingit enim quandoque quod ſacerdos, ante conſecrationem vel poſt moritur, vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne ſacramentum ſumere poſſit, & miſſam perficere. Ergo videtur, quod non poſſit impleri ſtatutum Eccleſiæ, quo præcipitur quod ſacerdos conſecrans, ſuo ſacrificio communicet.

4. d. 13. in expo.

¶ 2 Præterea, Contingit quandoque quòd ſacerdos ante conſecrationem vel poſt recolit ſe aliquid comediſſe vel bibiſſe, vel etiam alicui peccato mortali ſubiacere, vel etiam excommunicationi, cuius prius memoriam non habebat: neceſſe eſt ergo quod ille qui eſt in tali articulo conſtitutus, peccet mortaliter, contra ſtatutum Eccleſiæ faciens, ſiue ſumat ſiue non ſumat.

¶ 3 Præterea, Contingit quandoque, quod in calicem muſca vel aranea, vel aliquod animal venenoſum cadit poſt conſecrationem, vel etiam cognoſcit ſacerdos calici venenum eſſe immiſſum ab aliquo maleuolo cauſa occidendi ipſum. In quo caſu ſi ſumat, videtur mortaliter peccare, ſe occidendo, vel Deum tentando: ſimiliter ſi non ſumat, peccat, contra ſtatutum Eccleſiæ faciens. Ergo videtur eſſe perplexus & ſubiectus neceſſitati peccandi, quod eſt inconueniens.

¶ 4 Præterea, Contingit quandoque, quod per negligentiam miniſtri, aut aqua non ponitur in calice, aut etiam nec vinum, & hoc ſacerdos aduertit. Ergo in hoc etiam caſu videtur eſſe perplexus, ſiue ſumat corpus ſine ſanguine (quaſi imperfectum faciens * ſacramentum) ſiue non ſumat nec corpus nec ſanguinem.

al. ſacrificium.

¶ 5 Præterea, Contingit quandoque, quod ſacerdos non recolit ſe dixiſſe verba conſecrationis, vel etiam alia, quæ in celebratione huius ſacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc caſu, ſiue reiteret verba ſuper eandem materiam, quæ forte iam dixerat, ſiue vtatur pane & vino non conſecratis, quaſi conſecratis.

¶ 6 Præterea, Contingit quandoque propter frigus, quòd ſacerdoti dilabitur hoſtia in calicem, ſiue ante fractionem, ſiue poſt. In hoc ergo caſu non poterit ſacerdos ritum Eccleſiæ implere, vel de ipſa fractione, vel etiam de hoc, quod ſola tertia pars mittatur in calicem.

¶ 7 Præterea, Contingit quandoque, quòd per negligentiam ſacerdotis ſanguis Chriſti effunditur, vel etiam quod ſacerdos ſacramentum ſumptum vomit, aut etiam quod hoſtiæ conſecratæ tamdiu conſeruantur, vt putreſcant, vel etiam à muribus corrodantur, vel etiam qualitercumque perdantur. In quibus caſibus non videtur poſſe huic ſacramento debita reuerentia exhiberi, ſecundum Eccleſiæ ſtatuta. Non videtur ergo, quod his defectibus ſeu periculis occurri poſſit, ſaluis eccleſiæ ſtatutis.

SED contra eſt, quod ſicut Deus, ita Eccleſia non præcipit aliquid impoſſibile.

CONCLVSIO.

Quibuſcunque defectibus circa hoc Sacramentum contingentibus occurri poteſt: vel cauendo, ne fiant: vel ſi fiant, emendando, aut ſaltem pœnitentiam agendo.

RESPONDEO dicendum, quod periculis ſeu defectibus circa hoc ſacramentum contingentibus dupliciter poteſt occurri. Vno modo præueniendo, ne ſcilicet periculum accidat. Alio modo ſubſequendo, vt ſcilicet id quod accidit emendetur, vel adhibendo remedium, vel ſaltem per pœnitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc ſacramentum.

AD primum ergo dicendum, quod ſi ſacerdos morte aut infirmitate graui occupetur ante conſecrationem corporis & ſanguinis Domini, non oportet vt per alium ſuppleatur. Si vero incepta conſecratione hoc acciderit (puta conſecrato corpore ante conſecrationem ſanguinis, vel etiam conſecrato vtroque) debet miſſæ celebritas per alium expleri. Vnde (vt habetur in decretis 7. quæſt. 1. cap. nihil) in Toletano concilio legitur *. Cenſuimus conueniens, vt cum ſacerdotibus miſſarum tempore myſteria ſacra conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cuiuſlibet euentus, quo cœptum nequeat expleri myſterium, ſit liberum Epiſcopo vel Presbytero alteri, conſecrationē exequi incepti officij. Non enim aliud competit ad ſupplementum initiatis myſteriis, quàm vt aut incipientis aut ſubſequentis benedictione ſint completa ſacerdotis: quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfecto ordine compleantur. Nam cum ſimus omnes vnum in Chriſto, nihil contrarium diuerſitas perſonarum format, vbi efficaciam proſperitatis vnitas fidei repræſentat. Ne tamen quod naturæ languoris cauſa conſulitur, in præſumptionis perniciem conuertatur, nullus abſque prouentu patenti moleſtiæ, miniſter vel ſacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere, ſi quis hoc temerarie præ-

conc. 7. Tolet. c. 2. an. 1. vel 2. ſecundum diuerſos codices, & habetur 7. q. 1. c. nihil.

R. P. Philippi Carm diſcal. Diſp. Theolog. in 3. p.

ſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

AD ſecundum dicendum, quod vbi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maximè autem periculoſum circa hoc ſacramentum eſt, quòd eſt contra perfectionem huius ſacramenti, quia hoc eſt immane ſacrilegium. Minus autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis. Et ideo ſi ſacerdos poſt conſecrationem inceptam, recordetur ſe aliquid comediſſe vel bibiſſe, nihilominus debet perficere ſacrificium, & ſumere ſacramentum. Similiter ſi recordetur ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi: & ſic non indigne, ſed fructuoſe ſumet ſacramentum. Et eadem ratio eſt, ſi meminerit ſe excommunicationi cuicunque ſubiacere, debet enim aſſumere propoſitum humiliter abſolutionem petendi. & ſic per inuiſibilem Pontificem Ieſum Chriſtum abſolutionem conſequetur quantum ad hunc actum, quòd peragat diuina myſteria. Si vero ante conſecrationem alicuius prædictorum ſit memor, tutius reputarem, maxime in caſu manducationis & excommunicationis, quòd miſſam inceptam deſereret, niſi graue ſcandalum timeretur.

AD tertium dicendum, quod ſi muſca vel aranea in calicem ante conſecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit eſſe immiſſum debet effundi, & abluto calice, denuo aliud vinum poni conſecrandum. Si vero aliquid horum poſt conſecrationem acciderit debet animal caute capi, & diligenter lauari comburi, & ablutio cum cineribus in ſacrarium mitti. Si vero venenum ibi eſſe deprehenderit immiſſum, nullo modo debet ſumere, nec alij dare, ne calix vitæ vertatur in mortem: ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad hoc apto cum reliquiis conſeruari. Et ne ſacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo reſumere à conſecratione ſanguinis, & ſacrificium perficere.

AD quartum dicendum, quod ſi ſacerdos ante conſecrationem ſanguinis & poſt conſecrationem corporis percipiat aut vinum, aut aquam non eſſe in calice, debet ſtatim apponere & conſecrare. Si vero poſt conſecrationis verba perceperit, quod aqua deſit; debet nihilominus procedere: quia impoſitio aquæ (vt ſupra dictum eſt *) non eſt de neceſſitate ſacramenti. Debet tamen puniri ille, ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam conſecrato miſceri: quia ſequeretur corruptio ſacramenti pro aliqua parte, vt ſupra dictum eſt *. Si vero percipiat poſt verba conſecrationis quod vinum non fuerit poſitum in calicem: ſi quidem hoc percipiat ante ſumptionem corporis, debet depoſita aqua, ſi ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & reſumere à verbis conſecrationis ſanguinis. Si vero hoc perceperit poſt ſumptionem corporis, aliam hoſtiam apponere debet iterum conſecrandam ſimul cum ſanguine. Quod ideo dico: quia ſi diceret ſola verba conſecrationis ſanguinis, non ſeruaretur debitus ordo conſecrandi. & ſicut dicitur in prædicto cap. * Toletani concilij, perfecta videri non poſſunt ſacrificia, niſi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet à conſecratione ſanguinis, & repeteret omnia verba conſequentia, non competeret niſi adeſſet hoſtia conſecrata, cum in illis verbis occurrant quædam dicenda & fienda non ſolum circa ſanguinem, ſed etiam circa corpus. Et debet in fine iterum ſumere hoſtiam conſecratam & ſanguinem, non obſtante etiam ſi prius ſumpſerit aquam, quæ erat in calice: quia præceptum de perfectione vel de perceptione huius ſacramenti, maioris eſt ponderis, quàm præceptum quod hoc ſacramentum à ieiunis ſumatur, vt ſupra dictum eſt *.

q. 74. a. 7.

q. 77. a. 8.

In cit. Tol. 7. c. 1. vel 2. ſecundū aliquos codices.

q. 80. a. 8. & q. 81. art. 4.

AD quintum dicendum, quod licet ſacerdos non recolat ſe dixiſſe aliqua eorum, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari: non enim qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit: niſi forte aliquid in dicendo apprehenderit ſub ratione iam dicti: ſic enim aliquid efficitur memorabile, vnde ſi aliquis attentè cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet ſe dicere illud, non multum poſtea recolit ſe dixiſſe. Sic enim fit aliquid obiectum memoriæ, inquantum accipitur ſub ratione præteriti: ſicut dicitur * in lib. de memoria. Si tamen ſacerdoti probabiliter conſtet ſe aliqua omiſiſſe, ſi quidem non ſunt de neceſſitate ſacramenti, non exiſtimo, quod propter hoc debeat reſumere, immutando ordinem ſacrificij: ſed debet vlterius procedere. Si verò certificetur ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſcilicet formam conſecrationis, cum forma conſecrationis ſit de neceſſitate ſacramenti, ſicut & materia, idem videtur faciendum quod dictum eſt * in defectu materiæ, vt ſcilicet reſumatur à forma conſecrationis, & cætera per ordinem reiterentur; ne mutetur ordo ſacrificij.

In l. de memoria c. 1. to. 3. inter opera Ariſt.

in ſol. ad 4. arg. huius art.

AD ſextum dicendum, quod fractio hoſtiæ conſecratæ, & quod vna ſola pars mittatur in calicem, reſpicit corpus myſticum, ſicut admixtio aquæ ſignificat populum. Et ideo horum prætermiſſio non facit imperfectionem ſacrificij, vt propter hoc ſit neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem huius ſacramenti.

AD ſeptimum dicendum, quod (ſicut legitur de conſ. diſtin. 2. ex decreto Pij papæ *) ſi per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, terra radetur & igni conſumetur, & cinis intra altare condetur, & ſacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si autem ſuper altare ſtillauerit calix ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat. Si vſque ad tertium, nouem diebus pœniteat: ſi vſque ad quartum viginti diebus pœniteat, & lintteamina quæ ſtilla tetigerit, tribus vicibus lauet miniſter calice ſubtus poſito: & aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur, poſſet etiam ſumi in potum à miniſtro: niſi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem vlterius partem illam lintteaminum incidunt & comburunt, & cinerem in altari vel ſacrario reponunt. Subditur autem ibidem ex pœnitentiali Bedæ * presbyteri. Si quis per

de conſ. di. 2. ſi per negligentiam.

mod. di. 2. c. ſi quis per ebrietatem.

ebrietatem vel voracitatem Euchariſtiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, ſi laicus eſt; clerici vel monachi ſeu diaconi & presbyteri, ſeptuaginta diebus pœniteant; Epiſcopus, nonaginta. Si autem infirmitatis cauſa euomuerint, ſeptem diebus pœniteant. Et in ead. diſt. legitur ex conc. Arelat. † Qui non bene cuſtodierit * ſacramentum, & mus vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in eccleſia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitentia videtur dignus ſacerdos, per cuius negligentiam hoſtiæ conſecratæ putreſiunt. Prædictis autem diebus debet pœnitens ieiunare & à communione ceſſare, Penſatis tamen conditionibus negotij, & perſonæ, poteſt minui vel addi ad pœnitentiam prædictam. Hoc tamen obſeruandum eſt, quod vbicunque ſpecies integræ inueniuntur, ſunt reuerenter conſeruandæ, vel etiam ſumendæ, quia manentibus ſpeciebus, manet ibi corpus Chriſti, vt ſupra habitum eſt *. Ea vero, in quibus inueniuntur, ſi commode fieri poteſt, ſunt comburenda, cinere in ſacrario recondito: ſicut de raſura tabulæ dictum eſt *.

ead. d. 2. c. qui bene non cuſtodierit. * a. [illegible] factum.

q. 77. a. 5. [illegible]

DISPVTATIO VIII.

De ritu conſecrandi Euchariſtiam, ſiue de Sacrificio Miſſæ.

CVM Euchariſtia ſit, & Sacramentum, & Sacrificium: Sacramentum, quia ſumitur: Sacrificium, quia offertur; ſupereſt ad exactam Euchariſtiæ conſiderationem, vt de ipſa in quantum eſt Sacrificium determinemus cum D. Thom. qu. 82. & 83.

DVBIVM I.

Vtrùm in Lege gratiæ ſit aliquod Sacrificium propriè dictum.

SVpponendum eſt Sacrificium ſignificare, tam rem externam Deo oblatam, quàm actionem externam, qua prædicta res externa & ſenſibilis Deo offertur, cum aliqua ſui immutatione; & hoc ſecundum magis propriè: res enim oblata potiùs dicitur victima; per quandam tamen analogiam, quælibet actio noſtra etiam interna Deo oblata dicitur Sacrificium, iuxta illud Pſalmi 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et Eccleſiaſtici 5. Qui facit miſericordiam, offert Sacrificium. In præſenti autem, nomine Sacrificii intelligimus actionem externam, qua res ſenſibilis Deo offertur, cum aliqua ſui immutatione. Sacrificium ſic intellectum, prætermiſſis hæreticorum definitionibus, Catholicè definitur, quòd ſit externa oblatio legitima authoritate inſtituta rei ſenſibilis permanentis, à legitimo Miniſtro facta immediatè ſoli Deo, per realem immutationem, ad teſtandum ſupremum eius Dominium ſuper omnia, & omnipotentiam qua eſt Author vitæ & mortis, & cuius nutu res omnes ſunt, ac poſſunt deſtrui. Hæc definitio colligitur ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 85. dicitur, Oblatio, quæ eſt genus, quia in omni Sacrificio aliquid Deo offertur: dicitur, externa rei ſenſibilis, quia Sacrificium eſt actus Latriæ, qua externè Deus adoratur: dicitur, permanentis, quia Sacrificium eſt quoddam tributum Deo reddendum, tanquam ſupremo Domino, vnde debet eſſe quid permanens. Ad ſacrificandum autem ſemper fuerunt inſtituti, authoritate legitima, idonei Miniſtri: & quia ſoli Deo ratione omnipotentiæ, & ſupremi Dominij ſupra omnia conuenit, vt offeratur ei Sacrificium; ideò reliqua verba ſubduntur. Ad teſtandam autem illam omnipotentiam, & ſupremum Dominium, quo Deus eſt Dominus vitæ & mortis; ideò res oblata debet realiter immutari, per quam realem immutationem differt Sacrificium propriè dictum à ſimplici oblatione.

Prima opinio, ſed erronea hæreticorum noſtri temporis, negat in Lege gratiæ eſſe aliquod Sacrificium propriè dictum; admittunt enim tantùm Sacrificia metaphorica. Probatur authoritate Apoſtoli ad Hebræ. 10. vbi ponens differentiam inter Sacrificia antiqua, & Sacrificium Chriſti in Cruce exhibitum, probat quòd illa non poterant perfectos facere accedentes: propterea continuò offerebantur: Sacrificium autem Chriſti ob infinitum valorem & ſummam efficaciam, ſemel tantùm oblatum ſanctificat nos; Chriſtus enim vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos: ergo in Lege gratiæ non eſt aliquod Sacrificium propriè dictum: ſequeretur enim illo poſito, quòd Sacrificium Chriſti non fuerit ſufficiens; quod eſt contra Apoſtolum.

Secundò, vt offeratur Sacrificium propriè dictum in Lege gratiæ, debent in ea eſſe veri Sacerdotes, qui illud offerant: ſed in Lege gratiæ non ſunt veri Sacerdotes; at vnicus eſt Chriſtus Dominus Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, vt probat Apoſtolus ad Hebræos 7. cùm tamen in veteri Lege plures eſſent; eo quòd morte interueniente prohiberentur permanere: & maximè quia nullus mortalis poteſt eſſe Sacerdos; imò nec Chriſtus ipſe, vt cap. 8. eiuſdem epiſtolæ ait Apoſtolus. Si Chriſtus, ait, adhuc eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos: ergo in Lege gratiæ non eſt aliquod Sacrificium propriè dictum.

Tertiò; Si in Lege gratiæ eſſet aliquod Sacrificium propriè dictum: maximè Euchariſticum; quia ſcilicet in eo offertur corpus & ſanguis Chriſti: ſed hoc non eſt Sacrificium propriè dictum, quia de ratione Sacrificij eſt, quòd in ſui oblatione realiter immutetur: hæc autem realis immutatio non contingit corpori & ſanguini Chriſti, in ipſa conſecratione in qua conſiſtit tota ratio Sacrificij; imò nec in ipſa communione ſubſequente, cùm Chriſtus exiſtens in Euchariſtia ſit glorioſus, ac proinde incapax immutationis realis: ergo in Lege gratiæ non eſt aliquod Sacrificium propriè dictum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum ſecundùm fidem,

dem, quòd in Lege gratiæ est aliquod Sacrificium propriè dictum. Ita tenent omnes Catholici. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, tum ex iis locis, vbi in Ecclesia noui Testamenti, siue in Lege gratiæ promittuntur veri Sacerdotes, vt Isaiæ vltimo, & Hieremiæ 33. Non enim illi Sacerdotes intelliguntur futuri in Lege Iudaica, vt nobiscum debent fateri hæretici: hic autem Prophetæ nomine Sacerdotum, intelligunt Sacrificantes, vt patet ex ipso textu; non autem Prædicatores tantùm: tum ex illo Malachiæ 1. vbi sic loquitur Deus: Ad vos, ô Sacerdotes, non est voluntas mihi in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Quem locum communiter intelligunt Sancti Patres de Sacrificio Ecclesiæ collectæ ex omnibus gentibus: & non de Sacrificio Gentilium illius temporis, aut Iudæorum existentium inter Gentiles: Nam tunc pene omnes Gentiles erant idololatræ, & pauci verum Deum agnoscebant, vt omnes fatentur; & tamen dicitur quòd in omni loco sacrificatur: Iudæi autem non poterant sacrificare extra Hierusalē. Deinde in illo capite fit mentio de aduentu Christi, & de iis quæ per illum fieri debebant; vnde licèt sit verbum de præsenti, debet tamen intelligi de futuro; hoc enim est valde familiare in Scripturis: & maximè apud Prophetas, quòd vsurpent tempus præsens pro futuro, quia reuelata ipsis proponuntur quasi præsentia: & licèt aliqui Patres intelligant & exponant hunc locum de Sacrificio spirituali orationis & adorationis: hoc potiùs dicunt in sensu accommodatitio, quàm litterali. Deinde probatur authoritate plurium Conciliorum: & maximè Tridentini tota sess. 22. vbi per nouem capita, totidémque Canones agitur de Sacrificio Missæ ac consensu Sanctorum Patrum, qui Missam Sacrificium vocant incruentū, memoriale cruenti quod Christus Dominus in Cruce celebrauit, offerens semetipsum. Denique, in omni religione siue vera, siue falsa semper fuit aliquod Sacrificium, vt constat tum historia sacra, & prophana; tum ex S. August. lib. 19. contra Faustum, cap. 11. imò Aristoteles lib. 7. Politicor. cap. 8. inter alia necessaria ad perfectam Rempublicam, enumerat Sacrificia & Sacerdotes: ergo in Lege gratiæ, vbi viget perfectissima Religio, est aliquod Sacrificium propriè dictum: cùm nihil peculiare obstet, vt constabit ex responsione ad obiectiones.

Ad primum ergo, dicendum quòd Sacrificium cruentum Christi Domini; est quidem sufficientissimum, quantùm ad consummationem Redemptionis; & efficacissimum in actu primo: eius tamē efficacia ex institutione Christi applicatur nobis per Sacramenta, & Sacrificium incruentum Missæ quod offertur in memoriam illius primi.

Ad secundum, dicendum quòd in Lege gratiæ sunt veri Sacerdotes, vt definit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. vbi habetur: Si quis dixerit illis verbis; Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse vt ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; Anathema sit. Quia verò Sacerdotes Christiani offerunt hoc Sacrificium, vt Vicarij Christi, imò & in persona & nomine Christi; ideo Apostolus ait solum Christum Dominum esse Sacerdotem noui Testamenti, idest primarium, in cuius virtute & nomine alij offerunt. In alio autem loco S. Apostolus solùm intendit quòd Christus adhuc mortalis, si non obtulisset Sacrificium sui, incruentum in vltima Cœna, & cruentum in Cruce, non esset Sacerdos, nec secundùm ordinem Melchisedech, vt patet; nec secundùm ordinem Aaron, quia non erat de tribu Leui.

Ad tertium patebit ex dicendis infra dubiis sequentibus.

DVBIVM II.

Vtrùm Christus consecrando in vltima Cœna, obtulerit verum Sacrificium.

Svpponendum est Christum Dominum in vltima Cœna, pridie quàm pateretur, instituisse sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; vt referunt Euangelistæ; illúdque sumpsit, vt docet D. Thom. supra quæst. 81. art. 1. quamuis non habeatur de hoc tam expressa mentio in Scripturis: vnde comedit seipsum, Sacramentaliter simul & spiritualiter: quamuis enim non perceperit integrum fructum huius Sacramenti, videlicet augmentum gratiæ, percepit tamen actualem delectationem spiritualis dulcedinis, quæ est etiam effectus huius Sacramenti. Rationem huius sumptionis assignat D. Thomas, quia Christus ea, quæ ab aliis obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit, iuxta illud Actuum 1. Cœpit Iesus facere; & docere: difficultas tamen est, vtrùm tunc consecrando obtulerit verum Sacrificium.

Prima opinio, sed hæretica, negat Christum consecrando in vltima Cœna obtulisse verum Sacrificium. Probatur, in institutione Eucharistiæ nulla fit mentio Sacrificij, vel oblationis Deo factæ; sed tantùm conuiuij, vt patet ex illis verbis, Accipite, manducate, & bibite; ergo Christus Dominus consecrando in vltima Cœna instituit quidem Sacramentum, sed non obtulit verum Sacrificium.

Secundò; Sacrificium incruentum Missæ est

eſt repræſentatiuum cruenti in Cruce, & commemoratiuum Dominicæ Paſſionis: non autem figuratiuum ipſius, ſicut erant Sacrificia antiquæ Legis, ac proinde illud præſupponunt tanquam præteritum; memoria enim eſt præteritorum: ergo Chriſtus conſecrando in vltima Cœna non obtulit verum Sacrificium incruentum; quia nondum exhibuerat cruentum, ſed ſequenti die erat exhibiturus: alioquin Sacrificium Chriſti fuiſſet diuerſæ rationis à noſtro.

Tertiò; Si Chriſtus conſecrando in vltima Cœna, obtuliſſet verum Sacrificium, conſummaſſet ibi noſtram Redemptionem, & ſatisfeciſſet Deo de toto rigore iuſtitiæ pro genere humano; & ita non fuiſſet neceſſarium Sacrificium cruentum Crucis, cùm iſtud incruentum fuiſſet infiniti valoris, ſicut cruentum: ergo cùm Chriſtus non conſummauerit noſtram redemptionem in Cœna conſecrãdo, ſed in Cruce moriendo, non obtulit verum Sacrificium in Cœna, ſed tantùm in Cruce: maximè quia debuiſſet eſſe applicatiuum Sacrificij cruenti, ſicut nunc applicat oblatum à Sacerdotibus, cùm fuiſſet eiuſdem rationis: quod tamen erat impoſſibile, non enim poteſt applicari id quod non eſt.

Conclvsio.

Respondeo dicendum, quòd Chriſtus Dominus conſecrando in vltima Cœna, obtulit verum Sacrificium. Ita tenent omnes Catholici.

Probatur concluſio vnanimi conſenſu Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum cum D. Thom. in præſenti. Deinde authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. vbi ait: Dominus noſter Ieſus Chriſtus Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, &c. Quòd autem hæc oblatio ſit verum Sacrificium declarat in ſequentibus; nam definit quòd oblatio Miſſæ eſt verum & proprium Sacrificium, vt dicetur dubio ſequenti: conſtat autem quòd eadẽ fuit oblatio Chriſti, ac Sacerdotũ noui Teſtamenti. Deniq; actioni conſecratoriç Chriſti Domini in vltima Cœna conuenit adæquatè definitio ſacrificij. Nam fuit oblatio Deo immediatè facta, notant enim Euangeliſtæ, quòd eleuatis oculis in cœlum gratias Deo egit, &c. Fuit à legitimo Miniſtro Chriſto videlicet; qui in Pſalmo 109. & ad Hebræos c. 7. dicitur Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; ex hoc quòd ſicut ſanctus Rex & Sacerdos Melchiſedech obtulit in Sacrificium panem & vinum, vt legitur Geneſis cap. 14. ſic Chriſtus Dominus obtulit Sacrificium ſui corporis & ſanguinis, ſub ſpeciebus panis & vini: vnde etiam fuit rei ſenſibilis ratione videlicet illarum ſpecierum. Fuit rei permanentis, quia ibi præcepit, vt eadem oblatio à Sacerdotibus noui Teſtamenti in poſterum fieret vſque ad conſummationem ſæculi. Fuit per realem immutationem duplicem: vnam perfectiuam, tranſſubſtantiationem videlicet ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem ipſius Chriſti, in qua contingit mutatio in vtroque termino; totalem quidem in ſubſtantia panis & vini per eius deſitionem; aliqualem autem in corpore & ſanguine Chriſti, in quantum de nouo ſunt id in quod talis ſubſtantia conuertitur, per quod acquirunt eſſe Sacramentale: Alteram deſtructiuam, in quantum per comeſtionem & bibitionem ipſæ ſpecies deſtruuntur, & ad deſtructionem ipſarum corpus & ſanguis Chriſti amittunt eſſe Sacramentale. Quòd autem hæc omnia fuerint proteſtatiua diuinæ omnipotentiæ, patet ex ſermone Chriſti in vltima Cœna, relato Ioannis 17. Ergo Chriſtus Dominus conſecrando in vltima Cœna obtulit verum Sacrificium.

Ad primum ergo, dicendum quòd non eſt neceſſe, vt omnia exprimantur in Scripturis: vnde ſufficit quòd in Scripturis ſit fundamentum colligendi, quòd inſtitutio Sacramenti Euchariſtiæ per modum conuiuij, habeat rationem etiam Sacrificij, vt dictum eſt.

Ad ſecundum, dicendum quòd Sacrificium Miſſæ, vt nunc offertur, eſt repræſentatiuum & commemoratiuum Sacrificij cruenti Crucis iam præteriti: Sacrificium autem Chriſti in vltima Cœna fuit repræſentatiuum Sacrificij cruenti mox futuri: Sacrificium autem Miſſæ, & Sacrificiũ Chriſti in vltima Cœna ſunt eiuſdem rationis eſſentialis, quantùm ad rem oblatam, & modum offerendi: quamuis differant quantùm ad tempus repræſentandi Sacrificium cruentum in Cruce exhibitum, vel vt præteritum; vel vt futurum: eo proportionali modo quo fides Patriarcharum de Incarnatione futura, & fides noſtra de Incarnatione iam exhibita & præterita.

Ad tertium, dicendum quòd licèt Chriſtus Dominus potuerit nos redimere minima ſua operatione, minima gutta ſanguinis ſui, ac proinde Sacrificio incruento in vltima Cœna exhibito, ob infinitum valorem: tamen ex Scripturis colligimus noſtram Redemptionem fuiſſe ab ipſo conſummatam Sacrificio cruento Crucis; cuius valoris fuit applicatiuum Sacrificium Chriſti incruentum; ſufficit autem vt aliquid ſit in intentione, ad hoc vt eius valor poſſit applicari; vnde etiã valor Paſſionis Chriſti futuræ applicabatur per Sacrificia Legis antiquæ, quamuis non tam perfectè, ac applicatur per Sacrificium Miſſæ.

DVBIVM III.

Vtrùm Sacerdotes celebrando Missam, verè & propriè sacrificent.

SVpponendum est ex D. Thoma hìc q. 82. solius Sacerdotis esse celebrare Missam & consecrare Sacramentum Eucharistiæ, potestate à Christo deriuata. Ipse etiam solus illud dispensat habita tamen iurisdictionis potestate in suscipientem, vel ordinaria, vel delegata Papæ, Episcopi, & Parochi: in casu tamen necessitatis etiam Diaconus potest illud dispensare ex mandato Præsbiteri, aut Episcopi, si adsit: vel sine tali mandato expresso, si non adsit Præsbiter, aut Episcopus, vt docet D. Thom. in 4. d. 13. q. 1. art. 3. ex Concilio Carthaginensi 4. canone 2. vbi licèt fiat tantùm mentio de sanguine, intelligitur tamen etiam de corpore. Sacerdos autè celebrans tenetur sumere hoc Sacramentum integrè, & postea aliis dispensare, vt probat D. Thom. hìc q.82. art.4. Tenetur verò quilibet Sacerdos nisi legitimè impeditus, aliquando celebrare, ex hoc præcepto diuino, Hoc facite in meã commemorationem; præcepto verò Ecclesiastico determinatur celebratio ad festa saltem solemniora: & quamuis ad licitè celebrandum requiratur status gratiæ ex præcepto diuino, & ieiunium naturale ex præcepto Ecclesiastico, & alia huiusmodi: ad validè tamen consecrandum sufficit potestas ordinis, vnde mali Sacerdotes vel hæretici, Schismatici, Excommunicati; imò Degradati validè celebrare possunt: sicut autem ipsi peccant celebrando, sic peccant iuxta dicta de Sacramentis in genere, qui eorum Missam audiunt, vel ab eis communionem percipiunt: quia est communicare peccato eorum, maximè quia non tolerantur ab Ecclesia: adoranda tamen est Hostia ab illis consecrata, & potest percipi in communionem ab alio Sacerdote licitè illam ministrante. Ita D. Thom. q. citata art. 9.

Prima opinio, sed hæretica, negat Sacerdotes celebrando Missam, verè & propriè sacrificare. Probatur; Repræsentare Sacrificium est tantùm sacrificare in figura, & non verè ac propriè; sed celebrare Missam est repræsentare Sacrificium Christi, tam cruentum in Cruce, quàm incruentum in vltima Cœna, si admittatur fuisse verum Sacrificium, vt communiter docent Sancti Patres, & Scholastici, ex illo Christi Domini, Hoc facite in meam commemorationem: item, Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis: ergo Sacerdotes celebrando Missam non sacrificant verè & propriè.

Secundò, Si Missa esset Sacrificium: vel esset idem cum illo quod Christus in Cruce obtulit; vel distinctum: secundum non admittitur à Catholicis: primum autem dici non potest; tum quia ex Apostolo ad Hebræos 9. in nouo Testamento prohibetur iteratio earumdem victimarum; tum quia idem non potest esse repræsentatio, & res repræsentata; constat autem quòd Missa est repræsentatio Sacrificij oblati à Christo: tum quia Missa consistit in manducatione & potatione, Sacrificium autem Christi in reali occisione, quæ duo sunt valde distincta: ergo Sacerdotes celebrando Missam non sacrificant verè & propriè: maximè quia Missa, cùm sit signum rei sacræ videlicet passionis Christi, potiùs est Sacramentum, quàm Sacrificium.

Tertiò; In vero & propriè dicto Sacrificio debet esse aliqua victima, quæ offeratur & consumatur: sed in Missa non reperitur talis victima; non enim est panis & vinum, vt admittunt omnes Catholici; nec potest esse corpus & sanguis Christi, cùm enim sint in statu glorioso, non alterantur, multò minus consumuntur; nec aliquid aliud est assignabile: ergo Missa non est Sacrificium propriè dictum; & consequenter Sacerdotes celebrando Missam, verè & propriè non sacrificant.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum secundùm fidem, quòd Missa est Sacrificium Honorarium, Propitiatorium, Eucharisticum, & Impetratorium: 2. Et consequenter Sacerdotes celebrando Missam, verè & propriè sacrificant. Ita communiter omnes Catholici.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Concilij Tridentini tota sess. 22. vbi sæpe dicitur; quòd Missa est verum & proprium Sacrificium; vnde Canone 1. sic ait: Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit. Quòd autem sit Sacrificium Honorarium seu Latreuticum, Propitiatorium, Eucharisticum seu pro gratiarum actione, & Impetratorium definitur canone 3. vbi dicitur; Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in Cruce peracti; non autè Propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit. Quod etiã docuerat cap. 1. Idem docent communiter Sancti Patres, & Scholastici. Ratio huius est, quia hoc Sacrosanctum Sacrificium successit Sacrificiis variis antiquæ Legis, à quibus figurabatur; vnde debet omnium perfectiones eminenti quodam modo continere: sed in antiqua Lege, vt docet D.Thom. 1.2. q. 102. Sacrificia fuerunt in quadruplici differentia scilicet Holocaustum quod est Sacrificium Honorarium, in quo tota victi-

ma conſumebatur in cultum & laudem Dei. Aliud Propitiatorium in placationem Dei offenſi, & remiſſionem peccatorum. Aliud Euchariſticum in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Aliud denique Impetratorium ad obtinenda à Deo noua beneficia: ergo Sacrificium Miſſæ eſt ſimul Honorarium, Propitiatorium, Euchariſticum, & Impetratorium: maximè quia Eccleſia inſtituit Miſſas ad hunc quadruplicem finem, ad laudem Dei, ad remiſſionem peccatorum, ad gratiarum actionem, & ad obtinenda beneficia, quia eſt repræſentatio Sacrificij cruenti in Cruce peracti, ad hæc quatuor à Chriſto ordinati.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Sacræ Scripturæ. Malachiæ 1. vbi ſic loquitur Deus: Ad vos, ô Sacerdotes, non eſt voluntas mihi in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt Nomen meum in gentibus, & in omni loco Sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt Nomen meum in gentibus. Qui locus intelligitur de Sacrificio Miſſæ, quod quotidie, & vbique terrarum offertur à Chriſtianis Sacerdotibus, qui deſcendunt ex gentibus, vt dictum eſt dubio 1. Deinde probatur authoritate Conciliorum, & maximè Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. & Canone 1. iam citato. Item Canone 2. vbi ſic ait: Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe vt ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum; anathema ſit. Quod etiam communiter dicunt Sancti Patres, & Scholaſtici cum D. Thom. hic q. 82. & 83. Denique, Chriſtus Dominus præcepit Apoſtolis, & Sacerdotibus eorum ſucceſſoribus in hac parte, vt efficerent quod ipſe in vltima Cœna fecit; his verbis: Hoc facite in meam commemorationem: ſed Chriſtus tunc verè & propriè ſacrificauit, vt dictum eſt dubio præcedenti: ergo etiam Sacerdotes celebrando Miſſam verè & propriè ſacrificant.

Ad primum ergo, dicendum quòd vnum ſacrificium propriè dictum poteſt eſſe repræſentatio alterius: agni enim Paſchalis immolatio fuit nouum Sacrificium, & tamen fuit figura Sacrificij Chriſti in Cruce peracti: Similiter Sacrificium Miſſæ eſt repræſentatio vtriuſque Sacrificij Chriſti Domini, videlicet cruenti & incruenti; & tamen eſt verum Sacrificium, idem quantùm ad rem oblatam, diſtinctum quantùm ad modum offerendi.

Ad ſecundum, ſimiliter dicendum quòd Sacrificium Miſſæ eſt idem cum Sacrificio Chriſti, quantùm ad rem oblatam, diſtinctum quantùm ad modum offerendi, & hæc diſtinctio ſufficit, vt ſit & poſſit dici repræſentatio illius. Apoſtolus autem excludit iterationem earumdem victimarum in nouo Teſtamento, quaſi neceſſariam ad ſoluendum ſufficiens pretium Redemptionis; ad hoc enim ſufficit Sacrificium Chriſti cruentum: incruentum autem Miſſæ eſt tantùm applicatiuum valoris & pretij illius cruenti. Ad aliud, dicendum quòd tantùm importat diſtinctionem quantùm ad modum offerendi, quam admittimus.

Ad tertium, dicendum quòd victima Sacrificij Miſſæ directè oblata, eſt corpus & ſanguis Chriſti: ex conſequenti verò totus Chriſtus vt conſtat ex forma conſecrationis, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. Canone 2. & Sanctis Patribus: non quidem vt nudè ſumuntur, ſed vt ſubſtant ſpeciebus panis & vini: non quòd ipſæ ſpecies ſint partes victimæ; ſed ſunt conditio eſſentialiter requiſita, ad hoc vt corpus & ſanguis Chriſti Domini ſint victima talis Sacrificij: vnde ſpecies ſunt eſſentialiter ipſum Sacramentum Euchariſtiæ, non autem Sacrificium. Et quando Sancti Patres illas vocant Sacrificium, aſſumunt Sacrificium pro Sacramento: vnde ſubſtantia panis & vini pertinet neceſſariò ad rem oblatam in hoc Sacrificio, tanquam materia & terminus à quo, quem victima huius Sacrificij neceſſariò reſpicit & præſupponit: quomodò autem immutetur, alteretur, & deſtruatur hæc victima, dicetur dubio ſequenti.

DVBIVM IV.

Vtrùm Sacrificium Miſſæ adæquatè conſiſtat in conſecratione.

SVpponendum eſt in Miſſa plures eſſe actiones; Quaſdam præuias, & præparatorias ad conſecrationem & conſumptionem Euchariſtiæ, vt orationes Eccleſiæ, lectio Epiſtolæ & Euangelij, oblatio panis & vini &c. Quaſdam concomitantes, vt eſt benedictio Sacramenti, fractio Hoſtiæ, & ſimiles. Quaſdam tandem ſubſequentes ipſam communionem. Vt autem certa ab incertis ſeparemus, eſt communis doctrina Scholaſticorum, quòd Sacrificium Miſſæ eſſentialiter & ſubſtantialiter non conſiſtit in prædictis actionibus; ſed tantùm vel in conſecratione, non vt eſt deſtructiua præcisè panis & vini; at vt attingit corpus & ſanguinem Chriſti: tum quia panis & vinum non ſunt victima huius Sacrificij, vt dictum eſt: tum quia ſi ad poſitionem corporis & ſanguinis Chriſti, conſeruaretur ſub eiſdem ſpeciebus ſubſtantia panis & vini, adhuc fieret Sacrificium. Vel in conſumptione Euchariſtiæ. Vel in vtraque ſimul.

Prima opinio Yſamberti in præſenti, & aliorum, aſſerit conſecrationem corporis & ſanguinis Chriſti eſſe quidem de eſſentia incruenti Miſſæ

Missæ sacrificij, quatenus est positio & adductio victimæ ad altare, eiúsque oblatio: attamen defectu sufficientis realis immutationis in sacrificio propriè dicto requisitæ, non esse totam & adæquatam eius essentiam; sed compleri per communionem Sacerdotis. Probatur authoritate Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ, & Conciliorum. In consecratione corporis & sanguinis Christi connotatur ipsa communio; nam habetur, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, frangitur iuxta græcam editionem: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum. Praxis Ecclesiæ est, quòd si Sacerdos moriatur post consecrationem ante communionem, alius subintret ad consumendam victimam: Ex quo colligitur talem consumptionem esse de essentia Sacrificij; alioquin posset conseruari in Sacrario. Concilium Toletanum 12. ait: Quale est Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur: ergo cùm per communionem fiat particeps, communio est de essentia Sacrificij.

Secundò; Probatur authoritate Sanctorum Patrum: maximè S. Augustini, & D. Thomæ. S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 18. loquens de Sacrificio Missæ; ait: Christiani peracti eiusdem Sacrificij memoriam celebrāt, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi Domini. D. Thom. autem 2. 2. quæst. 85. artic. 3. ad 3. distinguens Sacrificium à simplici oblatione, docet de ratione Sacrificij esse, quòd immutetur res oblata; non autem de ratione simplicis oblationis: ait enim, Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur: quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur: & hoc ipsum nomen sonat; nam Sacrificium dicitur ex hoc quòd homo facit aliquid sacrum: ergo cùm per consecrationem non immutetur res oblata, sacrificium Missæ non consistit adæquatè in ipsa.

Tertiò; De ratione Sacrificij est, quòd res oblata destruatur, aut saltem realiter immutetur: sed per consecrationem solam res oblata in sacrificio Missæ, siue victima eius quæ est Christus Dominus, non destruitur; nec immutatur, sed tantùm sistitur ad altare: per communionem verò, verè immutatur; nam comeditur: ergo sacrificium Missæ non consistit adæquatè in consecratione, sed vltra requirit communionem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacrificium Missæ adæquatè consistit in consecratione: 2. Vnde communio celebrantis non pertinet ad essentiam Sacrificij, 3. Et multò minus communio adstantium. Ita plures Discipuli D. Thomæ, & alij extra eius scholam.

Probatur prima pars conclusionis multiplici authoritate D. Thom. supra quæst. 80. art. 12. ad 3. ait quòd præsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius Sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari: constat autem quòd in illo consistit adæquatè sacrificium Missæ incruentum, quod est repræsentatio adæquata Sacrificij cruenti Dominicæ passionis, cùm Missę sacrificium sit commemoratiuum & repræsentatiuum Dominicæ passiunis. Item quæst. 82. art. 4. ad 1. ait, quòd consecratio Chrismatis, vel cuiuscumque alterius materiæ non est Sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ. Item hîc quæst. 83. art. 2. ad 2. dicit, quòd in die Parasceues, quia fit expressa mentio Sacrificij cruenti, non offertur incruentum Missæ, quia non celebratur consecratio huius Sacramenti: & tamen ne Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum in die præcedenti reseruatur sumendum in illo die; non autem sanguis propter periculum, & quia sanguis specialiùs est imago Dominicæ passionis. Ex quo manifestè sequitur, quòd sola consecratio est de essentia Sacrificij Missæ; communio autem est quid consequens ad percipiendum fructum huius Sacrificij. Et art. 4. exponens singula, quæ in sacrificio Missæ peraguntur, rationem Sacrificij adæquatè constituit in ipsa consecratione: ait enim; Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua primò petit cônsecrationis effectum. Secundò, consecrationem peragit per verba Saluatoris: Tertiò, excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi. Quartò, petit hoc Sacrificium peractum esse Deo acceptum. Quintò, petit huius Sacrificij & Sacramenti effectum media videlicet communione. Item artic. 6. ad 2. ait: Et ideò si Sacerdos post consecrationem inceptam recordetur se aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacrificium, & sumere Sacramentum: ecce distinguit D. Thom. perfectionem Sacrificij, videlicet per completam consecrationem, & sumptionem Sacramenti per communionem.

Secundò; Sacrificium Missæ adæquatè consistit in consecratione, si ipsa sola est perfecta repræsentatio passionis Christi quæ fuit verum Sacrificium cruentum, & insuper habeat omnes conditiones requisitas ad verum Sacrificium; quia Sacrificium Missæ incruentum est commemoratiuum & repræsentatiuum Sacrificij cruenti in Cruce exhibiti, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma: sed ex vno capite sola consecratio est repræsentatio perfecta Dominicæ passionis, vt constat tum ex prima authoritate adducta D. Thomę: tum quia sola consecratio fit à Sacerdote in persona Christi, & verbis ipsius, Sacerdos enim sacrificat in persona Christi: maximè quia in communione

ne non differt Sacerdos à Laicis. Ex alio verò capite in consecratione præcisè sumpta concurrunt omnes conditiones veri Sacrificij: per ipsam enim ponitur & offertur Deo Christus sub signis sensibilibus, qui est victima huius Sacrificij Deo gratissima, vt pote infiniti valoris: offertur autem in obsequium Dei ad protestandam eius omnipotentiam, ac supremum Dominium: & tandem realiter immutatur, non solùm immutatione perfectiua & positiua, per hoc quòd est terminus ad quem conuersionis Eucharisticæ; sed etiam immutatione quodammodo destructiua, per hoc quòd ex vi consecrationis ponatur sub speciebus Eucharisticis modo præternaturali; scilicet inextenso & indiuisibili, in ordine ad extrinseca; per communionem autem nullo modo immutatur; quamuis enim manducetur; tota tamen immutatio est circa species Sacramentales: ergo Sacrificium Missæ adæquatè consistit in consecratione vtriusque speciei. Et ex his probata manet secunda, & tertia pars conclusionis.

Ad primum ergo, dicendum quòd in forma consecrationis recepta in Ecclesia habetur, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur: hæc autem traditio & effusio importata, est illa quæ facta fuit tempore Passionis. Ad aliud, dicendum quòd ideò Ecclesia hoc præcepit; non quia communio sit de essentia Sacrificij Missæ, sed quia vult vt percipiatur fructus huius Sacrificij, qui principaliter percipitur in communione: maximè quia esset aliquod periculum de sanguine, si reseruaretur in Sacrario. Concilium autem Toletanum tantùm vult, quòd Sacerdos in Missa Sacrificans debet esse particeps ipsius Sacrificij per communionem; sed non dicit quòd illa participatio & communio sit de essentia Sacrificij, quod probandum erat.

Ad secundum, dicendum quòd licèt oblatione siue consecratione, & participatione corporis & sanguinis Christi siue communione, celebretur memoria Sacrificij in Cruce exhibiti; non tamen sequitur quòd communio sit de essentia Sacrificij Missæ commemoratiui illius, sicut est consecratio: sed sufficit quòd communione applicetur, & percipiatur fructus talis Sacrificij; & ita est intelligendus Sanctus Augustinus. D. Thom. autem potius fauet, quàm contrarietur, cùm dicat sufficere ad rationem Sacrificij, quòd aliquid sacrum fiat circa rem Deo oblatam: quando verò dicit; quòd panis frangitur, comeditur, & benedicitur: pro pane non intelligit hostiam consecratam, sed simplicem panem qui olim offerebatur in Sacrificium, & nunc posset offerri ex institutione Dei.

Ad tertium, dicendum quòd Christus per consecrationem realiter immutatur, vt dictum est; non autem per communionem. Præsupponitur autem Christus in se ante consecrationem: sicut victima ante Sacrificium.

DVBIVM V.

Vtrùm Sacrificium Missæ remittat culpam, & pœnam ex opere operato.

Svpponendum est quòd Sacerdos celebrans, potest considerari tripliciter offerendo Sacrificium Missæ; vel vt persona particularis offerens: vel vt offerens in persona Ecclesiæ: vel vt offerens in persona Christi. Si sumatur primo, & secundo modo, certum est Sacrificium Missæ, vt in recto importat actum sacrificantis, & in obliquo Christum oblatum, causare tantùm suos effectus ex opere operantis, vt communiter docent Scholastici, in quantum scilicet Deus propter sanctitatem particularem Sacerdotis offerentis, vel propter sanctitatem Ecclesiæ, cuius Sacerdos offerens est minister, suscipit tale Sacrificium in ordine ad eos fines ad quos dirigitur. Vnde difficultas tantùm remanet de tertio modo; vtrùm scilicet ex institutione Christi Sacrificium Missæ oblatum à Sacerdote in persona eiusdem Christi, remittat peccata tam mortalia, quàm venialia, & pœnas temporales illis debitas, ex opere operato, idest independenter à dignitate & deuotione Sacerdotis offerentis; sed ex præcisis Christi meritis huic Sacrificio annexis, dummodò non sit obex ex parte eius pro quo offertur.

Prima opinio potest esse, quòd Sacrificium Missæ non remittat culpam, & pœnam ex opere operato. Probatur; Illud quod habet suum effectum ex opere operato, statim ac applicatur, illum producit: sed Sacrificium Missæ applicatum non statim remittit peccatum mortale ei cui applicatur: cùm experientiâ constet multos quibus applicatur Sacrificium Missæ, perseuerare in peccato: ergo Sacrificium Missæ non remittit culpam ex opere operato.

Secundò; Si Sacrificium Missæ remitteret temporales, & satisfactiones debitas pro peccatis remissis, sequeretur quòd pœnitens non teneretur ad implendam pœnitentiam sibi in confessione iniunctam, dummodò sibi Sacrificium Missæ applicaret: sed hoc est falsum, cùm Satisfactio sit de integritate Sacramenti Pœnitentiæ: ergo Sacrificium Missæ non remittit pœnam peccatis debitam ex opere operato.

Tertiò; Si Sacrificium Missæ remitteret ex opere operato culpam & pœnam, sequeretur quòd sufficeret vnica Missa pro remittendis omnium peccatis, & ad satisfaciendum pro illis; cùm enim valor huius Sacrificij sit infinitus, potest applicari pro infinitis peccatis remittendis, & satisfactionibus adimplendis; valor enim infinitus non potest exhauriri: sed hoc est falsum,

sum; nam si esset verum, sequeretur quòd non essent iterandæ Missæ pro eadem necessitate, & quòd vnâ Missâ liberarentur omnes animæ ex Purgatorio, quorum contrarium tenet Ecclesia: ergo Sacrificium Missæ non remittit culpam, & pœnam ex opere operato.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacrificium Missæ remittit culpas tam mortales, quàm veniales his quibus applicatur, & pœnas eis debitas, non solùm ex opere operantis: 2. Sed etiam ex opere operato: 3. Culpas quidem mediatè; 4. Pœnas verò immediatè.

Probatur prima pars conclusionis, tum communi consensu Scholasticorum, fundato in traditione Ecclesiæ & authoritate Sanctorum Patrum, vt constat pluribus orationibus quibus vtitur Ecclesia: Tum deinde authoritate Concilij Tridentini sess. 22. canone 3. vbi habetur: Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in Cruce peracti; non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit. Et cap. 1. de culpis venialibus ait: Vt illius (videlicet Sacrificij cruenti in Cruce peracti) salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. De mortalibus verò cap. 2. ait: Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum Pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. De pœnis tandem subdit: Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur: Tum denique ratione, quam eodem cap. 2. adducit Concilium his verbis: Vna eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa: cuius quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc vberrimè percipiuntur; tantùm abest vt illi per hanc quouis modo derogetur: sed Sacrificium cruentum à Christo in Cruce suiipsius oblatum, est sufficiens remittere omnes culpas, tam mortales, quàm veniales infinitas si essent, & pœnas eis debitas, vt docet Apostolus, & de facto efficaciter quorundam, imò multorum peccata remisit, vt constat ex testimonio Christi, Matthæi 26. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: ergo Sacrificium Missæ remittit culpas tam mortales, quàm veniales his quibus applicatur, & pœnas eis debitas.

Probatur secunda pars conclusionis, in qua intendimus quòd Sacrificium Missæ habet prædictum effectum; non tantùm ex opere operantis, siue opus istud sit deuotio celebrantis, siue deuotio eius pro quo celebratur, (hoc enim omnes concedunt, cùm enim per alia bona opera possimus promereri, tam nobis, quàm aliis remissionem peccatorum, & pœnarum temporalium; multò magis per oblationem huius Sacrificij) sed etiam ex opere operato: Probatur, inquam, authoritate Concilij Tridentini sess. 22. cap. 1. vbi ait: Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest. Quod etiam probat D. Thom. hîc q. 82. art. 6. vbi docet quòd Missa mali Sacerdotis, si attendatur Sacramentum siue Sacrificium, tantùm valet, quantùm boni Sacerdotis: sicut & oratio quam facit in persona Ecclesiæ cuius est minister, tam in Missa, quàm in aliis Ecclesiasticis officiis: secus autem oratio eius, vt est peculiaris persona: Quæ stare non possent, si Sacrificium Missæ non haberet prædictos effectus ex opere operato. Deinde authoritate Sanctorum Patrum. Cyprianus in lib. de cœna Domini quasi in principio, ait: Ex quo à Domino dictum est; Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix solemni benedictione sacratus ad totius hominis vitam salutémque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. vltimo dicit participationem huius Sacrificij esse medicinam, qua purgamur à peccatis, ideóque sicut quotidie peccamus, illi etiam quotidie esse participandum. Idem docet S. Aug. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 25. & alij. Quæ authoritates conuincunt Sacrificium Missæ causare ex opere operato remissionem peccatorum & alios suos effectus, non minus quàm Sacramenta nouæ Legis.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis. Dicimus enim quòd Sacrificium Missæ nobis impetrat sufficientem dispositionem, seu auxilium gratiæ præuenientis ad obtinendam peccatorum remissionem, vt docet D. Thom. in 4. d. 12. q. 2. art. 2. & manifestè indicat Conc. Tridentinum sess. 22. cap. 2. dum ait: Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Ecce Concil. ponit hunc ordinem in remissione peccatorum per Sacrificium Missæ facta, vt priùs concedatur à Deo gratia videlicet actualis, quâ excitemur ad pœnitentiam: deinde mediâ pœnitentiâ obtineamus remissionem peccatorum. Ratio est; quia Sacrificium Missæ diuerso modo debet remittere peccata, ab eo quo Sacramenta remittunt, ad hunc enim finem hæc per se primò sunt instituta, vt Baptismus & Pœni-

tentia: Sacrificium verò Miſſæ ad alios etiam fines ordinatur: ergo cùm prædicta Sacramenta remittant immediatè peccata, Sacrificium Miſſæ illa tantùm mediatè remittit. Deinde, ſi Sacrificium Miſſæ remitteret immediatè peccata, ex attrito faceret contritum, ſicut faciunt prædicta Sacramenta, ſiue ſufficiens eſſet attritio cum Sacrificio ad iuſtificationem; quod tamen nullus dicit: ergo Sacrificium Miſſæ cauſat remiſſionem peccatorum mediatè tantùm, ex opere tamen operato: & ita intelligendus eſt Apoſtolus ad Hebræos 9. dum ait: Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram.

Probatur quarta pars concluſionis authoritate Concilij Tridentini loco citato, ibi enim dicit abſolutè quòd Sacrificium Miſſæ remittit pœnas, cùm tamen priùs dixiſſet quòd remittat peccata mediante pœnitentia, ex quo diuerſo modo loquendi colligitur, ipſum remittere pœnas immediatè. Deinde, vt ibidem ait Concilium, remittit pœnas animabus Purgatorij: & tamen hoc non fit medio aliquo actu meritorio, cùm ſint extra ſtatum merendi: ergo immediatè. Denique, hoc eſt proprium Sacrificio propitiatorio, quòd immediatè remittat pœnas, vt conſtat in Sacrificiis antiquæ Legis: ergo cùm Sacrificium Miſſæ ſit propitiatorium, vt dictum eſt, remittit immediatè pœnas. Cur autem remittat immediatè pœnas, & non peccata: ratio affertur; quia remiſſio pœnæ non pertinet ad internam hominis ſanctitatem ſicut remiſſio culpæ; & ideò hæc in adultis debet fieri medio aliquo actu quo ſe in Deum conuertant liberè, ſicut priùs liberè fuerant auerſi: non verò illa. Notandum tamen quòd Sacrificium Miſſæ, etſi ſemper aliquid pœnæ remittat ex inſtitutione Chriſti, iuxta maiorem vel minorem diſpoſitionem eius pro quo offertur; non tamen remittit totam, niſi ſit perfecta diſpoſitio, eo proportionali modo, quo dictum eſt de Sacramentis; alioquin ſufficeret vna Miſſa ad remittendam pœnam Purgatorij. Ita expreſsè docet D. Thom. ſupra q. 79. art. 5. ait enim de Euchariſtia: In quantum verò eſt Sacrificium, habet vim ſatisfactiuam; ſed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerẽtis, quàm quantitas oblationis: quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna; tamen fit ſatisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.

Ad primum ergo, dicendum quòd non eſt neceſſe vt illud quod producit effectum ex opere operato, ipſum producat ſtatim ac applicatur, vt patet in Sacramentis, quæ ex opere operato cauſant auxilia actualia proportionata gratiæ Sacramentali, & fini eius; & tamen illa auxilia non dantur ſtatim, ſed opportuno tempore: ſic contingit in præſenti: Deus enim intuitu Sacrificij Miſſæ pro aliquo oblati, dat illi auxilia gratiæ quando & vbi vult, infallibiliter tamen, quibus diſponitur ad iuſtificationem, & ſæpe de facto iuſtificatur.

Ad ſecundum, dicendum quòd quãdo pœna iniuncta in confeſſione, non ſolùm eſt ſatisfactoria, ſed etiam medicinalis, pœnitens tenetur illam implere in omni opinione; quia tenetur procurare ſuam ſalutem iuxta conſilium Confeſſarij: ſi autem ſit tantùm ſatisfactoria, aliqui dicunt quòd non tenetur illam implere, & quòd ſufficit applicatio Miſſæ. Alij verò dicunt quòd etiam tunc tenetur illam implere, quia ſatisfactio eſt de integritate Sacramenti Pœnitentiæ; quia tamen in pœnitentia non remittitur ordinariè tota pœna, ideò ad eius remiſſionem confert Sacrificium Miſſæ.

Ad tertium, dicendum quòd quia peccata remittuntur mediatè per Sacrificium Miſſæ, & pœna iuxta deuotionem eius pro quo offertur, vt dictum eſt; ſequitur quòd eius valor infinitus modificetur ex inſtitutione Chriſti; vnde non habet niſi effectum finitum, ac proinde iterantur Miſſæ.

DVBIVM VI.

Vtrùm Sacrificium Miſſæ oblatum pro pluribus, æquè proſit cuilibet, ac ſi pro vno tantùm offerretur.

Svpponendum eſt Sacrificiũ Miſſæ eſſe infiniti valoris, in quantum eſt actio Chriſti Domini principaliter ſacrificantis: eſſe verò finiti valoris, in quantum eſt actio Eccleſiæ, vel Sacerdotis priuato nomine offerentis: quamuis eius victima ſiue res oblata, à quocumque offeratur, ſit ſemper infiniti valoris. Prima & tertia pars patet ex dictis in tractatu de Incarnatione, vbi oſtenditur, Chriſti humanitatem, operationes, & ſimilia propter vnionem Hypoſtaticam, eſſe infiniti valoris & dignitatis. Secunda autem pars etiam patet; nam ſicut Eccleſia, vt præſcindit à ſuo capite, & priuati Sacerdotes ſunt finitæ dignitatis, ſic eorum operationes ſunt tantùm finiti valoris: quamuis autem Sacrificium Miſſæ ex parte rei oblatæ, & vt eſt actio Chriſti, ſit infiniti valoris & efficaciæ in actu primo: in actu tamen ſecundo non habet adæquatem infinitam, ſicut nec ipſum Sacramentum Euchariſtiæ: & hoc ex ordinatione Chriſti Domini, qui inſtituit vt hoc Sacramentum & Sacrificium cauſaret iuxta diſpoſitionem ſuſcipientium, & eorum pro quibus offertur: quod colligitur ex vſu Eccleſiæ quæ iterat Sacrificiũ Miſſę pro eadẽ neceſſitate. In pręſenti dubio agimus de fructu Sacrificij Miſſæ ex opere operato,

to, vt videlicet procedit ab ipso quatenus est actio Christi, & ratione rei oblatæ; non autem ex opere operantis, in quantum scilicet consideratur dignitas Ecclesiæ, vel Sacerdotis priuato nomine offerentis.

Prima opinio multorum extra scholam D. Thom. asserit Sacrificium Missæ oblatum pro pluribus, non æquè prodesse cuilibet, ac si pro illo tantùm offerretur. Probatur, ex Concilio Tridentino habetur sess. 25. cap. 4. quòd non sunt restringendæ Missæ ad minorem numerum à quolibet Sacerdote; sed hoc tantùm permittitur fieri ab Episcopis, Abbatibus, & Generalibus Ordinum in duplici casu, quando videlicet numerus Missarum fundatarum excedit numerum Sacerdotum; vel quando non datur iustum stipendium siue honorarium; imò Ecclesia prohibet pro vna Missa sumi duplex stipendium: cuius vtriusque præcepti non daretur vlla ratio, si Sacrificium Missæ oblatum pro pluribus, æquè prodesset cuilibet illorum, ac si pro illo tantùm offerretur; hoc enim præceptum fundatur in iure, ne alicui danti iustum stipendium pro Missa fiat iniuria, si priuetur parte fructus eius: ergo Sacrificium Missæ oblatum pro pluribus, non æquè prodest cuilibet, ac si pro illo tantùm offerretur.

Secundò; Si finitum multis diuidatur, minus prodest singulis, quàm si vni tantùm totum exhiberetur, vt patet: sed Sacrificium Missæ ex Christi ordinatione habet actiuitatem finitam: ergo oblatum pro pluribus, non æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro illo tantùm offerretur.

Tertiò; Ex opposito sequitur, quòd Sacerdos celebrans possit applicare Sacrificium Missæ nominatim pro infinitis personis; imò & pro incertis, quæ v. g. tempore futuro dabunt stipendium pro Missæ Sacrificio: si enim æquè prodest multis ac vni, nulli fit iniuria; imò Superior Sacerdotis celebrantis poterit vni applicare, & Sacerdos ipse alteri; quæ tamen communiter improbantur: ergo Sacrificium Missæ oblatum pro pluribus, non æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro illo tantùm offerretur.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacrificium Missæ non æquè prodest iis multis, pro quibus offertur tantùm in communi & confusè, ac illis pro quibus nominatim & specialiter offertur: 2. Oblatum verò nominatim pro pluribus, æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro illo tantùm offerretur, iuxta cuiuslibet dispositionem.

Probatur prima pars conclusionis communis inter Scholasticos, authoritate Concilij Constantiensis sess. 8. vbi damnatur Ioannes Vviclef, quòd dixerit speciales orationes applicatas vni personæ, per Prælatos vel Religiosos, non plus ei prodesse, quàm generales: par autem est ratio quantùm ad hoc de Sacrificio Missæ, ac de orationibus, vt patet. Deinde si Sacrificium Missæ in communi oblatum æquè prodesset, ac cùm specialiter offertur, frustra Ecclesia instituisset diuersas Missas pro diuersis necessitatibus, & frustra præciperet vt Missæ nominatim offerrentur pro iis qui soluunt stipendium; imò frustra solueretur tale stipendium, cùm Sacerdos saltem virtualiter offerat Sacrificium Missæ pro omnibus qui possunt esse participes illius: quod tamen in vera fide admitti non potest. Denique, Sacrificium Missæ adinstar causarum naturalium producit suum effectum, ac proinde perfectiorem quò perfectiori modo applicatur: sed Sacrificium Missæ nominatim & specialiter oblatum perfectiori modo applicatur, quàm oblatum in communi tantùm; quia applicatur per intentionem celebrantis, quam constat esse perfectiorem quando est in particulari, quàm quando est in communi: ergo Sacrificium Missæ non æquè prodest iis multis, pro quibus offertur tantùm in communi & confusè, ac illis pro quibus nominatim & specialiter offertur.

Probatur secunda pars conclusionis communis inter Thomistas, quam docet Caietanus supra quæst. 79. artic. 5. Petrus Soto lect. 7. de Eucharistia, & plures alij etiam extra Scholam D. Thom. vt Vasques in præsenti. Sacrificium Missæ est infiniti valoris, vt dicetur postea; vnde habet efficaciam infinitam secundùm se, ac proinde nisi ab extrinseco limitetur, habet causare infinitum effectum: ergo oblatum nominatim pro pluribus, æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro illo tantùm offerretur, iuxta cuiuslibet dispositionem: ab hac enim tantùm potest limitari. Deinde, Ecclesia offert Sacrificium pro omnibus assistentibus, dicitur enim in Canone: Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis: ergo signum est quòd Ecclesia tenet, ipsum oblatum nominatim pro pluribus æquè prodesse cuilibet eorum, ac si pro illo tantùm offerretur, iuxta cuiuslibet dispositionem. Denique, ex opposito sequuntur duo inconuenientia: Primum, quòd Sacrificium Missæ magis prodesset alicui, cùm adest solus; quàm cùm adsunt alij: nam hoc Sacrificium nominatim offertur pro circunstantibus, vnde si non æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro illo tantùm offerretur, melius esset audire sacrum quando nullus adest; quàm in consortio aliorum; cuius tamen contrarium videmus in Ecclesia. Secundum est, quòd Sacrificium Missæ minus prodesset animabus existentibus in Purgatorio quando sunt multæ, quàm quando sunt paucæ; cùm tamen non sit fundamentum hoc asserendi, nam Ecclesia illud offert pro omnibus: ergo oblatum nominatim pro

pro pluribus, æquè prodeſt cuilibet eorum, ac ſi pro illo tantùm offerretur, iuxta cuiuſque diſpoſitionem, prodeſt autem in ordine ad ſatisfactionem præcipuè. Nec valet dicere quòd offertur tantùm in communi pro circunſtantibus, & animabus Purgatorij: & ita nou minuit hæc oblatio efficaciam illius in ordine ad eos pro quibus nominatim offertur. Sed eſto, ſit verum Antecedens; Conſequentia tamen eſt falſa: nam ſi Sacrificium habet efficaciam infinitam, æquè prodeſt ſingulis pro quibus nominatim offertur; & quòd offeratur pro aliis ſiue in communi, ſiue in particulari, non minuitur eius efficacia reſpectu illorum pro quibus nominatim offertur. Si autem tantùm haberet efficaciam finitam, quælibet oblatio pro aliis ſiue in communi, ſiue in particulari; illam minueret.

Ad primum ergo, dicendum quòd ex Apoſtolo, Qui altari deſeruit, de altari viuere debet: vnde requiritur; ſed ſufficit quòd Sacerdos habeat ex oblatione Miſſæ iuſtum ſtipendium, quod ordinariè eſt illud quod eſt taxatum ab Ordinariis; propterea Eccleſia determinauit, & quòd Miſſæ non reducantur ad minorem numerum, niſi in caſibus expreſſis; & quòd non accipiantur duo ſtipendia: non autem facta eſt hæc determinatio ex hoc quòd Eccleſia crederet diminui reſpectu vnius efficaciam Sacrificij, quando pro aliis offertur. Imò eſt certum apud Authores, quòd quando Sacerdos non habet aliunde, vnde ſibi ſubueniat ad viuendum iuxta ſuum ſtatum abſq; indecentia, poteſt accipere plura ſtipendia pro vna Miſſa: Aliqui etiam probabiliter & piè hoc extendunt ad ſuſtentationem patris & matris ipſius, quando aliàs cogerentur mendicare: item ad emendos aliquos libros idoneos miniſterio ipſius valde vtili Eccleſiæ.

Ad ſecundum, dicendum quòd non conſtat actiuitatem Sacrificij Miſſæ eſſe finitam ex Chriſti ordinatione; imò potiùs contrarium habetur ex vſu Eccleſiæ, quæ idem Sacrificium pro multis offert.

Ad tertium, dicendum quòd vetum eſt ex dictis, poſſe Sacrificium applicari pro infinitis nominatim, nec nocet illi qui pro eo ſtipendium dedit, ipſique creditur plus prodeſſe propter deuotionem quâ ſtipendium contulit: maximè ſi Sacerdos velit illi applicare ſatisfactionem ſibi correſpondentem ex opere operato, quamuis ad hoc non teneatur. Ad aliud, dicendum quòd prohibetur anticipata oblatio Sacrificij pro incertis perſonis daturis eleemoſynam. Ad aliud dicendum, quòd dummodo Sacerdos inferior habeat intentionem ſaltem virtualem offerendi Sacrificium pro eo, pro quo offert Superior ratione ſtipendij dati; poteſt ipſe etiam pro aliis applicare.

DVBIVM VII.

Vtrùm Sacrificium Miſſæ debeat dici ſimpliciter eſſe infiniti valoris.

Svpponendum eſt Chriſtum Dominum eſſe cauſam principalem huius Sacrificij, ſiue eſſe principaliter offerentem: alios verò Sacerdotes eſſe tantùm cauſas inſtrumentales, vt communiter docent Theologi tanquam dogma fidei. Habetur enim definitum in Conciliis, Lateranenſi ſub Innocentio III. in cap. firmiter, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, vbi ſic dicitur: In Eccleſia idem ipſe Sacerdos offerens eſt Sacrificium Chriſtus Ieſus. Sed clariùs in Tridentino, ſeſſ. 22. cap. 2. vbi ſic habetur: Idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa: propterea vocatur Sacerdos in æternum, ſiue continuò offerens à principio Eccleſiæ vſque ad finem ſæculi. Ratio eſt quia Chriſtus Dominus eſt caput Eccleſiæ, vnde debet concurrere principaliter ad hanc actionem, quæ eſt commemoratio illius Sacrificij cruenti quod obtulit in Cruce, vt cauſa principalis: concurrit autem in quantum homo (quia ſacrificare eſt inferioris in ordine ad ſuperiorem) tum per volitionem liberam, offerendo ſcilicet ſe iterum media actione externa Sacerdotis offerentis in nomine & in perſona ipſius; ad quam tamen actionem vt conſecratiuam, non concurrit Chriſtus vt homo phyſicè vt cauſa principalis, at tantùm inſtrumentaliter: vnde concurſus eius principalis eſt tantùm in genere moris, in quantum illam ordinat ad cultum diuinum: tum quia inſtituit hoc Sacrificium & omnia quę pertinent ad ſubſtantiam illius, & ordinat ad finem, quod eſt proprium cauſæ moralis principalis, ſcilicet ordinare media ad finem à ſe propria deliberatione inſtituta: & per hoc diſtinguitur à cauſa inſtrumentali morali, quæ ſolùm adhibet media ab alio inſtituta: valor tamen huius Sacrificij, qui eſt infinitus, non procedit à Chriſto Domino vt eſt homo præciſè, ſed vt eſt homo Deus. Nec obſtat dicere quòd Chriſtus Dominus eſt tantùm cauſa inſtrumentalis Euchariſtiæ in quantum eſt Sacramentum, quæ ratio in ipſa eſt minus perfecta, quàm ſit ratio Sacrificij. Dicimus enim quòd eſt diſparitas in iſtis; nam hoc Sacrificium non cauſat immediatè phyſicè gratiam, at tantùm moraliter: hoc autem Sacramentum cauſat immediatè phyſicè gratiam, ſicut & alia: vnde cùm ex vna parte cauſa principalis inſtituens concurrat principaliter ad effectum inſtituti à ſe inſtrumenti: & ex alia parte certum ſit quòd Chriſtus, vt homo, non concurrit principaliter phyſicè ad gratiam quæ eſt effectus Sacramentorum; bene

bene tamen principaliter moraliter: inde est quòd est causa principalis instituens & offerens respectu huius Sacrificij; non autem huius Sacramenti: non obstante quòd in ratione Sacrificij Eucharistia sit perfectior, quàm in ratione Sacramenti.

Prima opinio negat posse dici, quòd Sacrificium Missæ sit simpliciter infiniti valoris, quantùm ad effectum qui confertur per modum satisfactionis. Ita tenent Scotus quodlibeto 2. Soto in 4. d. 11. q. 2. art. 5. & alibi. Probatur; De facto fructus Sacrificij Missæ semper est finitus; non enim remittitur tota pœna Sacerdoti offerenti, vel aliis pro quibus offertur: ergo non potest dici simpliciter infiniti valoris quantùm ad effectum.

Secundò; Sacrificium non tantùm attenditur ex parte rei oblatæ, at etiam, & maximè ex parte offerentis, & modi offerendi, iuxta illud respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: sed quamuis res oblata in hoc Sacrificio posset illi dare valorem infinitum, impeditur tamen ab offerente particulari Sacerdote, & à modo eius offerendi, qui sunt dignitatis limitatæ. Et licèt concedatur quòd particularis Sacerdos concurrat tantùm instrumentaliter, adhuc habetur intentum: nam instrumentum modificat actionem principalis agentis, vt patet: ergo Sacrificium Missæ non potest dici simpliciter esse infiniti valoris. Maximè cùm hic infinitus valor non concedatur Eucharistiæ in quantùm est Sacramentum.

Tertiò; Si concedatur quòd Sacrificium Missæ sit simpliciter infiniti valoris, sequitur multa inconuenientia. Primum, quòd Sacrificium cuiuslibet Sacerdotis sit æquè perfectum ac Sacrificium Christi in Cruce; vnum enim infinitum non est maius alio. Secundum, quòd sufficeret offerre vnicum Sacrificium pro eo, qui daret stipendium pro multis; nam cùm vnicum sit valoris infiniti, valor aliorum nihil superaddit, infinito siquidem non potest fieri additio. Tertium, quòd posset idem Sacrificium applicari pro aliis etiam nominatim, qui non dant stipendium pro ipso; nam valor infinitus non potest minui: hoc autem est contra intentionem eorum qui dant stipendium pro Sacrificio Missæ: ergo Sacrificium Missæ non potest dici simpliciter esse infiniti valoris.

Conclusio

Respondeo dicendum, quòd licèt Sacrificium Missæ sit tantùm finiti valoris quantùm ad actualem efficaciam; 2. Est tamen valoris infiniti quantùm ad sufficientiam: 3. Vnde simpliciter & absolutè debet dici quòd sit infiniti valoris. Ita docent communiter Discipuli D. Thom.

Probatur prima pars conclusionis, de qua nulla est difficultas, de facto & in exercitio Sacrificium Missæ semper causat effectum finitum & limitatum, vt probat primum argumentum adductum in contrarium: ergo est tantùm finiti valoris quantùm ad actualem efficaciam.

Probatur secunda pars conclusionis authoritate D. Thom. supra q. 79. art. 5. vbi sic ait: Quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna. Constat autem quòd ibi agit de Sacrificio Missæ oblato à particulari Sacerdote; & non tàtùm ratione rei oblatæ, cùm oblatio potiùs supponat pro actione offerentis quàm pro re oblata: & art. 7. ad 2. sic ait: Sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantùm ad sufficientiam; & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ & gloriæ; sed effectum non habet nisi in illis qui passioni Christi coniunguntur per fidem & charitatem: ita & hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum nisi in illis qui coniunguntur huic Sacramento per fidem & charitatem: sed passio Christi est infiniti valoris quantùm ad sufficientiam: ergo & hoc Sacrificium incruentum, quod est idem cum illo cruento Passionis, & per quod applicatur nobis virtus illius. Deinde, ex Concilio Tridentino Sacrificium Missæ nullam maculam suscipit ab ipso offerente: ergo nec eius valor vllam suscipit ab ipsomet limitationem, quæ est quædam imperfectio & macula. Denique, solus Christus Deus & homo est causa principalis huius Sacrificij, vt dictum est; alij verò Sacerdotes sunt tantùm instrumenta Christi: sed in genere moris, ad quod pertinet Sacrificium, valor actionis nullo modo limitatur ab instrumento; at sequitur dignitatem personæ, per quod differt genus moris à genere physico, in quo instrumentum aliqualiter limitat actionem causæ principalis: ergo Sacrificium Missæ est valoris infiniti quantùm ad sufficientiam, quia Christus est dignitatis infinitæ: cùm sit Deus homo.

Probatur tertia pars conclusionis. Sacrificium Missæ, tam ratione rei oblatæ, quàm ratione Christi principaliter offerentis, est infiniti valoris; ita vt ab intrinseco nullo modo sit limitatum, potest enim secundùm se causare effectum semper in infinitum syncategorematicè perfectiorem: quòd autem non causet, prouenit ab extrinseco, scilicet à dispositione illorum pro quibus offertur, ac proinde ab ipsa solùm limitatur: ergo simpliciter & absolutè debet dici, quòd sit infiniti valoris; cùm ex omni parte talis valor ei competat.

Ad primum ergo dicendum, quòd solùm probat Sacrificium Missæ esse finiti valoris quantùm ad actualem efficaciam, quæ dependet, vt ait D. Thom. supra quæst. 79. art. 5.

tam à Sacerdote offerente, quàm à dispositione eius pro quo offertur: Sacerdos igitur applicat virtutem Sacrificij illi, pro quo offert; vnde quò magis applicat per intentionem, & designationem actualem, ac nominatim, cæteris paribus, magis prodest, & producit effectum excellentiorem; quia agit ad modum causæ naturalis, quæ meliùs applicata perfectiùs agit, cæteris paribus. Ille etiam pro quo offertur, debet esse dispositus, cùm sit subiectum receptiuum effectus ipsius Sacrificij; videmus enim quòd in naturalibus, quò passum est meliùs dispositum, eò agens producit perfectiorem effectum, cæteris paribus. Igitur si hoc Sacrificium nominatim applicetur pro subiecto optimè disposito, perfectissimè operabitur. Si autem adsit melior applicatio cum minori dispositione, vel maior dispositio cum minori applicatione; attenta conditione vtriusque habet suum effectum: vnde cùm dispositio subiecti nunquam sit infinita, sequitur quòd effectus huius Sacrificij sit semper finitus.

Ad secundum, dicendum quòd valor huius Sacrificij attenditur, tam ex parte rei oblatæ, quàm ex parte ipsius offerentis, & oblationis: dignitas autem rei oblatæ, scilicet Christi Dei & hominis: & similiter dignitas ipsius principalis agentis, qui est idemmet Christus, eiúsque oblationis est infinita: nec actio agentis moralis limitatur ab instrumento, sicut limitatur actio agentis physici; quia in ordine physico, cùm tam causa principalis, quàm instrumentalis habeant suum influxum proprium secundùm propriam formam, inde est quòd virtus causæ principalis modificatur per præuiam actionem instrumenti, ipsi propriam: in ordine morali autem solùm attenditur conditio, & dignitas personæ, vt Regis satisfacientis, & non instrumenti moralis: & hoc maximè quando dignitas est infinita, vt contingit in præsenti. Ad aliud, dicendum quòd Eucharistia etiam vt Sacramentum, habet virtutem infinitam syncategorematicè, & intensiuam, & extensiuam: vnde potest producere suum effectum in quibuscumque applicabitur, etiamsi per impossibile essent infiniti: & semper perfectiorem & perfectiorem producet iuxta maiorem & maiorem dispositionem subiecti.

Ad tertium, dicendum quòd cùm sit idem Sacrificium Missæ, ac Sacrificium Christi in Cruce, tam secundùm perfectionem specificam, quàm indiuidualem, cùm Christus vtrobique sit res oblata & causa principalis offerens; & solùm differant accidentaliter quantùm ad modum cruenti & incruenti: non est inconueniens dicere, quòd Sacrificium cuiuslibet Sacerdotis est æquè perfectum ac Sacrificium Christi in Cruce; nam talis Sacerdos est tantùm instrumentum Christi. Ad aliud, dicendum quòd quidem vnicum Sacrificium adæquat valorem omnium ob rationem dictam: sed non producit æqualem effectum, ac plura; quia dependet in hoc ab applicatione offerentis, & dispositione illius pro quo offertur: vnde cùm plura offeruntur Sacrificia, eadem virtus sæpiùs applicatur, & aliquando etiam subiecto meliùs disposito; propterea producit perfectiorem effectum: & ita malè faceret qui applicaret vnicum Sacrificium pro eo, qui stipendium daret pro multis. Ad aliud, dicendum quòd nullum est inconueniens applicare idem Sacrificium nominatim pro multis ob rationem dictam, dummodò nominatim applicetur pro eo qui dedit stipendium. Nec attendendum est ad intentionem simplicium, qui ignorant infinitum esse valorem & virtutem Sacrificij, quod æqualiter prodest illi pro quo nominatim offertur; siue offeratur pro aliis, siue non.

DVBIVM VIII.

Vtrùm Sacrificium Missæ possit, & debeat offerri pro omnibus.

Svpponendum est Sacerdotem offerentem Sacrificium Missæ, non posse excludere quemquam à participatione fructus illius: vnde vt communiter docent Authores, talis exclusio esset illicita, & peccaret mortaliter qui sic excluderet: esset tamen valida, & ita hoc Sacrificium non proficeret illi qui sic excluderetur; quia ad participandum eius fructum, requiritur quòd applicetur ab ipso celebrante. Potest autem applicari dupliciter, scilicet directè, & indirectè: directè applicatur, quando offerens intendit principaliter bonum illius pro quo applicat: indirectè verò applicatur, quando offerens intendit præcipuè bonum Ecclesiæ, vt augmentum illius, ex quo sequitur bonum aliorum, v. g. conuersio Gentilium. Illi autem, pro quibus hoc Sacrificium offerri potest, vel sunt viuentes, vel defuncti: inter viuentes alij sunt fideles iusti, alij fideles peccatores, alij fideles excommunicati, & alij infideles: inter defunctos autem alij sunt beati in cœlo, alij sunt existentes in Purgatorio. De damnatis nulla fit mentio; cùm sint exclusi à bonis Ecclesiæ, & obstinati in malo.

Prima opinio Scoti in 4. d. 11. quæst. 2. ar. 7. Vasquis hîc disp. 227. cap. 3. & aliorum negat Sacrificium Missæ posse offerri licitè aut validè pro Catechumenis viuentibus; & etiam defunctis. Probatur authoritate Concilij Tridentini sess. 22. cap. 1. vbi dicitur Christum Dominum reliquisse visibile Sacrificium Missæ visibili suæ sponsæ, eo fine vt illud pro se, suisque membris offerret: quod etiam asserit

S. Augusti

S. Augustinus lib. 1. de anima & eius origine cap. 9. ait enim: Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi: sed Catechumeni non sunt membra Christi; nullus enim incorporatur Christo, nisi per Baptismum in re susceptum: ergo Sacrificium Missæ non potest offerri licitè, aut validè pro Catechumenis viuentibus aut defunctis.

Secundò; Baptismus in re susceptus est ianua ad Sacramenta nouæ Legis, & ad percipiendum fructum passionis Christi, cuius virtus applicatur per Sacramenta, & Sacrificium Missæ: ergo Sacrificium Missæ non potest offerri valide, aut licitè pro Catechumenis viuentibus, aut defunctis; cùm non susceperint Baptismum in re.

Tertiò; Sacramentum Eucharistiæ non potest conferri, aut prodesse Catechumenis, vt docet Ecclesia: ergo nec Sacrificium Eucharistiæ potest pro illis offerri, aut illis prodesse; quia vis & efficacia Eucharistiæ in quantum est Sacrificium, non se magis extendit, quàm vis & efficacia ipsiusmet, vt est Sacramentum.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacrificium Missæ directè potest offerri pro omnibus fidelibus, etiam peccatoribus non excommunicatis, & illis prodest. 2. Pro excommunicatis autem tantùm indirectè; 3. Sicut & pro infidelibus: 4. Pro defunctis verò existentibus in Purgatorio directè potest offerri in ordine ad satisfaciendum pro ipsis; 5. Sicut & ad honorem Sanctorum qui sunt in cœlo. Ita docent ferè omnes Theologi.

Probatur prima pars conclusionis authoritate Ecclesiæ, quæ in Canone offert Sacrificium Missæ pro omnibus fidelibus, nulla facta distinctione iustorum & peccatorum; ait enim de hostia huius Sacrificij, Quam tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica; &c. tandem concludit, & pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus: vnde omnibus prodest ad impetranda auxilia diuinæ gratiæ, ad obtinendam remissionem peccatorum, & pœnarum temporalium peccatis iam remissis debitarum; omnes siquidem fideles sunt capaces horum effectuum.

Probatur secunda pars conclusionis. Potest directè Sacrificium Missæ offerri pro augmento Ecclesiæ, & tollendo schismate: ergo cùm hæc duo possint fieri per conuersionem excommunicatorum; ideò indirectè pro illis potest offerri idem Missæ Sacrificium: & illis prodest ad impetranda diuina auxilia apta ad eorum conuersionem. Quòd autem non possit offerri directè, habetur ex prohibitione Ecclesiæ, quæ habetur in cap. A nobis, extra, De sententia excommunicationis: per excommunicatos autem intelliguntur, post declarationem Martini V. tantùm nominatim excommunicati, & notorij percussores Clericorum. Et adhuc excipiuntur ex illis, si qui sine peccato essent excommunicati, & qui sunt verè pœnitentes, & non stat per ipsos, quin absoluantur ab excommunicatione: potest autem quis orare nomine priuato pro nominatim excommunicatis, vt in Memento Missæ: sola prohibentur ipsis applicari suffragia publica, quæ nomine Ecclesiæ fiunt. Ex quo sequitur quòd potest offerri Sacrificium Missæ pro conuersione hæreticorum, & schismaticorum, cùm non sint nominatim excommunicati.

Probatur & explicatur tertia pars conclusionis. Pro infidelibus intelliguntur illi, qui per Baptisma non receperunt fidem Christi, vt sunt Gentiles, Mahometani, Iudæi, & Catechumeni; sed, vt dictum est, potest Sacrificium Missæ directè offerri pro augmento Ecclesiæ: ergo cùm ad hoc augmentum concurrat conuersio infidelium, potest saltem indirectè pro illis offerri: vnde illorum fit aliqua mentio in Canone, dum dicitur, pro nostra, omniúmque salute. Prodest autem illis ad impetranda diuina auxilia pro eorum conuersione. Et nisi adesset prohibitio Ecclesiæ, attenta natura ipsius Sacrificij, posset directè pro illis offerri, vt constat ex praxi Ecclesiæ primitiuæ, quæ pro salute Imperatorum tunc infidelium sacrificabat, vt docet Tertullianus libro ad scapulam cap. 2. Cuius ratio est quia Sacrificium Missæ ex propria sua ratione est applicatiuum Sacrificij cruenti Christi Domini in Cruce: ergo cùm istud fuerit pro omnibus oblatum, & sufficiens sit omnibus etiam infidelibus prodesse; etiam Sacrificium Missæ, attentâ eius naturâ, hoc habebit. Maximè cùm meritum nostrum fundatum in meritis Christi possit illis applicari, & prodesse.

Probatur, & explicatur quarta pars conclusionis. Defuncti qui sunt in Purgatorio, vel sunt fideles baptizati, vel Catechumeni decedentes in gratia Dei ante susceptum in re Baptisma, quod in voto susceperunt. Si procedat de fidelibus baptizatis, est de fide; definitur enim in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & can. 3. vbi sic habetur: Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit. Deinde, est praxis continuata Ecclesiæ procedens ex traditione Apostolorum, quòd Sacrificium Missæ offeratur pro animabus Purgatorij; & quòd illis prosit, multis habetur reuelationibus; est etiam communis authoritas Sanctorum Patrum. Deni-

que

que ratio conuincit, quia defuncti fideles ſunt membra Eccleſiæ vniuerſalis, vnde cùm indigeant eius ſuffragiis, vt ſatisfaciant pro pœnis debitis; ipſa ſancta Mater Eccleſia poterit illis directè applicare hoc ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium quod eſt præcipuum eius ſuffragium. Si autem procedat de Catechumenis qui deceſſerunt in gratia Dei, debet intelligi cum prædicta limitatione (ſcilicet attentâ naturâ Sacrificij Miſſæ:) nam habetur prohibitio Eccleſiæ facta in primo Bracharenſi Concilio canone 35. & praxis vniuerſalis Eccleſiæ, quòd Sacrificium Miſſæ non offeratur directè pro Catechumenis defunctis. Quòd autem licitum ſit offerre pro illis indirectè, & in communi, patet ex eadem praxi Eccleſiæ, quæ hoc facit dum orat in Miſſa, & ipſam offert pro omnibus defunctis exiſtentibus in Purgatorio; maximè quia Catechumeni ſic decedentes ſunt inſerti Chriſto per fidem, & votum Baptiſmi: & ita poſſunt eſſe participes paſſionis Chriſti, quæ principaliter medio hoc Miſſæ Sacrificio applicatur.

Probatur quinta pars concluſionis authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 22. cap. 3. vbi ſic habetur: Et quamuis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli qui illos coronauit, & de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Deinde probatur ex praxi Eccleſiæ: in Canone quippe dicitur, vt illis proficiat ad honorem, loquitur autem de Sanctis, vt patet ex antecedentibus. Denique probatur ratione; quia ſunt membra Chriſti perfectiſſimè ei per claram viſionem intuitiuam, & charitatem perfectam coniuncta: ergo cùm ſint capaces gloriæ, ac gaudij accidentalis in Eccleſia triumphante, & honoris externi in militante, poterunt participare hæc per Sacrificium Miſſæ, in quo Chriſtus Dominus eſt agens principale.

Ad primum ergo, dicendum quòd non habentur illa verba loco citato Concilij, ſed habentur ſequentia, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, eiúſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. Vnde nullo modo excluduntur à Concilio Catechumeni à participatione huius Sacrificij; imò cap. 2. ſic ait: Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus: ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apoſtolorum traditionem offertur: Catechumeni autem decedentes in gratia incorporati ſunt Chriſto per fidem, & Baptiſmum in voto, qui ſufficit, quando non poteſt in re ſuſcipi. Ad illud Auguſtini, dicendum quòd ibi loquitur de iis, qui moriuntur in peccato originali, vt patet ex textu, qui proinde nullo modo ſunt membra Chriſti; ſicut ſunt Catechumeni decedentes in gratia, & viuentes iuſtificati per fidem, & Baptiſmum in voto.

Ad ſecundum, dicendum quòd Baptiſmus in re ſuſceptus eſt, abſolutè loquendo, ianua ad Sacramenta nouæ Legis, & ad participandum fructum paſſionis Chriſti per ipſa Sacramenta; non autem per Sacrificium Miſſæ: pro participatione illius, mediis Sacramentis aliis, eſt de iure diuino & inſtitutione Chriſti: pro participatione verò, medio Sacrificio Miſſæ, eſt tantùm de iure Eccleſiaſtico; vnde ad validam participationem fructus paſſionis Chriſti ſufficit Baptiſmus in voto, quando in re haberi non poteſt.

Ad tertium, dicendum quòd Sacramentum Euchariſtiæ eſt inſtitutum à Chriſto Domino, tanquam alimentum animæ fidelis viuentis ſpirituali vita, vnde ſupponit ex eadem inſtitutione Chriſti, quòd anima ſit perfectè regenerata per realem ſuſceptionem Baptiſmi: propterea non conceditur Catechumenis. Nec operatur Euchariſtiæ Sacramentum, niſi actu ſumatur, quia operatur phyſicè. Sacrificium verò Miſſæ non habet ex ſua inſtitutione, quòd ſupponat Baptiſmum, ad hoc vt cauſet ſuum effectum in genere cauſæ moralis: vnde vis & efficacia Sacrificij Miſſæ magis ſe extendit, quàm vis & efficacia Sacramenti Euchariſtiæ.

DVBIVM IX.

Vtrùm Sacrificium Miſſæ proſit ex opere operato offerenti, prout eſt offerens.

Supponendum eſt Sacerdotem habere duplicem reſpectum ad Sacrificium Miſſæ: nam illud offert, & ſic habet rationem principij: & pro ſe offert iuxta illud ad Hebræos 7. talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, qui non habet neceſſitatem, quemadmodum Sacerdotes priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: & ſic habet rationem termini. Sub hac ſecunda ratione nulli eſt dubium, quin Sacrificium Miſſæ plus illi proſit ex opere operato quàm aliis, cæteris paribus, vt dictum eſt; quia principaliùs pro ſe applicat: ad perfectiorem autem applicationem cauſæ ſequitur (cæteris paribus) perfectior effectus. Similiter nulli eſt dubium, quin illi proſit quatenus offerenti ex opere operantis, quia exercet actum perfectiſſimum virtutis Religionis, in cuius exercitio multùm meretur; ſi eſt cum debita diſpoſitione. Sed difficultas eſt, an illi proſit quatenus offerenti? quæ difficultas etiam habet locum in aliis, qui quomodocumque Sacrificium

crificium Missæ offerunt: quamuis enim Sacerdos offerat vt specialis minister Christi ratione characteris, qui est participatio sacerdotij Christi: alij tamen concurrunt ad hanc oblationem, vt illi qui dant stipendium pro Sacrificio; qui subministrant necessaria Sacrificio, qui alunt Sacerdotem, qui assistunt, & similes. Cuius ratio est, quia sicut qui consentiunt Sacrificio idolorum, & ei assistunt censentur moraliter illud offerre; sic qui assistunt Sacrificio Missæ cum religioso affectu, censentur illud offerre Deo, vt docet D. Thom. supra q. 79. art. 7. Propterea dicitur in Canone: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis. Item; Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ. Item; Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta offerimus præclaræ Maiestati tuæ &c.

Prima opinio asserit Sacrificium Missæ prodesse ex opere operato Sacerdoti offerenti provt est offerens, Probatur authoritate D. Thom. supra q. 79. art. 5. vbi sic ait, loquens de Eucharistia: Et ideò effectum Sacramenti habet in eo qui sumit, effectum autem Sacrificij in eo qui offert, vel in his pro quibus offertur: loquitur autem de effectu quem habet ex opere operato: ergo Sacrificium Missæ prodest ex opere operato offerenti, provt est offerens.

Secundò; Sacrificium Missæ habet aliquem effectum ex opere operato in ipso Sacerdote offerente; non enim est credibile quòd ipse solus excludatur à participatione ipsius: ergo illi prodest ex opere operato, vt est offerens; non enim habetur quòd pro se offerat; in Canone siquidem solùm habetur: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.

Tertiò; Eo modo comparatur ad Sacrificium ipse offerens, quomodo recipiens comparatur ad Sacramentum: sed Sacramentum habet suum effectum ex opere operato in recipiente: ergo & Sacrificium in offerente: maximè quia oblatio est actio immanens, ac proinde habet suum effectum in offerente in quo manet.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacrificium Missæ, prodest quidem ex opere operantis ipsi offerenti, provt offerens est; 2. Non autem ex opere operato: 3. Vnde vt sic prosit, debet illud pro se offerre. Hæc conclusio est pene communis.

Probatur secunda pars (in qua sola est difficultas; prima siquidem manet probata; tertia autem sequitur ex ipsa:) authoritate Apostoli ad Hebræos 7. vbi sic habetur: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre: ergo Sacrificium Missæ non prodest ex opere operato offerenti provt offerens est: nam si ipsi prodesset vt offerens est, non requireretur quòd, adhoc vt prodesset, pro seipso offerret: & tamen requiritur ex Apostolo.

Secundò; Sacrificium Missæ non causat suum effectum ex opere operato, nisi in his qui se habent passiuè in ordine ad ipsum; hoc enim proprium est cuicumque causæ, vt non causet effectum nisi in subiecto patiente: sed offerens provt offerens non se habet passiuè in ordine ad Sacrificium Missæ; imò vt sic se habet actiuè ad illud, vt patet: ergo Sacrificium Missæ non causat suum effectum ex opere operato in offerente provt offerens est; ac proinde illi vt tali non prodest.

Tertiò; Non est maior efficacia Sacrificij Missæ ex opere operato, quàm Sacramentorum nouæ Legis in ordine ad eos quibus prodesse possunt; imò minor est; cùm ipsa Sacramenta intrinsecè & principaliùs ordinentur ad sanctificandum hominem, hoc enim habet ex sua institutione, vt per se primò & immediatè sanctificent; quod non habet Sacrificium, cùm tantùm extrinsecè, mediatè, & secundariò efficiat, nam per se primò ordinatur ad cultum Deo exhibendum: sed Sacramenta nouæ Legis non prosunt ex opere operato Ministro vt tali, cui in Sacrificio correspondet offerens, vt sic; at tantùm prosunt subiecto recipienti cui correspondet in Sacrificio ille, pro quo offertur: ergo Sacrificium Missæ non prodest ex opere operato offerenti provt offerens est.

AD primum ergo, dicendum quòd D. Th. per hoc solùm vult, quòd cùm Sacramentum Eucharistiæ solùm prosit sumenti & non Ministro ex opere operato: tamen ipsum Sacrificium Missæ prosit & offerenti, quia pro se offert; & aliis pro quibus offert: non autem intendit quòd ipsi offerenti, vt tali, prosit ex opere operato.

AD secundum, dicendum ex Innocentio III. libro 3. de mysteriis Missæ cap. 6. quòd eo ipso quòd Sacerdos offert Sacrificium Missæ pro populo, offert etiam pro seipso, qui est præcipuus inter eos pro quibus offert: & ita sibi applicat virtutem Sacrificij, vnde ei prodest ex opere operato.

AD tertium, dicendum quòd offerens non comparatur ad Sacrificium, sicut comparatur recipiens ad Sacramentum; imò comparantur opposito modo; nam offerens se habet actiuè ad Sacrificium, & recipiens se habet passiuè ad Sacramentum: vnde comparatio est ex vna parte inter offerentem Sacrificium, & ministrantem Sacramentum: ex alia verò, inter eum pro quo offertur Sacrificium, & recipientem Sacramentum: nam primi se habent actiuè, secundi verò passiuè. Ad aliud, dicendum quòd actio immanens potest agere moraliter ad extra; imò & physicè virtute diuina.

DVBIVM X.

Vtrùm Sacrificium Crucis, Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ ſint vnum & idem

SVpponendum eſt, tanquam certum de fide, Chriſtum Dominum inſtituiſſe Sacrificium Miſſæ, & quòd Chriſtus ipſe eſt res oblata ſiue victima huius Sacrificij. Prima pars habetur determinata in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & in Tridentino ſeſſ. 22. canone 2. vbi ſic definitur: Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes; aut non ordinaſſe, vt ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum; anathema ſit. Ipſe etiam Chriſtus confecit hoc Sacrificium in Cœna vltima ante Paſſionem, vt declarat idem Concilium eadem ſeſſ. cap. 1. vbi ait de Chriſto, Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit &c. Secunda pars etiam habetur ex prædictis authoritatibus Concilij Tridentini: igitur Chriſtus ipſe ſubſtans ſpeciebus Sacramentalibus, & ratione illarum viſibilis offertur, vt quod, in Sacrificio Miſſæ: ipſæ verò ſpecies Sacramentales offeruntur, vt quo.

Prima opinio negat abſolutè concedendum eſſe, quòd Sacrificium Crucis, Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ ſint vnum & idem. Probatur; Sacrificium importat in recto actionem ſacrificantis, & in obliquo tantùm rem ſacrificatam: ſed diuerſa actio eſt, qua Chriſtus Dominus ſe obtulit in Cruce, ab illa qua ſe obtulit in vltima Cœna, & qua nunc in Miſſa offertur; nam ad identitatem actionis requiritur inter alia identitas temporis, quæ hic non reperitur: ergo non eſt idem Sacrificium Crucis, Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ.

Secundò; Non eſt idem Sacrificium Miſſæ oblatum à Petro, & oblatum à Paulo, vt patet ex communi modo loquendi; nam dicuntur duo Sacrificia, & duæ Miſſæ: ergo multò minus Sacrificium Crucis, Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ ſunt vnum & idem.

Tertiò; Multæ ſunt differentiæ inter hæc Sacrificia; nam Sacrificium Crucis fuit cruentum, Sacrificium autem Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ ſunt incruenta. Deinde; Sacrificium Crucis, & Sacrificium Cœnæ fuerunt immediatè oblata à Chriſto; non autem immediatè ab ipſo offertur Sacrificium Miſſæ. Denique; Sacrificium Crucis fuit applicatum per modum cauſæ vniuerſalis ad redemptionem generis humani; quod non conuenit Sacrificio Cœnæ, & Sacrificio Miſſæ: ergo Sacrificium Crucis, Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ non ſunt vnum & idem.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd Sacrificium Crucis, Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ diſtinguntur quidem numero materialiter; 2. Non tamen formaliter: Vnde ſimpliciter loquendo ſunt vnum & idem numero Sacrificium. 3. Sacrificium Miſſæ eſt perfecta repræſentatio Sacrificij Cœnæ: 4. Vtrumque autem eſt perfecta etiam repræſentatio Sacrificij Crucis quoad ſubſtantiam, imperfecta quoad modum. Ita tenent communiter Diſcipuli D. Thomæ.

Probatur prima pars concluſionis rationibus in contrarium adductis, quæ hanc efficaciter probant.

Probatur ſecunda pars concluſionis authoritate Scripturæ, & Conciliorum. S. Paulus in epiſtola ad Hebræos à cap. 7. vſque ad 10. probat quòd, cùm eſſent plura Sacrificia in Lege antiqua, tamen in Lege gratiæ eſt tantùm vnum numero, quod non eſſet ſi Sacrificium Crucis, Sacrificium Cœnæ, & Sacrificium Miſſæ non eſſent formaliter vnum & idem numero Sacrificium: vnde cap. 9. dicit: Nec vt ſæpe offert ſemetipſum. Item; Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt. Et cap. 10. ait: Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos: quæ omnia non poſſunt verificari, ſi admittatur iſta tria Sacrificia eſſe formaliter diſtincta: cùm enim probatum ſit, Chriſtum ſolum eſſe principaliter offerentem ſeipſum in Sacrificio Miſſæ, non eſſet verum quòd Chriſtus ſemel oblatus eſt, & quòd vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos, & ſimilia. Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2. ſic ait: Vna autem eadémque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa. Idem docent communiter Sancti Patres. Ex quibus ſequens deducitur ratio; Quando eſt vna & eadem numero res oblata, vnus & idem numero principalis offerens, eſt vnum & idem numero formaliter Sacrificium; quamuis ex interruptione actionis, & aliis accidentalibus poſſit multiplicari materialiter: ab offerente enim principali, & re oblata præcipuè ſpecificatur & indiuiduatur Sacrificium: ſed in Sacrificio Crucis, in Sacrificio Cœnæ, & in Sacrificio Miſſæ eſt eadem & vna numero res oblata ſcilicet Chriſtus Dominus, eſt vnus & idem numero principalis offerẽs ipſemet Chriſtus: ergo ſunt vnum & idem numero formaliter Sacrificium, licèt multiplicetur materialiter numero ex aliis accidentalibus. Maximè quia non interrumpitur actio Chriſti offerentis; ſemper enim ſe ipſum offert ſub ſpeciebus Sacramentalibus, & continuò concurrit ad Sacrificium Miſſæ, quamuis actio Sacerdotum inſtrumentaliter concurrentium interrumpatur

& multiplicetur. Nec est singulare in hoc Sacrificio admittere variationem materialem, cum identitate formali numerica; cùm in toto rigore philosophico, sit idem numero formaliter toto tempore vitæ animal imperfectum, licèt successiuè paulatim mutet materiam, & formam in nutritione.

Probatur tertia pars conclusionis. Posita distinctione materiali numerica, Sacrificium Missæ eodem modo fit, ac fuit factum Sacrificium Cœnæ, idest per eademmet verba consecrationis, sub iisdem speciebus Sacramentalibus panis & vini: ergo Sacrificium Missæ est perfecta repræsentatio Sacrificij Cœnæ.

Probatur quarta pars conclusionis. Substantia Sacrificij desumitur à re oblata, & principali offerente; modus autem desumitur ab aliis accidentalibus: sed in Sacrificio Cœnæ, & in Sacrificio Missæ est eadem res oblata Christus Dominus, est idem principalis offerens ipsemet Christus, quæ sunt in Sacrificio Crucis; interueniunt autem plura accidentalia, vt constat ex tertio argumento in contrarium adducto: ergo tam Sacrificium Cœnæ, quàm Sacrificium Missæ est perfecta repræsentatio Sacrificij Crucis quoad substantiam, imperfecta quoad modum.

Ad primum ergo, dicendum quòd cùm omnis actio subiectetur in agente; etiam illa, quæ ratione termini ad extra producti, dicitur transiens, optimè potest dici quòd Christus Dominus per eandem actionem continuatam se obtulit primò in Sacrificium Deo Patri in vltima Cœna, secundò in Cruce, tertiò continuatè in Missa vsque in finem sæculi. Alij qui ponunt actionem transeuntem in passo, licèt multiplicent actiones, dicunt tamen quòd hæc multiplicatio causat tantùm distinctionem materialem inter hæc Sacrificia.

Ad secundum, dicendum quòd Sacrificia Missæ à diuersis Ministris sunt plura materialiter; non autem formaliter, vt dictum est: sed sunt idem numero Sacrificium formaliter, sicut plures superficies vt sunt successiuè sub eadem distantia à polis mundi sunt idem formaliter numero locus.

Ad tertium, dicendum quòd illæ differentiæ assignatæ importent tantùm distinctionem materialem inter hæc Sacrificia, vt dictum est.

DVBIVM XI.

Vtrùm Sacrificium Eucharistiæ sit nobilius ipso Eucharistiæ Sacramento.

Supponendum est Eucharistiam habere rationem & Sacrificij, & Sacramenti, vt sæpè dictum est in toto hoc tractatu: vt Sacrificium respicit Deum directè tanquam terminum ad quem, ipsi enim offertur ad gloriam & honorem propter bonum nostrum; vt Sacramentum respicit filios Ecclesiæ quibus datur vt alimentum spirituale animæ: vt Sacrificium est quid transiens, completur enim in consecratione; vt Sacramentum verò est quid permanens, nam licèt per consecrationem conficiatur, ipsa tamen transacta permanet, & causat suum effectum dum recipitur: in his & aliis differunt. Conueniunt autem in hoc quòd Christus Dominus est institutor ipsius, tam vt est Sacrificium, quàm vt est Sacramentum: deinde, quia requiritur vt vtrumque fiat sub vtraque specie. De Sacramento, supra disp. 2. dubio. 6. probatum est. De Sacrificio etiam certum est apud Authores: nam circa hoc est præceptum diuinum. Deinde, quia cùm hoc Sacrificium sit repræsentatio Dominicæ passionis, & commemoratio Cœnæ Domini in ea sacrificantis: & in passione sanguis fusus fuerit, & oblatus separatim à corpore; in vltima verò Cœna & corpus & sanguis fuerint sigillatim in Sacrificium oblati, sequitur quòd ad integritatem Sacrificij Missæ requiritur quòd fiat sub vtraque specie: vnde quamuis esset verum essentialiter Sacrificium si tantùm fieret sub vnica specie, in quantum sub vnica specie continetur totus Christus, ac proinde corpus & sanguis: tamen non esset substantialiter integrum, nec perfectè repræsentatiuum Sacrificij Crucis, & Sacrificij vltimæ Cœnæ.

Prima opinio asserit Sacramentum Eucharistiæ esse nobilius ipso Eucharistiæ Sacrificio. Probatur; Secundùm rationem specificam sunt æqualia; nam tam Sacrificium, quàm Sacramentum continent totum Christum verum Deum & hominem: secundùm rationem verò generalem, ipsum Sacramentum est quid nobilius Sacrificio; quia Sacramenum ob sui nobilitatem solùm potest institui à Deo: Sacrificium verò, cùm sit de iure naturæ, potest institui ab Ecclesia, quod denotat non habere tantam nobilitatem; ex propriis enim causis colligitur nobilitas effectuum: ergo Sacramentum Eucharistiæ est nobilius ipso Eucharistiæ Sacrificio.

Secundò; Christus Dominus in quantum homo concurrit principaliter ad Sacrificium Missæ: ad Sacramentum autem Eucharistiæ; sicut & ad alia Sacramenta concurrit tantùm instrumentaliter: sed hoc arguit maiorem esse nobilitatem Sacramenti Eucharistiæ, quàm Sacrificij Missæ; nam si esset æqualis vtriusque nobilitas, non apparet cur Christus vt homo non concurrat ad vtrumque eodem modo, vel principaliter, vel instrumentaliter: ergo Sacramentum Eucharistiæ est nobilius ipso Eucharistiæ Sacrificio.

Tertiò; Sacrificium Eucharistiæ ordinatur ad

ad ipſum Euchariſtiæ Sacramentum; fit enim Sacrificium, vt ſit Sacramentum. Deinde, Sacramentum habet nobiliorem effectum, quàm Sacrificium, & nobiliori modo; nam Sacramentum immediatè cauſat phyſicè gratiam ſanctificantem, quæ eſt forma omnium ſupernaturalium nobiliſſima, cùm ſit participatio diuinæ naturæ formaliſſimè conſideratæ: Sacrificium autem hanc non cauſat immediatè, at tantùm ſatisfactionem pro pœnis; & adhuc tantùm moraliter: ſed illud ad quod aliud ordinatur, cùm habeat rationem finis, & aliud rationem medij eſt nobilius illo alio: ſicut & illud eſt nobilius quod cauſat nobiliorem effectum, & nobiliori modo; ex perfectione ſiquidem effectus, & modi cauſandi, iudicatur perfectio cauſæ; quia nemo dat quod non habet, & vnumquodque agit, in quantum eſt actu: ergo Sacramentum Euchariſtiæ eſt nobilius ipſo Euchariſtiæ Sacrificio.

CONCLVSIO.

RESPONDEO dicendum, quòd licèt Sacramentum Euchariſtiæ ex aliqua parte, & ſecundùm quid ſit nobilius ipſo Euchariſtiæ Sacrificio: 2. Omnibus tamen penſatis, & ſimpliciter loquendo, ipſum Sacrificium eſt nobilius Sacramento. Ita communiter Diſcipuli D. Thomæ.

Probatur prima pars concluſionis rationibus in contrarium adductis, quæ illam efficaciter probant.

Probatur ſecunda pars concluſionis. Sacrificium Euchariſtiæ eſt idem numero formaliter, ac Sacrificium Crucis, vt dictum eſt: ſed Sacrificium Crucis eſt nobilius quocumque Sacramento, cum ab illo Sacramenta habeant virtutem cauſandi gratiam, vt toties docet D. Thom. ſupra, maximè quæſt. 64. art. 7. ergo Sacrificium Euchariſtiæ eſt nobilius ipſo Euchariſtiæ Sacramento.

Secundò; tam Sacrificium, quàm Sacramentum ordinatur, & ad cultum Dei, & ad vtilitatem ac bonum ſpirituale hominum; vt docet etiam D. Thom. ſupra quæſt. 63. art. 6. ita tamen quòd cultus diuinus debeat præferri bono ſpirituali hominum, cùm ſit ſuperioris ordinis: & ſic per ordinem ad illum debet præcipuè attendi ipſorum nobilitas: ſed Sacrificium nobiliori modo ordinatur ad cultum Dei, quàm Sacrificium, vt docet D. Thom. 1. 2. qu. 101. art. 4. Cuius ratio eſt, quia Sacrificium per ſe primò ex ſua inſtitutione reſpicit Deum; nam eſt oblatio Deo facta, vnde habet Deum pro termino ad quem; Sacramentum autem habet pro termino ad quem ipſum ſubiectum recipiens, ex ſua inſtitutione; cùm ſit ſignum rei ſacræ ſanctificantis hominem. Imò D. Tho. ſupra quæſt. 63. artic. 6. ponit Sacramentum Euchariſtiæ principaliter ordinari ad diuinum cultum, quia eſt Sacrificium; ait enim: Per modum quidem ipſius actionis pertinet ad diuinum cultum Euchariſtia, in qua principaliter diuinus cultus conſiſtit, in quantum eſt Eccleſiæ Sacrificium: ergo Sacrificium Euchariſtiæ eſt nobilius ipſo Euchariſtiæ Sacramento.

Tertiò; Ex vna parte in vtroque reperitur Chriſtus verus Deus & homo: ex alia verò Sacrificium Euchariſtiæ eſt præcipuus actus, ad quem ordinatur character ſacerdotalis (qui eſt participatio ſacerdotij Chriſti) vt patet ex ipſa forma ordinationis, Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia tam pro viuis, quàm pro defunctis: ergo Sacrificium Euchariſtiæ eſt nobilius ipſo Euchariſtiæ Sacramento: nam character ſacerdotalis debet præcipuè ordinari ad illud quod eſt nobilius intra propriam ſphæram.

AD primum ergo, dicendum quòd Sacramentum non ideò petit inſtitui à Deo, quia eſt nobilius Sacrificio: ſed quia eſt ſignum practicum gratiæ, non ex natura ſua, ac ex inſtitutione: vnde debet ab illo ſolo inſtitui, cuius eſt principaliter phyſicè cauſare gratiam, quam tale ſignum practicè ſignificat. Nec ſemper verum eſt quòd ex propriis cauſis colligatur nobilitas effectuum; nam materia prima eſt effectus ſolius Dei, & tamen eſt imperfectiſſima omnium entium.

AD ſecundum, dicendum quòd ideò Chriſtus concurrit tantùm inſtrumentaliter, vt homo, ad Sacramentum Euchariſtiæ, quia hoc fuit inſtitutum à Deo ad cauſandam phyſicè & immediatè gratiam ſanctificantem, ad quam ſolus Deus concurrit principaliter in hoc genere: vnde pari modo, ſi Deus inſtituiſſet hoc Sacrificium ad cauſandam phyſicè immediatè gratiam, etiam Chriſtus ad illud potuiſſet tantùm concurrere inſtrumentaliter: & ita hæc nobilitas Sacramenti eſt extrinſeca tantùm ratione effectus.


AD tertium, dicendum quòd Sacrificium Miſſæ per ſe primò ordinatur ad cultum Dei, tanquam ad proprium finem: quòd autem Euchariſtia ſit etiam Sacramentum, ſe habet per accidens ad rationem Sacrificij quam præſupponit, & à qua neceſſariò dependet: vnde ex dictis non poteſt eſſe Sacramentum Euchariſtiæ vt eſt, niſi priùs ſit Sacrificium; cùm, vt dictum eſt, Sacrificium fiat in conſecratione, ſine qua non poteſt eſſe Sacramentum Euchariſtiæ. Poteſt autem eſſe Sacrificium Euchariſtiæ abſque eo quòd ſit Sacramentum; potuit enim Deus non ordinare Euchariſtiam ad ſanctificationem hominum, & ita non eſſet ſignum rei ſacræ. Non autem poteſt fieri quòd conſecratio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti non ſit Sacrificium: & ita Sacrificium Euchariſtiæ ordinatur ad Sacramentum Euchariſtiæ eo modo quo eſſentia ad ſuas proprietates

prietates. Ad aliud, dicendum quòd solùm probat Eucharistiæ Sacramentum habere hanc nobilitatem secundùm quid in ordine ad vtilitatem nostram, quòd vt instrumentum physicum Dei causet gratiam sanctificantem, quam non habet Sacrificium. Tamen Sacrificium in hac etiam parte habet nobilitatem supra Sacramentum, nempe quòd habet influxum vniuersaliorem, quàm Sacramentum: nam Sacramentum tantùm influit in paucos suscipientes; Sacrificium autem influit non solùm in omnes assistentes, sed etiam in omnes pro quibus offertur. Deinde, cùm hoc Sacramentum dependeat ab hoc Sacrificio, etiam eius causalitas ab eodem Sacrificio dependet.

Aliqui plura hìc disputant de circunstantiis huius Sacrificij, purà de modo, de loco, de tempore offerendi, aliisque annexis: sed quia hæc potiùs ad moralem doctrinam pertinent, nec habent peculiarem difficultatem; ideò his ad Casuitas remissis paululùm quiescimus, vt iterum incipiamus. Quæ autem dicta sunt, vtinam sint ad gloriam Dei, sanctissimæ Virginis Mariæ eius Matris, sanctæ Parentis nostræ Theresiæ, ac Angelici Doctoris D. Thomæ. Si quid autem, non solùm contra fidem, & bonos mores; sed etiam contra eiusdem sanctissimi Doctoris sententiam dictum sit, libenter reuocamus: omniáque infallibili iudicio sanctæ Matris Ecclesiæ submittimus.

FINIS.





5-2